


5.3.62

SEX. AURELIUS
PROPERTIUS
UMBER;
ET IN EUM
JOANNIS PASSERATII
Prælectiones Solennes, sive Commentarii; aliquantum contracti:
JANI BROUKHUSII
NOTÆ SELECTÆ:
JOANNIS ANTONII VULPII
Animadversiones perpetuæ, atque Indices locupletissimi.

Omnia ex accurata ejusdem VULPII *recensione.*



PATAVII. CIƆIƆCCLV.
EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.
SUPERIORUM PERMISSU.

SENATORIBUS PRÆSTANTISSIMIS

TRIUMVIRIS

ACADEMIÆ PATAVINÆ CURANDÆ

JO. ALOYSIO MOCENICO II.

DANIELI BRAGADENO,

EQUITI, AC ÆDIS D. MARCI PROCURATORI,

MARCO FUSCARENO,

EQUITI, AC ÆDIS D. MARCI PROCURATORI,

JOANNES ANTONIUS VULPIUS

FEL.



ESTRUM *est*, *Amplissimi Viri & Sapientissimi*, *qui bonarum litterarum dignitati consulitis*, *a me*, *cui potissimum eæ litteræ colendæ atque ornandæ man-*

datæ ſunt, temporis in hoc ſtudiorum genere conſumti rationem repoſcere: meum eſt reddere cum fide. Unum igitur ex fructibus vigiliarum mearum, laborumque incredibilium, quos noctu, interdiu, æſtate, hieme, nulla neque valetudinis, neque laxandi animi, neque rei familiaris ratione habita, per annos fere quadraginta libentiſſime pertuli, ad Vos defero, Sextum Aurelium Propertium, *Poetam, ut noviſtis, eruditione atque elegantia plane ſingulari; quum aliorum Commentariis, tum meis Animadverſionibus ita explicatum atque illuſtratum, ut pauca omnino in ejus carminibus jam explicanda & illuſtranda ſuperſint. Ante oculos omnium palam erit, niſi fal-*

lor, me non solum domi studiosos adolescentes, si qui adveniunt, vel e superiore loco in Gymnasio Patavino voce docere, instituere, ad oratoriam artem, poeticam, historicam, Græcæ ac Romanæ antiquitatis notitiam, optimorum auctorum lectionem instruere; sed etiam Italæ omni juventuti (ne quid gloriosius de me prædicem) scriptis editis conari prodesse. In ore pridem ac sermone hominum sunt variæ lucubrationes nostræ; scilicet quos in Catullum, & Tibullum scripsimus & edidimus Commentarii locupletissimi: Liber de Utilitate Poetices: Liber de Satyra Latina, ejusque scriptoribus: Paraphrasis & Commentarius in decimam Satyram Juvenalis: Opuscula plura ad Phi-

loſophiam pertinentia: Carminum Latinorum atque Etruſcorum libri multi: Zachariæ Scholaſtici Diſputatio inſignis e Græca in Etruſcam linguam converſa: Divinatio in Diptychum Quirinianum: Orationes item aliquot, & Vitæ Virorum illuſtrium. Silentio enim prætereo excellentium Auctorum ſcripta diverſa ad Humanitatem ſpectantia, quæ ex Typographia Cominiana, cui præſumus ego & frater meus, curis meis emendata & perpolita in publicum prodiere. Taceo etiam de nonnullis aliis qualiſcumque ingenii mei fœtibus, partim abſolutis, partim affectis, qui adhuc in ſcriniis deliteſcunt: iis quoque, ſi modo æquos æſtimatores, ac ſtrenuos defenſores nactus fuero, lucem ſuo


tempo-

tempore non invidebo. Et sunt, qui me docendi laborem defugere dicant? Gymnasium quidem Patavinum lectissimorum hominum gloria nunc maxime floret: hos ob industriam, experientiam, doctrinam, fortunam denique meritis respondentem, satis admirari non possum: id tamen constanter affirmo, me, quum omnibus ingenio inferior sim, de laboris tolerantia, rectaque juvandi litteras voluntate nemini umquam concessurum. Probant etiam hæc studia nostra, laudant, non parvi faciunt, qui aliquid de iis audiverunt (licet enim mihi verum dicere). multorum testimoniis, neque levibus, neque obscuris, in hac re uti possem: abstineo tamen; veritus nimirum, ne me insolentius ja-

ctare videar. Nonnullos excipio, *aut desidiosos, aut hebeti tardoque ingenio, qui alienam gloriam putant* opprobrium *suum: hi non aperte quidem inimicitias denuntiant, nulla accepta injuria; sed natura malevoli, parci laudatores, promti obtrectatores, nocendi tempus observant; clanculum, & quasi per cuniculos insidiantur; commodo aliquo dicto & urbano auribus virorum principum calumniæ virus instillant, & apud illos, occupatos sæpius & aliud agentes, si non caput, at fortunas nostras oppugnant. Hoc genus hominum mihi placare neque spero, neque valde cupio: ita nati factique sunt, ut invideant semper, & obloquantur melioribus. In vestra potius vigilantia, æquita-*

te, benignitate, Viri Præstantissimi, spes omnes meæ, ut & omnium qui de litteris bene meremur, sitæ & collocatæ sunt: Vos & gratiosis audaciam, & dignis sollicitudinem demere, consentaneum est. Hoc igitur munus, quod Vobis ab observantia mea debebatur, accipite, quæso, hilari animo & libenti: remuneramini etiam opportune, si Vobis videbitur; quod invidos mordeat, abjecta bonorum ingenia excitet, & ad præclara quæque suscipienda confirmet. Quum hæc studia nostra contemni cœperint, quum in tanto deliciarum, ambitionis, luxuriæ strepitu Musarum cantus vix exaudietur; eo demum tempore languor, ignavia, inertia, civitatum pestes, vitiorum præterea furor atque impe-

tus cervicibus omnium imminebunt. Vos id, pro ſapientia veſtra, probe intelligitis: eſt enim philoſophiæ pulcherrima pars, rempublicam adminiſtrare, & quæ philoſophi in otio *præcipiunt, in negotio* exercere. *Valete, Viri Ampliſſimi, & conatibus meis patrocinio veſtro favere pergite.*



L E C T O R I B U S

JOANNES ANTONIUS VULPIUS.



NE Propertium, tantæ venuſtatis & eruditionis Poetam, qui ex ejus carminibus voluptatem capere ſolent, a me negligi, & inexplicatum relinqui, indigne paterentur: quum Veronenſem illum, & Romanum alterum, elegantiorum hominum delicias, pridem interpretatus fuiſſem: ſtatui & hujus explicationi calamum admovere, Lectores candidi, ſperans videlicet, me in hoc quoque Scriptore illuſtrando bene operam poſiturum. Quandoquidem vero novum de integro Commentarium adornare atque inſtruere, opus maximi laboris, & ſupervacui etiam fuiſſet; cogitare cœpi de Joannis

PASSERATII *Trecensis*, *Regii Eloquentiæ Professoris in Academia Parisiensi*, *Prælectionibus Solennibus*, ut ipse appellabat, iterum edendis, ac novæ Editioni quam parabam accommodandis. Dignissimus erat Passeratius, eximia doctrina vir, & linguæ Latinæ mirum in modum peritus, cujus memoria tandem reviresceret, laboresque in manibus & ore hominum versarentur. Nemo enim, si quid in his litteris video, felicius Propertium tractavit, vel diligentius exposuit: neque Philippus Beroaldus omnino cum eo comparari potest. Invitus hominem Gallum Italo antepono: sed suus veritati honos debetur. Beroaldus omnes quidem Propertii superiores Interpretes facile vincit: sed nihilominus multum abest a summo; propterea quod ejus temporibus Ars Critica, tunc primùm e lutulenta barbarie caput extollens, robur & vires nondum acceperat. Doctrinæ tamen ubertas & copia (quis crederet?) nocuit Passeratio: plurimi enim a scriptione tam longa oculos abstinuerunt, illud secum ipsi minus reputantes, ignaviæ comitem esse paupertatem, parcæ sationi exiguum respondere fructum, libros denique, unde erudimur, thesauros esse oportere, ut Plinius persuasum habuit. Quot numeraremus in civitate Varrones, quot Scaligeros, Casaubonos, Barthios, Lipsios, Muretos, Salmasios, nisi eruditio laborum & vigiliarum pretio emenda esset! Ego vero, qui a puero bellum otio indixi, quum summi viri Passeratii Commentarios Propertianos haud semel perlegissem, multum me profecisse intellexi; atque etiam ægre tuli, ad finem operis utilissimi me aliquando pervenisse. Illud in primis mihi maximam admirationem movit, quod is assidua lectione Propertium ita sibi familiarem fecerat, ut loca similia hujus Auctoris semper haberet parata, quorum præsidio nodos idemtidem

dem

dem incidentes nullo fere negotio diſſolveret ; quod ſane optimum eſt interpretandi genus. Deinde quum libros probatiſſimorum Latinitatis auctorum, & illorum etiam qui deterioribus ætatibus, eâ tamen linguâ nondum ſepultâ, floruere, accurate admodum evolviſſet ; omnium teſtimoniis uſus, quotieſcumque res poſtulat, aptiſſima & ſelectiſſima in medium affert ad illuſtrandum Poetam ſuum, quæ cupidos bonarum litterarum docere ſimul & delectare poſſint. Græcam eruditionem, & hiſtoriam fabuloſam, qua ſi deſtituamur, omni cum poetis commercio nos prohiberi neceſſe eſt, mirifice callet. Veteres Grammaticos, illos præſertim qui de Latini ſermonis proprietate ſcripſerunt, conſulit ſæpius. Origines verborum ſollicite ſcrutatur, neque tamen ineptiarum crimine accuſari facile poteſt ; quod in eo doctrinæ genere pleriſque contingit. Minuta quæque perſequitur, neque lectorem in vado aut ſcopulis relinquit, ut interpretes & grammatici minorum gentium : particularum vim & poteſtatem acerrimo judicio perpendit : hypallages, enallages, aliaſque grammaticorum & poetarum figuras diligenter animadvertit : mirus præcipue ac ſingularis in ancipiti ſermone notando, & in ſententiis diverſis diſtinguendis, quæ una & eadem locutione haud raro ſignificari ſolent. A fide codicum antiquorum numquam diſcedit; propterea Joſepho Scaligero ſubiratus, in ea re minus religioſo; cujus licentiam in tranſponendo & mutando probare nullo modo poterat. Profecto Scaligeri, viri ceteroqui ſine ulla controverſia doctiſſimi, tumor, confidentia, & dictatorium in litteris ſupercilium multos offendit. Magna me ſentio affici voluptate, quum hic mihi dux & magiſter ad intelligendum & exponendum Propertium, verba Poetæ, locutiones, particulas ita ſolerter

b 2 expen-

expendit, quid valeant, quid significent, ita enarrat, ut in sententiæ medullam me quasi manu prehensum introducat. Ex plurimis aliqua huc exempla congeram. ADSPICE; *præsentis testimonii, nec longe petiti exempli*. an si; *argumentum a dissentaneis*. at; *inceptiva particula ad ornatum: convenit* ἀποστροφῇ. at non sic; *hoc loquendi modo notatur dissimilitudo*. at tibi; *formula imprecantis*. Crede mihi; *familiariter admonentis*. Dic mihi; ἰδιωτισμὸς *interrogantis, & sæpius cum stomacho*. Ecce jaces; *verba præsentis exempli, reique subitæ*. ecquid; *potest sumi pro* an, *sed ita ut magis incitet orationem*. τὸ & *servit exclamationi, & objurgationi*. & vos; *admonentis est*. ergo; *indignantis & stomachantis: interdum est velut reprehendentis tarde sibi consentientem*. Igitur; *excandescentis*. i, quæso; *formula dimittentis a se aliquem cum irrisione*. Licet; *est hoc insultantis per amaram concessionem &* εἰρωνείᾳ. Nunc, *habet locum in conquestione rei præposteræ: interdum notat dissimilitudinem:* nunc tu quæris aquam medio flumine: nunc sis jure superba licet. Potes; *est immanis & obstinatæ duritiæ, vel audaciæ*. provehere & provehi; *maritimum verbum*. Quandocumque; *formula testandi videtur*. quid? *formula est pergentis ad alia: & sæpe stomachantis*. quid si; *sermo est urgentis, & ad graviora transeuntis*. quid si non; *hæc verba complectuntur argumentum a contentione minorum*. quid tibi vis? *objurgantis est, & reprehendentis inconsultam alicujus rei cupiditatem*. Retineri, & mitti, *seu* dimitti; *verba militiæ*. Sed, *pro igitur. & exclamantis est*. τὸ semel *rem certam significat, quæ mutari non possit, nec regressum habeat*. si pudor est; *sermo hortantis per increpationem*. si qua; *ad amicam refertur, certa destinatione incerti sermonis*. τὸ sic, *est veluti remunerantis & rependentis beneficium quod petitur, rem gratam alteri optando*.

do . suspicari ; *translatum ab iis qui sursum aspiciunt*, *metuentes impendentem ruinam* . Tamen ; *obstinati animi* . tua venia , pace tua ; *pontificalia verba* . Vadere ; *verbum confidentiæ* . τὸ vel ; *exemplum rei majoris* . viderit hoc ; *est alieno arbitrio rem permittentis* , *per dissimulationem* . ut ; *est fictæ concessionis* .

Passeratium pro singulari ejus merito magni fecit etiam JANUS BROUKHUSIUS , elegantissimi vir ingenii , limati & politi judicii , Criticus & Poeta excellens ; qui , pluribus codd. mss. inspectis , & diligenter collatis, nitidiorem Propertium nobis dedit . Quamquam enim haud raro ab ejus lectionibus , vel explicationibus discedit , abitque in alia omnia ; tamen de illo semper honorifice loquitur , & ut par erat loqui de viro doctissimo : eumque adversus Gebhardum sæpius defendit . Quod sane mirum est in homine Batavo , genti Gallorum infenso , & Scaligeri partibus nimium favente : Scaliger autem , ut antea monuimus , Passeratio minus placuit . Adnotationum propterea Broukhusii , eruditarum & subtilium , rationem habuimus , ex illis optima tantum & selecta contextui Poetæ subjicientes , quod jam voluminis magnitudo satis crescere videretur . Quid porro ipse præstiterit in expoliendo Propertio , ejus Præfatio declarat , quam hìc recudi curavimus .

Duumviris hisce gravissimis ego tertius accedere ausus sum ; impar quidem (fateor libentissime) sed nihilominus in lectione Propertii diu multumque exercitatus . Difficile profecto erat , post tantos tamque accuratos virorum illustrium labores , de mea penu nova & utilia depromere : quod si nonnumquam longius aliqua prospicere mihi contigit pumilioni & pygmæo , ne mi-

ne miremini, æqui Lectores; *ab imo* enim *ad ſummum moduli bipedalis*, gigantum humeris inſiſtebam. Quidquid igitur vidi, quod ipſi fortaſſe non viderint, nolo mihi acceptum feratis, ſed baſis altitudini qua innixus eram. Porro mihi propoſitum fuit, Umbro Poetæ ita cereum lucere, ut omnia ejus, quoad fieri poſſet, & obſcura clareſcerent, & retruſa eminerent. Ad hunc igitur finem retuli non ſolum Animadverſiones meas omnes, quas perpetuo ſuis locis inſerui, ſed etiam quæcumque a me addita ſunt ipſis Adnotationibus Paſſeratii & Broukhuſii, quæcumque detracta, quæcumque immutata, vel interpolata. Honeſtum igitur juvandi ſtudioſos deſiderium, & quibuſcumque modis Poetam illuſtrandi, facile, ut ego arbitror, audaciam meam excuſabit. Si quis male fert atque indignatur, viroſque magnos a me violatos clamat, utatur Editione Paſſeratii Pariſienſi Anni MDCVIII. & Editionibus Broukhuſii Amſtelædamenſibus Anni MDCCII. & MDCCXXVII. ibi omnia integra & intacta reperiet: ſinat nos interea conſulere bonis illis viris & adoleſcentibus qui inſtitutum hoc noſtrum fortaſſe probaturi ſunt. Aliquando non verba ipſa duorum Interpretum, ſed ſententiam tantum recito, præſertim quum ab illorum opinione diſcedo. Interdum addo aliqua verbis Paſſeratii, ad uberiorem explicationem; quæ tamen uncis includo. Eſt etiam ubi ex Adnotatione Paſſeratii & mea, re poſtulante, unam facio. Ab ejus μνημονικοῖς ἁμαρτήμασι notandis non abſtineo: ſummus enim fuit, homo tamen. Quæ nimia videbantur, neque textui Poetæ ſubjici commode poterant, nonnumquam amputavi; obſequi etiam volens delicatis, & brevitatis amantibus: convicia quoque & maledicta non ſemel tollere placuit.

Unicui-

Unicuique porro Adnotationi sui auctoris nomen subjectum est, & sua singulis reddita cum fide. Veniam dabitis, optimi Lectores, si non semper eadem scribendi ratione me usum invenietis: exhibui enim sæpius ejusmodi ortographiam quam auctoribus Notarum videbam placuisse. In Animadversionibus porro nostris, ut existimo, plura occurrent vobis, non inutilia, & interdum etiam necessaria. Operam in eo multam studiumque consumsi, ut ostenderem continuationem sententiarum, quomodo illæ inter se aptæ & colligatæ sint; quod ab interpretibus fere negligitur: præsertim quum Josephi Scaligeri transpositiones, quas ille auctoritate sua contra veterum librorum auctoritatem induxerat., rejicerem; consensu doctissimorum hominum, si Broukhusium excipias, repudiatas. Ut autem qui hæc omnia ad Propertium illustrandum a me comportata legere aut nolent, aut nequibunt, scire possint, quid industriæ meæ in tanta hac rerum farragine potissimum debeatur, intelligantque, me actum non egisse; locorum Propertii, de quibus præcipue bene meritum me esse existimo, brevem tabulam dedi. Usus autem valde sum Editione omnium principe, Anni MCCCCLXXII. cujus locus incertus. Hanc, cum manu scriptis codicibus fere consentientem, Broukhusius omnino ignoravit. Protuli etiam Lectiones Varias ex duobus libris vetustis calamo exaratis, quorum unum chartaceum mihi perbenigne utendum dedit, vir humanitate ac doctrina insignis, JOANNES CHRYSOSTOMUS TROMBELLIUS, Bononiensis, Abbas Canon. Regular. Congregationis S. Salvatoris: alterius membranacei Guarneriani Bibliothecæ S. Danielis diversas lectiones Utino mihi misit, vir doctus & amicus, DOMINICUS ONGARUS.

Hos

Hos autem, qui me illuſtri adeo benevolentiæ ſigno devinxerunt, & honoris, & grati animi cauſſa nomino. Quid poſtremo dicam de Argumentis quæ ſingulis Elegiis adjeci? quid de Indice locupletiſſimo, eodemque laborioſiſſimo, verborum omnium & locutionum Propertii, a me novo quodam ordine confecto, qualem Indicem nemo antea protulerat? feſſus jam ſum operâ meâ venditandâ. Utimini, Lectores candidi; utendo enim, quid egerim, quam ſedulo commodis veſtris & utilitati ſerviverim, facile intelligetis.



VUL-

VULPIUS
AD POETAM SUUM.

Unde mihi tanti ſolatia ferre laboris
Contingat, quo te nitidum, pexumque, Properti,
Jampridem ſtudeo revocare in luminis oras?
Mutarunt mentem locupletes. non tibi Tullus,
Non tibi Mæcenas, blandis qui præbeat aurem
Carminibus, tecumque ſuis conſidat in hortis.
Rarus pro meritis nunc docta volumina lector
Æſtimat: & miſeræ ſcriptores pœnitet artis.
Vixere, heu, Grajæ, & Muſæ vixere Latinæ.
Friget Suada vetus: peregrinum & pingue locutos
Miratur populus: nec jam procedere recte
Quiſquam Grammaticis vult, jejuniſque Poetis.
Vel quia Barbaries fundo caput exſerit imo,
Vel quia doctrinam regina Pecunia donat,
Ingenioque poteſt dives certare Platoni.
Sola tamen Virtus, & mens ſibi conſcia recti
Imperium, Fortuna, tuum contemnere poſſit.
Ipſa ſibi pretium Virtus. nec noſter opimas
Venter amat cœnas, nec nobis poſcimus aurum.
Ergo quid reliquum eſt? hæc me ſuſtentat egentem
Nimirum ſpes, ut pauci, quos æquus amavit
Juppiter (aëriis nondum ſi tradita ventis
Pulſa loco ceſſit Romanæ gloria linguæ)
Noſtra legant adjuncta tuis, facunde Properti;
Lecta probent æqui, plaudant, faveantque probatis;
Præſidioque juvent, & ſpicula ſæva repellant

Invidiæ: donec rerum series nova surgat,
Donec in antiquos vertantur sæcula mores.
Forte aliquis Rhodani potor, magnique Garumnæ,
Et quos regali fert Sequana flumine, cycni
Me noscent, & clara virûm veniemus in ora.
Impiger excipiet Batavus, solersque Britannus,
Pellitique Borysthenidæ, gens cognita Musis.
Denique Germanos faciles, justissima corda,
Experiar: nostrum est illis memorabile nomen.
Attamen Ausoniam pubem conatibus optem
Præcipue indulsisse meis: nam si neget illa,
Subtilis rerum judex & callida, quid mi
Profuerit placuisse viris quos dividit unda,
Et gelidi montes, atque horrida lustra ferarum?
Judicia illa quidem, votis precibusque petenda,
Pondus habent, fateor: sed res non dulcior ulla,
Quam tibi si faveat civis, cognatus, amicus,
Quos inter vivas, & queis commercia linguæ
Sint tecum. sperare juvat. tu blande PROPERTI
Commenda de te meritum: sic flumina Lethes
Effugias, semper florens, ævumque fatiges;
Et Cyrenæas vincant tua carmina chartas.
CYNTHIA sic maneat semper, tibi culta: nec ullam
Æque formosam fingat natura puellam.



JO.

JO. ANTONIUS VULPIUS
De Vita
PROPERTII.



Sex. Aurelium Propertium in ea Umbriæ regione natum fuiſſe quæ fines Etruriæ proxime contingit, certo ſcimus: id enim ex Elegiarum ipſius teſtimonio ſatis conſtat. Cuinam tamen Umbriæ oppidorum quæ adhuc ſuperſunt egregius hic civis adjudicari debeat, omnino incertum eſt. Rem dubiam faciunt celebres doctorum virorum controverſiæ atque opiniones; videlicet Philippi Beroaldi, Flavii Blondi, Petri Criniti, Lilii Gregorii Gyraldi, Leandri Alberti, Joſephi Scaligeri, Caſparis Scioppii, Juſti Lipſii, Joannis Paſſeratii, Thaddæi Donnolæ, Diomedis Monteſperellii, Franciſci Caroli Corradi, aliorum. Plerique Mevenatem, ex Mevania ſcilicet Umbriæ oppido, fuiſſe contendunt; & his manu ſcripti codices favent: Ameriam alii, nonnulli Aſſiſium, Hiſpellum aliqui, vel Fulginium, vel Falcum, vel Spoletium, vel Peruſiam, ejus patriam faciunt. Ego vero implexa hujuſmodi ſpineta atque odioſa prorſus declinare ſtatui: neque enim mihi argumenta quæ ſinguli attulerunt, per otium conſiderare licuit. Non erat hæc ſcriptio paucarum litterarum: ſingulare ac juſtum volumen ſibi poſtulabat: me autem diuturno Propertianæ hujus Editionis labore defeſſum, requiem ſpectare, ac manum de tabula aliquando tollere oportebat; ne volumini etiam moles adderetur, non ſine emtoris & lectoris faſtidio. Præterea, iniquum fortaſſe fuit, ab homine alieno cauſſas Umbrorum diſceptari; quibus vel ingenium ſuperat, quo ſua quique jura ſtrenue defendant; vel animi moderatio, ad hæc minus utilia relinquenda. Si enim

Propertius Umber eſt, ut certe eſt, cur ejus natalium gloria, civilibus rixis compoſitis, in omnes pariter Umbros derivari non poſſit? Moneo tamen eruditos, tum demum veram Poetæ noſtri patriam detectum iri, quum primum Inſcriptio vetus aliqua exſtiterit, quæ nos doceat, ex quo Umbriæ municipio fuerit Paſſiena familia. Sane pervulgata ſunt quæ ſcribit Plinius Cæcilius Epiſt. 15. lib. 6. *Paſſienus Paullus ſplendidus eques Romanus, & in primis eruditus, ſcribit elegos. gentilitium hoc illi.* (*al.* gentilium) *Eſt enim municeps* Propertii, *atque etiam inter majores ſuos* Propertium *numerat*. Fortaſſe mater Paſſieni Paulli ex *Aurelia* municipali familia originem duxerat. Hiſce igitur in præſens omiſſis, de nomine & cognomine *Propertii* dicamus. Aurelia gens Romæ, ut viri docti conſentiunt, plebeja quidem fuit, ſi primum illum delectum ſpectemus, quo Romulus, & alii Romani reges, a reliquo populo patricios diſtingui voluerunt; ſed nihilominus curulibus magiſtratibus poſtea geſtis valde nobilitata. Dividitur ab Hiſtoriæ peritis in familias tres; Cottarum, Oreſtum, Scaurorum. Hæ ſingulæ viris illuſtribus floruere, quibus reipublicæ dignitas prima ſemper fuit, potiorque vitâ ipſâ. Nihil autem *Propertio* noſtro, equiti municipali, cum ſenatoriis hiſce familiis: quamobrem neque honores adeptus eſt, atque ab iis petendis abſtinuit. *Jacere ſemper* eum *voluit fortuna:* id ipſe Tullo patrono ſuo narrat, Cynthiamque ſuam allocutus, *neque* ſe *ſanguine avito nobilem*, neque *triumphos ullos* majorum oſtentare poſſe, libenter fatetur. Quæ non ita ſunt accipienda, ut putemus, eum domi obſcuro genere, atque ex plebe media fuiſſe. Immo, quum pars illa Umbriæ in qua natus eſt, Etruriæ fines proxime attingeret, conjecturæ locus eſſe videtur, majores ejus non claro ſolum, ſed, ſi diis placet, regum etiam Etruſcorum ſanguine generatos. Hanc ſuſpicionem injicit Servius ad verſum DCXCVII. Libri VII. Æneidos. ejus verba ſunt: *Hos* (Capenates, ſeu Capenos, Tuſciæ populos) *dicit Cato Vejentum condidiſſe auxilio regis* Propertii, *qui eos Capenam, quum adoleviſſent, miſerat*. Fuit autem *Propertius* ille, ut vi-

ut videtur, rex Etruſcorum antiquiſſimus: Vejentum porro, ſeu Veji, urbs ampla in Etruria & magnifica, Romæ ipſius quondam æmula, quam poſt decem annorum obſidionem, vir fortiſſimus M. Furius Camillus diruit, ac ſolo æquavit. Poeta noſter iccirco, domeſticæ gloriæ quaſi admonitus, non ſine ſenſu doloris exclamat Eleg. X. Libri IV.

Et Veji veteres, & vos tum regna fuiſtis;
Et veſtro poſita eſt aurea ſella foro.

Utinam exſtarent libri Originum a M. Porcio Catone conſcripti: hæc omnia, nunc ſatis dubia & obſcura, in aperto loco & propatulo ſita eſſent. Quod autem ſuſpicari fas eſt de *Propertio* noſtro, eum ſcilicet quamvis privatum hominem, regum tamen ſatu editum, id Silius Italicus, Libro XII. Punicorum, v. CCCXCIII. de Romanorum poetarum patre Ennio plane affirmare non dubitavit:

Ennius antiqua Meſſapi ab origine regis.

Calaber Ennius fuit: Meſſapus in Calabris regnavit. Hac etiam fortaſſe de cauſſa *Propertius* tantopere optaverat in C. Cilnii Mæcenatis clientela & comitatu eſſe: homo ſcilicet Etruſca origine ac generoſa, potentiſſimi & nobiliſſimi viri amicitiam & conſuetudinem ſibi expetebat, qui & ipſe Etruſcum genus & regium, ſine mendacio, profitebatur.

De tempore natalium Poetæ noſtri, apud Chronicorum ſcriptores οὐδεὶς λόγος. Facilis tamen conjectura, fuiſſe annum Conditæ Urbis DCXCVI. L. Calpurnio Piſone, A. Gabinio COSS. quo anno M. Tullio Ciceroni igni & aqua interdictum eſt. Id colligimus ex verbis ipſius *Propertii*, qui Eleg. I. Libri IV. infortunia Poetæ ſic memorantem genethliacum inducit:

Oſſaque legiſti non illa ætate legenda
Patris, & in tenues cogeris ipſe Lares.
Nam tua quum multi verſarent rura juvenci,
Abſtulit excultas pertica triſtis opes.
Mox ubi bulla rudi dimiſſa eſt aurea collo,
Matris & ante deos libera ſumta toga:

Tum

Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.

Narrat, se, quum adhuc puer esset, orbatum patre, spoliatumque paternis opibus tristissima illa tempestate, qua post Philippense bellum prædia Itala veteranis Augusti militibus demensa & distributa sunt. Auream deinde bullam quæ pueros ingenuos a servis & libertinis discernebat, se diis Penatibus suspendisse, scribit, virilemque togam sumsisse. Quæ quidem vestis mutatio fieri solebat anno ætatis XVII. vel etiam XV. Sed primum potius de *Propertio* ut credamus, id argumentum suadet, quod statim a prætexta deposita ad Musarum otium se contulit adolescens, relicto fori tumultu, & caussidicorum clamoribus contemtis; & ideo grandiusculum fuisse oportet, qui ad fingendos elegos ingenium & calamum admoveret. Procul enim aberant veteres illi omnium elegantiarum promicondi ab hac barbarorum hominum sententia, quæ nunc obtinet: poetica studia ludicra & puerilium tantum annorum oblectamentum esse. Constat autem, divisionem agrorum quæ jussu Augusti facta est, in annum ab Urbe Condita DCCXIII. incidisse; a quo si anni XVII. retrorsum numerentur, inveniemus, *Propertium* COSS. quos diximus in lucem editum. Hæc fere Janus Douza Schediasmate succidaneo in Tibullum.

Poetæ hujus nostri pater videtur fuisse *Sex.* ille *Propertius*, cujus nomen delatum eo tempore quo P. Clodius tribunus plebis rempublicam seditionibus miscebat, civiumque locupletium bonis inhiabat, queritur Cicero in Oratione pro Domo sua. Non ita multo post a patris interitu matrem quoque, apud quam educatus fuerat, amisit; sic enim ad Cynthiam:

Ossa tibi juro per matris, & ossa parentis;
(Si fallo, cinis heu sit mihi uterque gravis)
Me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras.

Ope ingenii, & facultate scribendi carminis, Mæcenatis patrocinium & amicitiam consecutus est; cujus hortis in Esquilina regione positis proxime habitavit. Mirum autem cur nec Hora-

Horatium *Propertius*, nec *Propertium* Horatius ullo in loco poematum suorum, mutuo benevolentiæ pignore, nominaverit; quum tamen in eodem contubernio vixerint, eidem patrono cari. Sed enim quotidie verum experimur illud Hesiodeum: κεραμεὺς κεραμεῖ. Testatur vetus Auctor Vitæ Virgilii, poetas qui Augusto imperante floruere, adeo inter se non amavisse, ut omnes aliorum laudi atque gloriæ maxime inviderent: unum Virgilium, ob naturæ bonitatem prope singularem, omnibus probari & placere potuisse. Ejus Auctoris verba sunt: *Quare coævos omnes poetas ita adjunctos habuit* (Maro) *ut quum inter se plurimum invidia arderent, illum una omnes colerent; Varius, Tucca, Horatius, Gallus,* Propertius. Ecce invidos homines etiam Horatium & *Propertium*. Non enim excellens ingenium & rarum præstantes viros invidentium numero semper eximit: sed plerique laude sibi debita non contenti, eminere volunt inter omnes in omni genere scribendi, æmulum pati nequeunt, graviter indignantur, si quis parem gloriam vel affectet, vel assequatur. Horatius, quamvis hac ærugine aliquantum infectus, Virgilium summopere dilexit: eique optimam indolem, candidos mores, ingenium ingens, denique pastoralis & agrestis Musæ palmam tribuere non dubitavit. (Sat. X. Lib. I.)

Molle, inquit, *atque facetum*
Virgilio adnuerunt gaudentes rure Camœnæ.

Propertius vero miris laudibus eumdem extollit Elegia ultima Libri secundi. Mihi videtur garrulus ille, quem sibi Via-Sacra deambulanti venisse obviam, & lateri moleste adhæsisse, scribit Venusinus poeta Sat. IX. Libri I. *Propertius* noster fuisse: id quod non infirmis omnino argumentis conjicere licet. Hominem sane scribendis carminibus aptum hæc ipsius verba demonstrant:

Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium facies: nam quis me scribere plures
Aut citius possit versus?

amatorculum vero, & deliciarum studiosum ea quæ sequuntur conti-

continuo : *quis membra movere Mollius ?* Atqui *Propertius* Eleg. IV. Libri II. hoc de se aperte confessus est:

Nequicquam perfusa meis unguenta capillis:
Ibat & expenso planta morata gradu.

ut nimirum Cynthiam suam imitaretur, cujus *pedes molliter ire solebant*. Adde, quod fama istius loquaculi Romam impleverat: propterea Horatius ait : *Notus mihi nomine tantum* . Superbia *Propertii* poetica , qua se *Romanum Callimachum* appellavit (ut alia plura hujus generis missa faciam) in illis apparet : *Noris nos*, *inquit: docti sumus*. Et mox, quum ex Horatio de Mæcenate sciscitatus fuisset, cujus familiaritatem affectabat, hæc subjungit:

Haberes
Magnum adjutorem, *posset qui ferre secundas*,
Hunc hominem velles si tradere: dispeream, *ni*
Submôsses omnes.

Interrogatus verò a Flacco : *Est tibi mater* , *Cognati* , *quis te salvo est opus?* ita respondet: *Haud mihi quisquam: Omnes composui*. Quæ omnia Poetæ nostri moribus & infortuniis , de quibus superius locuti sumus , conveniunt mirum in modum . Sed illa quoque animadvertenda sunt . Horatius Sat. X. Libri I. quo loco amicorum nomina recenset, quibus velit sua poemata placere , *Propertium* omittit . *Simium* vocare videtur eadem Satyra , fortasse quod Poeta noster in ejus imitatione plurimus esset; id autem ex locorum collatione manifestum. De *Propertio* quoque dictum arbitror:

Nil præter Calvum & doctus cantare Catullum.

Non semel in Elegiis *Propertii* Calvus & Catullus memorantur , & alter alteri adjungitur . Denique Horatius Epistola II. Libri II. Propertium *videtur Callimachum vocare per ludum & jocum*. (utor verbis Joannis Passeratii ad Eleg. I. Libri III.)

Discedo Alcæus puncto illius: ille meo quis?
Quis, *nisi Callimachus? si plus adposcere visus;*
Fit Mimnermus, *& optivo cognomine crescit*.

Dixerat nimirum *Propertius* Eleg. IX. Libri I.

Plus

Plus in amore valet Mimnermi versus Homero.

Eo tempore ad Mæcenatem uterque ventitabat, & alter alteri sua legere solitus erat: neque tamen quasi per cuniculos inter se obtrectare desinebant. Nondum a me impetrare potui, ut hanc suspicionem ponerem: de cujus tamen audacia & novitate doctiores judicabunt.

Forsitan hæc aliquis (nam sunt quoque) parva vocabit.
Sed, quæ non prosunt singula, multa juvant.

&, ut eleganter P. Syrus:

Auxilia humilia, firma consensus facit.

Huc pertinent verba Quintiliani lib. 5. Instit. Orat. cap. 12. *Firmissimis argumentorum singulis instandum, infirmiora congreganda sunt: quia illa per se fortia, non oportet, circumstantibus obscurare, ut, qualia sunt, appareant: hæc imbecilla naturâ, mutuo auxilio sustinentur. Itaque si non possunt valere, quia magna non sunt, valebunt, quia multa sunt, quæ ad ejusdem rei probationem omnia spectant.* Cui præiverat M. Tullius in Partitionibus Oratoriis: *Verisimilia autem*, inquit, *partim movent suo pondere, partim etiam si videntur esse exigua per se, multum tamen, quum sunt coacervata, proficiunt.* Et lib. II. de Nat. Deor. *Quæ si singula nos forte non movent, universa certe inter se connexa, atque conjuncta movere debebunt.*

Gallo cuidam, viro nobili, amoribus dedito, nec non Tullo consularis familiæ, qui plures in Urbe ternisque magistratus gessit, gratissimus fuit *Propertius*. Ovidium, Ponticum, Bassum poetas, æquales suos, familiariter dilexit; quorum judicia, si quid populo recitaturus esset, prius experiri consueverat. Hostiam puellam, summo genere natam, quam, vero nomine dissimulato, CYNTHIAM dicere maluit, ut ab Appulejo accepimus, immodice amavisse videtur. Hanc omnibus naturæ artisque dotibus ornatam nobis describit, a Musarum præcipue sacris non abhorrentem. Qui vero Propertium unâ Cynthiâ contentum credidere, Elegiam illam (XXII. Libri II.) satis considerasse non videntur, qua se multis amoribus obnoxium, & cujuslibet

formæ mulierum ſpectatorem elegantiſſimum ſincere admodum profitetur. Quod poſtea carmen imitatus eſt Ovidius (Eleg. IV. Libri II. Amorum); ut & alia innumera hujus Poetæ. Suſpicari tamen licet, eum in argumento ficto, & elegis conveniente, ſæpius luſiſſe. Octaviano Cæſari non ſemel blanditus eſt, immemor puto injuriarum, quas ab ipſo & militibus ejus acceperat, maximique Principis gratiam obſequio carminis aucupatus. Callimachum & Philetam e Græcis, Tibullum & Virgilium e Romanis ad imitandum ſibi propoſuit; quod ne quis forte a me temere affirmari putet, conſulat Animadverſiones noſtras ad Elegiam XI. & XVI. Libri III. Ceterum gloriam Elegiæ ex Græcorum fontibus Romam primum deductæ ſibi falſo tribuit, quum ante illum Catullus id tentaviſſet magno ſucceſſu. Helladem certe omnem depopulatus, tranſmarino ſale ſcripta ſua condivit, veterum fabularum, uti apparet, ſtudioſiſſimus. Credibile eſt, Ovidium ad Faſtorum libros, & Heroidum epiſtolas conſcribendas *Propertii* lectione excitatum; prævivit enim Poeta Umber pluribus Elegiis quarti Libri, & elegantiſſima illa epiſtola Arethuſæ ad Lycotam: nec audiendus hac in re Nicolaus Heinſius, qui contrariam omnino ſententiam tuetur. Quamquam autem vires ingenii ſui conſulto extenuat, magno tamen ſpiritu, & heroicis aptiſſimo præditus fuit: cujus rei fidem faciunt ea quæ de antiquitatibus Urbis Romæ, de Auguſti victoriis, & de Cornelia matrona Paulli cenſoris uxore, magnifico verborum apparatu, & numeris Elegiæ modum excedentibus erudite cecinit. Nonnulli, ut teſtatur Quintilianus, *Propertium* Tibullo in Elegia præpoſuere. Paſſienus quoque Paullus, gentilis ejus, carmine ſcribendo, ſi Plinium Cæcilium audimus, ab ipſius veſtigiis ne latum quidem unguem diſceſſit.

Iratus amoribus ſuis, quod non ex ſententia ſuccederent, Athenas petere decrevit; an vero profectus fuerit, incertum eſt. Fortaſſe ultimam ſenectutem exegit in ſtudiis illis, quibus ſe operam daturum ætate ingraveſcente, olim ſignificaverat. Etenim Douzæ exiſtimanti juvenem deceſſiſſe, quod ſe amicæ a ge-

a genuum virore ſemper commendaverit, aſſentiri non poſſum: quaſi vero neceſſe fuerit, eumdem illi ſcribendi ac vivendi terminum eſſe. Magis movet Ovidii auctoritas, qui Libro II. Triſtium v. CCCCLXV. *Propertium* vitâ functis annumerare videtur:

Invenies eadem blandi præcepta Properti:
Diſtrictus minima nec tamen ille nota eſt.
His ego ſucceſſi, quoniam præſtantia candor
Nomina vivorum diſſimulare jubet.

Ovidius porro quum in Ponto ageret, annos L. natus erat. Idem initio Ibidis, quod poema in exſilio compoſuit:

Tempus ad hoc luſtris mihi jam bis quinque peractis,
Omne fuit Muſæ carmen inerme meæ.

Quinquageſimus autem annus Naſonis, erat annus ab U. C. DCCLXI. ortus enim fuerat anno DCCXI. Si eo tempore *Propertius* vixiſſet, annorum fuiſſet LXV. Exploratum mihi non eſt, an *Propertius* ille *Celer*, *prætorius*, cui Tiberius Cæſar *veniam ordinis ob paupertatem petenti*, *decies ſeſtertiûm largitus eſt*, *ſatis comperto paternas ei anguſtias eſſe*, uti refert Cornelius Tacitus Libro Annalium I.; Poetæ huic noſtro propinquitatis vinculis conjunctus fuerit. Hæc erant quæ hiſtorica fide, aut probabilibus conjecturis afferre potui de Propertio: Si quis Mileſiis fabellis, aut Romanenſibus delectatur, eæ præſto ſunt: namque hoc tempore *quaſi herba irrigua ſuccreverunt uberrime.*



S E L E C T A
C L A R O R U M   V I R O R U M
D E
SEX. AURELIO PROPERTIO
TESTIMONIA ET JUDICIA;
magnam partem a JANO BROUKHUSIO collecta.

P. Ovidius Naso L. 3. Artis Amator.

ET teneri possis carmen legisse PROPERTI:
  Sive aliquid Galli, sive, Tibulle, tuum.

Idem Remed. Amor.

Carmina quis potuit tuto legisse Tibulli?
  Vel tua, cujus opus CYNTHIA sola fuit?

Idem L. 2. Tristium.

Invenies eadem blandi præcepta PROPERTI:
  Districtus minimâ nec tamen ille notâ est.

Idem L. 4. Trist. Eleg. 10.

Sæpe suos solitus recitare PROPERTIUS ignes,
  Jure sodalitii qui mihi junctus erat.

. . . .

Virgilium vidi tantum: nec avara Tibullo
  Tempus amicitiæ fata dedere meæ.
Successor fuit hic tibi, Galle, PROPERTIUS illi:
  Quartus ab his, serie temporis, ipse fui.

Idem

Idem L. 5. Trist. Eleg. 1.

Aptior huic Gallus, blandique PROPERTIUS oris,
Aptior ingenium come Tibullus erit.

M. Fabius Quintilianus L. 10. Instit. Orat. C. 1.

Elegiâ Græcos quoque provocamus: cujus mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus. Sunt qui PROPERTIUM malint. Ovidius utroque lascivior: sicut durior Gallus.

M. Valerius Martialis L. 8. Epigr. 73.

Cynthia te vatem fecit, lascive PROPERTI:
Ingenium Galli pulchra Lycoris erat.
Fama est arguti Nemesis formosa Tibulli:
Lesbia dictavit, docte Catulle, tibi.

Idem L. 14. Epigr. 189.

Cynthia facundi carmen juvenile PROPERTI
Accepit famam, nec minus ipsa dedit.

P. Papinius Statius L. 1. Silv. 2.

Date carmina festis
Digna toris: Hunc ipse choro plaudente Philetas,
Callimachusque senex, Umbroque PROPERTIUS antro
Ambissent laudare diem, nec tristis in ipsis
Naso Tomis, divesque foco lucente Tibullus.

C. Plinius Cæcilius Secundus L. 6. Epist. 15.

Passienus Paullus, splendidus eques Romanus, & in primis eruditus, scribit elegos. Gentilitium hoc illi: est enim municeps PROPERTII, atque etiam inter majores suos PROPERTIUM numerat.

Idem

Idem L. 9. Epist. 22.

Magna me sollicitudine affecit Passieni Paulli valetudo, & quidem plurimis justissimisque de causis. Vir est optimus, honestissimus, nostri amantissimus: præterea in literis veteres æmulatur, exprimit, reddit, PROPERTIUM in primis, a quo genus ducit; vera soboles, eoque simillima illi in quo ille præcipuus. Si elegos ejus in manum sumseris, leges opus tersum, molle, jucundum, & plane in PROPERTII domo scriptum.

L. Apulejus Apolog.

Hic illud etiam reprehendi animadvertisti, quod quum aliis nominibus pueri vocentur, ego eos Charinum & Critiam appellitarim. Eàdem igitur operà accusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit: & Ticidam similiter, quod, quæ Metella erat, Perillam scripserit: & PROPERTIUM, qui Cynthiam dicat, Hostiam dissimulet: & Tibullum, quod ei sit Plania in animo, Delia in versu.

L. Cæcilius Lactantius Firmianus L. 2. Divin. Instit. C. 6.

Romulus urbem conditurus, pastores, inter quos adoleverat, convocavit. quumque is numerus condendæ urbi parum idoneus videretur, constituit asylum. Eo passim confugerunt ex finitimis locis pessimi quique, sine ullo conditionis discrimine. Ita conflavit ex his omnibus populum; legitque in senatum eos qui ætate anteibant; & Patres appellavit, quorum consilio gereret omnia. De quo senatu PROPERTIUS Elegiarum scriptor hæc loquitur:

Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit, rustica corda, patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.
Centum illi in prato sæpe senatus erat.

C. Sollius Apollinaris Sidonius, Arvernor. Episc. L. 2. Epist. 10.

Certe si præter rem oratoriam, contubernio feminarum, poeticum ingenium, & oris tui limam frequentium studiorum cotibus expolitam, quereris obtundi, reminiscere quod sæpe versum Corinna cum suo Nasone complevit, Lesbia cum Catullo, Cesennia cum Getulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum PROPERTIO, Delia cum Tibullo.

Dic-

Diomedes Grammaticus L. 3. C. 6.

Quod genus carminis (*Elegiam*) præcipue ſcripſerunt apud Romanos PROPERTIUS, & Tibullus, & Gallus, imitati Græcos Callimachum, & Euphorionem.

Angelus Politianus Nutric.

Ut terſi memorat pia Muſa Tibulli,
Muſa ſibi primos quæ jure adſciſcat honores
Imparibus numeris, ni blanda PROPERTIUS ora
Solvat, & ambiguam faciat certamine palmam.

Blondus Flavius L. 1. Italiæ illuſtratæ, regione quarta.

E regione Trivii amœno in colle Falcum eſt oppidum, haudquaquam vetuſti nominis, ſed populo frequentatum. Ad colliſque illius radices in via olim Flaminia eſt Mevania, de qua Livius in IX. *Decius Coſ. magnis itineribus ad Mevaniam, ubi tum copiæ Umbrorum erant, perrexit*. Fuitque id oppidum cive ornatum PROPERTIO AURELIO, qui de ſe ipſo ſcribit ad Tullum libro Monobiblo, vel, ut Nonio Marcello placet, libro Elegiarum:

Proxima ſuppoſitos contingens Umbria campos
Me genuit terris fertilis uberibus.

Idemque in Elegiarum quarto:

Umbria te notis antiqua penatibus edit:
Mentior, an patriæ tangitur ora tuæ,
Qua nebuloſa cavo rorat Mevania campo,
Et lacus æſtivis intepet Umber aquis?

Joannes Jovianus Pontanus L. 1. Amorum.

O utinam & noſtri fugiant nigra fata libelli,
Et ſit perpetuo non ſine honore rogus!
O ſi poſt cineres & me quoque jactet alumnum
Umbria carminibus non inhonora meis!
Umbria Pieridum cultrix, patria alta PROPERTI,
Quæ me non humili candida monte tulit.
Vigia quem gelidis placidus circumfluit undis,
Et Nar ſulphureis fontibus uſque calens.

Petrus

Petrus Crinitus L. 3. de Poetis Latinis C. 43.

SEX. AURELIUS PROPERTIUS ex Mevania oppido oriundus, quod in Umbria est, ut ipse auctor copiose testatur, quo loco Umbriam Romani Callimachi patriam vocat,

Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.

Callimachum præcipue Cyrenæum, Mimnermum, & Philetam, Græcos poetas, in carmine secutus est, quorum Manibus comitem se profitetur. Nam ut illi apud Græcos in Elegia consensu omnium longe præstiterunt: ita PROPERTIUS apud Latinos eorum imitatione primas videtur quorumdam judicio consecutus.

Lilius Gregorius Gyraldus Dialog. 4. de Histor. Poetar.

SEX. AURELIUS PROPERTIUS Umber, ex Mevania oppido fuisse dicitur, vel potius ex Assisia vel Essisia, utrumque enim memini me legere in Græcis & Latinis scriptoribus, quam civitatem Axim vel Assim potius ipse poeta appellat, qua de re nonnihil Fl. Blondus, aliique viri docti. Ejus poetæ versus vobis ex quarto libro recitabo, ut plane rem percipiatis, quo loco vitam, patriam, fortunamque suam sub Hori mathematici persona recenset:

Umbria te notis antiqua penatibus edit.
Mentior, an patriæ tangitur ora tuæ?
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
Et facer æstivis intepet hymber aquis.
Scandentisque Assis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.

Videtis ut plane Assem patriam suam faciat, & *facrum hymbrem*, amnem sic adhuc ab incolis, paucis immutatis literis, vocitatum nominat, & idem paulo supra Assim *scandentes arces* appellat, cum canit,

Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
Ingenio muros æstimet ille meo.

Nisi si quis audaciuscule eo versu *scandentem Assem* legere maluerit. Callimachum in primis, poetam Cyrenæum, & Coum Philetam dicendi forma imitatus est. Quin & se ipse alicubi *Romanum Callimachum* appellat, ut & Virgilium, Mantuanum Homerum dicimus. Quatuor Elegiarum libros, cultos & eruditos, reliquit.

Julius

Julius Cæsar Scaliger L. 6. Poetic. C. 7.

PROPERTIUS facilis, candidus, vere elegiacus: tersior tamen, quam existimatus est a Criticis. Nam & amat quædam quæ minime sunt vulgaria, & quibusdam locis paucorum judicium secutus videtur.

Hadrianus Turnebus L. 8. Adverf. C. 2.

Lepidissimus & nitidissimus poeta PROPERTIUS.

Idem L. 11. C. 15.

Tanta versuum PROPERTII jucunditas & amœnitas est, ut eos dictantibus Gratiis a poeta exceptos censeas: tantum optarem ad aliam potius, quam amatoriam materiam, beatam illam & candidam ingenii venam contulisset.

Joannes Pierius Valerianus Sermone de studiorum conditione.

Sermones, ait hic, Vates Venusine, securi
Cædi posse tuos, crassos accusat, & odit.
Est cui sit docti libertas dura Catulli:
Virgilio ingenium qui demat, propter Homerum:
Qui tibi mollitiem vitio dent, terse Tibulle:
Te quoque grandiloquum, atque elegum supra ire, PROPERTI,
Invideant potius, quam damnent, optime vates.

Franciscus Floridus Sabinus Apologia in linguæ Latinæ calumniatores, post recitatum Quintiliani judicium.

Quam parum tibi convenit cum Fabio, Marulle! Tu unicum Tibullum probas, cæteros excludis: is non modo PROPERTIUM non exclusit, sed omnibus etiam aliquorum judicio antepofuit. Qua in re id sibi voluisse videtur, ut, quum eorum uterque in Elegia celeberrimus fuerit, unicuique sit liberum quem malit imitari. Quamvis autem nihil sit ferme odiosius, quam de summis viris & æqualibus præsertim judicare, nec libenter a Fabio dissentiam, cum quo bona eruditorum pars Tibullum PROPERTIO cultiorem asserit, non vererer in eorum album qui PROPERTIUM malunt, nomen dare, quippe qui quid in hujus poetæ scriptis desiderare liceat, non videam; ita omnia munda, absoluta, cul-

ta, concinna, elegantia sunt, nihilque habent quod caudam trahat. Atque ut illum Tibullo parem statuamus, in hoc certe magis est laudandus PROPERTIUS, quod Italorum primus Elegiam Latio donavit, ut ipse de se elegantissime testatur:

Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Grajos orgia ferre choros.

&,

Ah valeat, Phœbum quicumque moratur in armis:
Exactus tenui pumice versus eat.
Quo me Fama levat terra sublimis, & a me
Nata coronatis Musa triumphat equis.

At id tam eleganter fecit, ut nihil quicquam ejus inventis posteri addere potuerint: quod nescio an Romanorum alicui (si Horatium, quamvis in diverso opere, excipias) adhuc contigerit. Ovidius certe blandi oris PROPERTIUM appellat, quem & jure sodalitii sibi junctum fuisse fatetur. Sed quantulus est apud Marullum Ovidius? aut quam nihil ejus Amoribus defert? &c.

Paullus Manutius L. 3. Epist. 14. ad M. A. Muretum.

Tu modo, qui Catullum expolieris, da operam ut in Tibullo, & PROPERTIO, qui locum illi proximum in elegantia verborum atque in sententiarum concinnitate obtinent, quam simillimum tui te præbeas. ita tres pulcherrimi poetæ, & sine dubio inter Latinos in illo festivo genere principes, veterem suum splendorem ereptum vetustate, atque hominum inscitia, tuo maxime studio recuperabunt. Ego autem ipse mihi gratulabor, & quodam modo gratias habebo, quia te ad hanc industriam excitaverim.

Idem ibidem Epist. 21.

Nec integrum jam est: &, si sit, cur tu poetam elegantem, maximeque omnium Latinorum fabellarum varietate, hoc est, vere poetica eruditione florentem, abjicias? Etiam illud: oblitus ne es, ei te Commentarium publice esse pollicitum?

M. Antonius Muretus dedicatione Scholiorum in Propertium.

Non injuria dubitatum est a veteribus, Tibullone an PROPERTIO deferendus esset inter Latinos poetas Elegiæ scribendæ principatus. Nam ut

ut insunt in utroque permulta quæ eos vulgarium numero exemtos in edito atque eminenti statuant loco : sic propriæ quædam exstant & elucent in utroque virtutes , quibus uterque alterius palmam ambiguam facere videatur . Summa in Tibullo elocutionis elegantia & proprietas , summa in PROPERTIO eruditionis poeticæ copia & varietas : in illo Romana prope omnia , in hoc pleraque Transmarina . Illum , nativa quædam & incorrupta Romani sermonis integritas , in media Urbe natum & altum esse , perspicue ostendit : hunc præter cetera forma & character ipse dicendi in Græcorum poetarum scriptis assiduissime versatum esse demonstrat . quumque a sapientissimis viris traditum sit , duo esse præcipua poeticæ dictionis ornamenta , τὸ σαφὲς , καὶ τὸ ξενικὸν , illo Tibullus , hoc PROPERTIUS excellere videtur . Mollior ille , & delicatior : nervosior hic , & accuratior : illo magis oblectere : hunc magis , ut opinor , admirere : illum judices simplicius scripsisse quæ cogitaret : hunc diligentius cogitasse quid scriberet : in illo plus naturæ , in hoc plus curæ atque industriæ fuisse perspicias . Quæ quum ita se habeant , perdifficile est , decernere ac constituere , uter alteri præstet . Nam si præcipua laus poetarum in imitatione consistit : mihi quidem videtur Tibullus varios illos fluctuantis animi motus , quibus amantes agitari solent , melius imitatus esse . sin , ut quidque ad optimum proxime accedit , ita ipsum quoque optimum judicandum est : crediderim sane veterum illorum Græcorum , ac præcipue Callimachi , PROPERTIUM haud paulo similiorem fuisse : qua etiam fiducia ipse se *Romanum Callimachum* vocare ausus est . Sed hæc ut sunt , neque nostrum est , neque cujusquam hominis pudentis , & considerati , qua de re veteres illi , quorum fuit & doctrina major , & judicium acrius , non liquere pronuntiarunt , de ea certi quicquam constituere , & litem secundum alterutrum dare . Satius fuerit , utrumque studiose ac diligenter evolvere , utriusque virtutes accurate perpendere , utrumque sibi ad imitandum proponere , si quando forte nos ad tentandum idem poematis genus aut voluntas adducet , aut naturæ impetus feret .

Gulielmus Canterus præfatione in Propertium.

Quem inter poetas locum SEX. PROPERTIUS & veterum & nostri temporis hominum judicio obtineat, non est , cur pluribus doceam . Atque de hoc ut constat , ita judicii hujus causa æque est aperta . Ut enim Virgilio carminis heroici , sic huic Elegiæ principatum nemo non aut tribuit , aut tribuere saltem debet . Etenim sive insignem & perfectam a poeta doctrinam , sive versus omnis venustatis plenissimos , sive

dictionem puriſſimam ac terſiſſimam requiras: unus tibi de omnibus abunde ſatisfaciet PROPERTIUS. Itaque non levi de cauſa quo numero apud Græcos eſſet Callimachus, eo hic apud noſtros & habitus fuit, & haberi ipſe voluit. Quocirca qui Tibullum cum hoc, aut Ovidium contendere voluerit, non leviter, arbitror, operam luſerit. nam Catullus quidem in aliis excellere videtur.

Juſtus Lipſius L. 2. Antiq. Lect. C. 10.

PROPERTIUM qui non amat, eum profecto Muſæ non amant. Tanta ejus verſuum ſuavitas eſt, ut quemadmodum comicus ille ait, nil niſi mulſa loqui videantur: tanta eruditio, ut non niſi Phœbo dictante credamus exceptos.

Daniel Heinſius dedicat. Monobibli.

Idem in nonnullis noſter ille inaffectatæ elegantiæ affectator Catullus præſtitit, & in primo libro maxime *Umber*: quamvis, ſi unam excipias Elegiam aut alteram, minus in hanc curam iocubuit, minuſque, ſive certo judicio, ſive alias naturæ ſuaſu in propoſito perſiſtit. In reliquis, a ſe ſimulque a Græcis degeoerat ac retro cedit. Qui vir curam & operam ubique ad Elegiam, ſed & gravitatem admirabilem non numquam contulit.

Idem Monob. Eleg. 6.

Nec modus, aut blandi carmen recitare PROPERTI,
  Quem levis impoſitis preſſit Amor pedibus.
Sive illum molli defixit Cynthia ſomno,
  Horrentem notæ jurgia ſævitiæ:
Seu quum non faciles impugnat carmine valvas,
  Ebrius, & duris oſcula dat gradibus.
Herculis aut magni raptos deducit amores,
  Opprobrium caſtis non leve Naïaſin.
Felix, qui, dulces verſu mercatus amores,
  Hæret in exſtincti nomine Callimachi.
Felix, in roſeis ſemper qui tempora ſertis,
  Inque Philetæis ſemper habet foliis.

Joan-

Joannes Secundus L. 1. Eleg. 7.

Non, quia Virgilio primos concessit honores
Posteritas, Flacci sprevit iniqua lyram.
Aut male rejecit, quem protulit *Umbria*, vatem,
Sola cui longum Cynthia carmen erat.

Idem L. 2. Eleg. 1.

O tantum faveas *Umbri* levis umbra poetæ,
Cynthia si nostro semper in ore sonat.
Tu caput hoc circum pennis allapsa sonoris
Ter strepe, procumbens ter bona verba canam.
Deinde ubi Panchæo fumaverit ara vapore,
Placatum Lethes & mihi numen erit;
Aspersam lactis niveo te rore remittam,
Cynthia ne caro vate sit orba diu.

Idem L. 3. Eleg. 3.

Cynthia deinde, potens oculis jaculantibus ignem,
Subsequitur Coa mobilis in tunica.
Hæc domuit fortem, tactumque Cupidine nullo,
Et fastûs spolium celsa tuentis habet.
Tu quoque qui cernes, cave ne lædaris ab illa:
Spirat adhuc flammas, & sua tela gerit.

Caspar Scioppius L. 3. Verisimil. C. 10.

PROPERTIO caput hoc a nobis dabitur, neque id immerito. Nullus enim fere est de scriptoribus, in quo exornando æque bene laborari putem. ita suavis est, & elegans, ut quemvis ad sui lectionem adliciat; ita rursus difficilis, ut non unum, nec uno in loco, interpretem requirat. Difficilis, inquam, ut mihi, aliisque paullo humanioribus, videtur: qui alios, quibus ille modo non facillimus perperam existimatur, docere possumus.

Idem

Idem lib. de Stilo Historico.

Cæteri, quibus perennare, & ad nostram usque ætatem canescere contigit, ejus sunt notæ, ut ad eorum scripta, tamquam ad obrussam puritatis atque elegantiæ Latinæ, omnium posteriorum orationem exigere debeamus. Ii sunt Cæsar, Livius, Cornelius Nepos, Virgilius, Horatius, PROPERTIUS, Tibullus, & Vitruvius.

Jacobus Pontanus L. 2. Institut. Poetic.
C. 25.

Ad antiquitatem merito rediguntur historiæ atque fabulæ, quibus moderate utendum est: manu enim serere oportet, non toto thylaco: secus est, quum inductione uti volumus: ibi quippe multas glomerari licet, imo vero oportet. Hoc in genere Tibullo præstat longe PROPERTIUS, in quo major est, quam in altero, poeticæ eruditionis supellex.

Caspar Barthius L. 9. Adversar. C. 10.

Dulciore eruditione & eruditiore dulcedine nemo scriptor est tota Antiquitate ante PROPERTIUM, quem scriptorem quo magis rimaberis, eo magis amabis; quæ enim primo intuitu obscuriora videbuntur, ea si penetraveris, omnium videbuntur naturali quadam Venere gratiosissima. Ita autem te velim hunc Poetam exquirere, ut nulli tam parem credas, quam sibimet ipsi: quæ regula quum omnibus præcipuis scriptoribus sit generalis, primo tamen loco quadam quasi Genii alicujus singularitate huic convenire magis videtur quam ceteris.

Idem L. 32. C. 9.

Quod si & paucorum quidem sed maxime locupletium testium accessione juvari velimus, non deerunt etiam præstantissimi scriptores; qui nobiscum sentiant. Ingeniosissimus & limatissimus, etiam eruditissimus scriptor est PROPERTIUS, Græcarum elegantiarum sine pari gnarus & amator. At ille nascentem tum primum Æneidem non parem sed priorem Iliadi ponere non dubitat, velut Pæanem post victoriam Latii canens, dum exclamat:

Cedite Romani scriptores, cedite Graji.
Nescio quid majus nascitur Iliade.

Idem

Idem Animadv. ad Papin. L. 1. Silv. 2. v. 253.

Summa laus PROPERTIO data in Elego carmine, multorum judicio. Veriſſime Plinius Cæcilius L. 9. Epiſt. 22. *præcipuum in Elegia*, *terſum*, *mollem*, *jucundum*, dixit. Addendum omnino a doctrina præconium; eſt enim ſimul his, eruditiſſimus ſcriptor: prorſus Tibullo non comparandus, qui mera & inornata ſimplicitas eſt, adeo tamen candida, delicata, nitida, & amabilis, ut nec ipſe is auctor ulli poſſit comparari, nedum PROPERTIO, qui aliarum Venerum eſt.

Idem ad L. 5. Silv. 1. v. 211.

Pompam talem, quam ſibi tamen non poſcit, pulcre deſcribit amœniſſimus Poeta, PROPERTIUS, L. 2. Eleg. 13.

Idem ad L. 3. Thebaid. v. 559.

Quatuor genera *divinationum* enumerantur a PROPERTIO L. 4. Eleg. 1. Qui liber oſtendit quantus Poeta PROPERTIUS, quantus auctor, fuerit.

Hoc neque arenoſum Libyci Jovis explicat antrum,
Aut ſibi commiſſos fibra locuta deos.
Aut ſi quis motas cornicis ſenſerit alas,
Umbraque nec magicis mortua prodit aquis.

Quo loco doceri magnopere cupiamus quæ ſint *magicæ* illæ *aquæ*, quibus cogatur umbra ventura aut occulta prodere. Sed dubitantibus commode ſubvenit admirabilis memoriæ Exegetes Joannes Paſſeratius, ſine cujus Commentariis non ſuadeam legendum illum ſuaviſſimum Poetam, licet infinitis adhuc locis inemaculatum.

Gerardus Joannes Voſſius lib. de temporib. Poet. Latinor.

PROPERTIUS, patria Umber, ut ipſe ſcribit, æmulus Philetæ Coi, & Callimachi Cyrenæi, unde & ſe *Romanum* vocat *Callimachum*. Conqueritur & ſe excidiſſe agris paternis in diviſione ea, quæ ſub Triumviris facta militibus. Puella, quam Cynthiam vocat, vero nomine Hoſtia eſt dicta, ut ex Apulejo conſtat. Videtur autem fuiſſe filia Hoſtii, qui de bello Iſtrico ſcripſit, ut ſuperius relatum.

Joan-

Joannes Isaacius Pontanus L. 2. Analect. C. 2.

Sed pauso paulisper a tragico hoc opere, & PROPERTIUM amatorem vatem interfero; sed vatem, ita Musæ me ament, doctum, disertum, magnificum. Venustas vero in illo talis, ut eruditorum consensu non modo principem semper laudem meruerit, sed ob profundum quoque literaturæ perpetuam admirationem.

Andreas Schottus L. 2. Observat. Human. C. 7.

Cynthia facundi carmen juvenile PROPERTI:
adeo elegans, & scitum, ut nihil eo venustius hoc in genere reperiri queat. Callimachum Græcum ut expressit, Euphorionem, aliosque non nullos; ita illum similiter alii expressere.

Philippus Carolus Animad. ad L. 2. Agellii C. 23.

Sicut pictores oculis defessis, ad floridos & vividos colores se avertunt: ita bene natis & literatis ingeniis lenitas gravium longarumque meditationum Plautus est, & Terentius, & Publius, & Horatius, & smaragdus poetarum PROPERTIUS.

Rolandus Maresius L. 2. Epist. 6. post prolata Quintiliani verba.

Durum mihi quidem est, ab acris judicii Critico discedere, qui Tibullum videtur præferre. Sed tamen in iis me esse fateor qui PROPERTIUM malint. Quamvis enim Tibullus mire sit facundus, & elegans, Latinæ etiam proprietatis amantior, quam alter, qui sæpe græcissat, & in carmine exactior, & rotundior: tamen PROPERTIUS illum eruditione, & ingenii suavitate videtur superare, blandus omnino & lenis in affectibus: in quibus etiam exprimendis nonnumquam, tamquam calidus amator, & amore deperditus, vehementior fuit.

Lucas Fruterius L. 1. Verisimil. C. 14.

PROPERTIUM vere *Transmarinam Venerem* appellare possumus, quum propter varia in eo a Græcis tralata dicendi genera, tum etiam propter quasdam & audaces & proprias sibi phrases, quas in alio poeta haud temere reperias.

Janus

Janus Pannonius, Episcopus Quinquecclesiensis L. 2. Eleg. 2.

Nemo adeo est amens, quin Umbros praeferat agros
Omnibus Italiae fertilitate locis.
Nec quoque gauderet se hac gente PROPERTIUS *ortum,*
Ni studio belli, ni foret apta togae.

Franciscus Vavassor lib. de Ludicra Dictione.

Galli, qui duriuscule putatur scripsisse, nihil pervenit ad nos, injuria & iniquitate temporum. Tibullum, ita ut erat accepimus, excultum atque expolitum. Est PROPERTIUS in manibus, & oris blandi poeta, & altioris spiritûs, & fabulis creber, & imitatione Graecorum doctior.

Olaus Borrichius Cogitation. de variis linguae Latinae aetatibus, in voce Vigilax.

Quamquam Sidonium inter capite censos non existimemus numerandum, hìc tamen non tam Sidonium, quam incorruptissimos Latinae linguae auctores PROPERTIUM & Columellam veneramur, vocis hujus patronos.

Octavius Ferrarius Epistolâ ad Franc. Sparaverium.

Erant quidem oculi mei amoenissimo Vicentinorum collium aspectu recreati, quos tam bacchata Lyaeo juga, quam veterum magnificentiae decertantia civium praetoria nobilitant. Ibi quindecim dies opimo aucupio, &, ut cum Pindaro loquar, uvae bullientis rore spumantibus pateris, sed praecipue PROPERTIANORUM carminum dulcedine, jucundissime exegi.

Daniel Georgius Morhofius lib. de Patavinitate Liviana, C. 12.

PROPERTIUS Umber inter principes aureae aetatis poetas omnium suffragiis reponitur. Primus enim Italorum Elegiam Latio donavit. Blandi oris Ovidius illum vocat, & jure sodalitii sibi junctum fatetur.

Giovanni Vincenzo Gravina nel discorso delle Antiche Favole.

PROPERZIO ha novità d' espressione, fantasia pressochè lirica, ed è atto non meno alle cose grandi, che a gli amori: ma in Tibullo, per avventura, è naturalezza maggiore.

Joannes Albertus Fabricius in Bibliotheca Latina.

SEXTUS AURELIUS PROPERTIUS, Umber, non minorem laudem scriptis elegis consecutus est, quam apud Græcos Callimachus, Cousve Philetas, quos æmulatum esse se ipse prædicat. Floruit paulo ante Ovidium. Exstant PROPERTII libri quatuor Elegiarum, lascivi passim, cæterum Tibullianis non concedentes lepore & elegantia, eruditione vero illos etiam antevertentes. Editi sunt cum Tibullo & Catullo, ut ad utrumque horum monuimus. ... Novam vero eximiam hujus Poetæ editionem moliri in Belgio dicitur, qui omnes ejus Veneres imbibit, elegantissimus JANUS BROUKHUSIUS.



JA-

JANUS BROUKHUSIUS
LECTORI
S. D.

SEX. PROPERTII quanta carminum fama apud veteres illos fuerit, quantaque ingenii ac facundiæ gloria, nemo hodie est paullo humanior qui ignoret. Et tamen, quod merito miremur, fato ille usus est adeo non favente, ut post discussas immanis barbariæ tenebras, quum jam respirare paullatim inciperet Res Latina, inter illos sit numeratus, quorum, præter nomen, nihil pervenire quiverit ad notitiam posteritatis. Certe jam diu post *Francisci Petrarchæ*, atque etiam *Joannis Boccatii* ætatem, latuit, atque ignoratus est: neque in ora hominum ac manus pervenit nisi circa medium sæculi quinti decimi, invento in cella vinaria sub doliis antiquo ejus Elegiarum libro, literis corrosis ac longa vetustate collabentibus. Cujus rei historiam, ab *Joviano Pontano* acceptam, apud *Alexandrum Alexandrium* denarrat vir non vetusto clari sanguinis ordine, quam literarum laude nobilior, *Jacobus Sincerus Sannazarius*. Ex illa tempestate, uti quisque fuit doctissimus, ita maxime animum intendit ad Poetam nobilissimum non modo evolvendum, verum etiam intelligendum. Quod quum fieri non posset sine luculenta rerum veterum ac sermonis Romani cognitione, obstarentque præterea librorum minus bene descriptorum errores & multi & magni; opera certatim data est ab hominibus literatis, quo & fabularum tenebræ commode illustrarentur, & ritus ac mores antiqui in luce clara spectandi proponerentur, & denique vera ac germana Poetæ scriptura, quoad ejus fieri posset, ex collatione vetustorum librorum constitueretur. In tam nobili palæstra quam quisque laudem promeruerit, non est meum definire hoc loco, aut pronuntiare. Et sane non erat desperandum de

PROPERTIO perſanando, quam diu res geſta eſt legitimis præſidiis, neque medicina ipſa modum exceſſit. Sed exorta eſt poſtmodum natio quædam crudelis atque immiſericors hominum acutulorum, qui ſe CRITICOS appellari volunt, quorum omnis induſtria in eo verſabatur, ut nullis non partibus ſcriptorum veterum, ſive ſanis atque integris, ſive adſectis ac languentibus ſcalpellum adhiberent, freti ſola acie ingenii. Horum ferrum, horum ignem, ſæpe expertus eſt SEXTUS noſter haud perfunctorie, ſectus, uſtus, laceratus membratim. Atque hæc iſti ſuo ſe periculo facere dictitabant, neque aliam ſupereſſe medicinam ulceribus jam putreſcentibus. Tanta erat emendatorum copia, ut adſertore opus haberet, qui contra medicos adeſſet ægrotanti. Me quidem certe, quum a prima adoleſcentia ſupra modum cepiſſet Propertianæ lectionis mirifica illa ſuavitas, tamen nihil ita vehementer deterruit ac variantis ſcripturæ in libris criticorum moles infinita: unde nihil aliud proficiebam, niſi ut quæ certa mihi prius fuiſſent, protinus evaderent incertiſſima. Atque adeo plus ſemel in eo fui, ut nihil foret propius, quam ut abjectis omnibus libris ejurarem ingratum legendi laborem. Sed tamen habitus eſt modus; & exorta aliquando occaſio non una, qua ſatisfacerem animi cupiditati in perquirendis libris antiquis. Etenim quum ante annos aliquot poſt varias jactationes certior me ac tranquillior ſtatio excepiſſet, non putavi honeſtum otium ſomno aut deſidia tranſmittendum: potius deducendum quod reſtabat cum Muſis veteris ratiunculæ. Et ſucceſſit ſatis feliciter hoc ipſum quod animo cogitatam. nam apud Virum Clariſſimum, & longo amicitiæ uſu mihi conjunctiſſimum, *Petrum Francium*, duos inveni codices PROPERTII in membrana exaratos, unde initium fieret inſtituendæ collationis. Horum alter ſcriptus eſt in Italia, litera non admodum antiqua, ſed tamen plana ac facili, forma (ut vocant) octava: alter vero ætatis non paullo majoris, quique facile annos ipſos quadringentos excedere videatur, notæ ſane bonæ, forma quarta, Italicæ & ipſe pro-

propaginis. Illos ego *nostros libros* vocare soleo. Habebam & variantis scripturæ excerpta de codice *Posthiano*, *Jani Lernutii* manu (ni fallor) enotata, donum Viri Celeberrimi ac literarum nostrarum principis *Joannis Georgii Grævii*, cujus ego amori & plura debeo, & vero etiam majora. Neque reticeri debet jucundissimum beneficium, quo me devincire dignatus est Vir disertissimus, ac literarum cultu insignis *Jacobus Gallæus*. Quum enim istis temporibus apud nostræ reipublicæ Oratorem, cui erat a sacris, Lutetiæ degeret, usus est opportunitate urbis florentissimæ, atque adnitente Viro laudatissimo *Ægidio Menagio*, duos è Bibliotheca Regis Christianissimi libros in membrana calamo exaratos, curiosa diligentia contulit cum excusis ac vulgatis. Neque contentus opimo hujus laboris fructu, duos item alteros Bibliothecæ Colbertinæ eadem sedulitate evolutos, in usus meos, imo in publicos convertit. Et jam ego his præsidiis munitus aliquid sperare cœperam de vigiliis PROPERTIO impendendis, quum ecce præter votorum meorum desiderium, magnum atque insperatum bonum obtulit fortuita felicitas. *Joannes* enim *Mensinga*, quo ego Viro, dum erat inter vivos, nihil umquam vidi candidius, humanius, officiosius, atque ad promovenda amicorum commoda paratius; is (inquam) *Joannes Mensinga* non ignarus mei consilii, ultro ad me pertulit librum scriptum, ex Bibliotheca Academiæ Groningomlandicæ, in qua ipse cum laude summa florebat, depromtum. At vero, dii boni, quem librum! Erat is ipse, quem superiorum temporum critici *Posthianum* vocitarunt: is ipse, è quo tot insignes lectionum gemmas erutas in lucem publicam protulerunt *Janus Mellerus Palmerius*, & *Franciscus Modius*. quamquam ille per lasciviam ingenii, bonis paratis male est abusus: hic vero, si voluisset, plura poterat vidisse. Usus est hoc ipso libro & *Joannes Livinejus*, vir acri & recto judicio. Sed de ejus notis, in quibus tantum materiam rudem videmus futuro ædificio comparatam, eo mitius est sentiendum, quod sunt postumæ, atque

atque etiam plane imperfectæ. neque tamen nusquam profuerunt. Accedebant, aliquanto tempore post, excerpta libri manu scripti, quem cum aliis rei literariæ cimeliis reliquit Vir sæculorum memoria dignissimus *Olaus Borrichius*. Illa excerpta ad *Grævium* nostrum transmiserunt Viri Excellentissimi, *Paullus Vindingius*, & *Joannes Conradus Wolfenius*, hic Serenissimo Daniæ Regi a Bibliotheca, ille a consiliis. Quorum virorum præcellentem dignitatem summa exornat eruditio, eruditionem summa commendat humanitas. Nos vero utrique eas pro accepto beneficio gratias publice agimus, quas nos debere sentimus clarissimis utriusque virtutibus. Symbolæ quoque nonnihil contulit Vir Clarissimus *Theodorus Jansonius ab Almeloveen*, Hardervicanæ Academiæ decus singulare, facta collatione editionis principis cum ea quam illustris *Scaliger* procuravit. Sæpenumero (nam & hoc dicendum erat) mihi profuit vetus editio Veneta A. 1475. quam re ipsa comperi, nihilo esse inferiorem manuscriptis. Hanc anno uno antecessit illa, qua usus est *Almelovenius*. Neutram harum vidisse magnum virum *Gerardum Joannem Vossium* ex eo liquet, quod in libris de Arte Grammatica semper tamquam omnium primam laudat illam, quæ prodiit Regii Lepidi A. 1481. Habes, Lector, recensum copiolarum nostrarum, unde natum nobis quidquid hoc est commentatiunculæ. Quam tu qua fronte sis accepturus, ego sane nescio; quamquam nihil sinistri animus mihi auguratur. Si bonus es, & humani moris memor, cur ego metuam te? Sin vero Attila quispiam de schola; nihil te moror. Pessimum istud est mortalium genus, atque implacabiliter contentiosum, quorum inimicitiæ nec morte ipsa finiuntur. Idcirco decretum est, non commoveri, si quis me quæret rursus. Verum enim vero bonum te esse plus multo expediet mihi, siquidem his chartis manum admovere non recusabis. Itaque superest ut a bonitate tua pudentem veniam petam, si tres, quatuor conjecturæ meæ, illæ quidem non nimis infirmæ, sed tamen conjecturæ, nescio qua mea incuria, in ipsum textum irrepserunt.

Has

Has tu, si voles, quantocius ejicito: nam in notis legi, relicto tuo tibi judicio, satius fuisse arbitramur. Quæ a membranis venerunt, neque tu (sat scio) improbabis. Plura deprecari si velim, aut etiam longis abs te rationibus contendam ut tu ubique mecum facias, ridiculus sim. Uti in convivio, ita in lectione suus cuique gustus est: neque ut invitus probet, quæ probanda non putat, rogari quisquam debet. Vale.

L. B.

SEXTUS AURELIUS PROPERTIUS, Vates doctissimus, secundis Curis *Jani Broukhusii*, Viri eximii, & perpaucissimis, qui post renatas literas Musarum sacra coluere, Poetica laude inferioris, tibi, Lector Benevole, sese sistit emendatior ex codice, quem in auctione supellectilis Literariæ Viri Amicissimi Davidis Hoogstratani mihi comparatum utilitati publicæ minime negare volui, id rogantibus Fratribus Wetsteniis, Typographis, si qui alii, optime de re Literaria meritis. Elegantissimæ adnotationes, quæ uberiores huic editioni accedunt, non in schedis jacebant, ut dispersa Sibyllæ folia, sed adeo nitide descriptæ erant, ut facile appareret, Virum omni laude majorem hasce novæ Editioni destinasse; in animo enim habebat manum iterum, neque persunctorie, admovere emendando Poetæ, quem faciebat maximi, & adeo feliciter Elegis suis expressit. Nihil dedimus nisi mere Broukhusianum; ad manum quidem erant observationes fratris mei, & alia quibus Umbrum Callimachum, qui a pluribus legitur quam intelligitur, innumeris enim in locis pessime habitus est & laceratus, pristino nitori aliquomodo restituere possem. Sed neque temporis angustiæ hoc concedebant variis negotiis occupato, & non adeo videbantur hujus loci: Elegiam tamen, haud invenustam, Jo. Mensingæ, optimi Viri, hic legi volui, quam certe non dignam credebam, quæ forte periret. Vale.

ELE-

E L E G I A

I N

SEX. AURELIUM PROPERTIUM,

emendatum, atque illuſtratum a Viro utraque
Pallade claro JANO BROUKHUSIO.

Ergone, Jane, tuo Vati, quem rite colebas,
Non aliter Clarius ceu foret ille deus,
Ergone felici Vates pro munere Vati
Munera cum multo fenore plura refers?
Ille tuus Vates, primis tibi cultus ab annis,
Cynthia cui Veneres materiemque dedit,
Callimachus pleſtrum cui tradidit, oſque diſertum,
Clitumnus venam potus aquaſque ſuas,
Clitumnus ſacer amne ſuo, Rex tramitis Umbri,
Pegaſeis mixtus ceu foret ille vadis.
Ille modos, numeroſque ſuos & eburnea plectra,
Ille ſuas artes & dedit arma tibi.
Tu memor, æterno pro munere, lætus honores
Æternos Vati daſque referſque tuo,
Dum pulchro tergis fœdas è corpore ſordes,
Et tollis lima vindice mille notas;
Quas longæva dies, & iners alleverat ætas,
Barbara quas dederant arma, vaguſque furor.
Hoc eſt cum ſacris vera contendere palma
Vatibus, hoc primos demeruiſſe duces.
Lætus in amplexus Vates properaret amicos,
Elyſia poſſet liber abire domo,
Officiumque tuum merito penſurus honore,
Te ſervatorem diceret ille ſuum;
Et teſtaretur multis de millibus unum
Aut æquaſſe ſuos, aut ſuperaſſe modos.

Non

Non datur ulterius suppresso promere curas
Judice, nec tecto nomine, Jane, legi.
Non facit ad famam pudor hic laudemque perennem,
Ulterius Famæ non dare verba potes.
Illa tuum nomen, malis licet ipse latere,
Jam pridem in populos, ora, diemque dedit.
At labor hic Vati datus, officiumque supremum,
Diffundet nomen, qua datur, usque tuum.
Atria Pieridum myrtique, hederæque coronent,
Cingat Hyanteas laurea multa fores.
Jam sibi promittant sacræ meliora Camenæ,
Nec fastus metuant, ludibriumque deæ,
Cum Mars ipse suum per te testetur amorem,
Et Vates habeant bellica castra Duces,
Qui pulchras referant utroque ex pulvere palmas,
Inque acie possint has meminisse deas.
Fertur ut Alcæus plectroque insignis & hasta,
Et Vatis partes ac subiisse Ducis.
BROUKHUSI *Vatum interpres, Phœbique sacerdos,*
Martis amor, Clarii fama superba chori;
Hos si rite tuos virtus Mavortia mores,
Exemplumque colant ac tua facta Duces,
Accedet pretium Phœbo, doctisque Camenis,
Vatibus accedet vis nova, sorsque prior.

JOH. MENSINGA.



JOANNIS PIERII VALERIANI

IN

SEXTI PROPERTII

antiquum Caput.

Ergo hæc illa boni facies veneranda PROPERTII'
Illa oculis facies ſemper amanda meis?
At non artificum ingenio, aut mortalibus auſis
Facta hæc effigies: munus opuſque deûm eſt.
Sive Amor hanc, ſive alma Venus, ſeu docta Minerva
Rarum a Vulcano pignus amoris habent.
Qua ſuper, ut quondam de malo, (ita dictat Apollo)
Certavere diu Cypria, Pallas, Amor.
At modus eſt pugnæ impoſitus Jove judice tandem,
Si rarum hoc vates Fuſcus haberet opus.
Adſenſere igitur: neque enim in mortalibus ullus,
Cui tantum adſpirent Cypria, Pallas, Amor.

GUIDI POSTUMI.

Pallida quod nimium male finxerit ora PROPERTII,
Ne precor artificem carpite: talis eram.
Finxit enim duræ mœrentem facta puellæ:
Arueraт ſanguis, fugerat ore color.
Hac ego marmoreos ſumſi de Gorgone vultus:
ius eram vivus, mortuus hujus ero.
Uſus abeſt vitæ tantum: verum hunc quoque & olim,
Alterius vivens pectore, non habui.

CASPAR BARTHIUS

Animadv. ad Papin. L. 6. Theb. v. 6.

ISTud de *Delo* primi vidimus, quamvis infinitis doctis viris examinata hæc ſint : quorum ſententias ſane docte judicat Matthæus Raderus ; cujus doctiſſimis & accuratis Commentariis in Martialem, utinam ſimiles in omnes Poetas haberemus. Ineptiunt hodie qui ſine doctorum hominum collectis ſententiis, iiſque cenſitis, tale quid ſcribere moliuntur : non enim fieri poteſt, quin ex pluribus unus aliquis, quocumque etiam Apolline doctus, plura quam ex ſua induſtria diſcat ; & præterea neceſſe erit incurrat cogitationes & obſervationes aliorum, aliquando totas, aliquando partitim. Unde ſuſpicionem malignitatis minime eximet prioribus ſcriptoribus, ſua, ut fit ubique in his literis, quæ prorſus, niſi ſingulari ingenio præditis, ridicule tractantur, tenerrime diligentibus.



VARIÆ LECTIONES
IN
PROPERTIO

Ex duobus Mss. Codd. altero chartaceo Viri Cl. & humanissimi, JOANNIS CHRYSOSTOMI TROMBELLII Bononiensis, Abbatis Canon. Regular. Congregationis Rhenanæ Sancti Salvatoris; in 4.: altero membranaceo Guarneriano Bibliothecæ Sancti Danielis, in folio; cujus diversas lectiones JOANNI ANTONIO VULPIO misit Utino, Vir doctus & amicus, DOMINICUS ONGARUS.

Littera B. *significat priorem Codicem ;* G. *vera posteriorem.*

Propertii Aurelii Navo liber incipit, G.

Lib. I. Eleg. I.

v. 13. Ille etiam *psilli*, B. G.
17. *nonuullas*, B.
24. *cytoliuis*, B. G.
25. *Et vos*, G.
30. *novit*, G.

Lib. I. Eleg. II.

v. 7. *non ulla tuæ est medicina figura*, B. G.
9. *quot summittat*, B. G.
13. *persuadent*, B.
26. *teloiro*, B.
19. *Non* phrigium, G.
20. *Aduecta*, G.
25. ne *sim tibi* vilior, B. G.
29. unica — gratia *dictit*, G.

Lib. I. Eleg. III.

v. 27. *duxit* suspiria, G.
28. *vario* c. auspicio, G.
29. Ne qua *sibi*, G.
31. *procurrens* luna, B.
36. *expulit* e foribus, G.
43. *leviter* m. deserta, B. deserta *loquebar*, G.
44. *extremo* - in amore, B.
45. *lassum* sopor impulit, B.

Lib. I. Eleg. IV.

v. 16. *fallis utrumque*, G.
22. *Deseret*. heu nullo, G. nullo *lumine*, B.

Lib. I. Eleg. V.

v. 8. non *solet*, B. G.
9. tuis non est contraria *nostris*, B.
Quod si forte *ruis*, G.
20. *excelsam* quid sit a. domum, B.

Lib. I. Eleg. VI.

v. 13. *nounumquam*, G.
31. *qua* tendit Ionia, seu *qua*, B.
32. *Lidi* pactoli, G.

Lib. I. Eleg. VII.

v. 18. *evieloqst*, B, G.
23. *Tum* me, G.

Lib.

Lib. I. Eleg. VIII.

v. 7. fulcire *ruinas*, B.
11. *Nec* tibi, B. G.
15. patiatur *barena*, G. in marg. codicis, in *bora*.
19. *Utere* felici -- remo, B. *provecta*, G.
22. tuo *lumine*, B.
25. *Threciis* licet *hac* confidat in oris, B. Et dicam atraciis licet *hac*, G.
43. *Num* mihi, B.
45. *subducit*, G.

Lib. I. Eleg. IX.

v. 4. *quaevis* imperat, B.
11. Plus in amore .... *numerini* -- *bomeri*, G. *numerini*, etiam editio princeps A. 1472.
In cod. Bononiensi lacuna est ubi alii legunt *Mimnermi*.
14. Et cane -- al. *cave*, G.
15. *Quod* si non esset, G.
27. *subducere* ocellos, G.
29. donec *vanas*, G.
30. *aufuge* blanditias, B.
33. errata *fateri*, B.
34. in amore *levat*, B. G.

Lib. I. Eleg. X.

v. 11. *concedere* nobis, B. G.
20. nonnihil *aeger* amor, B.
28. Hoc magis *effecta*, G.

Lib. I. Eleg. XI.

v. 4. *Proxima* Misenis aequora, B.
5. *adducere* noctes, B.
abducere, editio princeps.
6. *Et quis*, B.
Ecquis *immerito* — al. *extremo*, G.
21. An mihi *non* major, B.
An mihi *non* major carae, — al. *curae*, G.
28. *debent*, B.
29. Littora quae *fuerant*, G.
30. Ah pereant, &c. Hunc versum sequitur uno contextu in cod. Guarn. Elegia quae in vulgatis duodecima est.

Lib. I. Eleg. XII.

v. 7. Olim *paratus* eram, B.
15. *Flexit* qui potuit, B.
19. *Me* neque amare aliam, B.
20. ab hac *discedere*, G.

Lib. I. Eleg. XIII.

v. 5. *Quum* tibi, B.
6. amore *viam*, G.
7. *tardas* pallescere *curas*, B.
9. *contenti* poena doloris, B.
16. Et flere *in lectis*, B. G.
19. *deducere*, B.
27. *fastus*, B.
29. *quaque sic* Iova digna, B.
34. *Utere*, G.
36. Et *quaecumque* voles, B.

Lib. I. Eleg. XIV.

v. 2. *mentorio* -- opere, B.
24. *vel* alcinoi, B. G.

Lib. I. Eleg. XV.

v. 7. pectus *variare*, B.
26. parce *movere*, B.
30. Annus *ut* inversas, B.

Lib. I. Eleg. XVI.

v. 3. *celebrabant*, B.
5. saucia *curis*, B.
8. Semper & *exclusis*, B. G. — signa *tenere*, G. — al. *jacere*.
18. *jam* duris, B.
22. *Turpis* & in tepido *lumine*, G.
23. sidera *plena*, B. G.
26. *Respondens*, B. *Respondas*, G.
34. *Et* mea, B.
38. Quae solet *irato* dicere *toto* loco, B.
45. Haec *velle*, B.
48. *deferor* invidia, B. G.

Lib. I. Eleg. XVII.

v. 3. Nec mihi *Caliope*, G.
15. Nonne fuit *levius*, B. & sic editio princeps.
19. *sepelissent*, B. G.
26. solvite vela *notho*, G.
27. Si quando *nostras*, B.

Lib. I. Eleg. XVIII.

v. 18. Et *nonnulla*, B.

20.

20. pinus *amica*, B.
22. *noſtris* --- corticibus, B.
30. poſſunt narrare *puella*, B.
31. reſonent *mihi*, G.

Lib. I. Eleg. XIX.

v. 5. Non adeo leviter *nunc* puer *exit*, G. — al. *noſtris*.
7. conjugis *heres*, B.
10. *Theſſalus*, G.
16. *hac* ita juſta fiuat, B.
22. *e* noſtro pulvere, B.

Lib. I. Eleg. XX.

v. 4. *nimius dixerat*, B.
Minius dixerat, G.
5. non infra *ſpem*, G.
7. *Hunc* tu, B.
8. *cinxerit*, G.
11. cupidas - rapinas, G. — recte.
12. Auſoniis - *adriacis*, B. G.
13. *Nac* tibi *ſiur duri* montes, *nec* frigida ſaxa, B.
Ne tibi *ſint duri*, G.
29. *ſeducitur*, B. *ſubducitur*, G. — al. *ſecluditur*.
32. *ibat amadrias bine*, B.
33. Hic erat *arganti phage*, G.
34. nymphis *thiniaſim*, B.
46. *deſernere* choros, B.
In cod. Guarn. huic Elegiæ adjuncta eſt quæ proxime ſequitur.

Lib. I. Eleg. XXI.

v. 4. Pars --- *maxima*, G. --- al. *proxima*.
5. *Ut* — poſſint, B.
6. *Nec* ſoror *acta*, B. G.
8. ignotas --- *minas*, G. — al. *manus*.

Lib. I. Eleg. XXII.

v. 3. ſunt nota *ſepulcra*, B.

Propertii Aurelii Nautæ liber ſecundus ad Mecanarem incipit feliciter, G.

Lib. II. Eleg. I.

v. 5. Sive illam *choic* ſ. i. *cogis*, B.
10. Miramur — ut *premit*, G.
14. *Tum* vero, G.
24. Cimbrorumque *manus*, B.
27. civilia *bella* Philippos, B.
31. Aut canerem *Cyprum*, G.
35. *Et* mea Muſa --- *contexeris*, G.
45. *verſantes* prœlia, B. G.
53. pereundum *ſanguine*, G.

Lib. II. Eleg. II.

v. 11. Mercurio *ſatis*, B. in marg. *qualis*.
12. Virgineum *primo*, G.
13. *Cadita etiam* divæ, G.
14. *tunicas* ponere, B. G.
16. vatis *agit*, G.

Lib. II. Eleg. III.

v. 19. Æolio *quoque* tentat, B.
20. *Par* agauippeæ, B.
22. *Carmina quæ quivis*, B. Carminaque *Lyrines*, G.
24. *ſtertuit* omen, G.
25. *contulerint*, B. G.
30. *accumbent*, B. *occumbens*, G.
31. *nobis* humana cubilia, B.
38. tu quia *lætus* eras, B.
47. detrectat aratra, B.
53 *Phero* formoſa, G.

Lib. II. Eleg. IV.

v. 8. Non *per Medea*, B. per *media*, G.
9. Quippe *ibi*, G.
17. amet *ille*, G.

Lib. II. Eleg. V.

v. 12. nubes vertitur *acta*, B.
21. tibi *perjura*, B.

Lib. II. Eleg. VI.

v. 2. Ad cujos jacuit -- *pedes*, G.
5. *voluit* componere thebas, B.
8. qui tibi *jura ferunt*, G.
9. Me juvenum *picta facies*, G.
11. Me *ladet* ſi multa tibi *dabit* o. m. B. Me *lades*, G.
23. lectus *Ulixis*, B. Hæc eſt vetus & proba hujus nominis ſcriptura.
24. *feri* femina l. a. B.
28. turpia *juſſa*, B.
34. *Tum* paries, G.
41. *Nos* uxor numquam, B. G.

Lib.

Lib. II. Eleg. VII.

v. 2. *flemus* uterque, B. G.
8. perdere *more*, B. perdere *morte*, G.
9. *Aut* ego, G.
10. *velis prodita*, G.
13. unde mihi, *&c.* In Guarneriano incipit hic alia Elegia.
15 .Quod si *vera mea*, G.

Lib. II. Eleg. VIII.

v. 4. *segnior* hostis, G. -- al. *levior*
8. hæc in amore rota est.
Post hunc versum in codice Guarneriano nulla est lacuna.
25. Sed non *efficies*, B. G.

Lib. II. Eleg. IX.

v. 1. Sed *fors &* in hora, B. G.
12. *Propositum fluviis*, B.
13. corpus *achilli*, B.
15. *Quom* tibi, G.
16. viduo -- *virs*, B.
17. *castis* -- natis, B. G.
39. mihi solvite *curam*, B. in marg. *vitam*.
45. *ponet* vestigia, B.

Lib. II. Eleg. X.

v. 14. se *tumuisse*, G.
26. *parnasi* flumine, B.

Lib. II. Eleg. XI.

v. 2. *Ludet* qui -- femina *ponet* humo, B.

Lib. II. Eleg. XII.

v. 3. *Is* primum --- *amantem*, G.
9. *auratis* --- sagittis, B.
15. *e* nostro quoniam de pectore, B.
17. Quid tibi jucundum *est*, G.
18. Si *puer* est, B. G.
19. isto *potius*, G.
23. *Qui* caput, G.
24. Et *canat*, G.

Lib. II. Eleg. XIII.

v. 1. armatur *hetrusca*, B. *etrusca*, G. -- al. *tota*.
25. Sat mea *sit* magna, B. G.
27. *nondum* pectus lacerata, B.
37. *Non* minus, G.
39. *venias* ad fata, B.
42. *adversi* conscia terra, B.
47. *minuisset facto*, B.
Quis tam --- *meminisset*, G.
49. vidisset corpus *humari*, B.
53. *adonem*, B.
55. *jacuisse* paludibus, G.

Lib. II. Eleg. XIV.

v. 2. *alta* L. opes, B.
5. Nec sic Electra *suum* salvum aspexit, G.
8. *Dædalium* --- iter, B.
17. Ante pedes *cæcos*, B.
26. sub nostro *carmine nomen* erit, G.
29. *veniet* -- navis, B.

Lib. II. Eleg. XV.

v. 1. *Ah* me felicem, o nox, G.
4. *submoto* lumine, B.
17. vestita *cubaret*, B.
27. *vincta* -- columbæ, B.
35. transferre *dolores*, B.
39. Si dabit *hæc* multas, B.
41. si cuncti *cuperent*, G.
43. Non ferrum crudele, neque esset bellica navis, B. recte; & sic Broukhusius.
44. *adriacum* -- mare, G. *verteret* ossa, B.
47. *Nec* certe, G.
49. dum *licitum est*, fructum, B.
53. magnum *speramus*, B. G.

Lib. II. Eleg. XVI.

v. 25. Non quia *peccarim*, G.
27. *exclusit* -- lumbis, B. G.
32. nescit *abire*, G. -- al. *abesse*
35. *ni* forte, B.
39. *Nunc* infamis, G.
49. *Vidistis* toto, G.
52. ira *cadet*, B.
55. *Non* tibi sit tanti, B.

Lib. II. Eleg. XVII.

v. 1. promissis *fallere*, G. -- al. *ducere*
15. *Nec* licet, B.
18. quum *in me* B. G.

Lib.

Lib. II. Eleg. XVIII.

v. 5. ætas mea *caneret*, B.
7. *An*, non, G.
9. fovit in *nudis*, G.
10. Quam prius *advinctos*, G.
19. *Et* eu etiam, G.
21. *Quid* ego, G.
24. *extremo* -- nitore, B. *hesterno*, G. -- al. *externo*
25. *tecta* figura, G. -- al. *vecta*
33. *Quin* tibi, B.
35. *Iste* tuus, B, G.

Lib. II. Eleg. XIX.

v. 1. *At* si me invito, G.
4. non *finet* esse probam, G.
14. *corruit* ante focos, B.
19. reddere *pini*, B.
20. *movere* canes, B. G.
21. Non tamen &, B. *captare* leones, G.
24. *stricto* -- calamo, B.

Lib. II. Eleg. XX.

v. 2. *tristis ut* andromacha, B.
4. Quid *quaeris*, B.
7. Niobe -- *superba*, G.
8. *destuit e syphilo*, G.
10. *damnet* condita membra *dono*, B. membra *modo*, G. -- al. domo,
19. *Quid* si nec nomen, G.

Lib. II. Eleg. XXI.

v. 6. credula *turba* jaces, G.
12. Ejecta est *tenuis* namque creusa *domo*, B. G.

Lib. II. Eleg. XXII.

Ad Herem Demophontem, G.
v. 1. Scis *heremi*, B.
4. O *nimis exitio* nata theatra *meo*, B. G.
5. *deducit*, B.
6. *initis*, B.
25. *requieverit* arctos, G.
37. ad *flumina*, G.
41. *navim*, B. G.
43. Si *non es* dura, B.
44. *Quod* juvat & nullo pondere verba *loco*, B. Quid juvat & nullo *ponere* verba *loco?* G.
48. *Et* recipi *quae num voverit ille* vetat, B. *Quom* recipi *quae* non, G.

Lib. II. Eleg. XXIII.

v. 1. fugienda femita *quei sic*, G.
4. *promissa* -- verba, B. G.
10. *in munda* -- casa, G. -- al. *nuda*
17. garrula *quod* te, B.

Lib. II. Eleg. XXIV.

v. 1. *sit* jam toto, B. G.
3. aspergat tempora *sudor*, B.
10. *non* tibi caussa levis, B.
15. dispendia *si me*, B.
Ha peream ---- dispendia *si* me, G.
17. gaudere *videbas*, G. -- al. *jubebas*
31. Qui *nunc in* tumidum, B. Qui nunc *se* in tumidum, G.
36. *heu heu*, B.
37. Certus eras *heu heu*, B.
38. quamvis *navita*, B. G.
42. *Crede sed* multos, B.
47. *finxit* amorem, G.
51. *Hi* tibi nos erimus, B.
52. *pectore* nuda, B. G.

Lib. II. Eleg. XXV.

v. 2. sæpe *veni*, B.
12. *Sept Perile*, B. *sepe Perille*, G.
15. *obsita* teritur, B. *obsita tegitur*, G.
46. vulneris una via, B.

Lib. II. Eleg. XXVI.

v. 10. *jam* dea, B. G.
23. Non *nisi*, G.
39. *ratis Argo*, B. G.
50. urna profudit, B. G.
53. & nobis mitescet Scylla, B.

Lib. II. Eleg. XXVII.

v. 10. *Ne* subeant, G.

Lib. II. Eleg. XXVIII.

v. 5. *nec* tam ardoris, *nec* crimina, B.
8. Quicquid *juretur*, B. G.
11. *contenta* tibi, G.

15.

15. *mihi* vexatæ, G.
16. *venit* mollior hora, B.
26. *Ipsa* sepulturæ, B.
27. quo *fit*, G.
37. *discedere* cælo, B.
52. *pasiphone*, G.
57. aut cuiquam fortuna perennis, B.

Lib. II. Eleg. XXIX.

v. 1. nocte *gravarer*, G.
31. Quo tu matutinus, G.

Lib. II. Eleg. XXX.

v. 12. Si modo *præsentie*, G. (*ita semper hujusmodi casus accusativos effert hic codex.*) -- viderit *ille*, G.
15. *ornentur* legibus, G.
16. tibia docta *sonet*, G.
18. *pallidus* ora tumor, G.
21. Spargere & alterna, B. G.
22. præmia *digna*, G.
25. *liceat moda* -- *secum*, G.
26. *Rorida* muscosis, B.
29. Ut *Semela* est combustus, B.
34. non *nescit*, G.
36. rupibus *ingemuit*, G.

Lib. II. Eleg. XXXI.

v. 3. *Tanta* erat in speciem, B. G.
6. carmen *habere*, G.
8. *invida* signa, G.
11. *Et qua* solis erat, B. *Et qua* solis *erant*, G.
In Guarneriano cod. sequitur eodem contextu, *Qui videt, is peccat, &c.* -- qui *te non* viderit, G.

Lib. II. Eleg. XXXII.

v. 4. mœnia *lethagoni*, G.
5. Cur *vatem* herculeum, G.
6. te via ducit *anus*, G.
12. aulæis -- *attaicis*, G. (fortasse *attaicis*)
14. platanis -- *urgentibus*, B.
32. viva reducta domum est, B.
40. *naica dona*, B.
61. *tuque es* imitata latinas, G.

Lib. II. Eleg. XXXIII.

v. 5. Quæ *clam* tam cupidos, G.
13. *At* quoniam, B.
35. nihil *est* mutata, B.
Me miserum multo *non est* mutata l. G.
37. *perpendeat*, B. *demissa* -- *ferta*, G.
In Guarneriano cod. sequitur eodem contextu, *Cur quisquam*, &c.

Lib. II. Eleg. XXXIV.

v. 1. Qur *faciem quisquam*, B.
9. *perfide verum Tangere*, B. G.
17. *Te lecto* solum, *te lecto* deprecor u. B.
31. musis *memorem*, B. G.
32. Et non *inflantis*, G.
35. *in* phrigio, G.
39. *Non amphiara* prosunt tibi f. q. B. *Non amphiarea* prosunt *tibi festa* q. G.
47. *gravis* taurus, B.
49. *Hac* tu tam duros *porte*, G.
50. domandus *erit*, G.
53. Nec *sic* -- *resfleverit* undas, G.
59. *externis* -- corolis, B.
61. Actia *Virgilio*, G.
69. mala *puellas*, B. G.
72. *ipsa* canat, G.
78. *herba* jugn, G.
83. aut sim minor, B. G.
84. *cesset*, olor, B.
85. *laudabat* -- Varro, G.
86. maxima *cura*, G.
88. Lesbia *quin* ipsa, G.
94. Hos inter *me si*, B.

Explicit liber secundus Propertii Aurelii Mevaniensis. ita Guarn. cod.

Propertii Aurelii Mevaniensis L. III. G.

Lib. III. Eleg. I.

v. 5. carmen *tenuistis*, B. G.
6. *queve* -- *aqua*, G.
21. quod vivo *detraxerat*, G.
22. reddet *onus*, G.
25. equo *pugnas* abiegno noscceret *actus*, B. *ab regno* noscceret, G.
26. Fluminaque -- *comminuisse*, G.
36. augurror *ipse*, B. G.
37. Ne mea *contenta*, G. (pro *contempta* scilicet, ut scribebant veteres.)
40. *insolita* -- sono, B.
In codice Guarnerii post hoc distichum sequitur eodem contextu, *Orpheu detinuisse feras*, &c.

Lib. III. Eleg. II.

v. 2. Flumina -- *detinuiſſe*, G.
13. *Et* Muſæ comites, B.
15. Fortunata meo ſi qua *eſt cantata* l. G. -- al. *celebrata*
16. formæ tot *numerata* tuæ G.
20. *vacat*, G.
21. *ſubducit* honores B.
22. p. victa *ruunt*, B.
23. At non *ingenium*, G.

Lib. III. Eleg. III.

v. 9. *Victoreſque* moras, G. ſic *auctoret aves* dixit Noſter Eleg. 3. lib. 4.
11. Annibalemque *alacres*, G.
33. *Diverſeque* -- ſortitæ *rura*, G.
36. *at illa* -- *utrauque roſam*, G.
41. *præconia* claſſica, B. G.
45. *ſævo* p. ſanguine, B.

Lib. III. Eleg. IV.

v. 9. *Omina* fauſta, B. *Omnia* fauſta, G. *clademque* piate, B. *claſſeſque* piate, G.
13. *aneratas* Cæſaris *aaas*, B. G.
14. *Ac* vulgi, B.
19. Ipſa tuam ſerva prolem Venus, B. G.
22. *Me* ſat erit, B. G. Hic deſinit hæc Elegia in B. & G.

Lib. III. Eleg. V.

v. 6. *ira* paro *claſſa*, G.
8. parum *cauta*, B. G.
11. vento jactamur, B. G.
18. quæ venit *acta* die, B.
21. Me *juvet* & multo, B.
24. Sparſerit & nigras, B.
Sparſerit *intagras*, G.
29. ſuperant *cuncti*, G.
32. cur bibit *arquus*, B. cur bibit arcus, G.
34. Solis & *attactis*, G.

Lib. III. Eleg. VI.

v. 5. ſine vanis, B.
9. *Sicut* eam, B. G.
12. Nullave gemma, B. G.
20. *Illa* poteſt -- *miſerum*, G.
40. Jurabo bis ſex, G.

Lib. III. Eleg. VII.

v. 5. Tu Pœtum Carpathios, G.
12. omne mare *eſt*, G.
22. pœna *minantis aque*, B. *Qua* notat *arginui*, G.
47. Non tulit *hunc* Pœtus, G.
48. Et duro teneras, &c. *Poſt hunc verſum codex Guarn. caret lacund.*
49. Sed *chis calams*, B. *chia calamo* aut *oritbia terebintho*, G.
50. *Et fultum*, B. G.
60. in freta *longa*, G.
61. ſcopulis *infiger*, B.
63. evehat æſtus, B.
66. voxque dieſque, B.
ultimaque Pœto voxque, G.
68. *tracta* dolore, B.
69. Vos decuit *lapſo*, G.

Lib. III. Eleg. VIII.

v. 13. *circa* ſe ſtipat, B. G.
14. Mænas & *acta*, G.
16. Seu *miſerum*, G.
21. *Immorſa* -- collo, B. ita conjiciebat Nic. Heinſius.
27. Odi ego *que*, B. G.
28. in *iratam* pallidus, B.
29. *grata* per arma, B. *que* grata, G.
37. *tendiſti* retia, B. G.
40. *Offenſam* illa mihi, G.

Lib. III. Eleg. IX.

v. 8. *Flamma* nec ex æquo, G.
10. Exactis *calamus*, G.
11. In Veneris *tabulam* ſummam *tibi*, G.
12. *parva* v. arte locum, B.
16. Praxitelem *propria* vindicat urbe lapis, G.
42. palladiæ -- *artis*, B. *artis opus*, G.
44. *dure* poeta, B. G.
45. Hæc *curant pueros*, hæc *curant* f. *puellas*, B. Hæc *curent pueros* -- *curent* -- *puellas*, G.

Lib. III. Eleg. X.

v. 6. unda *minor*, B. lectio admodum elegans, &, ut videtur, vera.

8. Et

8. Et *Niobes* — ipse *fuat*, G.
20. *Luserit* & tota, G.
32. *ter sic* peragamus, G.

Lib. III. Eleg. XI.

v. 5. Venturam — *mortem*, G.
13. Ausa — *oppugnantis*, G.
14. *Iniectis* danaum, G.
23. *missi* per moenia currus, B. G.
27. raptem in crimine, B.
40. *adusta* nota, B.
49. Si m. *capienda* fuit, B. *Sed* mulier patienda, G.
57. toto quæ præsidet orbi, B.
58. *in arte* minas, G.
65. Hæc dii *condiderant*, G.

Lib. III. Eleg. XII.

v. 10. Hæc *utinam* virtus, G.
17. Quid *faciat*, B.
28. alternas — aquas, G.
29. *Lampathia sciticie*, G.
30. filia *Lampathia*, G.
35. *lecto* renovasse, B.
37. *Hac* frustra, G.

Lib. III. Eleg. XIII.

v. 2. Et *Venerem* exhaustæ, G.
10. *Icariate*, G.
23. *Hoc* genus, G.
26. Divitiæ *quarum*, G.
27. Illis *munus erant*, B.
33. *Hisdem* blandiciis, B.
35. *Atque binoli* pellis, G.
37. lentas — umbras, B.
39. Corniger *atque dei*, G.
42. *vestris* — focis, B.
51. Torrida — *limina*, G.
53. *aurigero* — vertice, B. G.
53. diras nives, B.
54. parnasus, B.
55. *Et* scelus, G.

Lib. III. Eleg. XIV.

v. 3. non infames — *laudes*, G.
5. *velocis* — *jactus*, B.
12. *prætegit* ære caput, G.
14. *Termodoontiacie*, G.
17. & Castor *habenis*, B. G.
27. *Nec* tyriæ, G.

28. odoratæ — domi, B.
31. Nec *quæ* sint *socia*, B. Nec quæ *sit* facies, G.
33. si *jure* fores *pugnat inimica*, G.

Lib. III. Eleg. XV.

v. 3. *prætexta* pudor est velatus *amicus*, B.
7. Tertius *aut* multo — *ditiitur* annus, G.
14. *immittens finxit* in ora, B.
19. *numquam* succurris, B.
21. Si deus *&* — tuam *servare* p. G.
22. *Invocat* — *victa*, G.
33. Littore *sit* tacito, G.
46. Te solam *ex* lignis, G.

Lib. III. Eleg. XVI.

v. 4. nympha aniena, B.
9. *Peccaram* semel, G. sum *passus*, B.
12. *scilicet* ire, G.
16. amor *pertulit*, G.
29. tumulus vallatus, G.

Lib. III. Eleg. XVII.

v. 2. Da mihi paccato, G. — al. *bacchato*
12. *animo* versat utroque *meo*, B.

Lib. III. Eleg. XVIII.

v. 1. *Clausus* ab umbroso, B.
2. Humida bajarum *signa*, B.
6. *increpuera*, B.
9. *Bis* pressus, G.
25. *castus* se condat, B.
27. *Nerea* non facies, G.

Lib. III. Eleg. XIX.

v. 2. imperat *ista*, B. imperat *illa*, G.
9. reprendere cursus, B. in marg. *compescere*
22. *abiegno* — *bovi*, B. G.

Lib. III. Eleg. XX.

v. 4. *Tantisne* in *lacrimis*, B.
6. Forsitan ille *alia*, G. amore *teras*, B. G.
13. Tu quoque, qui &c. G.
21. Nox mihi prima, &c. G. *ordine praepostero*.
27. *cedent* sermonibus, B. G.

23. solvit *nos*, G.
24. *omnia* prima, B. G.
25. Ergo qui *pastos*, G.

Lib. III. Eleg. XXI.

v. 7. sæpe *negaris*, G.
8. dormit *amico*, B. G.
11. in *aquore*, B.
14. *secundes* iter, B.
22. arcet utrumque mare, B.
32. tacito --- finu, B.

Lib. III. Eleg. XXII.

v. 1. placuit tibi *circiter*, B.
4. qua via, B.
15. Si *qua erige*, B.
23. Hic anio *tiburine*, G.
27. *lambuntur* ventre, G.
28. nec *fuit* unda, G.
32. matre movente, B. G.
35. *non* valuit, G.
36. dedecorare *bovi*, G.
37. Arboreasque cruces *sanis non*, G.
38. Saxaque *curventes*, G.

Lib. III. Eleg. XXIII.

v. 13. *At* tibi nescio quæ, G.
15. Aut dixit *venice* hodie *cessavimus imo*, G.
17. *dolens* reperit, B.
20. *diros* --- ephemeridas, G.
22. *signo* retenta, G.

Lib. III. Eleg. XXIV.

v. 6. esse putaret, G. -- al. *sæpe*
19. si qua *dee I*, G. in sacraria *dono*, B.
20. *Excidorant*, B.

Lib. III. Eleg. XXV.

v. 1. *Visus* eram, G.
8. non finis *ire*, B. G.
13. tum *cupios*, B.
15. inque *vices*, G.
17. Has tibi *fatalis*, G.

Lib. IV. Eleg. I.

v. 1. *quam* maxima roma est, B.
2. *aneon*, B.
4. concubuere boves, B.
5. Fictilibus crevere *fuis*, G.
10. Qualis nunc curto, G. -- al. *curvo*
29. posuit prætoria lygmon, B. ligmon, G.
31. lucerefque. *soloni*, G.
33. minus urbe *viola*, B. G.
36. *Ac* ubi fidenas longe *erit isto viat*, B. longe erat *ipse* via, G.
38. *non putet* esse lupam, G.
40. *Heu* quali *vesto* est, G.
41. tunc *omnio*, B. G.
43. *Tam* pater, B. *Tum* pater -- *trepidus*, G.
44. *verere* flamma, G.
52. *Longævi* ad priami, B.
57. *concr* disponere, B. G.
65. Scandentes si quis *cernit*, B. G.
68. *Omnia* & inceptis, G.
71. vaga dicere *verba* properti, B. dicere *fata*, G.
72. a *dextro* -- colo, G.
73. *Accersit lacrymis cantat*, B. *Accersit lacrymis cantus*, G.
74. *Poscit ob*, B. G.
77. Me creat -- *Oreps*, G.
78. *Horon*, G.
79. Dii mihi *sine* testes non *degeneresse* propinquos, G.
91. sua *filo* referre, G.
94. Heu *sibi* prolapso, G.
96. *signa* cruenta, G.
101. *Junonis facito votum*, G.
103. Hoc neque -- libiæ, G.
104. Aut *ubi* commissos, G.
105. *sensisset* alas, G.
106. Umbra *neque magicis*, B.
107. *verusque* per astra, G.
117. Victor *o biliace*, G.
119. *devotor*, B. *devebor*, G.
123. *Quin* nebulosa, G.
125. *Scandentis, ofit*, B. *consurget*, G.
131. bulla -- dimissa est, B.
137. *patiare* sub armis, B. G.
140. *Elndit* palmas B. G.
141. Et bene *confixum merito*, G. *discusseris* uncum, B. G.
142. *Nihil* erit *nostro* te *premat ansa*, G.
146. *prima* sat est, G.

Lib. IV. Eleg. II.

v. 4. *Volscanos* -- focos, B.
5. *Nec* me turba, G.

II.

11. *fructus percepimus*, B.
15. autumnalia *poma*, G.
18. Cum *prius*, G.
22. In *quæcumque*, G.
28. Corbis *in* impofito, B. G.
30. vina fubiffe, G.
35. & *elus*, G.
41. maxima *cura*, G.
50. *tufcus* nomina *vicus* habet, G.
51. *licomedius*, G.
58. ultima *creta*, B. ultima *certa*, G.
63. tam *docilis* -- in ufus, G.

Lib. IV. Eleg. III.

Epiftola Arethufæ ad Licotem, G.

v. 8. *Tu* modo *munitus*, G.
11. & *pacatæ* mihi noctes, B. & *paſte ne* mihi, G.
12. Quom rudis *ingenti*, G.
13. *protulit* illa, G.
21. obliquo -- *arma*, B.
23. *dum* teneros, G.
27. *collum* tenuaffe, G.
43. nuda -- *mamilla*, G.
55. *Grancidos* & catulæ, B. G.
56. vindicat una *thoro*, G.
62. *Succinctaque* -- popæ, G.

Lib. IV. Eleg. IV.

v. 4. *Multaque* nativis, G.
6. ire *videbat*, G.
12. Romano -- *foco*, G.
34. *confpicor*, B. *arma taci*, G.
42. *flamina certa* via, G.
48. *cape* fpinofi rorida, G.
55. hofpes *patriam nec te*, G.
57. *Si* minus, B. *Si* minus *aut*, G.
61. fera *munera corde*, G.
64. fidera laffa, G.
68. Nefcia *nefariis*, B. *nephariis*, G.
71. *Thermodoonta*, B.
76. madent -- *divitiis*, G.
83. afcenfu *dubio*, B.

Lib. IV. Eleg. V.

v. 6. *proxima* femper avis, B.
11. Quippe & *cohirias*, G.
15. *Poffet &c*, B. G. *afta certere*, G.
19. *Exorabat* opus -- *peruret*, G.
20. Saxofamque *ferat*, G.
21. *derozautum*, B. Si te *devoratum vos* juvat, G.
28. *Frangent* damnofæ, G.
30. *recurrit* amor, G.
32. *tempus emendus*, G.
34. puros *fideris* effe dies, B. G.
39. colla *jacentes*, G.
43. thais *fpeciofa*, B.
53. Aurum fpectato *&c.*
Quid juvat ornato procedere vita (victa) capillo
Et tenues choa vefte movere finus, B. G.
55. Qui verfus *choe* dederit, G. (*Superius difiichum ex Elegia 2. lib. 1. ad oram pagina, illuſtranda vocis* Coæ *gratia, hic ab aliquo appofitum, imperitus, aut ofcitans librarius in textum fortaffis invexerit.*)
58. *nec* quid cras libet ab ore dies, G.
61. *Hic animus*, G.
62. *Per tenuae offa funt numerata cutes*, B. G. *nothus verfus, a nebulone aliquo fictus ad lacunam explendam.*
68. *pergula curva*, B. *pocula turva*, G.
69. Exequiæ *fuerant*, G.
71. canis -- *experrecta*, G.
72. *cultra* forent, B. G.

Lib. IV. Eleg. VI.

v. 1 Sacra *facis* -- *funt*, G.
3. *philippeis* corimbis, B.
9. alio *funt* aere, G.
11. Mufa Palatini, &c. G.
Ad Mufas de Templo Apollinis in monte Palatino, ubi nunc eſt templum Sanctæ Sabinæ. G. *In plerifque codd. hinc incipit nova Elegia.*
11. *reftremus*, B.
12. digna *furore*, G.
25. *aciem* geminos *pineus*, G.
27. Quom phœbus *ftantem linquens fe judice dela*, G.
28. mobilis *unda*, B.
48. Terreat, *&* *multa*, G.
59. At pater -- *miratur*, G.
67. Actius hinc -- *phœbi*, G.
72. *Blanditiæ* fluant, G.
74. fpica *califfa*, G.
75. Ingenium *pofitis*, G.
78. *Caphean* hic *mirsin* -- *fegna*, G.
81. Sive *aliquis*, G.

Lib. IV. Eleg. VII.

v. 4. *Murmur* ad extremæ, G.

5. Quum

5. Quum mihi somnus ab exequiis penderet *amoris*, B. Quom mihi *ab exequiis somnus* penderet *amoris*, G.
7. 8. *Hesdem*, *Hosdem*, G.
15. *exciderant*, B. G. *tecta* Suburæ, G.
16. *certa* fenestra, B.
20. Fecerunt *trepidas*, G.
23. inclinavit *euntis*, B. G. *statim post hoc distichum sequitur illud:* Nec crepnit fissa, &c.
25. Nec crepuit *fixa*, G.
29. at *illuc*, G.
33. grave *erit*, G.
46. ausa *negare*, G..
48. *Ardent ex* nostro, G.
51. *revolubile* carmen, B. G.
59. parta *phasello*, G.
61. qua *queritur ut unda cibeles*, B.
64. historiæ pectora nota suæ, B.
65. Hæc *summa aeternis*, G.
69. Sic *mortis vita lacrimis*, G.
74. *Parthenia potuit*, G.
82. herculeo *nomine*, G.
83. *Hic* carmen, B. G.
84. quod *currus* vector, G.
95. sub *lite*, B. G.

Lib. IV. Eleg. VIII.

v. 4. tam raræ -- moræ, G.
6. Qua *penetrat* virgo, B..
15. avecta est cynthia *ab annis*, B. G.
23. *Syriganā tacto valsci* carpenta *nepori*, B.
26. *crassat* -- genas, B. sequitur in Guarneriano, eodem contextu, *Quom fieret saties*, &c. Ab hoc autem disticho incipit alia Elegia: *Phyllis aventina* &c.
28. *Mulctato, voluit*, B. *Mulctataque voluit*, G. Bon. cod. ab hoc disticho inchoat aliam Eleg.
37. *utrique* æstiva, G.
38. *graca* saliva, B. G.
41. *Magnus* & ipse, B. G.
54. *Pallnerantque* ipso, G.
57. iratos — *ignes*, G.
58. teja *vocabat aquas*, G.
61. *Illam* direptisque, G.
67. *laxavit* brachia, B.
68. *fusca* finistra latens, G.
71. ad fœdera *venit*, B. G.
72. *Quai* vix, B.
77. *oblita* theatrum, B.
78. *fudes aperta*, B. operta, G.
84. *Sufficiat* pura, B. G.
85. *lucernas*, G.
87. *Ast* ita, B.
88. *Respondi* & toto, G. -- al. *despondi*

Lib. IV. Eleg. IX.

v. 2. o *Erithee*, G.
9. *metuendus* raptor, B.
21. *torquet* sitis, G.
26. *Impune nullis*, G.
34. hospita *vana viis*, B.
35. *circaque* sonantia, B. G.
41. uni-*bemini*, B. G. sequitur in utroque codice: *Accipit hac fesso vix mihi terra pater*. inepte, ad lacunam tantum explendam. hic versus infra legitur suo loco.
43. *Quid* si, G.
48. *lydo* colo, B. *lydo*, G.
56. *Qua* se, G.
57. *Magnam* tiresias, B.
73. *Hunc* quoniam, B. *sanxerat*, B. *pugnatum senserat*, G.

Lib. IV. Eleg. X.

v. 4. *e* facili, G.
6. Hujus & *eximio*, G.
7. *acrouta* petentem, B. *caninum acronta*, G.
8. Victor *nec versum*, B. G.
9. *carina*, G.
13. *librantem* spicula, B. G.
14. ante *rates*, G.
21. Picta *neque*, B. G. fulgebat *flāma*, G.
26. jugera *terra*, B.
27. Et *veri* veteres & vos tum, G.
30. *arma* metunt, G.
32. *fractus* ab urbe, B.
34. *Vinea qua ductum*, B. G.
35. *concurrite*, campo, B.
37. *decepta* tolumni, G.
41. *Vir Romani* genus, G.
42. *Mobilis erepti - cæsa*, G.
43. *jurgatis -- ab agmine* braccis, G. -- al. *inguine*.

Lib. IV. Eleg. XI.

Epigramma Corneliæ Pauli Uxoris, G.

v. 4. Non *exorate*, B.
8. erbosos --. rogos, G.
13. *Non* minus, B.

14. Et

14. *Et* sum -- *legatur* onus, G.
18. *Da* pater, G.
20. In mea -- vindicet ossa, G.
26. *laxa* catena, G.
30. *Era* numantinos, B. *Æra*, G.
38. affrica *tunsa* jaces, B. G.
39. Et persen *stimulantem*, B. G.
48. *Nec possis*, melior, B.
50. Turpior *ascensu*, G.
52. *Gaudia* turritæ, G.
53. Vel *cujus Jason* quom *veste*, G.
58. Defensa & gemitu, G.
67. censuræ nata paternæ, B.
81. Sat tibi *sunt*, G.
82. *tradita* sæpe, G.
84. verba *tace*, G.
97. *Si* bene habet -- *sumtum*, G.
102. *Quovis* honoratis, G. ossa vehantur *equis*, B. G.

Propertii Aurelii Nauta liber explicit. G.

Ad oram paginarum Codicis Bononiensis apposita sunt Elegiis plerisque disticha argumentum continentia; quorum specimen exhibemus.


Eleg. V. Lib. I.

Ostendit quantos patieris, Galle, labores,
Si pergis dominæ subdere colla suæ.

Eleg. VI. Lib. I.

Audeat Ægeas Tullo comes ire per undas:
Sed domina retinet imperiosus amor.

Reliqua omittimus; nam neque legi potuere, litteris evanescentibus, nec erat operæ illa proferre, ob exiguam vel nullam utilitatem.



LOCA

LOCA IN ELEGIIS PROPERTII

DE QUIBUS

JO. ANTONIUS VULPIUS

præcipue bene mereri conatus est, Lectoribus indicata.

Ad Librum I.

Eleg. 1. v. 5. 12. 30. 31. 36. Eleg. 2. v. 4. 6. 8. 26. 29. Eleg. 3. v. 6. 15. 24. 36. 41. 42. Eleg. 4. v. 9. 10. 14. 16. 23. 24. Eleg. 5. v. 4. 15. 18. Eleg. 6. v. 20. 22. 25. 26. 31. 32. 34. Eleg. 7. v. 1. 8. 9. 11. 26. Eleg. 8. v. 9. 11. 17. 20. 27. 36. 38. Eleg. 9. v. 4. 7. 11. 15. 23. 29. 30. Eleg. 10. v. 24. Eleg. 11. v. 1. 6. 12. 21. 29. Eleg. 12. v. 2. 4. 8. Eleg. 13. v. 8. 21. 28. Eleg. 14. v. 4. 13. 14. 17. 22. Eleg. 15. v. 15. 24. 28. 29. 37. Eleg. 16. v. 1. 2. 9. 12. 13. 16. 24. 28. 38. 44. Eleg. 17. v. 1. 3. 14. Eleg. 18. v. 2. 3. 9. 15. Eleg. 19. v. 18. 19. Eleg. 20. v. 3. 4. 5. 10. 27. 29. 35. 41. Eleg. 21. v. 5. 7. Eleg. 22. v. 1. 2.

Ad Librum II.

Eleg. 1. v. 5. 9. 38. 42. Eleg. 2. v. 9. Eleg. 3. v. 28. 37. 45. *quod legi & considerari velim*. Eleg. 4. v. 4. Eleg. 5. v. 5. 15. 34. Eleg. 6. v. 1. Eleg. 7. v. 7. 14. Eleg. 11. v. 1. 2. 3. Eleg. 12. v. 1. 2. 20. Eleg. 13. v. 15. 17. 25. 49. Eleg. 14. v. 12. 29. Eleg. 15. v. 5. 8. 12. 13. 17. 28. 32. 41. 44. 50. 54. Eleg. 16. v. 11. 12. 25. 27. 56. Eleg. 19. v. 17. 18. 21. Eleg. 20. v. 7. 11. 16. 31. Eleg. 21. v. 5. 12. Eleg. 22. v. 25. Eleg. 23. v. 8. 11. Eleg. 24. v. 1. 8. 11. 36. 47. Eleg. 25. v. 35. 36. 42. Eleg. 26. v. 17. 21. Eleg. 27. v. 15. Eleg. 28. v. 4. 26. 35. Eleg. 29. v. 21. 30. Eleg. 30. v. 21. *insignis interpretatio*. 23. Eleg. 31. v. 5. Eleg. 32. v. 6. 30. 32. Eleg. 34. v. 18. 26. 29. *insignis explicatio*, 30. 46. 55. 74. 79. 91.

Ad Librum III.

Eleg. 3. v. 1. Eleg. 4. v. 5. 22. Eleg. 5. v. 27. 34. 45. Eleg. 7. v. 60.

Eleg. 8. v. 35. Eleg. 9. v. 2. Eleg. 10. v. 23. Eleg. 11. v. 5. 6. 9. 29. 51. 67. 70. Eleg. 12. v. 12. 18. Eleg. 13. v. 5. 10. 62. Eleg. 15. v. 3. 12. 18. Eleg. 18. v. 18. 29. 33. 34. Eleg. 21. v. 1. 27. 28. Eleg. 22. v. 5. 6. 27. 33. Eleg. 23. v. 5. 19. 20. 23. Eleg. 24. v. 1. 13. 18.

Ad Librum IV.

Eleg. 1. v. 11. 17. 29. 32. 33. 36. 54. 71. 77. 78. 81. 82. 88. 89. 94. 102. 131. 139. 140. 141. 142. 150. Eleg. 2. v. 3. 4. 35. 36. 40. 47. Eleg. 3. v. 12. 21. 28. 32. 38. 39. 51. 52. 54. 63. Eleg. 4. v. 46. 56. 60. 63. 94. Eleg. 5. v. 2. 4. 12. 16. 20. 24. 26. 28. 36. 45. 46. 49. 52. 56. 63. 64. 70. Eleg. 6. v. 10. 21. 25. 27. 47. 49. 51. 53. 82. 86. Eleg. 7. v. 3. 11. 25. 31. 56. 64. 81. Eleg. 8. v. 3. 4. 16. 21. 25. 26. 35. 37. 45. 46. 48. 57. Eleg. 9. v. 7. 57. Eleg. 10. v. 8. 16. 19. 30. 43. Eleg. 11. v. 13. 14. 18. 24. 28. 38. 39. 43. 50. 55. 61. 62. 66. 69. 70. 86. 97. 101. 102.



D E

JO. ANTONIO VULPIO,

Ejusque nova Recensione Carminum

SEX. AURELII PROPERTII;

E L E G I A

VINCENTII BERTUCCII,

NOBILIS AUXIMATIS.



Nunc, o Phœbe, tuas accedo pronus ad aras,
Ardorem nostris incute pectoribus.
Tu potes obscuras cælo depellere nubes,
Tu relevas doctâ corpora fessa lyrâ.
Per te divini celebrarunt carmine vates
Inclyta magnanimûm tot benefacta ducum.
Per te, quæ domito leges indixerat orbi,
Excitat augustum Roma sepulta caput.
Nec penitus veteres tempus delevit Athenas:
Et decus ingeniis, & nova vita redit.
Nunc alios fontes, alias mihi suffice vires:
Dum canitur nostro VULPIUS *ore, fave.*
Cujus fama volat super & Garamantas, & Indos;
Anguifera Invidiæ qui pede colla premit.
Tollere quem cælo tunc postera desinet ætas,
Quum poterit pavidos agna fugare lupos.
Tu ne igitur, VULPI, *pulchræ dulcedine laudis*
Perculsus, Musis nocte dieque vacas?

Et

Et libros mira conspergis luce PROPERTI,
Ut pateat lecto stamine torta via?
Tu dubios aperis sensus, penitusque repostos,
Ac prisci enarras temporis historias?
Tu varias recto libras examine lites,
Carmina disponens ordine quæque suo?
Nec gelida incœpto deterret bruma, nec æstus,
Nec quæ mutavit cana senecta comas?
Quid loquar Ausoniam, patrias dum negligit artes,
Degenerem, atque novos rustica corda Getas?
Nempe rudi populo non sunt commercia tecum,
Qui Latii puras dedidicere notas;
Et sapere hunc solum, solum bene vivere censent,
Si quis adit doctæ limina Barbariæ;
Atque Arabum inventis Cadmi servire puellas
Cogit, seque parem jam putat esse Jovi.
Tu tamen, o VULPI, *vestigia certa priorum*
Servas, nulla timens vana supercilia.
Excipis & fatuos risus majore cachinno,
Nec vulgi tumido te sinis amne rapi.
Instant magna quidem, capitique humerisque recumbunt
Pondera, vel summis permetuenda viris.
Namque viam debes cathedra facundus ab alta
Pandere, quæ colles ducit ad Aonios.
Teque juventuti sacros recludere oportet
Permessi latices, Castalidumque nemus.
Et merito; tibi enim prisca exemplaria Græca
Versare egregio contigit ingenio.
Quidquid Aristoteles, quidquid Plato, quidquid Homerus,
Prima virûm, chartis edocuere suis,

Perlegis, & faciles discentum vertis in usus;
Nec minus Ausonii scripta diserta fori.

Ingentes Ciceronis opes, quas divite lingua
Promit, in exitium sedulus ipse suum.

Et quæ perpetuo digessit sæcula cursu
Livius, Euganei laus memoranda soli.

Virgiliumque tenes, numerosi & carmen Horatî:
Optimus hic citharâ, maximus ille tubâ est.

Quos Umber fudere sales, quos Comicus Afer,
Noluit obscuros esse Thalia tibi.

Quid referam, Tusci dum flumina tendis ad Arni,
Tyrrhenas blando carmine Naïadas

Ut mulcere queas? reducem de finibus Orci
Credunt, qui Lauræ tantus amator erat.

Interea juvenes arrectis auribus adstant,
Turbaque capta tuo pendet ab eloquio.

Mirantur sandique decus, nitidumque lepôrem
Verborum, & celeri singula mente bibunt.

Horrida Barbaries manibus post terga revinctis
Infremit: at vanis nil agit illa minis.

Non etenim solis veterum jugulatur ab armis,
Verum etiam gladio concidit icta tuo.

Præcepto, exemploque juvas: ea denique monstras
A te facta prius, quæ facienda doces.

O felix VULPI, *tenero cantata* CATULLO
Texuit Elysias LESBIA *prima rosas,*

Imposuitque tuo capiti: Benacides ipsæ
Nymphæ plaudenti concrepuere manu.

Effigiemque tuam nummo collegit in aureo
VERONA, *atque animi pignus habere dedit.*

DE-

DELIA *tum*, *&* NEMESIS, *culti geminus furor* ALBI,
Flore tibi meritas implicuere comas.

Immortale vigil nectit modo CYNTHIA *sertum*,
CYNTHIA, *quæ incedit vel Jove digna soror.*

Formosâ hæc potuit facie, flavoque capillo
Urere & Eoos, urere & Hesperios.

Hæc illi dederunt præstantia munera divi:
Hanc sibi collatam pulchra Venus doluit.

O quoties, ludens heroidas inter Achivas,
Sub terris celebrat teque, tuamque domum!

Ac multum debere tibi se grata fatetur.
Hinc discit nomen silva sonare tuum.

Auguror: ipse etiam per amœna PROPERTIUS *arva*
Promit inexhaustam pectore lætitiam.

Sentit enim venisse diem, qui nobile carmen
Augeret duplici fœnore post obitum.

Sic fore (nec divûm nos umquam oracula fallunt)
Præmonuit quondam Phœbus, & Aonides.

Quam timuit Vates, ne quis temerarius omni
Expers doctrina, & Palladis arte carens

Tam doctos, ut sæpe, notis fœdare libellos
Vellet, & audaces adplicuisse manus!

At simul intentas pervenit rumor ad aures,
Quem gremio fovit candida Calliope,

VULPIUM *in Euganeis tantum subiisse laborem*
Terris, Medoacus quas pater amne lavat:

Tum demum, fausto recreatus nomine, curam,
Sollicitosque metus expulit ex animo.

Jure quidem; vix invenias hoc scilicet ævo,
Qui majora gravis det documenta viri.

Hunc

Hunc recinit totum clarissima fama per orbem,
Et studia, & mores, culmen & ingenii.

Nondum signabat tenui lanugine malas,
Gratus adhuc pueri stabat in ore color;

Et jam secretos Grajûm penetrare recessus
Noverat, & succos elicere ambrosios.

Præterea Latii campos non segnis obibat,
Sæpe suo visus cum Cicerone loqui.

Paullatim obrepens venit maturior ætas;
Deseruit solitos nec tamen ille choros.

Carmina quot vatum superas in luminis auras
Producens, Orci e faucibus eripuit!

Carmina, quæ densâ caligine pressa jacerent,
Fulgida uti pluviâ sidera nocte latent.

Instituit formas COMINI, *& vindice prælo*
Squallorem libris depulit, atque situm.

Addidit his fœtus natæ ad sublimia mentis,
Quos Venus, & Charites, Pallas & ipsa probant.

Sic hominum cœpit victor volitare per ora;
Et terram rumor transiit, & maria.

Angulus Europæ nullus, quo fama perennis
Non tulerit nomen, doctaque scripta viri.

Commoti Proceres VENETI, *sanctusque Senatus,*
Quo florente cupit deserere astra Themis,

Jusserunt lucro, meritis & honoribus auctum,
Conspicuam celsa figere sede facem;

Qua labyrintheos possit monstrante juventus
Vadere per flexus, ancipitemque viam.

Et nunc dulcis olor, multus licet obstrepat anser,
Ad liquidas tenui gutture cantat aquas.

Respon-

Respondent icti colles, leviumque deorum
Stat circum fractis cœtus arundinibus.

Observant faciles numeros, artemque canendi;
Primus ei, nullo non tribuente, locus.

Idem etiam solida fretus virtute minaces
Non timuit fluctus, nec fera monstra maris.

Instabilisque deæ contemsit regna ferendo,
Duravitque animum, sustinuitque vices.

Et quamvis acuat non una canicula dentes,
Cui rabies major viribus esse solet;

Non ideo tectum vaginâ liberat ensem
Magnanimus parvo læsus ab hoste senex.

Ulterius pergit, gannitus ridet inanes,
Fertur ut ætheriâ surda Diana viâ.

Plurima nunc etiam veterum monumenta recenset,
Quæ cumulent seræ posteritatis opes.

Avia Pieridum peragrat loca: nulla caloris
Vis abigit fessum, nulla retardat hiems.

Non illi cura est nummorum cogere acervos,
Nec populi insano pendet ab arbitrio.

Limina consuevit raro celebrare potentum,
Vilis adulator quæ pede sæpe terit.

O quas persolvam grates tibi, Juppiter alme,
Et quas o vobis, cetera turba deûm?

Vos me jussistis patria procul urbe profectum
Herbosi ripas visere Medoaci.

Vos me constantem voluistis cernere vultum
Illius, & dulces ebibere aure sonos.

Intima quæ nostros pertentant gaudia sensus,
Dum moror, & docto perfruor alloquio!

Sic

Sic fertur quondam voces audiſſe Catonis
Lælius, ingenuæ cultor amicitiæ.

Commoda laudabat Cato *paucis nota ſenectæ,*
Quæ juvenum falſis anteferenda bonis.


Gaude igitur, VULPI; *tibi nam ſine nube refulgent*
Purpurei, Phœbo non renuente, dies.

Oſtendent alii veſtes, pictoſque tapetas,
Auratas tollent, marmoreaſque domos:

Credo equidem; gemmas, & jugera multa tenebunt,
Inſigent claras poſtibus exuvias:

Tu cuncta, ut ſolitus, mortalia facta memento
Spernere, TRES*que nova ſpargere luce* VIROS.

Et tua victuris commenda nomina chartis.
Hæc erit ars, erit hæc gloria magna tibi.



JOAN-

JOANNIS FRANCISCI FRANZOJÆ

J. U. D.

NOBILIS FELTRIENSIS

AD

JO. ANTONIUM VULPIUM

ODE

DICOLOS TETRASTROPHOS.



CUltor Pieridum quem potius canam?
Certe non alii nunc properem libens
Plenum perpetuis munus honoribus,
Ad dulcem ſtrepitum lyræ;

Quam, VULPI, tibi, qui quum ipſe hederâ nites,
Ignaris facilem ſternere amas viam;
Vatum idem recolis ſcripta celebrium,
Antiquum reparans decus:

Indos ceu lapides expolit artifex,
Si quicquam immeritos læſit edax dies,
Fidenſque auxilio Palladis, hinc & hinc
Vinclis induit aureis.

Urbs teſtis Patavî, non hominum levis
Judex: audet ubi os tollere lucidum
Doctrina. Illa licet frugiferum ſolum,
Et tot commoda fluminum,

Aut Antenoreas jactet origines;
Num parvi faciat quod ſapientiâ
Mortales ſuperis progeneret pares,
Æque & nutriat exteros?

Tantis ô utinam dignus honor comes
Accedat meritis! & dubitas adhuc?
O Lux clara Lycæi, ô Patriæ decus
Non delebile ſæculis;

Quid ceſſas? agedum, quem potuit tuus
Illuſtrare labos, quem manet Itala
Tellus impatiens, ede PROPERTIUM.
Mox te remigio vehet

Alarum volucri Fama per æthera
Sublimem, unde humilem deſpicias humum;
Corvorumque cohors rauca crepantium
Roſtro garriat irrito.

Quid credas melius quam ſapere & loqui?
Verſu ſeu lepido, ſive pedeſtribus
Verbis promeritos concelebras viros,
Orcoque eximis invido.

At nil æque animum percutiet meum;
Quam quod grata Deo ſtat pietas tua,
Quod laudem tribuis cuique ſuam, neque
Uni commodus es tibi.

Quam-

Quamquam ô ne tenui te moret impudens,
Laudeſque egregias carmine deteram;
Quin figas melius tu citharam, puer,
Ad clavum. Eſt aliquid tamen

Tentaſſe. haud ſpatiis quiſquis in Iſthmiis
Sudavit pedibus, ſive agitans equos
In gyrum, foliis tempora pineis
Ornatus rediit domum.



Noi

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del *P. Frà Francesco Antonio Mantova*, *Inquisitor Generale del Santo Officio di Padova*, nel Libro intitolato: SEXTUS AURELIUS PROPERTIUS *Umber; ex recensione Jo. Antonii Vulpii. Adjecti sunt Indices locupletissimi MSS.* non esser cos' alcuna contra la Santa Fede Cattolica; e parimente, per Attestato del Segretario Nostro, niente contra Principi, e buoni costumi; concediamo Licenza a *Giuseppe Comino Stampatore in Padova*, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. il primo Giugno 1753.

(Giovanni Emo Proc. Rif.

(Barbon Morosini Cav. Proc. Rif.

(Alvise Mocenigo 4.° Cav. Proc. Rif.

Registrato in Libro a Carte 13. *al Num.* 87.

Gio: Girolamo Zuccato Segretario.

INDEX

INDEX
OMNIUM VERBORUM & LOCUTIONUM
Quæ in Elegiis
SEX. AURELII PROPERTII
CONTINENTUR; CUI ADJECTÆ SUNT IDEMTIDEM EXPLICATIONES

GRAMMATICÆ, HISTORICÆ, FABULOSÆ, AC GEOGRAPHICÆ:

CONFECTUS CURA ET STUDIO

JOANNIS ANTONII VULPII.

Post singulas voces aut locutiones, primus numerus indicat Librum, alter Elegiam, tertius versum: atque ita deinceps eodem ordine.

A

Per-

ad-

æsti-

aman-

ve-

An-

attol-

cassi-

B

bea-

bo-

can-

casta

celat

mol-

clau-

col-

cri-

cura

Cyn-

da-

de-

Deu-

divæ,

do-

2 la-

emen-

est

ex-

fa-

fa-

fe-

for-

fur.

furta priſtina 2, 2, 4.
  pudica tori 2, 23, 22.
  tua 2, 2, 4.
furtim 2, 9, 42.
furtiva capilli vincula, *nomin.* 4, 5, 69.
furtiva antra, *accuſ.* 3, 13, 33.
  oſcula 3, 13, 34.
  poma 2, 3, 24.
furtivas preces 1, 16, 20.
furto 4, 9, 8.
furtum amoris 2, 32, 17.
fuſa, *nomin. ſing.* fuſa brachia tam fœdo viro 2, 16, 24.
fuſa jugis flumina, *nomin.* 2, 19, 30.
fuſca regna 4, 6, 78.
fuſcæ aulæ deus 4, 11, 5.
fuſcina 3, 7, 62.
fuſcis alumnis 2, 33, 15.
fuſco candore 2, 25, 42.
fuſis comis 3, 13, 18. *Broukh* poſitis.
futura comes pactis ipſa Tarpeja 4, 4, 82.
  eſt mihi mors iſta inhoneſta 2, 8, 27.
  mea eſt illa 1, 8, 26.
  nupta Pero 2, 3, 54.
  quum ſis curva anus 2, 18, 20.
futura cara oſſa, *nominat.* 2, 19, 18.
futura Bactra finem imperii, *accuſat.* 3, 1, 16.
futurus victor 3, 14, 18.

G

GAbii, qui nunc nulli, maxima turba 4, 1, 34. *Latii veteris oppidum via Praeneſtina.*
Galatea 3, 2, 5.
  non aliena viæ tuæ, 18, 18.
  Nereidum una, quam Cyclops Polyphemus deperiit. Vide Ovidium 13. Metamorph. & Lucianum in Dialogis marinorum deorum.
galea lupina 4, 10, 20.
galea, *abl.* 3, 12, 8. 4, 3, 44.
galeritus Lucmo 4, 1, 29.
Galeſi umbroſi, *genit.* 2, 34, 67. *Galeſus Calabriæ fluvius, prope Tarentum.*
Galla Ælia 3, 11, 38. *matrona Romana, Poſtumi militis conjux.*
  pudica 3, 12, 22.
Galla caſta, *abl.* 3, 12, 15.
  tua 3, 12, 4.
Gallam 3, 12, 19.
  plorantem 3, 12, 1.
Galle 1, 5, 31. 1, 10, 5. 1, 13, 2. 1, 13, 4. 1, 13, 16. 1, 20, 1. 1, 20, 14. 1, 20, 51. *Gallus Propertii ſodalis.*
Gallica ora 3, 13, 54.
Gallicus miles 2, 13, 48. *vide Commentarios.*
Gallos dejectos vertice Parnaſi 2, 31, 13.
Gallum per medios ereptum Cæſaris enſes 1, 21, 7.
Gallus 4, 1, 95. *frater Luperci militis, & ipſe miles.*
Gallus formoſa Lycoride 2, 34, 32.
  mortuus 2, 34, 32.
  Cornelius Gallus, Forojulienſis, Elegiarum ſcriptor celeberrimus. Ejus nomine Virgilius decimam Eclogam inſcripſit. Lycoridem puellam pulcherrimam adamavit, eamque carminibus ornavit, quæ penitus interciderе. Quum autem Ægypto præfectus in ſuſpicionem conjurationis veniſſet, ipſe ſe occidit. Galli plures eodem tempore fuere, quorum geſta facile miſcentur, & confunduntur.
garrula, *nominat. ſing.* 2, 23, 17.
  ſi qua 4, 7, 42.
garrula hora 3, 23, 18.
gaude, Craſſe 4, 6, 83.
  quod &c. 3, 8, 35.
gaudeat illa interitu tuo 2, 8, 18.
  in puero, ſi quis amicus erit 2, 4, 18.
  ut puella 3, 1, 40.
gaudebam lapſos formare capillos 1, 3, 23.
gaudebat Græcia veris natis 2, 9, 17.
  Veſta coronatis aſellis 4, 1, 21.
gaudent victrices 3, 13, 21.
gaudentia brachia 3, 14, 9.
gaudere poſſint te ſervato parentes 1, 21, 5.
  quod me jubebas 2, 24, 17.
gaudes. quidnam gaudes, Neptune, fracta carina? 3, 7, 15.
gaudet ille me tabeſcere? 3, 6, 23.
  in exuviis Cynthia 4, 8, 63.
  non nihil Amor aſperſis lacrimis 2, 12, 16.
gaudet *puella* ira ſuperba laudatis comis 2, 1, 8.
  quis divitiis adverſo amore? 2, 14, 15.
gaudia, *nominat.* 1, 12, 18.
  majora 2, 18, 15.
  mea 1, 14, 13.
gaudie ſenis. *pro* de ſene 2, 18, 15.
gaudia, *accuſ.* 1, 4, 14. 1, 13, 3. 3, 8, 30.
  clauſa 2, 25, 30.
  falſa 1, 8, 29.
  prima 1, 13, 24.
  quanta 2, 14, 9.
gaviſa eſt Cynthia legem certe ſublatam 2, 7, 1.
gaviſus Atrida Dardanio triumpho 2, 14, 1.
gelida Illyria, *abl.* 1, 8, 2.
gelidis labellis, *abl.* 2, 13, 53.
gelu 4, 3, 39.
  Eoo frigida aura 1, 16, 24.
  ſparſo 3, 15, 26.
gemat in terris, qui protulit jurgia 2, 6, 31.
gemere in tauro *Perilli* 2, 25, 12.
gemina ſedes 4, 7, 55.
geminæ faces 2, 3, 14.
geminas arctos 2, 22, 25.
  turres 3, 16, 3.
geminaſſe ſellam curulem 4, 11, 65.
geminos 2, 22, 42.
  arcus 4, 6, 25.
  natos 4, 1, 89.
gemito Cæſaris 4, 11, 58.
  noſtro 1, 21, 3.
gemma 1, 14, 12.
  Indica 2, 22, 10.
  nulla 3, 6, 12.
gemma divite 3, 5, 4.
gemmas 2, 16, 17.
gemmea omnia 3, 18, 20.
gemmiferi maris 3, 4, 2.
gemmis nullis 1, 2, 21.
gemuit noctua ſtans in ſigno 4, 3, 59.
genæ tuæ, Polypheme 3, 12, 26.
genas eraſas 4, 8, 26.
  ſciſſas 2, 18, 6.
genas cornicum immeritas 4, 5, 16.
generi huic. *nempe* amantium 3, 16, 18.
generoſos veſtis honores 4, 11, 61.
genis ſiccis 4, 11, 80.
genitora Nereo centum puellæ 3, 7, 67.
Genium meum 4, 8, 69. *Genius,*

gra-

im-

in

incer-

ipsa

læ-

La-

Le-

lo-

Ma-

me-

me-

mo-

M 2 mo-

mul-

N

nec

ne-

no-

nu-

ocel.

onus

oris

per

pila

pœ-

pœna fera, *abl.* 2, 8, 37.
pœnæ fat, *genit.* 1, 17, 10.
pœnæ, *dativ.* est pœnæ rumpere fidem 3, 6, 20.
pœnas 2, 5, 3. 4, 6, 57.
Pœnis columnis, *ablat.* 2, 31, 3. *Numidicis.*
  ostrie 4, 3, 51. *Tyriis; coloni enim Tyrii cum Didone in Africam, & regionem Pœnorum profecti sunt. Pœni autem Carthaginienses.*
pœnis suis, *dativ.* 4, 4, 86.
pœnitet. nec pœnitet descendisse focos Volsanos 4, 2, 3.
poëta invenio mille caussas novas 2, 1, 12.
poetæ ferar virtutis tuæ, Bacche 3, 17, 20.
poete hic 4, 6, 77.
  ille, *ibid.*
poëta, *vocat.* 2, 26, 24.
  Dore 3, 9, 44. *vide Commentarios.*
  dure 2, 34, 44.
  magne ardoris nostri 1, 7, 24.
poëtæ veteris Ascræi 2, 34, 77.
poëtæ vestro 3, 1, 19.
poëtam me non humilem 1, 7, 21.
poetis potis, *dativ.* 4, 6, 75.
polles. forma, qua polles 3, 20, 17.
pollice meo 4, 5, 72.
  presso 3, 10, 14.
pollicibus, *abl.* 4, 7, 12.
  duris 2, 3, 24.
Pollucem 1, 2, 16.
Pollucis equo, *dativ.* 3, 22, 26.
polluerit qui sacra marita 3, 20, 26.
polluit ille deus (*Amor*) cognatos 2, 34, 5.
  Jovem furto *Cacus* 4, 9, 8.
Pollux & Castor 3, 14, 17. *Jovis & Ledæ filii, Helenæ & Clytæmnestræ fratres gemelli, ovo editi. Castor eques fuit, Pollux pugil. Hic autem Amycum regem Bebryciorum, cæstuum certamine superatum, interfecit. vide Valerium Flaccum lib. 4. Argonaut. Dioscuri autem ambo appellati fuere, sive pueri Jovis.*
Polydore 3, 13, 36. *Polydorus, Priami filius, quem pater ad Polymestorem Thraciæ regem cum thesauris ingentibus misit, instante Troja obsidione; ut si forte urbs a Græcis excisa fuisset, regii tamen sanguinis reliquiæ superessent. At Polymestor, thesauris inhians, clam juvenem jugulavit, corpusque in litore defodit, donec ab Hecuba matre prætereunte inveniretur. Vide Euripidem in Hecuba, Virgilium 3. Æneid. Ovidium 13. Metam.*
Polymestoris Thracis 3, 13, 55. *Hic post occisum Polydorum, ab Hecuba oculis orbatus est.*
Polypheme 2, 33, 32. 3, 2, 3. 3, 12, 26. *Polyphemus Cyclops, Neptuni filius, ἀνθρωποφάγος, amator Galateæ. Ad ejus litus quum appulisset Ulixes, conspectâ sociorum cæde, immane monstrum temeto ingesto sopivit, deinde torrido vecte obcæcavit. Vide Homerum 9. Odyss. Virgilium 3. Æneid. Ovid. 13. Metam.*
poma nullæ debita curæ, *nomin.* 1, 20, 36.
  roscida, *ibid.*
poma, *accus.* 2, 1, 66. 2, 31, 39.
  fortiva 1, 3, 24.
pomaria mea, *nomin.* 3, 2, 11.
pomis, *abl.* 2, 34, 71.
pomosa corona, *abl.* 4, 2, 17.
pomosis arvis 4, 7, 81. *alii* ramosis.
pompa *funeris* mea 2, 13, 19.
pompa illis fuit dare, *&c.* 3, 13, 27.
pompa sat magna tres libelli 2, 13, 23.
Pompeja porticus 2, 32, 11. *vide Commentarios.*
Pompeja in umbra 4, 8, 73.
Pompeja manu 3, 11, 68.
Pompejo, *dativ.* 3, 11, 35. *Cn. Pompejus, ob excellentiam rerum gestarum, adeptus est Magni cognomen. Hic piratas, qui mediterraneum omne mare infestum habebant, intra quadragesimum diem subjugavit: Mithridatem Ponti regem compulit ad venenum; vicit Arabas, Colchos, Heniochos, Albanos, Parthos, Judæos. Ter triumphavit. Tandem Cæsaris honoribus invidens, quem sibi parem crescere ægre ferebat, Pharsalicam pugnam suscepit, in qua victus est. Quum autem ad Ptolemæum Ægypti regem, quem beneficiis affecerat, confugisset, jussu ejus ab Achilla satellite obtruncatus est.*
ponam quos tibi custodes, quæ limina? 2, 6, 37.
ponas hic exemplo dominam meam 2, 3, 42.
  molliter unda minas in sicco 3, 10, 6.
pondera plumbea, *nomin.* 4, 3, 63.
  victa 3, 2, 22.
  uteri lenta 4, 1, 100.
ponderat ille sinus amatorum 2, 16, 12.
pondere corbis 4, 2, 28.
  non ullo 1, 17, 24.
  nullo 2, 22, 44.
pondus, *accus.* 2, 23, 22. 3, 7, 42. 3, 9, 3. 4, 7, 88.
  leve 4, 2, 36.
  missile disci 3, 14, 10.
  pharetræ 4, 6, 55.
pone, *adverb.* 3, 15, 28.
ponebam corollas tuis temporibus, Cynthia 1, 3, 22.
ponenda si mihi sit vita tuo corpore 2, 26, 37.
ponenda suos fœdera 3, 20, 15.
ponere animam 2, 13, 43.
  caput in humo 3, 15, 16.
  minas 1, 10, 26.
  secures & jura medio foro 3, 9, 24.
  tunicam 2, 2, 14.
  vota Veneri 2, 19, 18.
ponere si me fama volet inter hos 2, 34, 94.
ponere. spectabis vitem ponere comas 2, 19, 12.
poneret illa ossa rosâ 1, 17, 22.
pones oscula suprema in labellis gelidis 2, 13, 29.
ponet nulla domina vestigia lecto meo 2, 9, 45.
ponit *Alcides* jura 4, 9, 64.
  aliquis (*has tabellas*) inter ephemeridas 3, 23, 20.
  qui semina sterili humo 2, 11, 2.
  sibi summam Apelles in Veneris tabula 3, 9, 11.
ponitur corona 2, 10, 22.
pono Propertius ante ædem tuam tibi, diva, has exuvias 2, 14, 27.

poſ-

P 2 po-

pre-

pro-

puel-

PY-

quis

red-

ro-

ru-

f 2 se-

ſe-

si

si-

ſol-

su-

T

ta-

tem-

ter-

Ti-

tri-

ty-

V

va-

ver-

vide-

vin-

vi-


um-

unum

uxor

X

Z



DIO-

DIONYSIUS LAMBINUS

Præſatione priore in Lucretium.





FUit mea ſemper hæc ſententia, lector erudite, eos qui Scriptores Veteres vel difficiles, atque obſcuros explanant, atque illuſtrant, vel injuria temporum depravatos, codicum manuſcriptorum auctoritate freti, in antiquum ſtatum, priſtinumque ac nativum ſplendorem reſtituunt, de bonis litteris, honeſtiſque diſciplinis melius mereri, quam qui aut poemata, aut orationes, aut libros artem aliquam jam ante a veteribus traditam, atque explicatam complectentes ſcribunt & componunt. -
Ego autem, quid in ſcribendo poſſim, aliis judicandum relinquo, ſi modo e ſcriptis meis non ita multis, quæ divulgata ſunt, judicium hac de re fieri poterit. Sed certe in hoc genere partim explicandorum ac declarandorum, partim reſtituendorum atque emendandorum Poetarum Veterum elaboravi. Qua in re quam laudem meruerim, neſcio: quin ne quæſivi quidem. Semper enim in ipſa virtute, & recte factis ſatis laudis ineſſe judicavi, etiamſi multitudo non laudaret.



SEX.

SEX. AURELIUS
PROPERTIUS;
ET IN EUM

Joannis Passeratii Commentarii aliquantum contracti: Jani Broukhusii Notæ ſelectæ: Jo. Antonii Vulpii Animadverſiones perpetuæ.

SEX. AURELII
PROPERTII
CYNTHIA MONOBIBΛΟΣ.
LIBER PRIMUS.

1. SUper nominibus poetæ nostri suaviter nugatur Joannes Goropius in Vertumno p. 30.

2. Hunc librum ab antiquis criticis dictum fuisse *Monobiblon*, eo quod solus, & ante tres reliquos editus fuerit, jam pridem docuit illustris Scaliger, rejecta simul hominum ineptorum opinione, qui totum opus, id est, omnes quatuor Elegiarum libros, *Monobibli* titulo insigniebant. Id autem iis persuaserant membranæ veteres, in quarum multis hæc coronis conspicitur, PROPERTII AURELII NAUTAE MONOBIBLI QUARTUS ET ULTIMUS LIBER EXPLICIT. Veram epigraphen servavit nobis bonus ille codex Groninganus, in quo ita legitur,

PROPERTII NAUTAE MEVAN. UMBRI CYNTHIA. & hoc quidem nomen, ut sciae librarium intellexisse, auro illitis characteribus præfulget. (veram dixi epigraphen: nam de NAUTAE agnomine post paullo dicam.) Ejus mihi adsertionis fundus ipse noster Propertius L. 2. Eleg. 17.

Tu loqueris, quum sis jam noto fabula libro,
Et tua sit toto CYNTHIA lecta foro?

tum ipso fine ejusdem libri:

CYNTHIA *quin etiam versu laudata PropertI,*
Hos inter si me ponere Fama volet.

& Martialis Lib. 14. Epigr. 187.

CYNTHIA, *facundi carmen juvenile PropertI,*
Accepit famam, nec minus ipsa dedit.

ibi lemma est in vulgatis, *Propertii Monobiblos*: in scriptis vero, monente elegantissimo viro Petro Scriverio, *Cynthia Monobiblos*. unde non sine ratione suspiceris lectum fuisse antiquitus, *Propertii Cynthia Monobiblos*. certe Domitius Calderinus in suis ita invenisse videri potest, quum hæc scribat: CYNTHIA. *Monobiblos Propertii carmen ita inscribitur, qui ardentissime amavit* HOSTIAM, *sub nomine appellatam* CYNTHIAM. Hujusmodi inscriptiones in re amatoria veteribus poetis admodum erant familiares. Antimachi LYDE. Parrhasius Epist. p. 199. Suetonius lib. de illustr. Grammat. in Catone: *Scripsit præter grammaticos libellos etiam poëmata, ex quibus præcipue probantur* LYDIA *&* DIANA. *Lydiæ Ticida meminit,*

LYDIA *doctorum maxima cura liber.*

Dianæ Cinna,

Secula permaneat nostri DIANA *Catonis.*

Porphyrio in Horat. L. 1. Od. 22. *canto Lalagen*] *compono scilicet librum* LALAGEN. *ita liber Sex. Decii* COLLYRA *inscribitur, eo quod de Collyra amica scriptus sit. Etiam nos sic plerumque loquimur. ita & Cornelius Gallus amores suos* LYCORIDIS *nomine prescripserat, quod ex Ovidio colligere licet*, L. 1. Amor. Eleg. 15.

Gallus & Hesperiis, & Gallus notus Eois,
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.

Nam præter eum librum, transtulerat quoque Latino carmine Euphorionem Chalcidensem. exstabat etiam tunc temporis MELAENIS, nobilis poetæ Domitii Marsi amor, cujus memoriam posteris servavit Valer. Martialis Lib. 7. Epigr. 28.

Et Mæcenati Maro quum cantaret ALEXIN,
Nota tamen Marsi fusca MELAENIS *erat.*

Nauta agnomen poetæ nostro adhæsit ex male transcripto loco libri secundi, Eleg. 19.

Tu mea compones, & dices, Ossa, Properti,
Hæc tua sunt: eheu, tu mihi certus eras.
Certus eras, eheu, quamvis nec sanguine avito
Nobilis, & quamvis non ita dives eras.

Ibi enim *navita dives eras* fere legitur in codicibus scriptis. qua de re agetur alibi opportunius. Equestri loco natum fuisse, ipse testatur L. 4. Eleg. 1.

Mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo.

firmat Plinius Cæcilius L. 6. Epist. 15. *Passienus Paullus, splendidus eques Romanus, &*

in primis eruditus, scribit elegos. gentilitium hoc illi. est enim municeps Propertii, atque etiam inter majores suos Propertium numerat. antiquior est Catonis auctoritas apud Servium in L. 7. Æn. v. 697. LUCOSQUE CAPENOS. *Hos dicit Cato Vejentum condidisse auxilia regis Propertii, qui eos Capenam, quum adolevissent, miserat.* utinam paullo esset longior paulloque integrior hæc lacinia Catonis. meminit Cicero cujusdam *Sex. Propertii*, Orat. pro domo sua c. 19. *Denique etiam ille novitius Ligus, venalis adscriptor & subscriptor tuus, quum M. Papirii, sui fratris, esset testamento & judicio improbatus, mortem ejus se velle persequi dixit, nomen Sexti Propertii detulit. accusare alienæ damnationis scelerisque socios propter calumniæ metum non est ausus.* hunc *fortasse* nostri Sexti patrem fuisse, Lipsius ac Passeratius cogitabant. quod si est; næ ille loco conspicitur parum honorifico. Sed res est incerta. De patria non constat inter eruditos: neque ignota lis est, quam Scaligero movit Schoppius in Paradoxis Literariis. sed opinor omne argumentum exhauserit Thaddæus Donnola, edito *de Patria Propertii* libro. quem ego librum oculis numquam usurpavi, Propertium interea pro Mevaniense habiturus. Desiderari aliquid ex scriptis Propertii Scaliger suspicatur, adducto ex Fulgentii Expositione, in voce *dividias*, hoc versiculo,

Dividias mentis conficit omnis amor.

quamquam eum versiculum postea Petronio adscribit: quod & Petrus Daniel fecit in Notis ad Petronium, ubi & hoc fragmentum, quod in verbo *catillare* idem habet sub Propertii nomine Fulgentius, *Catillata geris vadimonia publicum prostibulum.* mihi potius de aliquo vetere comico desumtum videtur. Etiam Servius nescio quam naufragii suspicionem quasi suscitat, in L. 1. Geor. v. 19. *uncique puer monstrator aratri*] *alii Triptolemum, alii Osirim volunt: quod magis verum est. ut dicit Propertius, vel Tibullus. Nam Triptolemus frumenta divisit.* sane apud Propertium nulla est umquam mentio de inventione aratri. at vero Tibullus ejus rei gloriam ad Osirin retulit L. 1. Eleg. 8.

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitavit humum.
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
Pomaque non notis legit ab arboribus.

& quæ plura istic sequuntur. Quocirca scribendum in Servio arbitror, *ut dicit Tibullus*; duabus his voculis, *Propertius*, *vel*, deletis. Ad gentem Propertiam spectant hi lapides, hominum (ut apparet) libertinorum, apud Gruter. DCCCXXV. 9.

D. M.
SECVNDINAE
PRIMI. FIL.
S. PROPERTIVS
EPAPRA. VXORI.

& DCCCCLII. 4.

DIIS. MANIBVS
Q. PROPERTIVS. SECVNDVS
FECIT. SIBI. ET
PROPERTIAE. TRYPHOSAE
PATRONAE. SVAE. BENE
MERENTI. ET
PROPERTIAE. DYNAME
LIBERTAE. ET. CONTVBERNALI
SANCTISSIMAE.

BROUKHUSIUS.

ΜΟΝΟΒΙΒΛΟΣ] Hunc genuinum titulum quarti Libri Propertiani fuisse, censet Justus Lipsius lib. 1. Var. Lect. cap. 16. quod nimirum tres priores Libri nugas tantum & amores contineant, ultimus ille materiam singularem & graviorem. Ego tamen cum Josepho Scaligero crediderim primo Libro tribuendum, id suadentibus Martialis Apophoretis, in quibus Disticho CLXXXIX. hujusmodi lemma præfigitur, *Propertii monobiblos*; ipsum vero Distichon tale est:

CYNTHIA *facundi carmen juvenile Properti*
Accepit famam, nec minus ipsa dedit.

Adde quod vicissim & in prioribus gravia tractantur, ut Lib. II. Eleg. X. XXXI. Lib. III. Eleg. IV. V. VII. IX. XI. XII. XIII. XVIII. XXI. XXII. & in quarto levia, ut Eleg. V. VII. VIII. Quamobrem Lipsii argumentum infirmum est. Primus autem liber dissimili quodam aliorum charactere, ac singulari conscriptus videtur: in eo enim poeta Umber polysyllabis vocibus pentametrum sæpius claudit, more Græcorum: in ceteris rarius. VULPIUS.

ELEGIA PRIMA.



YNTHIA prima suis miserum me cepit ocellis
Contactum nullis ante Cupidinibus.

Tum

ARGUMENTUM ELEGIÆ I. LIBRI I.] Ad Tullum, virum primarium, patronum suum & amicum. Libere confitetur, se Cynthiæ amore primùm captum fuisse; adversus quem remedia quærit. VULPIUS.

v. 1. CYNTHIA] Eadem fictione a Cyntho Cynthia Propertii dicta, qua a Delo Delia Tibulli, eodem scilicet nomine cum sorore Phœbi, moribus tamen dissimillimis. Sidonius Apollinaris ad Hesperium: *Reminiscere quod sæpe versum Corinna cum Nasone complevit, Lesbia cum Catullo, Cæsennia cum Getulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo.* Appulejus Apologia priore: *Eadem igitur opera accusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit, & Ticidam similiter, quod quæ Metella erat, Perillam scripserit, & Propertium, quod Cynthiam dicat, Hostiam dissimulet, & Tibullum, quod ei sit Plania in animo, Delia in versu.* Nescio tamen an *Hostiliam* in Appulejo legendum sit, ut propinqua fuerit Tulli Hostilii, cujus frequens a Poeta hoc fit mentio. Sed & Hostius Hostilius dictus proavus Tulli Hostilii, tertii regis Romanorum: Livius lib. 1. Meminit Cynthiæ etiam Juvenalis initio Satyræ 6. PASSERATIUS. Tritum sermone, ac pervagatum est, hanc mulierem nobili genere natam fuisse, nempe ex Hostia familia. Parcebant amatorii poetæ pudori ac famæ mulierum optimatium; vel saltem honestarum, quas diligerent: atque invidendos amores modeste dissimulabant. VULP.

ibid. PRIMA] Eleg. 12. infra:

Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

Et Ovidius 1. Metam. v. 452. *Primus amor Phœbi Daphne Peneïa.* Et in Epicedio Tibulli:

Altera, cura recens, altera primus amor.

Posuerat quidem poeta noster amoris tirocinium in Lycinna: sed verus amor ille non fuit. Sic enim lib. 3. Eleg. 15.

Illa rudes animos per noctes conscia primas
Imbuit, heu nullis capta Lycinna datis.

Est etiam *prima*, *in primis*; ut veteres Grammatici exponunt illud Virgilii 1. Æneid. *Trojæ qui primus ab oris.* PASS.

ibid. SUIS M. ME CEPIT OCELLIS] In ditionem ac potestatem suam redegit. Translatio est aut a venatione, aut a bello, qua usus & Eleg. 3. lib. 2.

Nec me tam facies, quamvis sit candida, cepit.

Et Eleg. 13. libri ejusdem -- *Tellere numquam*
Te patietur humo lumina capta semel.

Meleager in Epigrammatis:

Καυτὸς Ἔρως ὁ πτανὸς ἐν αἰθέρι δέσμιος ἧλω
Ταῖς σαῖς ἀγρευθεὶς ὄμμασι, Τιμάριον.

Amans est mancipium, amor servitium. PASS. Ducitur metaphora ab aucupibus, qui pedicis, laqueis, visco instructi, incautis alitibus insidiantur. Similes locutiones occurrunt non semel apud probatos Latinæ linguæ scriptores. Elegantissime Phædrus Augusti libertus Fab. 5. lib. 4.

Quidam decedens tres reliquit filias:
Unam formosam, & oculis venantem viros.

Quod ab illo Plauti sumtum videtur Mil. Glor. 4, 1, 43. *Viden' tu illam oculis venaturam facere, atque aucupium auribus?* quamvis ejus loci sententia non ad allicientem feminam, sed ad explorantem pertineat. Idem enim eadem Comœdia 3, 1, 13. *Sed speculabor, ne quis aut hinc a lævo, aut a dextra Nostro consilio venator adsit*

cum

cum auritis plagis. Hujusmodi oculos recte quis vocet fascinantes. Virgilius Ecl. 3. v. 103.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Amor enim quoddam genus est veneficii. *Veneri amores* dixit Ovidius in libello De Medicamine Faciei v. 27. Modum loquendi non dissimilem adhibuerunt & Græci, quum de re amatoria sermo incidisset. Philostratus Imagine 28. lib. 1. *Ἐγὼ μὲν οἶμαι, τὴν ὥραν ἐκείνου τοῦ μειρακίου θηρῶντας ὑμᾶς, τεθηρᾶσθαι ὑπ' αὐτοῦ, καὶ προκινδυνεύειν ἐθέλειν*. h. e. *Vos ego quidem, formam illius adolescentuli venantes, ab ipso jam captos reor, velleque pro ipso periclitari*. Theano Pythagorica in Epistola ad Nicostratam zelotypia laborantem: *Θηρῶνται γάρ, ὡς ἔοικεν, ὑπὸ τῶν γυναικῶν οὗτοι*. *Illos enim hæ mulieres, uti videtur, venantur*. Neque sacræ ipsæ litteræ abstinent. Legimus in libro Judith cap. 10. v. 17. *Cumque intrasset ante faciem ejus, statim captus est in suis oculis Holofernes*. Oculi porro non solum capiunt, sed & capiuntur. Dantes Aligherius Paradisi Cantu 27.

E se natura, o arte fe pasture
Da pigliar occhi, per aver la mente,
In carne umana, o nelle sue pinture.

De aucupio & venatione amatoria vide Plautum Asinaria 1, 3, 63. & Athenæum lib. 13. ubi recitat locum Sophoclis ex Hippodamia, Tragœdia deperdita. VULP.

ibid. SUIS] Non vacat significantia; id enim est *formosissimis*, ut propria sit ea laus Cynthiæ. Sic Elegia 26. lib. 2.

Quod si forte tuos vidisset Glaucus ocellos,
Esses Ionii facta puella maris. PASS.

Latinorum æmulus Franciscus Petrarcha in Triumpho Amoris, Cap. 3.

E veramente è fra le stelle un Sole
Un singular suo proprio portamento,
Suo riso, suoi disdegni, e sue parole:
Le chiome accolte in oro, o sparse al vento;
Gli occhi, ch' accesi d' un celeste lume
M'infiamman sì, ch' io son d' arder contento. VULP.

ibid. OCELLIS] *Ἐκ τοῦ εἰσορᾶν γὰρ γίγνεται ἀνθρώποις ἐρᾶν*. id est, *Ex oculis enim & adspectu nascitur hominibus amor*, ut proverbialis est Græcorum senarius. Ipse Elegia 19. infra:

Non adeo leviter nostris puer hæsit ocellis,
Ut meus oblito pulvis amore vacet.

Et Elegia 25. lib. 2.

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Theocritus Pharmaceutria: *Ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην*. quod Virgilius Ecl. 8. *Ut vidi, ut perii*. Celebratur & hic versiculus perelegans: *Γυναικὸς ὄμμα τοῖς ἀκμάζουσι βέλος*. id est, *Mulieris oculus est juvenibus spiculum*. PASS. *Ocellum* pro *oculo* usurpare solent poetæ qui de amoribus scribunt, *καθ' ὑποκορισμόν*: diminutiva enim blanditiis inserviunt. Est tamen ubi hæc vox nihil adsignificet præter ipsum oculum. Noster Elegia 5. hujus libri, ad juvenem qui sibi amorem Cynthiæ deposcebat:

Non tibi jam somnos, non illa relinquet ocellos.

Et rursus lib. 2. Eleg. 25.

Quum satis una tuis insomnia portet ocellis,
Una sit & cuivis femina multa mala.

Sic apud probatos recentis Etruscæ linguæ scriptores, *piattello* idem interdum est ac *piatto*, etsi habet formam diminutivi. Propterea Boccatius *ἐν δεκαημέρῳ* Fabula 6. Diei 10. dicere non dubitavit, *due grandissimi piattelli*. Huic similem locutionem a nonnullis reprehensam fuisse testatur Quintilianus lib. 1. Instit. Orat. cap. 5. *Nam vitium*, ait, *quod fit per quantitatem, ut magnum peculiolum, erunt qui solœcismum putent, quia pro nomine integro positum sit diminutum*. VULP. SUIS OCELLIS. Primum Propertium hujusmodi homoioteleuta invexisse in Elegiam Romanam autumat Barthius, eoque nomine acerbe eum increpat Anim. ad Statium T. 2. p. 397. seq. BROUKH.

v. 2. CONTACTUM NULLIS ANTE CUPIDINIBUS] Qui nondum ullis amoris telis perstrictus eram, sed integer. Sic Eleg. 9. infra:

Necdum etiam palles, vero nec tangeris igni.

Aut alludit ad contagia morborum, in quibus amor numeratur. Respondent hæc illis: *Prima cepit*. PASS. *Contactum*. Impulsum divino numinis, nempe Amoris, vi, atque externatum; ut recte exponit Gebhardus lib. 1. Crepund. cap. 15. BROUKH. Hanc explicationem locis auctorum confirmamus. Ovidius Epist. Phædræ v. 49.

Aut quas semidea Dryades, Faunique bicornes,
Numine contactas attonuere suo.

Idem lib. 3. Trist. Eleg. 9. ad amicos:

Prospera sic vobis maneat Fortuna; nec umquam
Contacti simili sorte rogetis opem.

Livius lib. 29. Histor. in Oratione Locrensium: *At, hercule, milites contactos sacrilegio furor agitat*. VULP.

ibid.

Tum mihi constantis dejecit lumina fastus;
Et caput impositis pressit Amor pedibus.

Donec

ibid. NULLIS CUPIDINIBUS] Et tamen amoris tirocinium posuerat in Lycinna famula ; quod fatetur Elegia 14. lib. 3. Sed erat illa prima favilla mali venturi , non verus ignis ; ut ipsis poetæ nostri verbis utar . Contra , *hominem intactum cupiditatibus* , legere est apud Senecam Epist. 41. VULP.

ibid. ANTE C.] Conjunctim legendum *Antecupidinibus* . Sic Virgilius *Antemalorum* Æneid. 1. Q. Cicero : *Antecanis* , *Antsparta* ; *Antecomas* , Tibullus Eleg.5. lib.2. & Eleg.1. lib. 3. *Sic antefixa* , & *anteurbana prædia* , Festo , id est , urbi vicina . PASS. Qui *antecupidinibus* conjunctim legunt , videntur mihi rus illud horridum reducere , atque ex Propertio Attium aliquem vel Pacuvium effingere velle . BROUKH.

v. 3. CONSTANTIS LUMINA FASTUS] Arrogantiæ diuturnæ ac pertinacis . ut dicitur *constans fama & rumor* Ciceroni . Est autem hic constantia vitii , non laudis . ut Horatius Sat. 7. lib. 2. *Pars hominum vitiis gaudet constanter* . Ibidem : *Quanto constantior idem In vitiis !* *Fastus* , dixit , quia , ut ait Tibullus : *Oderunt fastidia divi* . & Horatius : *Ingratam Veneri pone superbiam* . In oculis autem fastum locat , quia , ut scribit Plinius lib. 11. N. H. cap. 37. *In superciliis superbia sedes* . Contra Aristoteles 2. Rhetor. ex Euripide : αἰδὼς ἐν ὀφθαλμοῖς , *verecundia in oculis* . PASS. *Constantis lumina fastus* . Oculos sublimes , pervicaces . Juvenem superbum ita describit nobis Heliodorus Hist. Æthiopicæ lib. 7. Ο᾽ σοβαρὸς ἡμῖν ἀρτίως .... καὶ ὑπερήφανος , ὁ τὸν αὐχένα ἄκαμπτος καὶ μόνος ἐλεύθερος , ὁ τὴν κεφαλὴν νεῦσαι εἰς τὸ προσκυνεῖν ἀπαξιούμενος , νῦν που τάχα κλινεῖς . h. e. *Qui nuper fuisti insolens & fastu plenus , qui erecto collo , & solus liber nobis videbaris , qui caput submittere ad adorandum , rem indignam judicabas , qualis jam nunc fastus inclinas illud !* Eleganter Lucianus quoque in Asino : Ε᾽πεί με τὸν πάλαι ἀδαμάντινον , ὡς ἔλεγον αἱ γυναῖκες , ἐς μηδεμίαν γυναῖκα τὰ ὄμματα πώποτε ἐκτείναντα , συλλαβοῦσα τῇ τέχνῃ ταύτῃ , αἰχμάλωτον ἔχεις , ἐρωτικῷ πολέμῳ ψυχαγωγοῦσα . h. e. *Postquam me , quem mulieres appellabant adamantinum , quod in nullam mulierem hos oculos amoris caussa umquam conjecissem , hac arte prehensum , & amatorio bello delinitum , captivum effecisti* . Quæ totum hunc Propertii locum unice illustrant . Ceterum , ἐκτείνειν ὄμματα ἐς γυναῖκα , quod ait Lucianus , Latinis est , *contentes oculos in muliere figere* . Suetonius Tiberio cap. 7. *Agrippinam & abegisse post divortium doluit : & semel omnino ex occursu visam , adeo contentis & tumentibus oculis prosecutus est , ut custoditum sit , ne umquam in conspectum ejus posthac veniret* . Sed hoc obiter dictum esto . Ut Propertius *lumina constantis fastus* , ita Seneca Œdip. v. 763. dixit de Diana , *Nimium sævi Diva pudoris* ; & Boethius lib. 3. de Consol. Philosoph. Metro 4. *Luxuriæ Nero sævientis* . VULP.

ibid. DEJECIT] Jussit dejicere & humi figere oculos . Est superbi & confidentis oculos tollere , & erecto vultu incedere . Eleg.15. infra :

Et contra magnum potes hos (oculos) *attollere Solem ?*

Contra , tristes , & supplices , & pudentes , oculos dejiciunt . Virgilius 6. Æneid.

Sed frons læta parum , & dejecto lumina vultu.

Verecundiæ exemplum Æneid. 11. de Lavinia : *oculos dejecta decoros* . Seneca Epist.11. de actoribus qui in scena verecundiam simulant : *Dejiciunt* , inquit , *vultum* , *verba submittunt* , *figunt in terram oculos* . PASS. Ita Ovidius Epist. Canaces v. 35.

Erubui , gremioque pudor dejecit ocellos .

Fortasse Propertius ea corporis forma erat , ut muliebre imperium dedignaretur : & præstabilius judicabat rogari , quam rogare . Notum illud Juvenalis Sat. 5. de puero ministrante : *Sed forma , sed ætas Digna supercilio* . Quo pertinet etiam locus Tibulli Carm. 5. lib. 4. de Cerintho formoso juvene , quem Sulpicia deperibat :

Te nascente novum Parcæ cecinere puellis
Servitium , & dederunt regna superba tibi.

Constat certe , Propertium feliciter sæpenumero cum amore pugnavisse , donec a Cynthia victus est . Mathematicus quidam ita ipsum alloquitur Eleg. 1. lib. 4.

Militiam Veneris blandis patiere sub armis ,
Et Veneris pueris utilis hostis eris .

Nam

Donec me docuit castas odisse puellas
Improbus, & nullo vivere consilio.

Et

Nam tibi victrices, quascumque labore parasti,
Eludet palmas una puella tuas. Vulp.

v. 4. Et caput impositis pressit Amor pedibus] Capiti & cervicibus meis incubuit. Sic Ovidius lib. 4. Fastor.

Urbs oritur (quis tunc hoc ulli credere posset?)
Victorem terris impositura pedem.

Horatius etiam Epodo 17.

Vectabor humeris tunc ego inimicis eques.

Ate apud Homerum Iliad. 19. κατ' ἀνδρῶν κράατα βαίνει. id est, in virorum capita descendit, & super ea graditur. qua de re Plato in Symposio, ubi Amorem idem facere quod Aten ostendit. Pass. Mos militaris, capiti & cervicibus hostium victorem incumbere, victis & prostratis pedem imponere, pede premere & conculcare. Janus Bronkhusius, allatis veterum testimoniis, hunc morem satis illustravit; addens, id fieri solitum etiam in venatione, si qua nobilior fera esset strata. Ovidius lib. 8. Metam. de Meleagro, qui aprum Calydonium occiderat:

Ipse pede imposito caput exitiabile pressit.

Audis locutionem Propertianam. Vulp.

v. 5. Donec me docuit] Quousque me malo coegit. Translatio ab Orbiliis & plagosis magistris. Coquus qui vapularat in Plauti Aulularia: *Hoc*, inquit, *ipsus magister me docuit*. Catullus Elegia ad Manlium de Amore: *Divum domitum ferre jugum docuit*. Virgilius Ecl. 8.

Saevus Amor docuit natorum sanguine matrem
Commaculare manus.

Tibullus Eleg. 8. lib. 1.

Ipsa Venus magico religatum brachia nodo
Perdocuit, multis non sine verberibus.

Sic moneri & objurgari verberibus. Pass.

ibid. castas odisse puellas] Fugere, tamquam dissimiles Cynthiae, puellas castas. *Odisse*, fugere; quia odium timori finitimum, & quos timemus, odimus. Horatius Ode 8. lib. 1. *Cur apricum Oderit campum*. & Ode 16. lib. 2. *Laetus in praesens animus, quod ultra est Oderit curare*. & Sat. 3. lib. 1. *Odisti & fugis*. *Odisse castas*: ergo & ipse tum non castus, quia castae non placent. Pass. Egregiam vero doctrinam accipiunt homines a nequissimo ludimagistro. Discunt intemperantiam, dediscunt pudorem: obsequio feminarum delectantur; oderunt difficiles & castitatis retinentes. Non placet Caspar Barthius, qui τὸ *castas puellas* de Musis & Minerva dictum existimat; quasi Propertius poeticis deliciis nuntiam remisisset, interveniente amore. Contrarium ipse nos docet Elegia 1. lib. 2. ubi materiam carminum suorum ex amoribus potissimum duci, aperte admodum fatetur. Elegia vero 7. hujus libri ostendit quid in scribendo sequatur:

Nec tantum ingenio, quantum servire dolori
Cogor, & aetatis tempora dura queri.

Ajebat quidem Horatius Epodo 11.

Petti, nihil me, sicut antea, juvat
Scribere versiculos amore percussum gravi.

Sed amor animos hominum varie afficit, quemadmodum & ebrietas. Multos vinum ad stuporem & silentium adigit: nonnullos incitat ad loquacitatem. Suavissimus Tibullus non alium ex re poetica fructum capiebat, quam ut Nemesin suam pertentaret, si forte illum reciperet, & corporis copiam faceret. Ita enim Eleg. 4. lib. 2.

Ad dominam faciles aditus per carmina quaero.
Ite procul Musae, si nihil ista valent.

Quid quod poeta noster Musis integram adeo virginitatem videtur negare lib. 2. Eleg. 30. ubi sic ad Cynthiam:

Nec tu Virginibus reverentia moveris ora:
Hic quoque non nescit, quid sit amare, chorus.
Si tamen Oeagri quadam compressa figura
Bistoniis olim rupibus accubuit.

Huc pertinet, si quid video, jocus Juvenalis Sat. 4. v. 35.

narrate, puellae
Pierides: prosit mihi vos dixisse puellas.

nam & meretriculae dici potuissent. Nisi quis fortasse *puellae* nomen ad aetatem potius, quam ad virginitatem referre malit. Ad hunc Propertii locum Broukhusius, alioqui doctissimus & diligentissimus, immerito Passeratium & Philippum Silvium reprehendit; ut mihi quidem videtur. Vulp.

v. 6. Improbus] Vel saevus & magnus; sicut improbum laborem dicimus: vel impu-

pu-

Et mihi jam toto furor hic non deficit anno,
Quum tamen adverſos cogor habere deos.

Mila-

pudens, & frontis perfrictæ. Virgilius 4. Æneid.

Improbe Amor, quid non mortalia pectora cogis?

Galli dicunt *frippon*. PASS. Hoc verius arbitror; nam & ſuperioribus reſpondet magis: quid enim doceat aliud magiſter impudens, quam odiſſe caſtas, turpes amare & conſectari? VULP.

ibid. NULLO VIVERE CONSILIO] Rationis expertem vitam ducere. Terentius Eunucho, 1, 1. *Quæ res (amor) in ſe neque conſilium, neque modum habet ullum, eam rem conſilio regere non potes.* & Andria, 3, 5. *Nulli conſilii homo.* id eſt, ſtultus & amens. PASS. Audiamus M. Tullium lib. 1. de Inventione: *Domus ea quæ ratione regitur, omnibus inſtructior eſt rebus & apparatior, quam ea quæ temere & nullo conſilio adminiſtratur.* Propertium Seneca interpretetur Epiſt. 23. *Pauci ſunt qui conſilio ſe ſuaque diſponant: ceteri, eorum more quæ fluminibus innatant, non eunt, ſed feruntur.* Idem Epiſt. 95. *Vita ſine propoſito, vaga eſt.* Et in ipſo veſtibulo libri De Vita Beata: *Quamdiu quidem paſſim vagamur, non ducem ſecuti, ſed fremitum & clamorem diſſonum in diverſa vocantium, conteritur vita inter errores, brevis etiamſi dies noctesque bonæ menti laboremus.* At in hujus bonæ mentis ſacrarium ſero ſe recepit Propertius, poſtquam ætatem ceſſando & amando exegerat. Vide Elegiam 24. lib. 3. Cebes Thebanus ἐν πίνακι memorat nonnullos, οἱ ἀποδεδειλιακότες, καὶ ἀναβεβηκότες πρὸς τὴν Καρτερίαν, πάλιν ἀνακάμπτουσι, καὶ πλανῶνται ἀνοδίᾳ. *Qui timore perculſi, etiam quum ad Tolerantiam adſcendiſſent, denuo regrediuntur, & viæ ignoratione errant.* Vetus eſt, *Nullo ſcopo jaculari:* ad quod Proverbium Perſius, egregie Stoicorum decretis imbutus, reſpicit Sat. 3. v. 60.

Eſt aliquid quo tendis, & in quod dirigis arcum?
An paſſim ſequeris corvos, teſtaque, lutoque,
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?

Finem ſcilicet actionum optimum ſingulos homines ſibi proponere oportere, κοινὸν fuit eorum philoſophorum δόγμα. Quod tamen Ariſtoteles ante illos inculcavit Ethic. ad Nicomachum libro 1. VULP.

v. 7. TOTO ANNO] Ita dixit, quomodo alibi: *totum ſum pulſus in annum, tota nocte receptus: tota nocte hoſpitium paravit: totas exſpectat in horas;* & ſi qua ſunt alia hujuſcemodi. Cicero Epiſt. 4. libri 1. ad Famil. *Senatus haberi ante Kal. Febr. per legem Pupiam, id quod ſcis, non poteſt: neque menſe Februario toto, niſi perfectis, aut rejectis legationibus.* VULP.

ibid. FUROR HIC] Amoris inſania, ἐρωτομανία, quæ me agitat. VULP.

ibid. NON DEFICIT] Non exſtinguitur, nec minuitur: viget, perſeverat. Italice, *non vien meno.* Sic dicimus, ignem, Solem, Lunam deficere. VULP.

v. 8. QUUM TAMEN COGOR] Quum interea, ſive quamvis. *Quum,* inquit Diomedes, *etiam præſenti jungitur.* Lucillius apud Nonium in *Appellare: Quum mei me adeunt ſervuli, non dominam ego appellem meam?* Noſter Eleg. 7. lib. 3. *Quum furibunda mero menſam propellis.* Plautus Amphitr. 1, 1. *Gravidam hic reliqui quum abeo.* PASS.

ibid. ADVERSOS DEOS] Non propitios, iratos. VULP. Adverſi dii, ut venti. Sic Eleg. 14. infra:

Nam quis divitiis adverſo gaudet amore?

Deos dixit etiam de amica, Venere ſua. ut Eleg. ult. lib. 2.

Solum te noſtros lætor adire deos.

Sic etiam Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 11.

Et dicam, Noſtros advehit illa deos. PASS.

ibid. COGOR] Fatali quadam neceſſitate. VULP.

ibid. HABERE] Experiri, iis uti adverſis. ut Eleg. ult. lib. 4.

Num minus immites habui Cornelia Parcas? PASS.

v. 9. MILANION] Scribitur in veteribus libris, *Melanion,* ut *ei* Græcorum in *i* longum vertatur. Apollodorus lib. 3. ubi duces belli Thebani numerat: Παρθενοπαῖος Μειλανίωνος. Ibidem dicitur Amphidamantis filius, Lycurgi nepos. Palæphatus Milaniona eumdem cum Hippomene facit.

Apol-

Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores
Sævitiam duræ contudit Iasidos.

Nam

Apollodorus lib. 3. eodem modo fabulam narrat, quo Propertius. At aliis idem *Milanion*, *Hippomenes*, *Hippomedon & Meleager*. PASS. Fabulam recitat Ovidius lib. 2. Artis Amat. v. 185.

Quid fuit asperius Nonacrina Atalanta?
Succubuit meritis trux tamen illa viri.
Sæpe suos casus, nec mitia facta puellæ
Flesse sub arboribus Milaniona ferunt.
Sæpe tulit jusso fallacia retia collo:
Sæpe fera torvos cuspide fixit apros.
Sensit & Hylæi contentum saucius arcum:
Sed tamen hoc arcu notior alter erat.

Hujus herois nomen Μιλανίων est Xenophonti in libello de Venatione; Græcis autem poetis Μειλανίων, ut Musæo de Leandro & Herone. Nec desunt qui scribant Μελανίων, & Μειλανίων. Nonnulli vero auctores Milaniona, Hippomenen, Hippomedonta, & Meleagrum quatuor nomina unius viri fuisse perhibent: nec mirum; quum & duas Atalantas confundant, ut mox videbimus. VULP.

ibid. NULLOS FUGIENDO LABORES] Nihil recusando, omnia perferendo, omnes labores subeundo, obsequio vicit. De quo Tibullus Eleg. 4. lib. 1. & Ovidius lib. 2. Artis Amat. PASS.

ibid. TULLE] Hujus Tulli meminit infra, Eleg. 6. & Eleg. ult. hujus libri, & Eleg. 21. lib. 3. unde colligitur Cyzicenis præfuisse, vel Asiam pro Consule obtinuisse. Dio lib. 49. in fine scribit, L. Volcatium Tullum collegam fuisse Augusti in secundo consulatu; si forte hic noster esse possit. PASS.

v. 10. SÆVITIAM DURÆ IASIDOS] Asperitatem immitis Atalantæ, parce ac duriter educatæ, laborum tolerantia insignis, a mollibus puellarum studiis alienæ. Tibullus Eleg. 10. lib. 1.

Pace bidens, vomerque nitent: at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.

Nimirum Atalanta hæc Iasii filia, venatrix puella fuit, exposita olim jussu patris in silvis, lacte ursæ nutrita, & quæ altissimorum Arcadiæ montium vertices incoleret, omne virorum colloquium devitaret, feras cursu velocissimo & jaculis assidue persequeretur. Hæc procos terribiles Hylæum & Rhœcum, ex genere Centaurorum, sagittis confectos humi stravit, hæc suem Calydonium vulneravit prima; ob id capite feræ, virtutis præmio, ac tamquam opimo spolio, a Meleagro donata. Κοσμοῦντι, ἢ ῥᾳδιοῦ οὐδὲν εἶχεν· οὐ γὰρ ἐκ θαλάμου προήει, οὐδὲ ἦν τῶν ὑπὸ μητράσι, ἢ τίτθαις τρεφομένων. *Puellare, aut delicatum nihil quicquam præferebat. neque enim de thalamo prodierat: neque erat ex earum genere quæ vel a matribus, vel a nutricibus aluntur.* Utor verbis Æliani ex cap. 1. lib. 13. ποικίλης ἱστορίας, ubi virginem accurate describit. VULP.

ibid. CONTUDIT] Domuit, contrivit, fregit, & frangendo mitigavit. Ovidius lib. 1. Artis Amat. v. 11.

Phillyrides puerum cithara perfecit Achillem;
Atque animos placida contudit arte feros.
PASS.

ibid. IASIDOS] Duas fuisse Atalantas, quæ celebrentur in fabulis, Arcadicam unam, Iasii, aut Iasonis, aut Iasionis filiam; Bœoticam alteram, Schœneo patre, quæ ab Hippomene per fallaciam cursu victa, ei postea nupserit, docuit jampridem elegantissimus Muretus in Scholiis ad Propertium, ex Apollonii Rhodii Scholiaste, & aliis auctoribus; nonnullorum Grammaticorum errorem corrigens, qui eas plerumque confundunt. Eodem pacto & de Scyllis duabus, Nisi videlicet Megarensium regis filia, & altera Phorci, minus considerate unam fecerunt. De Atalanta Iaside, apro Calydonio, Hylæo Centauro vide Callimachum Hymno in Dianam a versu 215. & ibi doctissimum Spanhemium. VULP.

v. 11. PARTHENIIS IN ANTRIS] Parthenius mons Arcadiæ, ἀπὸ τῶν παρθένων, hoc est a virginibus nominatus, quæ in eo venationi operam dabant. Ibi Atalanta exposita & educata fuerat, ibique venabatur. VULP.

ibid. AMENS ERRABAT] Virgilius 4. Æneid. *Totaque vagatur Urbe furens.* amens autem, quia amans, nullo vivens consilio, & nubilam animi mentem habens, ut loquitur Plautus. Recte autem conjunxit amen-

Nam modo Partheniis amens errabat in antris,
Ibat & hirsutas ille videre feras.

Ille

mentiam & errorem; nam & *amor error malus est* Virgil. Ecl. 8. & *furor, error animi* Horatio, & Lucretio, & Ciceroni 3. Tuscul. ex Homero. PASS.

ibid. IN ANTRIS] Pro *apud antra*, ut censet Broukhusius: vel *inter antra*. Quid tamen vetat, Milanionem antra ipsa, seu spelæa ferarum intravisse, atque in illis vagum erravisse? Sunt enim speluncæ quæ abditos & longissimos recessus habeant, more labyrinthorum. VULP. Ἄντρον, ut nonnullis placet, *ἀπὸ τοῦ ἄνω τετρῆσθαι*, quod superiore parte terebratum sit ad lucem accipiendam. PASS.

V. 12. IBAT ET HIRSUTAS ILLE VIDERE FERAS] Repetendum *τὸ modo* a superiore versu. VULP. *Ibat videre*, ἑλληνισμός, pro *ibat visum*, vel *ut videret*. ut Eleg. 19. infra:

At comes invicti juvenis processerat ultra
Raram sepositi quærere fontis aquam.

Et Eleg. 6. *Seu pontum carpere remis Ibis.* PASS.

ibid. HIRSUTAS FERAS] Ursos præcipue, sætis asperis atque horrentibus. Porro Atalanta, dum infans esset, ursæ uberibus admota fuerat. VULP.

ibid. VIDERE] Nic. Heinsius, & Janus Broukhusius legunt *ferire*. sed non opus mutatione. Τὸ *videre* hoc loco significat formidinem, qua concutimur ad aspectum rei tristis & metuendæ. Ita Virgilius 3. Æneid. v. 429.

Præstat Trinacrii metas lustrare Pachyni
Cessantem, longos & circumflectere cursus,
Quam semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam, & cæruleis canibus resonantia saxa.

Et infra v. 655.

Vix ea fatus erat: summo quum monte videmus
Ipsum inter pecudes vasta se mole moventem
Pastorem Polyphemum, & litora nota petentem:
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.

Rursus lib. 5. v. 410.

Quid, si quis cæstus ipsius & Herculis arma
Vidisset, tristemque hoc ipso in litore pugnam?

Et lib. 11. v. 263. -- *Ætnæos vidit Cyclopas Ulixes.* Horatius quoque sic adhibuit Ode 3. lib. 1.

Quem mortis timuit gradum,
Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turgidum, &
Infames scopulos Acroceraunia?

Idem Ode 4. lib. 4.

Qualemve lætis caprea pascuis
Intenta, fulvæ matris ab ubere,
Jam lacte depulsum leonem,
Dente novo peritura, vidit.

Sed unice huc pertinet locus Manilii ex lib. 5. Astronom. v. 608. de Andromeda & ceto:

Tandem confossis subsedit bellua membris,
Plena maris, summas iterumque renavit ad undas,
Et magnum vasto contexit corpore pontum,
Tunc quoque terribilis, nec virginis ore videnda.

Latinis adjungam & Italos nostros. Dantes Aligherius Inferni Cantu 12.

Era lo loco, ove a scender la riva
Venimmo, alpestra, e per quel ch'iv'er'anco
Tal, ch'ogni vista ne sarebbe schiva.

Graphice vero Ludovicus Areostus Rolandi Furentis Cantu 17. strophe 29.

Mentre aspettiamo, in gran piacer sedendo,
Che da cacciar ritorni il signor nostro,
Vedemo l'Orco a noi venir correndo
Lungo il lito del mar, terribil mostro.
Dio vi guardi, signor, che 'l viso orrendo
De l'Orco, a gli occhi mai vi sia dimostro.
Meglio è per fama aver notizia d'esso,
Ch'andargli sì, che lo veggiate, appresso.

VULP.

V. 13. HYLÆI RAMI] Pro *Hylæii*. Sic Elegia 3. infra: *Thesea carina*, & *Orphea lyra*. Eleg. 22. lib. 3. *Persea manu*. Eleg. 16. lib. 2. *saxa Cerauno*, pro *Ceraunia*. Et Eleg. 6. lib. 4. *Cepheam Meroën*, pro *Cepheiam*. Sic Ovidius lib. 5. Fast.

Pectora trajectus Lynceo Castor ab ense.

PASS. Virgilius pariter 4. Æneid. v. 552.

Non servata fides, cineri promissa Sichæo.

pro *Sichæia*. VULP.

ibid. PERCUSSUS VULNERE RAMI] Vetus liber: *perculsus pondere*. Afflictus & prostratus velut ruina ictus gravissimi. Sic Seneca in Hercule Oetæo: *Pasturque clava ponderis.* id est, gravem clavam. Habet & alia le-

Ille etiam Hylæi percussus vulnere rami
Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.
Ergo velocem potuit domuisse puellam.
Tantum in amore preces, & benefacta valent.

In

ctio suum sensum. *Vulnus rami*, aut quod ramus fecit; ut 2. Æneid. *vulnere tardus Ulixei*. & 6.

Crudelis nati monstrantem vulnera cernit;

aut *vulnus* pro ictu; ut 5. Æneid.

Multa viri nequicquam inter se vulnera jactant. PASS.

Hylæus Centaurus, Atalantæ procus, clava percusserat Milaniona, eique grave vulnus infixerat. VULP.

ibid. RAMI] Ramus, pro clava. ut Eleg. 9. lib. 4. de Caco:

Mænalio jacuit pulsus tria tempora ramo.

Seneca in Hercule Œtæo vocat *nodum*. aut simpliciter ramo arboris pro telo usum Hylæum intelligemus. ut apud Lucretium lib. 5.

Arma antiqua manus, ungues, dentesque fuerunt:
Et lapides, & item silvarum fragmina rami.

Ramis quoque, immo & solidis arboribus Centauri cum Lapithis pugnant apud Ovidium 12. Metam. Idem tamen lib. 1. Artis Amat. Milanionem sagitta percussum ait:

Sensit & Hylæi contentum saucius arcum.

PASS.

v. 14. SAUCIUS] Vel plaga Hylæi, vel telo Cupidinis: utrumvis enim rectum. Posteriori sententiæ favet Ovidius lib. 2. A. A. Saucii animo amantes. Ennius: *Animo ægra, amore sævo saucia*. Virgilius 4. Æneid. *saucia curâ*. PASS.

ibid. SAUCIUS A. 2. INGEMUIT] Ita Ovidius lib. 1. Artis Amat. v. 169.

Saucius ingemuit, telumque volatile sensit.

VULP.

ibid. ARCADIIS RUPIBUS] In, vel super Arcadiæ rupibus, puta Parthenio monte, de quo ante. Vel etiam ad rupes Arcadicas, quasi petræ ipsæ gemitum audire possent, & ingemiscentis misereri. VULP.

ibid. INGEMUIT] Quod fieri solet accepto vulnere. Clytæmnestra apud Sophoclem in Tragœdia Electra v. 1536. ab Oreste filio vulnerata, ingemit dicens: Ω μοι, πέπληγμαι. *Hei mihi, icta sum*. Gemitus antem heroibus, virisque magnanimis aliquando conceditur; ejulatio mulierum est. Horatius Epodo 10. *Et illa non virilis ejulatio*. Sed pueri Spartiatæ verberum dolore laniati ne ingemiscebant quidem. VULP.

v. 15. ERGO] Itaque tandem. Donatus: *Ergo, est velut reprehendentis tarde sibi consentientem*. PASS.

ibid. VELOCEM PUELLAM] Ovidius in Ibin:

Et qui velocem frustra petiere puellam,
Dum facta est pomis tardior illa tribus.

Pap. Statius lib. 6. Thebaid.

Quis Mænaliæ Atalantæ
Nesciat egregium decus, & vestigia cunctis
Indeprensa procis?

Immerito Muretus Volscum reprehendit, quod huc pertinere censuerit illud Catulli:

Tam gratum mihi, quam ferunt puellæ
Pernici aureolum fuisse malum.

Scribit enim Apollodorus lib. 3. velocissimam fuisse, & cursu certasse cum Milanione, ac victam aureis malis: quamvis Ovidius aliter fabulam narret 10. Metam. ab Æliano quoque initio libri 13. ὠκίστη τὼς πόδας dicitur, & cursu feras consecuta. PASS. Atalantæ Schœnei, currendi velocitatem fabulæ tribuunt: sed & venatrix Atalanta, Iasii filia, velox erat, & cursu feras consequebatur. Talis est Catullo Achilles Carm. 63. v. 340.

Qui persæpe vago victor certamine cursus
Flammea prævertet celeris vestigia cervæ.

VULP.

ibid. POTUIT DOMUISSE] Sævitiam puellæ contudisse. Sic Statius 10. Thebaid. de Capaneo:

Paullum si tardius artus
Cessissent, potuit fulmen meruisse secundum.

PASS.

v. 16. BENEFACTA] Amatoris merita erga puellam dilectam, quibus gratia captatur & conciliatur. VULP. Ovidius lib. 2. A. A. de hac ipsa Atalanta:

Succubuit meritis trux tamen illa viri.

Virgilius 3. Georg.

Quid

In me tardus Amor non ullas cogitat artes:
Nec meminit notas, ut prius, ire vias.
At vos, deductæ quibus est fallacia Lunæ,
Et labor in magicis sacra piare focis:

En

Quid labor, aut benefacta juvant? quid vomere terras
Invertisse graves?

Noster Eleg. 1. lib. 2.

Cimbrorumque minas, & benefacta Meri.

PASS.

v. 17. TARDUS AMOR] Iners, desidiosus, cessator, minime ingeniosus. Cicero lib. 1. Tusc. Quæst. *Aristoteles quidem ait, omnes ingeniosos melancholicos esse; ut ego me tardiorem esse, non moleste feram.* q. d. tanti non est acumen ingenii, ut propter id mihi contingat atra bili laborare. VULP.

ibid. NON ULLAS COGITAT ARTES] Nihil comminiscitur, cujus ope ad illa quæ opto pervenire possim. Dolosus antea fuit, vafer, experientis ingenii: nunc plumbeum & excordem se præstat. VULP. *Cogitat*, pro excogitat. simplex pro composito. ut Eleg. 3. infra, *Ponebam corollas*, pro imponebam; & alia id genus passim. *Artes*, sollertiam, dolum, consilia. Virgilius 1. Æneid.

At Cytherea novas artes, nova pectore versat
Consilia. PASS.

v. 18. NEC MEMINIT] Dedidicit, desuevit, nescit. Eleg. 10. infra:

Nec meminit justas ponere læsa minas. PASS.

ibid. NEC MEMINIT NOTAS, UT PRIUS, IRE VIAS] Ignavus Cupido, quamvis me usu mancupioque suum habeat, tamen circa me cunctatur inaniter, nec novam sibi prædam quærit ad alios proficiscens. Ita Eleg. 12. lib. 2.

In me tela manent, manet & puerilis imago.
Sed certe pennas perdidit ille suas.
Evolat heu nostro quoniam de pectore nusquam,
Assiduusque meo sanguine bella gerit.
Quid tibi jucundum siccis habitare medullis?
Si pudor est, alio trajice tela tua.

Vide Ovidium lib. 2. Amor. Eleg. 9. quæ tota hujus argumenti. Aut *ire notas vias*, est suis moribus uti. Franciscus Petrarcha (*nel Sonetto* 151.) de Amore: *e in ciò segue suo stile.* VULP. *Via*, pro consuetudine. Sic Eleg. 25. lib. 2.

Unusquisque sua noverit ire via. PASS.

v. 19. AT VOS] At convenit ἀποστροφῇ. ut Eleg. 17. lib. 1.

At vos æquoreæ formosa Doride natæ. PASS.

ibid. DEDUCTÆ LUNÆ] Non deducendæ, sed deductæ; ut ostendatur, præceptis hujus artis experientiam sæpius respondisse. quod recte animadvertit Passeratius. Id promittebant in primis sagæ mulieres. Martialis Epigr. 30. lib. 9.

Quæ nunc Thessalico Lunam deducere rhombo,
Quæ sciet hos illos vendere lena toros? VULP.

Deducere Lunam dixerunt Virgilius, Tibullus, Ovidius, Petronius. κατάγειν σελήνην Scholiastes Apollonii Rhodii lib. 4. Id autem faciebant ut terræ propior Luna spumam suam in herbas infunderet. Lucanus lib. 6.

Et patitur tantos cantu depressa labores,
Donec suppositas propior despumet in herbas. P.

ibid. FALLACIA] Pro arte, sed fraudulenta & mendaci. ut dicitur τέχνη & κακοτεχνία. Plinio H. N. lib. 30. cap. 1. *Magia* dicitur *fraudulentissima omnium artium*. Cicero autem lib. 2. de Divinat. *Tota res est inventa fallaciis, aut ad quæstum, aut ad superstitionem, aut ad errorem.* Seneca Medea:

Cælo petam venena; jam nunc tempus est
Aliquid movere fraude vulgari altius.

id est, arte veneficarum. PASS. Ars magorum fallax, præstigiarum & simulationum plena. Noster Eleg. 5. lib. 4. de quadam venefica:

Audax cantatæ leges imponere Lunæ,
Et sua nocturno fallere terga lupo. VULP.

v. 20. QUIBUS EST LABOR PIARE] Qui nimirum in eo laboratis ut sacra pietis. *labor*, industria & opus; quia nec facile hoc fit, nec sine periculo. De hoc labore veneficarum vide Horatium Epodo 5. *Labor piare*; ut Virgilius 6. Æneid. *revocare gradum, superasque evadere ad auras Hoc opus, hic labor est.* Ejusdem generis est & illud Eleg. 2. infra: *Studium conquirere amantes.* PASS.

ibid. IN MAGICIS FOCIS] In aria constru-

En agedum dominæ mentem convertite noſtræ,
Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis, & ſidera, & amnes
Poſſe Cytææis ducere carminibus.

Et

ſtructis ad deos magicos placandos. PASS. De quibus dixi ad Tibullum Eleg. 2. lib. 1. VULP.

ibid. SACRA] Deos quoslibet, ſed manes præcipue, ſive umbras mortuorum, cum quibus magi colloqui ſolebant. Ita Douza apud Livinejum. Manes & ſacra conjunxit Propertius Eleg. 1. lib. 3.

Callimachi manes, & Coi ſacra Philetæ. VULP.

ibid. PIARE] Placare. unde *pietas*, videlicet ſtudium placandorum deorum. Horatius Epiſt. 1. lib. 2.

Tellurem porca, Silvanum lacte piabant. VULP.

v. 21. EN] Particula hoc loco efficax. Ecce ubi vim artis veſtræ oſtendatis & exerceatis. Hic Rhodus, hic ſaltus. Tibullus Eleg. 2. lib. 2.

En age, quid ceſſas? adnuet ille; roga. VULP.

ibid. AGEDUM] Age modo. hortantis & incitantis eſt. Cicero in Oratione pro Sylla: *Agedum conferte cum illius vita vitam Syllæ.* PASS. Italice, *Orsù via.* VULP. Laurentius Valla, hunc locum laudans, legit *Vos agedum*, II. Elegant. 16. contra omnes libros. Tò *agedum* etiam Cicero cum plurali junxit, Orat. pro Sulla C. 26. *Agedum, conferte nunc cum illis vitam P. Sullæ, vobis populoque Romano notiſſimam, judices, & eam ante oculos veſtros proponite.* ubi Lambini *agitedum* nullo modo eſt admittendum. uti neque hic loci *Eja agedum* Gulielmi Canteri. Valerius Flaccus L. 3. v. 311. *Vos, age, funereas ad litora volvite ſilvas, Et ſocios luſtrate rogos.* BROUKH.

ibid. MENTEM CONVERTITE] Mitem ex crudeli efficite, animo ejus ad pacem & amorem verſo. Virgilius 2. Æneid. v. 73.

Quo gemitu converſi animi, compreſſus & omnis Impetus.

Sabinus, poeta Ovidio σύγχρονος, Epiſt. Paridis ad Œnonen:

Quod ſi vertendæ ſpem mentis concipis hujus,
Cur ceſſant herbæ, carmina cârve tua?

Noſter hoc libro Eleg. 15.

Quarum nulla tuos potuit convertere mores,
Tu quoque uti fieres nobilis hiſtoria. VULP.

Philtrum innuit, quod Horatius Epodo 5. *deſiderii & amoris poculum* vocat. Huc ſpectat Venus verticordia, quæ mentem a libidine ad pudicitiam verteret. Ovidius 4. Faſt.

Inde Venus verſa nomina corde tenet.

Meminere Livius, Valerius, Plinius. Et Pauſanias ἐπιςροφίαν Ἀφροδίτην notat in Atticis. PASS.

v. 22. FACITE PALLEAT] Deeſt *ut*, eleganter. Catullus Galliambo v. 82.

Face cuncta mugienti fremitu loca retonent.

Ovidius lib. 9. Metam. v. 376.

noſtraque ſub arbore ſæpe
Lac facitote bibat; noſtraque ſub arbore ludat.
Quumque loqui poterit, matrem facitote ſalutet.

Idem lib. 2. Artis Amat. v. 205.

Seu jacies talos, victam ne pœna ſequatur,
Damnoſi facito ſtent tibi ſæpe canes:
Sive latrocinii ſub imagine calculus ibit,
Fac pereat vitreo miles ab hoſte tuus. VULP.

ibid. MEO PALLEAT ORE MAGIS] Indicium amoris pallor. VULP.

v. 23. TUNC EGO CREDIDERIM VOBIS] Veſtram ſcilicet in me, & Cynthia mea expertus artem, quam fallaciam rebar, conditione impleta quam propoſui, tum demum magnificis promiſſis veſtris, re ipſa comprobatis, fidem habuerim. VULP.

ibid. ET POSSE] Subaudi *vos*. Sic Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Nunc, dea, nunc ſuccurre mihi: nam poſſe mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

ὑπάκουσον σε. PASS.

ibid. ET SIDERA ET AMNES DUCERE] Ducuntur ſidera, quum deduci videntur de cælo: ducuntur amnes, quum retrahuntur, & ad fontes revocantur. An ducere, pro duci; ut vertere, vehere, mutare pro ſuis paſſivis? PASS.

v. 24. CYTÆÆIS CARMINIBUS] Colchicis cantibus, Colchidum veneficarum ſuſurris. nam Κύταια, πόλις Κολχικὴ πατρὶς Μηδείας *Cytæa oppidum Colchicum, patria Medeæ.* Malebat Scaliger, *Cytæi, tuis*; ut *Cytæis* eſſet Medea. Noſter ſane Eleg. 4. lib. 2.

Non

Et vos, qui sero lapsum revocatis, amici,
  Quærite non sani pectoris auxilia.
Fortiter & ferrum, sævos patiemur & ignes:
  Sit modo libertas, quæ velit ira, loqui.
Ferte per extremas gentes, & ferte per undas,
  Qua non ulla meum femina norit iter.

Vos

Non hic herbæ valet, non hic nocturna Cytaïs. Alii, *Cytæinis*. VULP.

v. 25. ET VOS] Admonentis est. PASS.

ibid. QUI SERO LAPSUM REVOCATIS] Admonendus enim fueram priusquam caderem, & Amori succumberem. Quintilianus pariter lib. 2. Instit. Orat. cap. 7. *Plus proderit demonstrasse rectam protinus viam, quam revocare ab errore jam lapsos*. Et Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. 3.

Et quamquam sero clipeum post vulnera sumo.

Lapsum autem recte dixit, de eo qui in amorem incidit. Plautus Cistel. 1, 2. *Amor me lapsum animi ludificat*. Et Trinummo 2, 1. *Qui in amorem præcipitavit, pejus perit, quam si Saxo saliat*. PASS.

ibid. AMICI] *Amicorum libera consilia* memorat Horatius Epodo 11. quæ tamen ipsum Amoris plagis implicitum expedire nullo modo possint. VULP.

v. 26. NON SANI PECTORIS AUXILIA] Remedia levandæ insaniæ. Cornel. Celsus lib. 2. Med. cap. 11. *Sciamus, hic ut nullum periculum, ita levius præsidium esse; nec posse vehementi malo nisi æque vehemens auxilium succurrere*, & alibi. Pectus non sanum, est animus amatoris demens, inops consilii, omnia temere agens. VULP. *Vulneris auxilium* dixit Ovidius in Remediis Amoris: Et *auxiliatores* vocantur medici. Papinius Statius lib. 3. Silv. Carm. 4. v. 21.

Dicitur Idalios Erycis de vertice lucos
Dum petit, & molles agitat Venus aurea cycnos,
Pergameas intrasse domos, ubi maximus ægris
Auxiliator adest, & festinantia sistens
Fata, salutifero mitis deus incubat angui.

Æsculapius nempe, Apollinis filius. PASS.

v. 27. F. ET FERRUM, S. PATIEMUR ET IGNES] Nullum erit remedii genus vel asperrimum, quod sustinere parati non simus. Et hoc a corporis medicina translatum. Chirurgi enim ulceribus quæ difficile sanantur, ferrum & ignem adhibent. Ovidius Epist. Acontii v. 183.

Ut valeant aliæ, ferrum patiuntur & ignes:
Fert aliis tristem succus amarus opem.

Idem in Remed. Amoris v. 229.

Ut corpus redimas, ferrum patieris & ignes;
Arida nec sitiens ora lavabis aqua. VULP.

v. 28. SIT M. LIBERTAS, Q. VELIT IRA, LOQUI] Non offenditur medicus, dum secat atque urit, ægroti conviciis; quod sciat, illum servire dolori suo, nec satis esse mentis compotem. Dummodo igitur libere queri possim, nec gemitus mihi, lamenta, contumeliæ ipsæ, si diis placet, intercludantur, quidvis tolerabo. *Libertas loqui*, pro *loquendi*, ἑλληνισμός. Ita lib. 3. Eleg. 15.

Et data libertas noscere amoris iter.

Usus est hac φράσει Valerius Flaccus lib. 1. Argonautic. v. 601.

Nec mihi libertas imis freta tollere arenis. VULP.

ibid. QUÆ VELIT IRA] Jubeat quæ splendida bilis, ut ait Horatius. PASS. Broukhusius legit, *quæ volet ira*. eodem recidit sententia. VULP.

v. 29. FERTE PER EXTREMAS GENTES] Abducite me quolibet, usque ad gentes orarum ultimas, navique impositum avehite per maria longinqua: sequar non invitus. Hoc Seneca in Œdipode sic expressit v. 1015.

nefandos dividat vastum mare,
Dirimatque tellus abdita: & quisquis sub hoc
In alia versus sidera, ac Solem avium
Dependet orbis, alterum ex nobis ferat. VULP.

ibid. ET FERTE PER UNDAS] Repetendum *extremas*, ἀπὸ κοινοῦ. VULP.

v. 30. QUA NON ULLA MEUM FEMINA NORIT ITER] In aqua enim navis prætereuntis vestigia non remanent, sed statim obliterantur. Ludovicus Areostus egregii poematis Cantu 21. strophe 19. Propertium videtur imitatus:

Tra

Vos remanete, quibus facili Deus annuit aure,
Sitis & in tuto ſemper amore pares.
In me noſtra Venus noctes exercet amaras,
Et nullo vacuus tempore deſit Amor.

Hoc,

Tes molti mal gli parve elegger queſto,
Laſciar d' Argeo l' intrinſechezza antiqua,
Lungi andar sì, che non ſia maniſeſto
Mai più il ſuo nome a la femina iniqua.

Et illud T. Livii ſimillimum lib. 21. Hiſt. *Nec dedendum ſolum* (Hannibalem) *ad piaculum rupti fœderis, ſed, ſi nemo depoſcat, devehendum in ultimas maris terrarumque oras: ablegandumque eo, unde nec ad nos nomen famaque ejus accedere, nec ſolicitare quietæ civitatis ſtatum poſſit.* Silius quoque Italicus de Metello exſule lib. 10. Punic. v. 422.

Is mala bello
Pectora degeneremque manum ad deformia agebat
Conſulta; atque alio poſitas ſpectabat in orbe,
Queis ſe ſe acculerent, terras; qua nomina nulla
Pœnorum, aut patriæ penetraret fama relicta.

VULP.

Ita Virgilius 10. Æneid. v. 678.

Ferte ratem, ſævisque vadis immittite Syrtes:
Quo neque me Rutuli, nec conſcia fama ſequatur.

Cicero Philipp. 13. *Ubi nec Pelopidarum nomen, neque facta audiam. Ne noverit iter*, quaſi etiam per undas veſtigia poſſint exſtare. Ovidius in Epiſt. Leandri:

Jam patet attritus ſolitarum limes aquarum,
Non aliter multâ quam via preſſa rotâ. PASS.

v. 31. QUIBUS FACILI DEUS ANNUIT AURE] Cave putes, annuere eſſe aurium, quod falſo affirmavit Joſias Mercerus ad Nonium Marcellum, hoc Propertii loco perperam intellecto: annuimus enim capite; quod vel ex illis Catulli manifeſtum Carm. 60. *Uſque dum tremulum movens Cana tempus anilitas, Omnia omnibus annuit.* Deus igitur, nempe Amor, communis amatorum deus, nonnullis exorabilem ſe præbet, ſeu facili aure: his autem annuit, non aure, ſed motu capitis, vel potius propenſione voluntatis. Faciles aures, bonas etiam, & amicas appellaverunt poetæ. VULP.

v. 32. IN TUTO AMORE] Tutus amor ille eſt, in quo nulla rivalitas, nullum diſcidii vel divortii periculum. Noſter Eleg. 15. lib. 2.

Exemplo junctæ tibi ſint in amore columbæ,
Maſculus & totum femina conjugium.

PASS. & VULP.

ibid. SEMPER AMORE] Fortaſſe dictum *ſemper-amore*, ut infra hoc libro Eleg. ult. *ſemper-amicitia*, & apud Terentium Andria *ſemper-lenitas*. VULP.

ibid. PARES] Qui mutuis animis amant, qui reſpondent amantibus, ii ſunt pares in amore, nempe concordes, ὁμόθυμοι. Contra Horatius Ode 33. lib. 1.

Sic viſum Veneri, cui placet impares
Formas atque animos ſub juga ahenea
Sævo mittere cum joco. VULP.

v. 33. NOSTRA VENUS] Cynthia nimirum, ut explicat Livinejus. Virgilius pariter Ecl. 3. *Parta meæ Veneri ſunt munera.* Vel communis dea noſtra: Propertius enim ſodales amatores alloquitur. VULP.

ibid. IN ME NOCTES EXERCET AMARAS] Noctu me fatigat, & exercitum habet, ita ut præ animi angore, quietis tempus abſque ſomno traducam. Plautus ita locutus Amphitr. 1, 1. MERC. *Geſtiunt pugni mihi.* SOS. *Si in me exerciturus, quæſo in parietem ut primum domes.* Ita & Venus noctes amaras, tamquam flagellum, exercet εἰς διωγμόν. PASS. & VULP.

ibid. NOCTES AMARAS] Ut Eleg. 17. lib. 2.

Horum ego ſum vates quoties deſertus amaras
Explevi noctes.

Et Eleg. 3. lib. 4. *Mihi quum noctes induxit veſper amaras.* Ovidius Epiſt. Medeæ:

Non mihi grata dies: noctes vigilantur amaræ.

Tibullus Eleg. 4. lib. 2.

Nunc & amara dies, & noctis amarior umbra eſt. PASS.

v. 34. ET NULLO VACUUS TEMPORE DESIT AMOR] Etiam die, hieme, &c. *Et*, ad *vacuus* & ad *deſit* referri poteſt. PASS.

ibid. VACUUS AMOR] Vel qui ab aliis omnibus negotiis vacat, ut me unum exerceat: vel qui otioſos & vacuos invadit; πάθος enim eſt ψυχῆς σχολαζούσης: vel parum

Hoc, moneo, vitate malum. ſua quemque moretur
Cura, neque aſſueto mutet amore locum.
Quod ſi quis monitis tardas adverterit aures,
Heu referet quanto verba dolore mea!

ELE-

rum propitius & benignus, qui parce ac duriter amatorem habet: eſt enim alius amor plenus, ἀχθεινὸς, abundans voluptatibus. De illo Noſter Eleg. 25. lib. 2.

Tu quoque, qui pleno faſtus adſumis amore,
Credulo, nulla diu femina pondus habet.

PASS. & VULP.

ibid. DESIT] Deeſt, abeſt. Virgilius Ecl. 2.

Lac mihi non æſtate novum, non frigore deſit.

Attius Euryſace apud Nonium: *Diſertim id unum incommodis deſit meis.* PASS. Vetus poeta apud Ciceronem lib. 3. Tuſc. Quæſt. *Pol mihi fortuna magis nunc deſit, quam genus.* Plautus Menæchmis 1, 4, 2. *Abi, atque obſonium affer, tribue vide quod ſit ſatis; Neque deſiat, neque ſuperſit.* Terentius Eunucho 2, 2, 12. *Nihil quum eſt, nihil deſit tamen.* Idem Phormione 1, 3, 10. *Aliis quia deſit quod amant, ægre 'ſt: tibi, quia ſupereſt, dolet.* Julius Hyginus lib. 6. De Vita & Rebus Illuſtrium Virorum apud A. Gellium lib. 1. Noct. Attic. cap. 14. *Multa ad ſplendorem domus atque victus deferi.* VULP.

v. 35. HOC MALUM] Cynthiam meam, quæ mala res, mala merx eſt. q. d. nolim vos, amici, ad illam accedere quam ego reliquerim. Ita fere Paſſeratius: ſed non probat. Accipiendum mihi videtur de malo abſentiæ: illis enim qui adhuc ſpe bona nituntur, periculoſum & ſtultum eſt ab amica diſcedere; neque ad eos pertinent remedia deſperantium. Ovidius interpres eſto in Remediis Amoris v. 13.

Si quis amat quod amare juvat, feliciter ardens
Gaudeat, & vento naviget ille ſuo.
At, ſi quis male fert indignæ regna puellæ,
Ne pereat, noſtræ ſentiat artis opem. VULP.

ibid. MONEO] Prædico. PASS.

ibid. MORETUR] Detineat cum voluptate. Horatius Epiſt. 14. lib. 1.

Me quamvis Lamiæ pietas & cura moratur.

PASS.

v. 36. CURA] Puella dilecta, in qua ſemper eſt animus amatoris. Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 9. de morte Tibulli:

Sic Nemeſis longum, ſic Delia nomen habebunt:
Altera, cura recens, altera, primus amor.

VULP.

ibid. ASSUETO MUTET AMORE LOCUM] Hypallage. h. e. mutet amorem aſſuetum loco. Eleg. 12. infra:

Quod ſi deſpectus potuit mutare colores,
Sunt quoque translato gaudia ſervitio. PASS.

Nullam hic hypallagen agnoſco. Poetæ ſententia eſt, ſi quid video: Quum amor aſſuetus eſt, nempe conſuetudine ipſa mollitus, φορητὸς, tolerabilis, non eſt ſuſcipienda peregrinatio, non eſt mutandus locus, Cicero lib. 4. Tuſc. Quæſt. de homine amatore: *Loci denique mutatione, tamquam ægroti non convaleſcentes, ſæpe curandus eſt.* V.

v. 37. TARDAS AURES] Proprio epitheto, quia nullus ſenſus tardior & hebetior in nobis. Cicero lib. 6. de Republica dixit *advertere aures & animum*, pro attendere. Noſter Eleg. 13. lib. 2.

Quod ſi forte bonas ad pacem verteris aures,
Poſſum inimicitias tunc ego ferre Jovis. P.

v. 38. HEU] Alienæ commiſerationis eſt. Virgilius 4. Georgic. *Immemor, heu, victuſque animi.* Horatius Ode 15. lib. 1. *Heu heu quantus equis, quantus adeſt viris Sudor!* PASS.

ibid. REFERET QUANTO VERBA DOLORE MEA!] Quam illum pœnitebit quum in maximas miſerias inciderit, ob meorum monitorum neglectum! recitabit nempe ſingula mea verba, dicens: Et merito; nolui enim Propertio credere, recte ac fideliter monenti. Sic Ovidius 13. Metam.

Me miſerum, quanto cogor meminiſſe dolore
Temporis illius! VULP.

ELEGIA II.

QUid juvat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues Coa veste movere sinus?

Aut

ARGUMENTUM ELEGIÆ II. LIBRI I.] Cynthiam suam, quæ luxu vestium & margaritarum delectaretur, a nimio formæ cultu pluribus exemplis dehortatur. VULP.

v. 1. QUID JUVAT] Quid refert? quid prodest? placet hoc? sic Ovidius exorditur Elegiam 14. lib. 2. Amor.

Quid juvat immunes belli cessare puellas?

Tibullus Eleg. 5. lib. 3.

Quid fraudare juvat vitem crescentibus uvis?

PASS.

ibid. ORNATO CAPILLO] Hoc est, pexo, composito, calamistris inusto. hinc ornatrices feminæ, quas hodie vocamus *acconciatesse*. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 14. de capillis amicæ, qui defluxerant ob medicamina:

Adde, quod & dociles, & centum flexibus apti,
Et tibi nullius caussa doloris erant.
Non acus abrupit, non vallus pectinis, illos:
Ornatrix tuto corpore semper erat.
Ante meos sæpe est oculos ornata; nec umquam
Brachia derepta saucia fecit acu.

Idem lib. 3. Artis Amat. v. 239.

Tuta sit ornatrix. odi quæ sauciat ora
Unguibus, & rapta brachia figit acu.

Hujusmodi sævitiam dominarum in ancillas describit atque abominatur Martialis Epigr. 66. lib. 2.

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus, incerta non bene fixus acu.
Hoc facinus Lalage speculo, quo viderat, ulta est,
Et cecidit sectis icta Plecusa comis.
Desine jam, Lalage, tristes ornare capillos;
Tangat & insanum nulla puella caput. &c.

Πλέκτρια vero ἀπὸ τοῦ πλέκειν, a plicando & nectendo. De ornatricibus & ornatoribus dearum ac mulierum plura dabit non vulgaria vir eruditissimus Ezechiel Spanhemius ad Hymnum Callimachi εἰς λουτρὰ τῆς Παλλάδος v. 21. Minus recte explicant Livinejus & Passeratius: *ornato capillo*, gemmis & monilibus implexo, & distincto. V.

ibid. PROCEDERE ORNATO CAPILLO] Notat Cynthiæ fastum & σεμνότητα, quæ more Junonio incederet, ferculis pomparum simillima. Ovidius pariter, qui locutiones elegantiores Tibulli ac Propertii sublegere studet, lib. 3. Artis Amat. v. 165.

Femina procedit densissima crinibus emtis.

Horatius quoque Sat. 8. lib. 2. v. 13.

ut Attica virgo
Cum sacris Cereris, procedit fuscus Hydaspes
Cæcuba vina ferens.

Quod pulchre imitatus est Boileavius, emunctæ naris poeta, Sat. 3.

Un valet le portoit, marchant à pas comptez,
Comme un Recteur suivi des quatre Facultez.

Ceterum feminæ ornato capillo, nempe quum capillum ornaverint, tum demum procedunt, non capillo, sed pedibus. Venit in mentem joci Plautini, quamquam frigidioris, Amphitr. 1, 1, 212.

SOS. *Immo equidem tunicis consutis huc advenio, non dolis.*
MERC. *At mentiris etiam: certo pedibus, non tunicis, venis.* VULP.

ibid. VITA] Modus blandiendi familiaris Propertio. Catullus tamen antea dixerat Carm. 67. v. 155.

Sitis felices & tu simul, & tua vita.

Græcis in usu erat, ζωὴ καὶ ψυχή. VULP. Eodem significatu & *lux*. Eleg. 30. lib. 2.

Hesterna, mea lux, quum potus nocte vagarer. P.

v. 2. TENUES SINUS] Intellige sinus vestium tenuissimarum, quales erant bombycinæ, quæ mulierum corpora denudabant potius quam tegebant. Puellas ἐν λεπτονήτοις ὑμέσιν ἑστώσας, h. e. *tuniculis, prætenui filo textis, tamquam membranulis, tectas, & stantes*, memorat Eubulus Comicus in Pernoctante, & in Nannio, apud Athenæum lib. 13. M. Seneca Controvers. 15. *Infelices ancillarum greges laborant, ut adultera tenui veste perspicua sit, & nihil in corpore uxoris suæ plus maritus, quam quilibet alienus peregrinusque agnoverit.* Apud eumdem Controvers. 13. legere est, *vestem nihil in ma-*

trona

Aut quid Orontea crines perfundere myrrha,
Teque peregrinis vendere muneribus?

Natu-

trona tellurem. Et L. Seneca in Consolat. ad Helviam cap. 16. *Numquam tibi placuit vestis quæ nihil amplius nudaret quam poneretur*. Videndus idem lib. 7. de Beneficiis cap. 9. in calce. Martialis Epigr. 68. lib. 8.

Femineum lucet sic per bombycina corpus:
Calculus in nitida sic numeratur aqua.

Hic, puto, erat vestitus ille quem Archidamus Zeuxidami filius tantopere improbavit, ut perhibent Apophthegmata Laconica: Ταῖς δὲ θυγατράσιν αὐτοῦ ἱματισμὸν πολυτελῆ Διονυσίου τοῦ τυράννου Σικελίας πέμψαντος, οὐκ ἐδέξατο, εἰπὼν, Φοβοῦμαι μὴ περιθέμεναι αἱ κόραι φανῶσί μοι αἰσχραί. *Quum Dionysius Siciliæ tyrannus filiabus ejus vestem sumtuosam misisset, non accepit, subjungens, Vereor ne, hac sibi circumposita, puellæ mihi turpes videantur*. VULP.

ibid. COA VESTE] Sic legendum prorsus, non *Cea*. Suffragatur editio princeps Elegiarum Propertii, anni 1472. quam ego servo in bibliotheca domestica, & Broukhusius ignoravit: ubi aperte legitur *choa veste*. De vestibus bombycinis & pellucidis, quæ ex insula Co, patria Hippocratis & Apellis, Romam, & in alias regiones advehebantur, pleni veterum libri. VULP.

ibid. MOVERE] Vibrare & quatere inter ambulandum. Plautus Epidico 3, 3, 54.

Sed hic quis est, quem huc advenientem conspicor,
Suam qui undantem chlamydem quassando facit? PASS.

ibid. SINUS] Vestis, quia reflectitur & replicatur, sinum facit. Virgilius 1. Æneid. *nodoque sinus collecta fluentes*. Unde Livio lib. 20. & 21. Hist. *Sinum ex toga facere, sinum effundere, &, sinum ad ima crura deducere*. PASS. Etiam viriles togæ, præsertim si laxæ essent, sinus habebant suos. Tibullus Eleg. 6. lib. 1.

Tunc procul absitis, quisquis colit arte capillos,
Effluit effuso cui toga laxa sinu.

Immo in sinibus vestium, ut & in zonis, pecuniam recondebant. Propterea Noster Eleg. 16. lib. 2. notans avaritiam puellæ:

Cynthia non sequitur fasces, non curat honores:
Semper amatorum ponderat illa sinus.

Dicuntur & sinus velorum in re nautica. Virgilius 5. Æneid. v. 16. *Obliquatque sinus in ventum*. quod ita reprehendit Auctor *σαρωμανὴς* Pseudo-Virgilii, malus & vitio creatus judex Latinitatis: *Sinus*, ait, *pro vela, dictum improprie, obscure, & audacter*. VULP.

v. 3. ORONTEA MYRRHA] Orontes fluvius habuit fontes in Cœlesyria. Non procul ab origine mergebatur, & rursus erumpebat, uti testatur Strabo, alluebatque urbes Arethusam, Epiphaneam, Larissam, Apameam, Antiochiam. Plinius lib. 5. N. H. cap. 42. *In ora amnis Orontes, natus inter Libanum & Antilibanum juxta Heliopolin*. Recte monuit Josephus Scaliger, Oronteam vocari myrrham a Propertio, non quod in Syria nasceretur (est enim gutta, seu resina arbusculæ Arabicæ) sed quod Antiochiam, eo tempore totius Orientis emporium celeberrimum, dorsis camelorum deferretur. VULP. Pausanias in Arcadicis videtur significare, ab Oronte gigante nomen inditum huic fluvio, cujus in alveo siccato corpus repertum undecim cubitorum. PASS.

ibid. CRINES] Broukhusius mallet *crinem*; quod figuratius existimat, & magis poeticum. At Propertius, varietatis caussa, dixit, *crines*, quum superius, numero singulari, scripsisset *capillo*. VULP.

ibid. PERFUNDERE] Et hoc ad luxum pertinuit, capillos non leviter ungere, sed oleo pretioso spargere ac saturare. Ita Eleg. 4. lib. 2.

Nequicquam perfusa meis unguenta capillis. VULP.

ibid. MYRRHA] Videnda hic omnino quæ attulimus ad Catullum Carm. 65. v. 78. V.

v. 4. TE VENDERE] Prostare, cuivis advenienti pretio conducendam. Catullus Carm. 104.

Cum puero bello præconem qui videt, ipsum,
Quid credat, nisi se vendere discupere?

Vide Ovidium Eleg. 10. lib. 1. Amor. quæ tota est hujus argumenti. PASS.

ibid. PEREGRINIS MUNERIBUS] *Excusso cinnamo fusa vitra, peregrinas nugas* vocat Mar-

Naturæque decus mercato perdere cultu?
Nec sinere in propriis membra nitere bonis?

Crede

Martialis Epigr. 55. lib. 3. Manilius vero lib. 4. Astronom. v. 167.

Merce peregrina Fortunam ferre per urbes.

Hoc Tibullus ita variavit Eleg. 3. lib. 1.

Nec vagus, ignotis repetens compendia terris,
Presserat externa navita merce ratem.

Memorabile est quod narrat Suetonius in Julio cap. 43. *Peregrinarum* scilicet *mercium portoria* Cæsarem *instituisse. Adeo, corruptissimâ republicâ, luxus Romanorum invaluerat.* Marcianus J. C. Digest. lib. 39. tit. 4. Lege 16. §. 7. externae hujusmodi merces, sive *species ad vectigal pertinentes*, ita enumeravit: *Sunt cinnamomum, piper longum, piper album, folium pentasphærum, folium barbaricum, costum, costamomum, nardi stachys, cassia turiana, xylocassia, zmyrna* (nempe myrrha) *amomum, zingiberi, malabathrum, aroma Indicum, chalbane, laser, sargogalla, onyx Arabicus, cardamomum, xylocinnamomum, opus byssinum, pelles Babylonicæ, pelles Parthicæ, ebur, ferrum Indicum, carbasum, lapis universus, margarita, sardonyx, ceraunium, hyacinthus, zmaragdus, adamas, sapphirus, callainus, beryllus, chelinia, (hopia) Indica, vel adserta, metaxa, vestis serica, vel subserica, vel attincta, carbasina, nema sericum, spadones, Indici leones, leænæ, pardi, panthera, purpura. item (merocorum) lana, fucus, capilli Indici.* Attulit Samuel Pitiscus ad Suetonium. Hermippus item apud Athenæum lib. 1. merces commemorat ex variis regionibus petitas. Ceterum vetustissimi Græcorum, odores peregrinos, & reliqua barbaricæ luxuriæ, tamquam patriis moribus aliena, plerumque vitabant. Quamobrem Hippocrates in Præceptionibus cap. 9. Φευκτέη δὲ καὶ τρίψις ἐπὶ παρουσίῃ διὰ προσκόρησιν ἀκέσιος· ἀλλά τι περίεργον. διὰ γὰρ ἱκανὴν ἀξιωπιστίην, διαβολὴν κέκτηνται· διὰ δὲ τὴν ὀλίγην, εὐσχημοσύνην, h. e. *Porro fugienda est frictio per lintea sudaria, propter parandam medendi auctoritatem. itemque odor curiose adscitus. Propter multam enim peregrinitatem, in calumniam incides: propter mediocam vero, decentem ornatum consequeris.* Olim qui Athenas ex Asia venissent, ac florida & acu picta vestimenta usurparent, pavones ab Atheniensibus lepide appellabantur. Iccirco passim derisi, mores pristinos paullatim dediscebant, & demum, ἀπηλλάγησαν ἀμουσίᾳ πεπαιδευμένοι, ut refert Lucianus in Nigrino. Plato ipse lib. 8. de Legibus, consulens reipublicæ bene institutæ, vetat quidquam peregrinum in civitatem importari. Sed profecto sunt quædam externa, societati hominum adeo necessaria, ut illis carere vix possimus. Hæc videlicet neque ipsi Lacedæmonii, durum ab stirpe genus, & miræ parsimoniæ, respuere vel arcere ausi sunt. Livium testem profero lib. 38. Hist. *Id*, ait, *ægre patientes Lacedæmonii, ut aliquem liberum ad mare haberent aditum, si quando Romam, aliove quo mitterent legatos, simulque ut emporium & receptaculum peregrinis mercibus ad necessarios usus esset; nocte adorti vicum maritimum, nomine Las, improviso occupavere.* VULP.

v. 5. MERCATO CULTU] ὠνητικῶς. quem cultam scilicet emeris, & mercata fueris. Noster iterum Eleg. 5. lib. 4.

Si tibi forte comes vexaverit utilis ira,
Postmodo mercata pace premendus erit.

Sallustius pariter lib. 5. Histor. apud Nonium: *Ceteri negotia sequebantur familiaria legatorum, aut tribunorum; & pars sua commeatibus mercatis.* PASS.

ibid. PERDERE] Polluere, inquinare, corrumpere, minus gratum efficere. Terentius Adelphis 1, 2.

Cur perdis adolescentem nobis? PASS.

Id tamen considerandum quod ait mulier illa in Pœnulo Plautina 1, 2, 32.

Soror, cogita, amabo, item nos perhiberi
Quasi salsa muriatica esse autumantur.
Sine omni lepôre, & sine suavitate:
Nisi multâ aquâ usque & diu macerantur,
Olent, salsa sunt, tangere ut non velis. item nos sumus.
Ejus seminis mulieres sunt, insulsæ
Admodum, atque invenustæ sine munditia & sumtu. VULP.

ibid. CULTU] *Ornatus a cultu* differt, ut docet Tertullianus libro De Habitu Muliebri. *cultus* enim est quem mundum muliebrem dicimus. Glossæ Philoxeni: *cultus mulieris.* κόσμος γυναικός. *ornatus*, quem immundum muliebrem dici convenit, qui ver-

Crede mihi, non ulla tuæ medicina figuræ est.
Nudus Amor formæ non amat artificem.

Adspi-

versatur in cura capillorum, & cutis, & earum partium quæ oculos trahunt. Utrumque igitur Propertius & ornatum & cultum complexus est, capillo, veste, myrrha, peregrinis muneribus. PASS. Eleganter Lucretius lib. 4. v. 1274.

Nam facit ipsa suis interdum femina factis,
Morigerisque modis, & mundo corporis cultu,
Ut facile insuescat secum vir degere vitam. V.

v. 6. NEC SINERE IN PROPRIIS MEMBRA NITERE BONIS] Eadem fere locutio Ciceronis in Oratore ad Brutum cap. 15. *Quonam modo ille in bonis hærebit & habitabit suis?* Bona membrorum appellat Propertius, quæ Ovidius lib. 2. Artis Amat. corporis bona vocavit:

Ingenii dotes corporis adde bonis.
Forma bonum fragile est.

De his locus est memorabilis M. Tullii lib. 3. Tusc. Quæst. *Hæc, quæ sunt minima, tamen bona dicantur necesse est, candiduli dentes, venusti oculi, color suavis, & ea quæ Anticlea laudat Ulixi pedes abluens, lenitudo orationis, mollitudo corporis. Ea si bona dicemus, quid erit in philosophi gravitate, quam in vulgi opinione, stultorumque turba, quod dicatur aut gravius, aut grandius?* Mire huc facit locus Quintiliani lib. 2. Instit. Orat. cap. 5. *Non aliter quam distortis, & quocumque modo prodigiosis corporibus apud quosdam majus est pretium, quam iis quæ nihil ex communis habitus bonis perdiderunt: atque etiam qui specie capiuntur, vulsis, levatisque, & inustas comas acu comentibus, & non suo colore nitidis, plus esse formæ putant, quam possit tribuere incorrupta natura: ut pulchritudo corporis venire videatur ex malis moribus.* Contra Tibullus Eleg. 9. lib. 1. *mala* vocat corporis incommoda:

Admonui quoties, Auro ne pollue formam!
Sæpe solent auro multa subesse mala.

h. e. multa illepida, invenusta; quæ iccirco auro & gemmis teguntur, ne spectatoribus nauseam creent, aut emtoribus minus probentur. Vide Lucianum in Amoribus: ubi ad rem plurima. *Bona ingenii studiique* memorat Fabius in calce procemii lib. 1. Inst. Orat. VULP.

ibid. IN PROPRIIS BONIS] Quæ nobiscum nascuntur, ea nostra & propria sunt. Ergo forma proprium bonum est, quia naturæ, non fortunæ donum. Ovidius Epist. Cydippes:

Nunc laudata gemo, nunc me certamine vestro
Proditis, & proprio vulneror ipsa bono.

formæ scilicet. Aliquando tamen *propria* sunt, quæ eripi & amitti non possunt. Afranius apud Nonium:

Dii tibi dent propria quæcumque exoptes bona. PASS.

ibid. NITERE] Splendescere, ac videri formosa. Horatius Ode 5. lib. 1. *Miseri quibus Intentata nites.* PASS.

v. 7. CREDE MIHI] Vicem adverbii fungitur, & est familiariter admonentis. Eleg. 12. lib. 2.

Omnia, crede mihi, tecum uno munera lecto
Auferet extremi funeris atra dies.

Et Eleg. 33. lib. 2.

Sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt.

Tibullus Carm. 4. lib. 4.

Crede mihi, propera, nec te jam, Phœbe, pigebit
Formosæ medicas adplicuisse manus.

Ovidius lib. 5. Fast.

Non est, mihi credite, non est
Illa cothurnatas inter habenda deas. P. & V.

ibid. NON ULLA TUÆ MEDICINA FIGURÆ EST] Eà formà per te polles, o Cynthia, ut quidquid conferas ad illam expoliendam, minorem potius ac deteriorem faciat. Huc loci revocari debent illa Plautina Mostellar. 1, 3, 101.

PHI. *Cedo cerussam.* SC. *Quid cerussâ opus nam?* PHI. *qui malas oblinam.*
SC. *Unâ operâ ebur atramento candefacere postules.*

Et paullo post:

PHI. *Tum tu igitur cedo purpurissum.* SC. *non do; scita es tu quidem:*
Novâ picturâ interpolare vis opus lepidissimum.
Non istanc ætatem oportet pigmentum ullum attingere,
Neque cerussam, neque melinum, neque ullam aliam offuciam.

Cicero in Oratore ad Brutum cap. 23. *Fucati vero medicamenta candoris, & ruboris*

omnia

Adſpice quot ſubmittat humus formoſa colores,
Ut veniant hederæ ſponte ſua melius:

Sur-

omnia repellantur. Medicamentum enim Latinis nonnumquam fucus & tinctura eſt. *Lanam fuco medicatam*, dixit Horatius Ode 5. lib. 3. Propterea Sulmonenſis poeta ſcripſit ad puellas libellum De Medicamine Faciei. *Fucatam & medicamentis pollutam voluptatem* memorat Seneca De Vita Beata cap. 7. Apud Philoſtratum, ſcriptorem venuſtiſſimum, Epiſt. 40. legere eſt, καλλωπιζομένην γυναῖκα θεραπεύειν τὰ ἐλλειπῆ· κομῶν προσθέσεις, ζωγραφίας παρειῶν, χειλέων βαφὰς, καὶ ὅτι κομμωτικῆς φαρμακον, ἐπανορθώσεις τῶ ἐνδεῦς εἶναι. Occurrunt ibidem κλεπτικαὶ γυναῖκες, præterea Θαΐδος, & Ἀσπασίας, καὶ Λαΐδος φάρμακα. quæ omnia mirifice Propertium illuſtrant. VULP.

v. 8. NUDUS AMOR] Anacreon tamen Ode 4. tunicam tribuit Cupidini: Ὁ δ' Ἔρως χιτῶνα δήσας Ὑπὲρ αὐχένος παπύρῳ. *Amor itaque, tunicam ligans ſuper cervice papyro*. Catullus quoque Carm. 67. v. 133.

Quam circumcurſans hinc illinc ſæpe Cupido
Fulgebat crocina candidus in tunica.

Verum tunicatos, qui ſcilicet pallium, togam, ceteras veſtes extimas aut non ſumſiſſent, aut depoſuiſſent, *nudos* antiqui appellabant. L. Quintium Cincinnatum, quem *arantem trans Tiberim offenderant ad eum miſſi legati*, Aurelius Victor libro De Viris Illuſtribus cap. 17. *nudum* vocare non dubitat; quod ſcilicet, uti teſtatur Livius lib. 3. Hiſt. araret togâ depoſitâ, quam *propere e tugurio deferre uxorem Raciliam jubet*. Apud Ariſtophanem vero in Concionatricibus v. 37. Evæon quidam dicitur γυμνὸς acceſſiſſe, quod ἱμάτιον, pallium videlicet, habere ſe negaret. VULP.

ibid. FORMÆ ARTIFICEM] Mulierem ſcilicet quæ laborat in forma paranda: quæ vult arte fieri pulchra: cui forma ἐπίκτητος in deliciis eſt. *Artifex unguium ſubſecandorum* Tibullo memoratur Eleg. 8. lib. 1. Et Q. Cicero de Petitione Conſulatus vocat C. Cottam *in ambitione artificem*. VULP. Sic Eleg. 1. lib. 2.

Solus Amor morbi non amat artificem.

Artifices formæ ſunt ornatrices, ciniflones, phrygiones, aurifices, patagiarii, & ii quos Plautus enumerat in Aulul. 3, 5. PASS.

v. 9. ASPICE] Præſentis eſt teſtimonii τὸ *aſpice*, nec longe petiti exempli. Noſter hoc eodem libro Eleg. 15.

Aſpice, me quanto rapiat fortuna pericle.

& alibi non ſemel. PASS.

ibid. SUBMITTAT H. F. COLORES] Ita Lucretius lib. 1. v. 7.

Tibi ſuaveis dædala tellus Submittit flores.

Et inferius:

. . . . . ſine certis imbribus anni
Lætificos nequeat tellus ſubmittere fœtus.

Virgilius Ecl. 10. eodem ſignificatu dixit:

Quantum vere novo viridis ſe ſubjicit alnus.

Et 2. Georg. de lauru:

Parva ſub ingenti matris ſe ſubjicit umbra.

PASS.

Valerius Flaccus lib. 3. Argonaut. v. 527.

Ipſa citatarum tellus pede plauſa ſororum
Perſonat, & teneris ſubmittit gramina plantis.

Pindarus quoque Ode 9. Pyth. Χθὼν ἱερὰ φύλλ' ἀναπέμπει. *Tellus verna folia ſubmittit*. Eodem pacto dixit Petronius Satyrico, *ſubmittere cornua*, de Jove in taurum converſo:

Nunc erat a tenera ſubmittere cornua fronte.

VULP.

ibid. HUMUS FORMOSA] Renidens, amœna, læta. Sic alibi *formoſis undis*, & *formoſa flumina*. Virgilius Ecl. 5.

Formoſi pecoris cuſtos, formoſior ipſe. PASS.

ibid. COLORES] L. Columella De Cultu Hortorum v. 176.

Et quos mille paris dives natura colores,
Diſponat plantis oliter, quos ſemine ſevit.

Colores pro floribus hic poſuit Propertius, quomodo lib. 2. Eleg. 29. *odores* pro unguentis odoratis:

Spirabunt tibi non Arabum de gramine odores,
Sed quos ipſe ſuis fecit Amor manibus.

Odores enim *facere*, quid aliud eſt, quam unguentariam exercere, ſeplaſiarium ſeu myropolam agere? VULP.

v. 10. UT VENIANT] Legendum profecto *ut*, non *&*. ſic enim omnia quæ leguntur ad verſum uſque 15. magis concinna fuerint. VULP.

ibid. VENIANT] Proveniant, ſubnaſcantur. Virgilius 1. Georg. v. 54.

Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ.

quod

Surgat & in ſolis formoſius arbutus antris,
Et ſciat indociles currere lympha vias:

Lito-

quod Maroni *felicius*, id poetæ noſtro *melius*. Manilius lib. 2. Aſtronomic. v. 579.

Quique Sagittiferi veniunt ſub ſidere nati.

Ovidius pariter Epiſt. Phyllidis:

Quæcumque ex merito ſpes venit, æqua venit. V.

ibid. SPONTE SUA] Virgilium ſequitur Noſter, qui lib. 2. Georg. v. 9.

Principio arboribus varia eſt natura creandis.
Namque aliæ, nullis hominum cogentibus, ipſæ
Sponte ſua veniunt.

hoc eſt, nullo ſerente aut colente. Has arbores Theophraſtus lib. 2. Hiſt. Plantarum vocat *αὐτομάτους*. PASS. Sophocles vero Oedipode Coloneo v. 730. appellat *φυτεύματ' ἀχείρωτα, αὐτόποια*. VULP.

v. 11. SURGAT FORMOSIUS ARBUTUS] Par locus Quintiliani lib. 8. Inſtit. Orat. cap. 3. *Surgentia in altum cacumina oleæ ferro coercebo: in orbem ſe formoſius fundet, & protinus fructum ramis pluribus feret.* VULP. Sic Eleg. 3. lib. 2. *formoſe ſalcat*. PASS.

ibid. IN SOLIS ANTRIS] Deſertis nimirum, & humano cultu vacantibus. ut Eleg. 19. lib. 2.

Sola eris, & ſolos ſpectabis, Cynthia, montes.

Euſtathius ad Iliados ρ. v. 53. *Φασὶ τὰ ἐν ἐρημίᾳ καὶ μονάζοντα φυτὰ μάλιστα θάλλειν.* Vide Ælianum lib. 13. Variæ Hiſtoriæ cap. 1. ubi antrum quod venatrix Atalanta incolebat, luculente deſcribit. VULP.

ibid. ARBUTUS] *Genus arboris frondibus varis*, inquit Feſtus. Græce *κόμαρος*, Italice *corbezzolo*, Gallice *arbouſier*. Hujus arbuſculæ, ſeu fruticis, fructum proprie *unedonem* appellari a Latinis, tradit Plinius: Virgilius tamen *arbutum* vocavit lib. 1. Georg. v. 148.

Quum jam glandes atque arbuta ſacræ
Deficerent ſilvæ, & victum Dodona negaret.

ad quem locum ita Servius: Arbuta *ſunt rubra poma ſilvarum; quæ Plinius* unedones *vocat: quod aſperitate ſua plura edi non poſſint.* V.

v. 12. ET SCIAT INDOCILES C. L. VIAS] Nempe *ἀδιδάκτους*, quas aqua currere inſtituit nullo doctore, ipſa *αὐτοδίδακτος*. Ita Ovidius 4. Triſt. Eleg. 1.

Hoc eſt cur cantet vinctus quoque compede foſſor,
Indocili numero quum grave mollit opus.

Et lib. 3. Eleg. 12.

Prataque pubeſcunt variorum flore colorum,
Indocilique loquax gutture vernat avis.

Indocilem uſus diſciplinam, legere eſt apud Ciceronem in Lucullo. quia ſcilicet a magiſtris non accipitur uſus, neque docetur. VULP. Contra, aqua *docta*, quæ arte, ſpecu, inciſive decurrit. Horatius Epiſt. 10. lib. 1.

Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
Quam quæ per pronum trepidat cum murmure
rivum?

Et Epiſt. 14.

Addit opus pigro rivus, ſi decidit imber,
Multa mole docendus aprico parcere prato.

Et in Epiſt. ad Piſones:

Seu curſum mutavit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius. PASS.

ibid. CURRERE VIAS] Virgilius 5. Æneid. *Currit iter liquidum*. Viæ fluminum, ut Lucretius lib. 5.

Qua via ſecta ſemel liquido pede detulit undas.

PASS.

v. 13. LITORA PICTA] Calculis multicoloribus inſtrata, conchis præterea & umbilicis. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 11.

Nec medius tenues conchas, pictoſve lapillos
Pontus habet: bibuli litoris illa mora eſt.

Ovidio præiverat Lucretius lib. 3. v. 374.

Concharumque genus pacili ratione videmus
Pingere telluris gremium, qua mollibus undis
Litoris incurvi bibulam lavit æquor arenam.

Hunc Lucretii locum prior attulerat Broukhuſius. VULP.

Ita, *pictæ volucres*, *picta pavonis cauda*, *picti lacerti*, *picta panthera*, *pictus aer fervidis ignibus*, occurrunt apud Virgilium, Horatium, Ovidium, Varronem. PASS.

ibid. NATIVOS LAPILLOS] Conchas & umbilicos, quos natura ipſa expolivit mira varietate, ſpecie & colore. qua de re Plinius cap. 33. lib. 9. Gloſſarium Vetus: *Nativa*, *ἰδιόχρωμα*. PASS. Pulchre Juvenalis 3. Sat. v. 18.

Quanto præſtantius eſſet
Numen aquæ, viridi ſi margine clauderet undas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum?

Quæ fortaſſe hauſit ab Ovidio lib. 3. Metam. v. 157.

In

Litora nativos per se dent picta lapillos,
Et volucres nulla dulcius arte canant.
Non sic Leucippis succendit Castora Phœbe,
Pollucem cultu non Hilaïra soror.

Non

In extremo est antrum nemorale recessu,
Arte laboratum nulla: simulaverat artem
Ingenio Natura suo: nam pumice vivo,
Et levibus tophis nativum duxerat arcum.
Fons sonat a dextra, tenui perlucidus unda,
Margine gramineo patulos incinctus hiatus. V.

ibid. PER SE DENT PICTA LAPILLOS] Ita Scaliger in altera editione, ex vestigiis priscæ scripturæ. Si quid video, recte. *Litora per se picta;* videlicet natura ipsa vicem pictoris fungente. *Dant* vero *lapillos*, hoc est præbent, exhibent, offerunt colligendos. Alii, *perrident*, *persquadent*, *persuadent*, *persudent*. monstra lectionum! V.

v. 14. ET VOLUCRES NULLA DULCIUS ARTE CANANT] Aves in silvis canentes, quas nemo erudivit, delectare magis videntur, quam cavea inclusæ, & artificio aliquo condocefactæ. Sed neque musicorum fracta vox & effeminata cantum illum avicularum sic imitari & assequi potest, ut non lusciniam, vel merulam verno tempore garrientem libentius audiamus. Graviter Jacobus Sadoletus in Opere De Liberis recte instituendis: *Quasi vero iccirco reperta musica sit, non qua mulceat temperetque animos, sed qua auribus tantum deserviat, & imitetur volucrum ac bestiarum cantus, quarum tamen similes esse nollemus*. Totum hunc Propertii locum de nativa & ingenua rerum pulchritudine illustrare potest Philostrati Epistola 39. VULP. Plinius tamen cap. 29. lib. 12. docet, arte canere luscinias, & meditari, & quibusdam quasi præceptis fœtus suos formare. PASS.

v. 15. LEUCIPPIS PHOEBE] Leucippi nimirum filia. Desponderat Leucippus Phœben atque Hilaïram filias suas forma præstantes Lynceo & Idæ Apharei filiis. Castor & Pollux eas rapuere: sponsi raptas repetivere. Sed quum deorum fortitudini pares esse non possent, instituto singulari certamine, victi & occisi sunt. Theocritus Idyllio 22. hanc pugnam graphice describit. Consule & Ovidium sub finem lib. 5. Fastorum. Audiendus tamen Lactantius Firmianus lib. 1. Div. Instit. cap. 10. *Castor & Pollux*, inquit, *dum alienas sponsas rapiunt, esse gemini desierunt. nam doloris injuria concitatus Idas, alterum gladio transverberavit; & eosdem poetæ alternis vivere, alternis mori narrant*. VULP. Lege Apollodorum lib. 1. & 3. item Hyginum Fab. 80. Hoc facinus memorat etiam Ovidius Epist. Paridis ad Helenam v. 325.

Nam sequar Ægida factum, fratrumque tuorum.
Exemplo tangi non propiore potes.
Te rapuit Theseus; geminas Leucippidas illi:
Quartus in exemplis adnumerabor ego.

Idem lib. 1. Artis Amat. v. 679.

Vim passa est Phœbe, vis est illata sorori:
Et gratus raptæ raptor uterque fuit. PASS.

ibid. SUCCENDIT] Sui amore corripuit & inflammavit. Noster lib. 3. Eleg. 18.

Crimen & illa fuit patriâ succensa senectâ
Arboris in frondes condita Myrrha novæ. P.

ibid. CASTORA] A Propertio dissentit Apollodorus lib. 3. qui Pollucis Phœben, Castoris Elaïram uxorem facit. PASS.

v. 16. CULTU NON] Erat enim *simplex munditiis*, & incomta, ut heroides fere omnes. VULP.

ibid. HILAIRA SOROR] Nimirum soror Phœbes, eodem patre genita. Veteres codices atque editiones *Thelaïra*: sed perperam; ut constat ex Apollodoro, & Sophoclis Interprete. Verum nomen est *Helaira*, vel *Hilaira*. Fuit autem *Helaira* Dianæ sacerdos, *Phœbe* Minervæ. PASS.

v. 17. NON IDA, ET C. Q. DISCORDIA PHOEBO EVENI FILIA] Marpessam Eveni filiam Apollo amavit. Eam Idas Apharei filius, Lyncei frater, rapuit, accepto a Neptuno volucri curru. Evenus insecutus raptorem usque ad amnem Lycormam, quum assequi nequivisset, præ ira equos jugulavit, seque in fluvium præcipitem dedit, qui ejus postea nomine dictus Evenus. Tunc Apollo Idæ occurrit, ortaque inter eos contentione, Juppiter virgini potestatem fecit deligendi utrum mallet. Puella

vero

Non Idæ, & cupido quondam discordia Phœbo
Eveni patriis filia litoribus.
Nec Phrygium falso traxit candore maritum
Avecta externis Hippodamia rotis:
Sed

vero Idam Phœbo prætulit. Vide Homerum lib. 9. Iliados a v. 553. PASS.

ibid. CUPIDO P.] Impendio amanti. nam *amat sapiens, cupiunt ceteri*. Tibullus lib. 1. Eleg. 8.

Ipse dedit cupidis fallere posse deus.

Et Eleg. 5. lib. 2.

Et cupidi ad ripas arma relicta dei. PASS.

ibid. DISCORDIA] Nempe discordiæ caussa. Virgilius pariter Ecloga 7.

Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum. PASS.

Hoc tamen a Marone sumtum exemplum huic Propertii loco non est simillimum. Automedes Mycenæus, qui circa tempora Trojana vixit, dicitur ab Eustathio in librum 3. Odysseæ carmine heroico scripsisse τὴν ἔριν Κιθαιρῶνος καὶ Ἑλικῶνος, discordiam Cithæronis & Heliconis. VULP.

v. 18. EVENI FILIA] Vide Apollodorum lib. 1. Hyginus Fab. 242. *Evenus*, inquit, *Herculis filius se in Lycormam præcipitavit, qui nunc Chrysorrhoas dicitur*. Ovidius in Ibin v. 515.

Utque vel Evenus torrenti flumine mersus
Nomina des rapidæ, vel Tiberinus, aquæ.

Evenus tamen Apollodoro est Martis & Demonices filius. Homero Iliados 9. in Fabula Meleagri dicitur, Μάρπησσα Εὐηνίνη. τὸ *Eveni* bis iteratur, *Eveni filia*, &, *Eveni litora*. PASS.

ibid. PATRIIS LITORIBUS] Litora pro ripis usurpat poeta. Sic & Virgilius 8. Æneid. *viridique in litore conspicitur sus*. de ripa Tiberis. *Patriis* autem dixit Propertius, ut Ovidius 1. Metam. v. 639.

Venit & ad patrias, ubi ludere sæpe solebat,
Inachidas ripas. PASS.

Contra Horatius Ode 27. lib. 3. dixit de maris litoribus, *trementes verbere ripas*. Item Franciscus Petrarcha (*nel Sonetto* 177.)

Nuoto per mar che non ha fondo, e riva. V.

v. 19. PHRYGIUM MARITUM] Pelopem Tantali filium. Consule Palæphatum περὶ ἀπίστων ἱστοριῶν cap. 30. Hyginum Fab. 84. Lucianum in Charidemo, & Indicem nostrum Propertianum. VULP.

ibid. FALSO CANDORE] Cerussa quæsito, vel gypso, vel aliis medicamentis. Noster lib. 3. Eleg. 24.

Quum tibi quæsitus candor in ore foret. P.

Contra Terentius Eunucho 2, 3, 25.

PAR. *Quid tua istæc?* CH. *nova figura oris.*
PAR. *papæ*. CH. *Color verus, corpus solidum, & succi plenum*. VULP.

ibid. TRAXIT] Illexit, pellexit, corrupit, delinivit. Noster lib. 3. Eleg. 5.

Illum turgentis ranæ portenta rubetæ,
Et lecta exsectis anguibus ossa trahunt. V.

ibid. MARITUM] Verius procum; sed maritum futurum. Virgilius 4. Æneid.

Quos ego sum toties jam dedignata maritos. P.

v. 20. AVECTA EXTERNIS HIPPODAMIA ROTIS] Ovidius a Propertio Epist. Hermiones v. 69.

Qua duo porrectus longe freta distinet Isthmos,
Vecta peregrinis Hippodamia rotis.

Et rursum lib. 2. Artis Amat. v. 7.

Talis erat, qui te curru victore ferebat,
Vecta peregrinis Hippodamia rotis.

Fuit hæc Œnomai Pisæ regis filia, curru Pelopis, hominis barbari ac Phrygis, longe avecta. PASS.

v. 21. ADERAT] Pro *erat*. Utitur enim sæpius poeta noster verbis compositis pro simplicibus, & rursum simplicibus pro compositis. Virgilius pariter Ecloga 6. v. 56.

Huic mater quamvis, atque huic pater adsit;
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo. V.

ibid. NULLIS OBNOXIA GEMMIS] Quæ non indigeret adjumento gemmarum, quæ gemmis nihil deberet, sibi tantum & pulchritudini suæ confisa. Propertium imitari voluit L. Seneca Consolat. ad Helviam cap. 16. *Unicum tibi ornamentum pulcherrimum, tuæ, & nulli obnoxia ætati, formæ: maximum decus visa est pudicitia*. Erat enim Helvia formosa etiam ἐν παρακμῇ, nec opus habebat ætatis flore, ut ejus forma laudaretur. Passeratius in hoc Senecæ loco legere ma-

Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
Qualis Apelleis est color in tabulis.
Non illis studium vulgo conquirere amantes:
Illis ampla satis forma, pudicitia.

Non

mavult, *nulli obnoxia arti*. Sic *fratris radiis*, nempe Solis, *obnoxiam Lunam* dixit Virgilius 1. Georg. v. 396. lucet enim Luna *notho lumine*, ut ait Catullus, & a Sole accepto. De voce *obnoxius* vide A. Gellium lib. 7. N. A. cap. 17. VULP.

v. 22. QUALIS APELLEIS EST COLOR IN TABULIS] Non quod quatuor tantum colores ad pingendum adhibuerit Apelles, ut memorat Passeratius: quid enim hoc ad rem præsentem? sed quod nudas heroidas, & quidem pulcherrimas pingeret, nihil fuco, nihil adscititiis ornamentis debentes. Pinxit inter alia Venerem illam ἀναδυομένην, e mari emergentem, opus numeris omnibus absolutum. De illa Noster Eleg. 9. lib. 3.

In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles.
VULP.

v. 23. STUDIUM CONQUIRERE] ἑλληνισμός. Ita Elegia superiore, *labor piare*. PASS.

ibid. VULGO CONQUIRERE AMANTES] Passim & sine delectu copiam sibi amatorum parare. Italice, *far incetta d' amanti*. Vide Baptistam Guarinum in Pastore Fideli Actu 1. Sc. 4. *Vulgares amores, & volgivaga Venus* nihil huc pertinent. VULP.

v. 24. ILLIS AMPLA SATIS FORMA, PUDICITIA] Sic Horatius lib. 3. Ode 24. *Dos est magna parentium Virtus, & metuens alterius viri Certo fœdere castitas*. Justinus Hist. Trogi lib. 5. cap. 4. *Præseferentis, vera ornamenta matronarum, pudicitiam, non vestes esse*. Contra Senecæ temporibus argumentum erat deformitatis, pudicitia; ut ipse ait lib. 3. de Beneficiis cap. 16. Notum illud Thaletis Milesii, quod refert Laertius in ejus Vita: Μὴ τὴν ὄψιν καλλωπίζεσθαι, ἀλλὰ τοῖς ἐπιτηδεύμασιν εἶναι καλόν. *Non ornare faciem, sed moribus pulchrum esse decere*. Bonos mores ad veram pulchritudinem comparandam magis prodesse, quam corporis cultum, & muliebres munditias, veterum Socraticorum doctrina fuit. Cicero pariter in calce lib. 3. de Finibus, e Stoica disciplina: *Recte etiam pulcher appellabitur* (sapiens): *animi enim lineamenta sunt pulchriora, quam corporis*. VULP.

ibid. AMPLA SATIS FORMA] Non temere invenias alibi hoc epitheton formæ tributum; quod tamen aptissimum est, ac efficax maxime. *Ampla forma*, magnifica est, illustris, late splendens. VULP.

v. 25. NON EGO NUNC VEREOR] Amat hanc διάβασιν Propertius. Elegia 6. hujus libri:

Non ego nunc Hadriæ vereor mare noscere tecum.

Et Elegia 19.

Non ego nunc tristes vereor, mea Cynthia, manes.

quamquam utrobique in ipso initio usurpaverit. PASS. & VULP.

ibid. NON VEREOR, NE SIS MIHI VILIOR ISTIS] Quod heroidum laudes induxerit, quasi sæculo suo iratus, amovet a se suspicionem contemtûs; ne forte Cynthia existimaret, se cum illis veteribus comparatam, amatori sordere. Seneca pater ita locutus Controv. 8. lib. 1. *Pugnabo & abdicatus: nec verebor, ne vilis sit opera mea patriæ*. Neque abit Cicero Oratione pro Sextio: *Quod a me beneficium haberetis, quum pro vobis, ea quæ mihi essent vilia, reliquissem?* VULP.

v. 26. UNI SI QUA PLACET] Laus hæc non fuit nuptarum tantummodo, quæ suis viris fidem sancte servarent, sed interdum & amicarum, quæ uni solum facerent copiam sui. Docui ad Tibullum Eleg. 6. lib. 1. v. 67. Noster lib. 2. Eleg. 7.

Tu mihi sola places, placeam tibi, Cynthia, solus.

Passeratius huc attulit Horatianum illud Ode 14. lib. 3. de Livia uxore Augusti:

Unico gaudens mulier marito.

Sed perperam: est enim ἀπροσδιόνυσον. Locum illum Venusini poetæ male omnino explicaverunt vulgares interpretes, quasi Flaccus Liviam pudicitiæ nomine laudare vellet: quum Pedo Albinovanus in Consolatione ad eamdem de morte Drusi, *pudicitiam ultimam inter laudes* Liviæ merito vocave-

Non ego nunc vereor, ne sis mihi vilior istis.
Uni si qua placet, culta puella sat est.
Quum tibi præsertim Phœbus sua carmina donet,
Aoniamque libens Calliopea lyram:

Uni-

caverit. Ut igitur recte explicemus Horatium, *gaudebat* Livia *unice marito*, nempe singulari, excellentissimo: felix erat Augusto conjuge, Imperatore orbis terrarum, *quo nihil majus meliusve terris Fata donavere, bonique divi*, ut loquitur idem poeta Ode 2. lib. 4. VULP.

v. 27. Q. TIBI P. PHOEBUS SUA CARMINA DONET] Poeticæ facultatis laude insignem fuisse Cynthiam significat: quod testatur etiam Sidonius Apollinaris ad Hesperium. VULP. Quid est cur Cynthiam a cœtu Musico segregaverint Clararum Mulierum buccinatores? fuisse eruditam, & domesticam poesios gloriam, ad avi Hostii exemplum, non segniter excoluisse, vel hic unus locus evicerit. sed & plures supersunt. ecce, Eleg. 4. hujusdem libri,

Hæc sed forma mei pars est extrema furoris.
Sunt majora, quibus, Basse, perire juvat.

& quæ istic sequuntur. tum Eleg. 7.

Me laudent docta solum placuisse puella,
Pontice.

L. 2. El. 2.

Et quantum Æolio quum tentat carmina plectro,
Par Aganippeæ ludere docta lyra.
Et sua cum antiquæ committit scripta Corinnæ,
Carminaque æquavit non putat esse suis.

Ejusdem libri El. 10.

Me juvat in gremio doctæ legisse puellæ,
Auribus & puris scripta probasse mea.

& Elegia 8. ubi juveniliter insultabunda dissidium & vastitiem amoribus suis minitatur:

Et tua transibit contemnens ossa viator,
Nec dicet, Cinis hic docta puella fuit.

L. 3. El. 17.

Est tibi forma potens, sunt castæ Palladis artes,
Splendidaque a docto fama refulget avo.

Donetur itaque, magno suo merito, poetica civitate illustris puella, cujus nomen inter Romanæ lyræ cultrices adhuc desiderari piaculum fuerit. Hæc est illa Calliope, quæ dulcissimum poetæ sui ingenium tam felici auspicio movit, ut ne nunc quidem spirare desinant calores Umbris fidibus commissi. BROUKH.

v. 28. AONIAM LYRAM] Aones vetustissimi Bœotiæ populi; unde Bœotia dicta etiam Aonia: præsertim qua Helicon exsurgit, mons Musis dicatus, quas poetæ vocant Aonidas. Virgilius Eclog. 6. v. 64.

Tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum
Aonas in montes ut duxerit una sororum;
Utque viro Phœbi chorus adsurrexerit omnis. V.

Ita Ovidius Eleg. 1. lib. 1. Amorum:

Crinibus insignem quis acuta cuspide Phœbum
Instruat, Aoniam Marte movente lyram? P.

ibid. LIBENS] Hilaris, & ex animo: quod muneri pretium addit. VULP.

ibid. CALLIOPEA] Ita dixerunt *Cassiope* & *Cassiopea*, *Penelope* & *Penelopea*, *Hippodame* & *Hippodamia*. Calliope dicta fuit vel a venusta facie, vel a verborum ornatu & splendore, quasi Καλλιέπεια. Vide Phornutum cap. de Musis, qui Calliopen Rhetoricam interpretatur. PASS.

ibid. LYRAM] Hoc est, lyricæ poeseos facultatem. Noster lib. 2. Eleg. 3. de Cynthia:

Æolio quum tentat carmina plectro,
Par Aganippeæ ludere docta lyra.
Et sua quum antiquæ committit scripta Corinnæ,
Carminaque æquavit non putat esse suis. V.

v. 29. UNICA GRATIA] Præstantissima, & quæ tui tantum propria est. Cicero pro Quintio: *Restat, ut aut summa negligentia tibi obstiteris, aut unica liberalitas. Unicam nobilitatem* memorat Livius lib. 1. Hist. Eidem lib. 24. *Archimedes* dicitur *unicus spectator cæli siderumque*. Plautus Asin. 4, 1, 3. *Nam tu poeta es prorsus ad eam rem unicus*. Catullus Carm. 29. & 54. *imperator unice*; quamquam ἐρωτικῶς. Ovidius lib. 4. Metam. v. 454. in Fabula Narcissi:

Quisquis es, huc exi: quid me, puer unice, fallis?

Lactantius Firmianus lib. De Ira Dei cap. 18. *Laudatur Archyta Tarentinus, qui quum in agro corrupta esse omnia comperisset, villici*

D 2 sui

Unica nec desit jucundis gratia verbis,
Omnia quæque Venus, quæque Minerva probat.
His tu semper eris nostræ gratissima vitæ,
Tædia dum miseræ sint tibi luxuriæ.

ELE-

sui culpam redarguent, *Miserum*, *inquit*, *quem jam verberibus necassem*, *nisi iratus essem*. *Unicum hoc exemplum temperantia putant*. Hoc vocabulum usurpant scriptores etiam ad vitia notanda. Auctor Rhetoric. ad Herennium lib. 3. cap. 6. *Quod utile putemus esse*, *ab omnibus unicam malitiam atque nequitiam cognosci*. Et infra cap. 22. *Si egregiam pulchritudinem*, *aut unicam turpitudinem eis attribuemus*. VULP.

ibid. NEC DESIT GRATIA] Adsit in dicendo lepos, sit Pitho & Suada in labris tuis. Ovidius imitatus est lib. 13. Metam. *Nec abest facundis gratia dictis*. Petronius Arbiter Satyr. *Hæc ipsa quum diceret*, *tanta gratia conciliabat vocem loquentis*, *tam dulcis sonus pertentatum mulcebat aëra*, *ut putares inter auras canere Sirenum concordiam*. Plutarcho in Alcibiade eloquentia dicitur ἡ τῦ λόγυ χάρις. PASS.

v. 30. OMNIA QUÆQUE VENUS, QUÆQUE MINERVA PROBAT] In quibus verbis venustas & sapientia pariter collucent. Plautus Sticho 5, 5, 7. SAG. *Nimium lepide fabulata est*. STICH. *Veneris mera est oratio*. Petronius Arbiter in Satyrico, de puero Gitone: *Multaque alia moderationis*, *verecundiæque verba*, *quæ formam ejus egregie decebant*. Habebant scilicet verba Cynthiæ a Venere, quod jucunda & venusta, a Minerva, quod moderata, & prudentiæ plena essent. Id nos ita expressimus in Elegia quadam:

Tum Cypria sublecta deæ mollissima verba,
Palladis arguto non sine blanda sale. V.

ibid. QUÆQUE] Pro, *quæ & Venus*, *& Minerva probat*. VULP.

ibid. PROBAT] Ambigue; vel commendat, vel de quibus judicat. PASS.

v. 31. NOSTRÆ VITÆ] Mihi viventi, vel quoad vixero. Auguratur, amorem suum perpetuum fore. Sic Eleg. 5. lib. 3.

Nec bibit e gemma divite nostra sitis.

videlicet nos sitientes. PASS. & VULP. Aut *vita*, est *animo*. Ita Virgilius 11. Æneid.

Nympha decus fluviorum, *animo gratissima nostro*. PASS.

v. 32. TÆDIA DUM MISERÆ SINT TIBI LUXURIÆ] Seneca Epist. 112. *Stomachum illi fecit luxuria: cito tamen cum illa redibit in gratiam*. Idem Epist. 119. *Infelicis luxuriæ ista tormenta sunt*. Sic Virgilius *infelicem invidiam*; Horatius *miseram ambitionem*, Cicero *miserrimam* dixerunt. VULP.

ibid. DUM SINT TIBI] Pro dummodo. Ut Eleg. 4. lib. 4.

O utinam ad vestros sedeam captiva penates,
Dum captiva mei conspicer esse Tati. P.



AU-

ELEGIA III.

QUalis Thesea jacuit cedente carina
Languida desertis Gnosia litoribus:
Qualis & accubuit primo Cepheïa somno,
Libera jam duris cautibus Andromede:

Nec

ARGUMENTUM ELEGIÆ III. LIBRI I.] Narrat, se Cynthiam dormientem reperisse, sed excitare non ausum esse. Mira est autem & prope singularis hujus Elegiæ venustas. VULP.

v. 1. QUALIS &c.] Utitur simili fabularum congerie Sulmonensis poeta, Umbri nostri perpetuus æmulator, Amorum lib. 1. Eleg. 10.

Qualis ab Eurota Phrygiis avecta carinis
Conjugibus belli caussa duobus erat:
Qualis erat Lede, quam plumis abditus albis
Callidus in falsa lusit adulter ave:
Qualis Amymone siccis errabat in Argis,
Quum premeret summi verticis urna comam;
Talis eras. VULP.

ibid. THESEA CARINA] Sic *Thesea perjuria linguæ* apud Tibullum Eleg. 6. lib. 3. V.

ibid. JACUIT LANGUIDA] Somno solutis membris cubuit in lecto. Ovidius Epist. Ariadnæ v. 9.

Incertum vigilans, a somno languida, movi
Thesea prensuras semisupina manus.

Horatius Epodo 5.

Formidolosæ dum latent silvis feræ
Dulci sopore languidæ. PASS.

ibid. CEDENTE] Decedente, litus insulæ Naxi relinquente. Virgilius Ecloga 4. v.38.

Cedet & ipse mari vector; nec nautica pinus
Mutabit merces. VULP.

ibid. CARINA] Pro nave. *Carina*, inquit Festus, *infima pars navis: unde carinantes ultima fortis homines probra objectantes.* P.

v. 2. DESERTIS LITORIBUS] Humano cultu vacantibus. Catullus Carm. 63. ipsius Ariadnæ verbis:

Siccine me patriis avectam, perfide, ab oris,
Perfide, deserto liquisti in litore, Theseu?

Cicero lib. 1. ad Atticum: *Hoc litus, atque aër & solitudo mera.* PASS.

ibid. GNOSIA] Ariadna, Minois Cretensium regis filia, a Gnoso, principe Cretæ urbe, sic appellata. Fabulam vide apud Catullum De Nuptiis Pelei ac Thetidos, & apud Ovidium Epist. Heroidum 10. item lib. 3. Fastorum. Eidem poetæ lib. 1. Artis Amat. dicitur *Gnosis*, & *Gnosias*. V.

Gnosia. ita recte Groninganus, Regii, Colbertini, & editiones priscæ. vulgo, & male, *Gnossia*. BROUKH.

v. 3. ACCUBUIT] Quievit somno domita. Noster Eleg. 4. lib. 4. de Tarpeja, virgine Vestali:

Dixit, & incerto permisit brachia somno,
Nescia se furiis accubuisse novis.

Vel accubuit Perseo, cubuit prope Perseum. Sic Eleg. 13. lib. 3.

Nycteos Antiopen accubuisse Lyco.

Sed prima explicatio verior. Securitas post magnum pavorem, somni conciliatrix. Ludovicus Areostus Rolandi Furentis Cantu 10. strophe 18.

Il travaglio del mare, e la paura,
Che tenuta alcun dì l' aveano desta,
Il ritrovarsi al lito ora sicura,
Lontana da rumor ne la foresta,
E che nessun pensier, nessuna cura,
Poi che 'l suo amante ha seco, la molesta;
Fur cagion, ch' ebbe Olimpia sì gran sonno,
Che gli orsi, e i ghiri aver maggior nol ponno. VULP.

ibid. PRIMO SOMNO] Qui altior & suavior solet esse. Vel prima nocte, qua cum liberatore suo concubuit. VULP.

ibid. CEPHEIA] Cephei Æthiopum regis filia ex Cassiope. Consule Ovidium lib. 4. Metam. & Indicem nostrum. VULP.

v. 4. LIBERA J. D. CAUTIBUS ANDROMEDE] A Perseo nimirum detracta scopulo, cui adfixa erat; solutis catenis. VULP.

ibid. CAUTIBUS] Ita libri MSS. meliores; vulgati, *cotibus*. Cautes, ῥαχία, saxum

Nec minus assiduis Edonis fessa choreis
Qualis in herboso concidit Apidano:
Talis visa mihi mollem spirare quietem
Cynthia non certis nixa caput manibus.

Ebria

xum asperum & abruptum. Virgilius 4. Æneid. *Duris genuit te cautibus horrens Caucasus*. PASS.

v. 5. NEC MINUS] Et pariter, atque etiam, itemque. Noster Eleg. 15. hujus libri:

Nec minus Eois pectus radiare lapillis. PASS.

ibid. ASSIDUIS E. FASSA CHOREIS] Tripudia & saltationes Baccharum diu continuatæ, vires earum sic exhauriebant, ut tandem subito deficerent, & præ nimia lassitudine concidere cogerentur. VULP.

ibid. EDONIS] Mulier Baccha, ita dicta ab Edonis Thraciæ populis ad Hebrum fluvium, vel ab Edono Thraciæ monte, de quo Plinius lib. 4. N. H. cap. 11. Ovidius lib. 11. Metam. v. 69. ubi de Baccho mortem Orphei ulciscente:

Protinus in silvis matres Edonidas omnes,
Quæ fecere nefas, torta radice ligavit. V.

v. 6. IN HERBOIO C. APIDANO] Non in aqua ipsa, sed in ripis Apidani; ut recte Passeratius. Locus est T. Livii lib. 1. Hist. huic Propertiano omnino par. *Herculem*, ait, *in ea loca, Geryone interemto, boves mira specie abegisse memorant, ac prope Tiberim fluvium, qua præ se armentum agens nando trajecerat, loca herbido, ut quiete & pabulo læto reficeret boves, ipsum fessum via procubuisse. In ἀντὶ τῦ prope*, nonnumquam usurpant scriptores. Suetonius in Julio cap. 25. *Per tot successus, ter, nec amplius, adversum casum expertus, in Britannia classe vi tempestatis prope absumta*, &c. nempe in eo mari quod Britanniam alluit. ubi vide Samuelem Pitiscum, qui & alia hujus locutionis adfert exempla. Ceterum alveus, aqua, & ripa videntur flumen constituere, ac partes fluminis esse. Id manifeste colligitur ex Horatio Sat. 3. lib. 2. v. 288.

Juppiter, ingentes qui das adimisque dolores,
Mater ait pueri mensee jam quinque cubantis,
Frigida si puerum quartana reliquerit; illo
Mane die quo tu indicis jejunia, nudus
In Tiberi stabit. Casus medicusve levarit
Ægrum ex præcipiti, mater delira necabit
In gelida fixum ripa, febrimque reducet.

En, quod antea dixerat, *in Tiberi*, mox ipse interpretatur, & ait, *in gelida ripa*, quæ nimirum Tiberis pars erat. Propterea Virgilius lib. 2. Georg. v. 198.

Et qualem infelix amisit Mantua campum
Pascentem niveos herboso flumine cycnos.

Atqui herbæ non in aqua ipsa nascuntur, sed in ripa fluminis. Eodem pacto locutus Homerus lib. 4. Iliad. v. 383.

Ἀσωπὸν δ' ἵκοντο βαθύσχοινον, λεχεποίην.
Ad Asopum venerunt juncosum, herbosum.

Est autem Asopus Bœotiæ fluvius. VULP.

ibid. CONCIDIT] Statim corruit sopore oppressa. Horatius Ode 12. lib. 1. *Concidunt venti, fugiuntque nubes*. PASS.

ibid. APIDANO] Apidanus Thessaliæ amnis, qui in Peneum labitur. VULP.

v. 7. VISA MIHI] Vigilanti scilicet, non dormienti & somnianti, ipsa dormiens. P.

ibid. MOLLEM QUIETEM] μαλακὸν κῶμα. Catullus Galliambo:

Abit in quiete molli rabidi furor animi. P.

ibid. M. SPIRARE QUIETEM] Lenem somnum docere spirando & respirando. Huc mentem, puto, adhibuit Torquatus Tassus, qui omnes omnibus veneres unus surripere consuevit, libro 14. Gothifredi, strophe 66.

Ma quando in lui fissò lo sguardo, e vide,
Come placida in vista egli respira,
E ne' begli occhi un dolce atto, che ride,
Benchè sian chiusi, or che fia, s'ei li gira?
Pria s' arresta sospesa, e gli s' asside
Poscia vicina, e placar sente ogn' ira
Mentre il risguarda, e 'n su la vaga fronte
Pende omai sì, che par Narciso al fonte.

Loquitur de Raynaldo dormiente. VULP.

v. 8. NON CERTIS MANIBUS] Vacillantibus; quæ commissum pondus male sustentarent. Sic *incerto pede* dixit Horatius Epodo 11. VULP.

ibid. NIXA CAPUT] Noster lib. 2. Eleg. 29.

Prosilit in laxa nixa pedem solea.

Sunt autem hæc omnia venustissima, & ab ipsis Gratiis poetæ nostro dictata. VULP. Hinc jocus Plauti Mil. Glor.

Ecce autem ædificat: columnam mento suffulcit. P.

v. 9.

Ebria quum multo traherem vestigia Baccho,
Et quaterent sera nocte facem pueri.
Hanc ego nondum etiam sensus deperditus omnes
Molliter impresso conor adire toro.
Et quamvis duplici correptum ardore juberent
Hac Amor, hac Liber, durus uterque deus,

Subje-

v. 9. EBRIA VESTIGIA] Pedes ob ebrietatem infirmos ac titubantes. Tribuit pedibus quod est hominis ipsius. Ita Seneca Medea v. 69. de Hymenæo :

Huc incede gradu marcidus ebrio. VULP.

ibid. TRAHEREM VESTIGIA] Vix pedem pedi præferrem, pedem struerem, ut est in XII. Tabulis. Virgilius 3. Æneid.

Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora. PASS.

ibid. VESTIGIA] Scilicet plantas pedum, quibus imprimuntur vestigia. Catullus Eleg. de Coma Berenices : *Quamquam me nocte premunt vestigia divûm.* Noster Eleg. 5. hujus libri : *Ignotos vestigia ferre per ignes.* V.

v. 10. QUATERENT FACEM] Ita Catullus Carm. 60. *Manu Pineam quate tædam.* Quod dicunt etiam *ventilare*. Propertius Eleg. 3. lib. 4.

Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem. V.

ibid. SERA NOCTE] Hoc est multa, provecta, intempesta. Livius lib. 1. Hist. *Lucretiam ...... nocte sera deditam lanæ inter lucubrantes ancillas in medio ædium sedentem inveniunt.* Contra Horatius Ode 7. lib. 3. *Prima nocte domum claude.* VULP.

ibid. PUERI] παῖδες δᾳδοῦχοι, λαμπαδηφόροι. Plautus Curcul. 1, 1, 9.

Tute tibi puer es : lautus luces cereum. V.

v. 11. NONDUM ETIAM] Τὸ *etiam* παρέλκει. Sic Eleg. 9. hujus libri :

Nondum etiam palles, vero nec tangeris igni.

Et Eleg. 10. lib. 2.

Nondum etiam Ascræos norunt mea carmina fontes.

Vetus Glossarium : *Nondum etiam*, οὐδέπω. P.

ibid. N. E. SENSUS DEPERDITUS OMNES] Quum sensus adhuc vigilarent, neque essent vino plane obruti, sepultique. Modica enim ebrietas libidinem excitare solet, immodica obruere. Audi Ovidium in Remed. Amoris v. 805.

Vina parant animum Veneri, nisi plurima sumas ;
Ut stupeant multo corda sepulta mero.
Aut nulla ebrietas, aut tanta sit, ut tibi curas
Eripiat : si qua est inter utramque, nocet. V.

ibid. SENSUS OMNES] Ita Catullus Carmine 51. *Misero quod omnes Eripit sensus mihi.* PASS.

ibid. DEPERDITUS] *De* intendit vim verbi. sic Eleg. 30. lib. 2.

Ut Semele est combustus, ut est deperditus Io. P.

A. Gellius lib. 5. N. A. cap. 1. *Quisquis ille est qui audis, nisi ille est plane deperditus.* V.

v. 12. MOLLITER IMPRESSO T.] Leviter presso. compositum pro simplici. V.

ibid. CONOR] Hoc verbum hic notat cogitare, decernere, sibi proponere. Valerius Æditus, apud A. Gellium lib. 19. cap. 9.

Dicere quum conor curam tibi, Pamphila, cordis,
Quid mi abs te quæram? verba labris abeunt.

Lucretius lib. 1.

Sed veluti pueris absynthia tætra medentes
Quum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore.
BROUKH.

ibid. ADIRE] Ad eam accedere ; ut recte Broukhusius : non, inire ; ut contendebant Passeratius & Gebhardus. Ita Ovidius lib. 3. Amorum Elegia 7.

A tenera quisquam sic surgit mane puella,
Protinus ut sanctos possit adire deos.

Est quidem interdum *adire* nuptum verbum, ac τῶν ἀφροδισίων. Tibullus Eleg. 5. lib. 1.

Sed jam quum gaudia adirem,
Admonuit dominæ, deseruitque Venus.

non tamen omnia venustorum poetarum ad obscœnitatem detorquenda temere ac trahenda sunt. VULP.

v. 13. DUPLICI CORREPTUM ARDORE] Gemino calore incensum amoris & vini. Ovidius lib. 12. Metam.

Quam

Subjecto leviter positam tentare lacerto,
  Osculaque admota sumere ad ora manu:
Non tamen ausus eram dominæ turbare quietem,
  Expertæ metuens verbera sævitiæ.
Sed sic intentis hærebam fixus ocellis,
  Argus ut ignotis cornibus Inachidos.

Et

Quam vino pectus, tam virgine visa Ardet, & ebrietas geminata libidine regnat. P.

v. 14. HAC AMOR, HAC LIBER] Ex una parte Cupido, ex altera Bacchus. Eodem pacto Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 11.

Luctantur, pectusque leve in contraria tendunt
Hac amor, hac odium: sed, puto, vincit amor. P.

ibid. DURUS UTERQUE DEUS] Imperiosus, & cui dicto audientem esse oporteat. Naso Amorum lib. 1. Eleg. 6.

Nox, & Amor, vinumque nihil moderabile suadent:
Illa pudore vacat: Liber, Amorque metu.

Juvenalis Sat. 6. v. 299. *Quid enim Venus ebria curat?* Propertium imitari videtur Papinius lib. 8. Thebaid.

Illa genas Phœbo, crinem hic pascebat Iaccho:
Sævus uterque deus. PASS. & VULP.

v. 15. LEVITER] Non, *leviter positam*: sed *leviter subjecto*, aut *leviter tentare*. P.

ibid. POSITAM] Jacentem quasi mortuam. Virgilius lib. 2. Æneid. v. 644. verbis Anchisæ:

Sic o, sic positum adfati discedite corpus. V.

ibid. TENTARE] Tactu experiri an dormiret, vel etiam attrectare. Pedo Albinovanus ad Liviam v. 325.

Et modo per somnos agitaris imagine falsa,
Teque tua Drusum credis habere sinu.
Et subito tentasque manu, sperasque receptum.

A teneo, tento; ut a sustineo, sustento; retineo, retento. *Tentare venas:* Suetonius in Tiberio, cap. 72. PASS.

ibid. LACERTO] Lacerti partes brachiorum a cubito ad manus vertebram. Latini eos ita vocavere, quod illorum tori exstantes, lacerto reptili similes quodammodo sint. Ob parem caussam partes carnosas humani corporis *musculos* dixere, quod in motu contractæ, inflatæ, ac spiritu plenæ, parvos quasi mures referre videantur. V.

v. 16. OSCULAQUE ADMOTA SUMERE AD ORA MANU] Ita legendum docuit jampridem Joannes Fridericus Gronovius lib. 4. Observat. cap. 6. Significat poeta id osculandi genus quod χύτραν Græci appellabant: de quo genere dixi ad Tibulli Eleg. 5. lib. 2. Vulgati libri habent *ad arma*, quod interpretes ad turpitudinem trahunt. Hesychius auctor est, apud Græcos quoque, ὅπλον aliquando τὸ τοῦ ἀνδρὸς αἰδοῖον significare. Sed nunc non erat his locus. Posset etiam intelligi aliud osculi genus, de quo Suetonius in Augusto, cap. 94. *Ejusque osculum delibatum digitis ad os suum retulisset.* Ita vero, τὸ *ora* significaret utrumque os, videlicet puellæ, ac Propertii. VULP.

v. 17. DOMINÆ TURBARE QUIETEM] Dixerunt Latini poetæ, *somnos abrumpere, divellere, turbare, fugare*. Noster Eleg. 8. lib. 4.

Lumina sopitos turbant elata Quirites. V.

v. 18. EXPERTÆ SÆVITIÆ] πεπειραμένης. nempe, quam sæpe sum expertus. Propertius iterum Eleg. 4. lib. 3.

Ite, agite, expertæ bello date lintea proræ.

Sic apud Sallustium Bello Catilin. cap. 7. *Sed civitas, incredibile memoratu est, adepta libertate, quantum brevi creverit.* hoc est, quum adepta esset libertatem. VULP.

ibid. VERBERA] Maledicta enim & convicia, perinde ac plagæ, percutere ac verberare solent. Vulgati codices, *jurgia*; minus eleganter. *Patruæ verbera linguæ*, dixit Horatius feliciter audax, Ode 12. lib. 3. BROUKH. & VULP.

v. 19. INTENTIS HÆREBAM FIXUS OCELLIS] Oculos meos ab ejus oculis & vultu non dimovebam: totusque eram in ejus forma contemplanda. Gestus admirantis. & notandum τοῖς τὸ αὐτό: ut apud Ciceronem pro C. Rabirio: *Abditum latere in occulto.* Virgilius Æneid. 11. *Oculos horrenda in virgine fixus.* & Æneid. 1. *Dum stupet, obtutuque hæret defixus in uno.* PASS.

v. 20.

Et modo ſolvebam noſtra de fronte corollas,
Ponebamque tuis, Cynthia, temporibus.
Et modo gaudebam lapſos formare capillos,
Nunc furtiva cavis poma dabam manibus.

v. 20. ARGUS UT I. C. INACHINOA] Non dimovebat enim paſtor Argus ceotum oculos ſuos ab Io Inachi filia, io vitulam converſa, quam ipſi Juno zelotypa cuſtodiendam commiſerat: ſed eam aſſidue ſervabat & contemplabatur. De hac fabula vide Naſonem lib. 1. Metam. & Indicem noſtrum. V.

ibid. IGNOTIS CORNIAUS] Quæ Argus putabat eſſe vaccæ, quum eſſent puellæ: vel quæ ipſa Io neſciebat ſe gerere, donec io flumine conſpexit. Eſt autem aptiſſima & pulcherrima comparatio. VULP. & PASS.

v. 21. SOLVEBAM NOSTRA DE FRONTE C.] Anacoluthon in numero, *ſolvebam noſtra*, pro mea. nam uſus poſtulabat, ſolvebamus noſtra. Flores autem aut ſerti, aut ſoluti. Appulejus lib. 2. A. A. *Roſa ſoluta in ſinu tuberante*. Pendebant vero flores & ſerta ſic ut in frontem dimitterentur. Eleg. 2. lib. 4.

Nec flos ullus biat pratis, quin ille decenter
Impoſitus fronti langueat ante mea.

Et Eleg. 33. lib. 2.

Quum tua præpendent demiſſæ in poculo ſerta.
PASS.

ibid. COROLLAS] Græci στεφανίσκους, Latini olim ſtrophiola vocabant, deinde corollas ob gracilitatem, & corollaria additâ æneâ laminâ. Plinius lib. 21. H. N. cap. 2. P. Et hoc argumentum temulentiæ, coronam capite gerere. Valerius Maximus lib. 6. Memorabil. cap. 9. ita deſcribit Polemonem, diſſolutum juvenem, Xenocratis auditorium intrantem: *Vino gravis, unguentis delibutus, ſertis capite redimito*. Multa exempla hujus conſuetudinis vetuſti auctores paſſim ſuppeditant. VULP.

v. 22. PONEBAMQUE TUIS, CYNTHIA, TEMPORIBUS] Imponebam capiti tuo. Aphæreſis; vel ſimplex verbum pro compoſito, ut ſuperius, *cedente carina*. Noſter tamen Eleg. 2. lib. 4. *quum eſt impoſita corona*. Tempora, κρόταφοι, partes capitis concavæ. P.

v. 23. GAUDEBAM] Me juvabat, me delectabat. PASS.

ibid. LAPSOS CAPILLOS] Tamquam de ſtatione ſua decedentes, & novam ornatricis operam deſiderantes. BROUKH.

ibid. FORMARE CAPILLOS] Revocare, fingere, ac rurſum componere. Nos in Elegia quadam, veterum elegantiam tentantes:

Felix, o ſonipes! quem dulcia juſſa fatigant,
Cui manus incomtas fingit amica jubas.

Formabantur etiam oculi mortuorum propinqui alicujus manu, ne rigentes atque hiantes horrorem præſentibus excitarent. Albinovanus in Conſolatione ad Liviam v. 159.

Atque utinam Druſi manus altera, & altera fratris
Formarent oculos comprimerentque meos! V.

v. 24. FURTIVA POMA] Furtim. nomen pro adverbio. Sic Eleg. 16. hujus libri:

Debitaque occultis vota tuli manibus.

nempe clam, latenter, ſine arbitris. P.

ibid. CAVIS MANIBUS] Subaudi *Cynthiæ*, dandi caſu. Puella enim dormiens ita volam manus flectebat, ut pomum prendere & continere facile poſſet. VULP.

ibid. POMA] Non me fugit, diſputatum olim ad Lipſii menſam (ut ipſe narrat lib. 3. Antiqu. Lect.) quænam eſſent poma iſta, quorum ebriolus noſter lepide meminit. Antonius Deinius, unus ex convivis, elegantis ingenii vir, nequitiam hic latere ſuſpicatus eſt: a quo tamen ipſe longe diſſentio; animadverto enim, diſtichon quod proxime ſequitur, tamquam ſcholion eſſe verſiculi præcedentis:

Omnia quæ ingrata largibar munera ſomno,
Munera de prono ſæpe voluta ſinu.

Quid aliud, amabo, hæc munera, niſi poma ipſa in arbore nata, ob rotundam figuram, nullo negotio decurrentia? Catullus adſtipulatur Carm. 64. nec dubitationi locum relinquit:

Ut miſſum ſponſi furtivo munere malum
Procurrit caſto virginis e gremio,
Quod miſeræ oblitæ molli ſub veſte locatum,
Dum adventu matris proſilit, excutitur,
Atque illud prono præceps agitur decurſu.

Omnia quæ ingrato largibar munera ſomno,
  Munera de prono ſæpe voluta ſinu.
Et quoties raro duxti ſuſpiria motu,
  Obſtupui vano credulus auſpicio:
Ne qua tibi inſolitos portarent viſa timores,
  Neve quis invitam cogeret eſſe ſuam.

Donec

Non diffiteor tamen, mala puellis muneri miſſa, pleramque ſignificaſſe aliquid non pudicum: & ſi acciperentur, concubitus pignora fuiſſe habita. Vetus ille amator apud Theocritum Idyllio 2. v. 120. it ad ſuos amores viſum

Μᾶλα μὲν ἐν κόλποισι Διωνύσοιο φυλάσσων.
Mala in ſinu Bacchi habens.

Fortaſſe ex loco aliquo ſumta qui locus Dionyſio dicatus eſſet; ut ait Scholiaſtes Græcus. Philetas quoque Cous in Elegis, qui jampridem interciderunt, memoraverat hæc Bacchi mala, quæ Atalantam illam curſu celerrimam, in Hippomenis amorem vi quadam occulta induxiſſent: ut in iiſdem Theocriti Scholiis legere eſt. VULP.

v. 25. INGRATO SOMNO] Qui ſomnus minus mihi gratus erat: maluiſſem enim Cynthiam evigilare, ſed ſponte, ac nullo incommodo ſuo. Propterea munerabar ſomnum, tamquam deum aliquem, ut eam relinquere vellet. VULP. Aut Cynthiæ dormienti & nihil ſentienti. Eleg. 17. infra:

Omniaque ingrato litore vota cadunt.

Virgilius Æneid. 6.

Flebant, & cineri ingrato ſuprema ferebant.

Et in Catalectis:

Quid cineri ingrata ſervas benevolentia ſerta?

An *ingrato*, immemori; nam ſomniculoſi, oblivioſi? Eleg. 10. lib. 3. aliter dicet:

Dulciaque ingratos adimant convivia ſomnos. PASS.

ibid. LARGIBAR] Pro *largiebar*. Ita Catullus Carm. 63.

Vellera virgati cuſtodibant calathiſci. V.

v. 26. MUNERA] Elegans ἀναφορὰ, quales amat poeta noſter. PASS.

ibid. DE PRONO S. VOLUTA SINU] Quæ procurrere ſolent a gremio ſurgentium puellarum. Vide Catullum ad Hortalum, Carm. 64. Tangit & proverbium de quo Feſtus: Nec mulieri, nec gremio credi oportere. Catullus quoque Elegia ad Manlium conjunxit, *pronum*, & *volvi*:

Qui quum de prona præceps eſt valle volutus,
Per medium denſi tranſit iter populi. P.

v. 27. RARO MOTU] Pulmonum ſcilicet; quo tenui placidoque ſuſpirio perpetuum quietis tuæ tenorem identidem interrumpebas. VULP.

ibid. DUXTI SUSPIRIA] Duxiſti ſuſpiria. *συγκοπὴ*. Ovidius lib. 10. Metam.

Myrrha, patre audito, ſuſpiria duxit ab imo
Pectore. PASS.

v. 28. OBSTUPUI] Qui timent, ita plerumque ſtupent ac rigent, ut commovere ſe non poſſint. PASS.

ibid. VANO CREDULUS AUSPICIO] Temere credens animi mei præſagio, quod leve & inane erat. Ita Virgilius Ecl. 9.

Me quoque dicunt
Vatem paſtores: ſed non ego credulus illis. P.

ibid. AUSPICIO] Auſpicium proprie divinatio ex avium cantu, aut volatu. Hic vero accipitur pro quolibet omine, ſuſpicione, vel conjectura. *Auſpicio* poteſt etiam eſſe ſexti caſus. PASS.

v. 29. NE] Subaudi *forte*. VULP.

ibid. QUA VISA] Aliqua inſomnia formidoloſa. VULP.

ibid. PORTARENT TIMORES] Simplex pro compoſito, adportarent. Seneca Troadibus:

Quæ viſa portent, effer in medium metus. P.

v. 30. INVITAM COGERET ESSE SUAM] Vi, minis, veneficiis, donis; nam & dona cogunt & expugnant pudicas. Donatus in illud Phormionis 1, 4. *Vi coactum eſſe te invitum:* Interdum etiam ipſi nos cogimus propria voluntate; ut in Andria: *Tu coactus tua voluntate es.* PASS.

v. 31. DIVERSAS FENESTRAS] Hoc eſt adverſas, oppoſitas, contra lectulum Cynthiæ ſitas, ut per illarum rimas Luna radios immitteret, ac dormientis oculos feriret.

Donec diversas percurrens Luna fenestras,
Luna moraturis sedula luminibus,
Compositos levibus radiis patefecit ocellos.
Sic ait in molli fixa toro cubitum:

Tan-

ret. Hanc librorum pæne omnium lectionem optime defendit ac stabilivit J. F. Gronovius Notis ad L. Senecam lib. 2. de Ira cap. 23. Ita Sallustius Bello Catilin. *Diversa inter se mala, luxuria & avaritia*. Seneca de Vita Beata, cap. 7. *Dissimilia ac diversa componitis*. Cæsari quoque lib. 2. de Bello Civili, & Suetonio in Julio, *diversæ partes*, sunt contrariæ atque adversæ factiones. VULP.

ibid. PERCURRENS] Cursim transiens & perlustrans. Miræ proprietatis verbum. Virgilius lib. 8. Æneid.

Ignea rima micans percurrit lumine nimbos. P.

v. 32. MORATURIS LUMINIBUS] Longiorem noctem & hibernam significare videtur. Nam & *moraturam Phœbi lucem* dixit Propertius lib. 3. Eleg. 20. ut æstivum diem significaret:

Nox mihi prima venit: primæ data tempora noctis
Longius in primo, Luna, morare toro.
Tu quoque, qui æstivos spatiosius exigis ignes,
Phœbe, moraturæ contrahe lucis iter.

Luna percursura erat, nisi officii caussâ postea morari voluisset, quasi spectatura Cynthiæ formam, & Propertio prælucere cupiens. PASS.

ibid. SEDULA] Nimis officiosa: cujus sedulitas mihi nocuit, ablato scilicet tam jucundo spectaculo, meque puellæ experrectæ conviciis objecto. Sedulus est, a quo dolus abest, nec abest diligentia, sed ea nihil aut parum prodest ei cui opera navatur. unde Cicero pro Archia, *sedulitatem mali poetæ* dixit, quia is diligenter & pro viribus scribebat, sed adversis Musis & Apolline. Horatius Epist. 13. lib. 1.

Ne studio nostri pecces, odiumque libellis
Sedulus importes. PASS.

v. 33. COMPOSITOS OCELLOS] Clausos nimirum, & palpebris conciliatis. Contra Silius Italicus lib. 7. Punic. v. 204.

Donec composuit luctantia lumina somnus.

Mortuis autem componuntur oculi: & somnus frater mortis. Sic *condi lumina* dicuntur Eleg. ult. lib. 4.

Condita sunt vestro lumina nostra sinu. P. & V.

ibid. LEVIBUS RADIIS] Velocibus, aut tenuibus, & minimas etiam rimas penetrantibus. PASS. Lunæ radii tenues & leves dici possunt, nempe blandi, suaves, mites, si cum radiis Solis longe acrioribus comparentur. VULP.

v. 34. SIC AIT] Donatus in Andriam docet, interdum, *sic*, idem valere, quod leviter, negligenter, languide, quod Græci *αὔτως*, inquit, pro *ὅτως*. & est gestu adjuvandum. Muretus monet, legi in vet. lib. *Hic*. id erit, *tunc*. quod & ipsum (*tunc*) vetus codex Memmii habet. Vide Eleg. 29. lib. 2. ubi Cynthia sic objurgat Propertium. PASS.

ibid. IN MOLLI TORO] Homerus Iliad. 9. Εὐνῇ ἐνὶ μαλακῇ. PASS.

ibid. FIXA TORO CUBITUM] Virgilius 4. Æneid.

Ter sese attollens, cubitoque innixa levavit.

Ovidius lib. 11. Metam. de Somno deo:

Excussit tandem sibi se, cubitoque levatus
Quid veniat, cognovit enim (Irin), sciatur.

Petronius Satyrico: *Erectus igitur in cubitum hac fere oratione contumacem vexavi.* Quibus ex locis videtur hic legendum, *Nixa*, non *fixa*, quamvis nihil ausim mutare absque libris. PASS. Virgilius tamen, a Broukhusio allatus, lib. 6. Æneid. dixit *figere vestigia*:

cui fidus Achates
It comes, & paribus curis vestigia figit.

id est, inquit Servius, *stat subito: quod cogitantes facere consueverunt*: Ita Cynthia sopore discusso paullulum cogitabunda cubitum figit in lectulo. VULP.

v. 35. TANDEM TE &c.] Conqueritur Cynthia desertum a Propertio vadimonium, quod ille in noctem certam promiserat. V. Sero, inquit, sed aliquando tamen. *Tandem*, est conquerentis de alterius mora. P.

ibid. N. REFERENS INJURIA LECTO] Refertur ad *lecto*, & ad *alterius*. PASS. Ad nostrum lectum te reducens. Eleg. 18. hujus libri:

Sic

Tandem te nostro referens injuria lecto
Alterius clausis expulit e foribus.
Namque ubi longa meæ consumsti tempora noctis
Languidus exactis, hei mihi, sideribus?
O utinam tales producas, improbe, noctes,
Me miseram quales semper habere jubes.

Nam

Sic mihi te referas levis, ut non altera nostro
Limine formosos intulit ulla pedes.

Propterea, cave auscultes Passeratio explicanti: *Injuria nostro lecto a te facta*: hujusmodi enim injuria perfidum amatorem non refert ad amicam, sed procul abducit. V.

ibid. INJURIA] Quam altera tibi fecit quum te exclusit. Hoc autem Cynthia dicit non ex opinione sua, sed ex Propertii. Amantes enim excludi & non admitti injuriam putant. VULP.

v. 36. ALTERIUS] Ab hac voce derivantur *adulter*, *adultera*, *adulterium*; quasi accessus ad alterum, vel alteram. Tibullus Eleg. 4. lib. 3.

Carminibus celebrata tuis formosa Neæra
Alterius mavult esse puella viri. PASS.

Hujus vim vocis erudite notavit Lactantius lib. 1. Divin. Instit. cap. 10. loco plane memorabili: *Parum enim*, ait, *videbatur*, *si* (Juppiter) *in expugnanda feminarum pudicitia maculosus esset ac turpis; nisi etiam sexui suo injuriam faceret. Hoc est verum* ADULTERIUM; *quod fit contra naturam*. Iccirco Beatus Judas in Epistola Catholica appellat Sodomorum cives *abeuntes post carnem alteram*, nempe masculam, quæ cum altero sexu, nempe femineo, κατὰ φύσιν, conjungi debet. V.

ibid. EXPULIT E FORIBUS] Ita libri omnes; quod retinendum. Antiqui enim, ut monet elegantissimus Broukhusius, mirum in modum gaudebant his præpositionibus geminatis. Affert ipse testimonia Cæsaris, Nepotis, Ciceronis, & Catulli. V. Scaliger malebat *repulit*, ad vitandum ὀξύμωρον. Sed & expelli & dejici quis dicitur etiam quum prohibetur accedere in eum locum unde dicitur dejici. qua de re longa disputatio apud Ciceronem pro Cæcina. P.

v. 37. LONGA NOCTIS TEMPORA] Amantibus nox videtur longa. Horatius Epist. 1. lib. 1. *Ut nox longa quibus mentitur amica.* Idem Ode 25. lib. 1. *Me tuo longas pereunte noctes, Lydia, dormis.* Noster Eleg. 12. infra:

Nunc primum longas solus cognoscere noctes
Cogor. PASS.

ibid. MEÆ NOCTIS] Mihi promissæ, mihi debitæ, ad me unam pertinentis. Eodem pacto Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Blanditiasne meas aliis tu vendere es ausus?
Tune aliis demens oscula ferre mea? P.

ibid. CONSUMSTI] συγκοπή. consumsisti, contrivisti. Sic Eleg. 32. lib. 2.

Sin autem longo nox una aut altera lusu
Consumta est.

Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 10.

Sæpe ego lascivæ consumto tempore noctis
Utilis, & fortè corpore mane fui. PASS.

Tibullus quoque Eleg. 9. lib. 1.

Illâ nulla queat melius consumere noctem. V.

v. 38. LANGUIDUS] Opere foris faciundo lassus. Vide Tibullum Eleg. 9. lib. 1. v. 56. VULP.

ibid. EXACTIS SIDERIBUS] Peracta nocte. Sic Eleg. 8. l. 3.

Quum fuerit multis exacta trientibus hora.

Vel, sideribus fugatis ortu Solis. quam sententiam Ovidius ita expressit lib. 2. Metam. v. 114.

Diffugiunt stellæ: quarum agmina cogit
Lucifer, & cæli statione novissimus exit. P.

v. 39. PRODUCAS NOCTES] Probo Nicolai Heinsii lectionem, quam Broukhusius merito sequitur. Alii, *perducas*. minus recte. Lucanus lib. 10. v. 172.

Postquam epulis Bacchoque modum lassata voluptas
Imposuit, longis Cæsar producere noctem
Inchoat alloquiis.

Terentius Adelphis 4, 2.

Unum quidquid, quod quidem erit bellissimum,
Carpam, & cyathos sorbillans paullatim hunc producam diem.

Ver-

Nam modo purpureo fallebam ſtamine ſomnum,
Rurſus & Orpheæ carmine feſſa lyræ.

In-

Verbo ſimplici uſus eſt Noſter Eleg. 6. lib. 4.

Sic noctem patera, ſic ducam carmine, donec
Injiciat radios in mea vina dies. VULP.

ibid. IMPROBE] Infidelis, perfide. ut Eleg. 4. lib. 4. de Tarpeja, quæ fidem Veſtæ datam violaverat:

Improba virgineo lecta miniſtra foco. P.

v. 40. HABERE] Ducere, producere. Sic Plautus Aſinaria: *Tot reddat ſpurcas, (noctes) quot puras habuerit.* Virgilius quoque 5. Æneid.

Jamque dies, niſi fallor, adeſt, quem ſemper acerbum,
Semper honoratum (ſic dii voluiſtis) habebo. P.

ibid. JUBES] Pro, cogis tua improbitate. Virgilius 3. Æneid. v. 321.

O felix una ante alias, Priameïa virgo,
Hoſtilem ad tumulum Trojæ ſub mœnibus altis
Juſſa mori. PASS. Nimirum coacta. quod aperte Ovidius Epiſt. Heroid. 7. v. 68.

Protinus occurrent falſæ perjuria linguæ,
Et Phrygia Dido fraude coacta mori. V.

v. 41. NAM MODO] Sic Eleg. 15. lib. 2.

Nam modo nudatis mecum eſt luctata papillis,
Interdum tunica duxit operta moram. P.

ibid. PURPUREO STAMINE] Purpura nonnumquam a Latinis vocatur liquor ipſe muricis, quo ad lanas tingendas utebantur; nonnumquam ſtamen quod eo liquore inficeretur. Hac poſteriore ſignificatione accipit Catullus Carm. 63.

Inde quod dente politum
Tincta tegit roſeo conchyli purpura fuco.

ad quem locum videſis luculentas adnotationes noſtras. L. Seneca pariter Conſolat. ad Helviam cap. 11. *Si deſiderat ſaturatam multo conchylio purpuram.* ſcilicet veſtem purpuream dibapham, bis tinctam. Ceterum antiqui lanæ vellera, priuſquam ea nenda vel texenda locarent, & ex iis pannos conficerent, purpura, vel aliis coloribus imbuebant. quod quum ex hoc Propertii verſiculo, tum ex illis Horatii Epodo 12. facile intelligi poteſt:

Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ
Cui properabantur? tibi nempe.

Porro reginæ ipſæ lanam purpuream colo nebant. Homerus lib. 4. Odyſſeæ v. 134. ubi Helenam deſcribit opus facientem;

Αὐτὰρ ἐπ' αὐτῷ
Ἠλακάτη τετάνυστο ἰοδνεφὲς εἶρος ἔχουσα.

Ceterum ſuper eum (calathum)
Colus extenſa erat violaceam lanam habens.

Erat enim genus purpuræ violaceæ, quam Ianthinam etiam & amethyſtinam vocabant. Oſtrea vero quæ colorem illum præbebant, in Laconia, vel Tarenti capiebantur. Quamobrem Horatius Ode 18. lib. 2. *Nec Laconicas mihi Trahunt honeſtæ purpuras clientæ.* quod ſcilicet hoc non eſſet vilium ancillarum. Idem Epiſt. 1. lib. 2. v. 207.

Lana Tarentino violas imitata veneno.

Coæ purpuræ, quarum fit mentio apud eumdem Ode 13. lib. 4. violaceæne eſſent, an alio colore, mihi non ſatis compertum eſt. Arete quoque, uxor Alcinoi Phæacum regis, ab Homero deſcribitur lib. 6. Odyſſeæ v. 306.

Ἠλάκατα στρωφῶσ' ἁλιπόρφυρα θαῦμα ἰδέσθαι.

Penſum verſans purpureum mirabile viſu.

Juſtinus tandem lib. 1. Hiſt. Trogi cap. 3. *Præfectus ipſius* (Sardanapali) *Medis præpoſitus, nomine Arbactus, quum admitti magna ambitione ægre obtinuiſſet, invenit eum inter ſcortorum greges purpuram colo nentem.* V.

ibid. FALLEBAM SOMNUM] Effugiebam clanculum, & quaſi ipſi verba dabam. Ovidius Epiſt. Herûs v. 37.

Tortaque verſato ducentes ſtamina fuſo
Feminea tardas fallimus arte moras. P.

Ita Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. v. 139.

tardi reputans quæ tempora belli
Ante torum, & longo mulcens inſomnia penſo, &c. VULP.

v. 42. RURSUS ET] Præterea, nec non, quoque. Significat Propertius hac particula, Cynthiam, dum amici adventum exſpectaret, alternis neviſſe, alternis lyram pulſaviſſe. VULP. Idem Eleg. 27. lib. 2.

Rurſus & objectum fletis capiti eſſe tumultum,
Quum Mavors dubias miſcet utrimque manus.
Præterea domibus flammam, domibuſque ruinam. PASS.

ibid. ORPHEÆ LYRÆ] Pro *Orpheia*. Sic Ovidius lib. 11. Metam. v. 22.

Mænades Orphei titulum rapuere theatri. V.

ibid. ORPHEÆ CARMINE LYRÆ] Quid hoc

rei

Interdum graviter mecum deserta querebar
Externo longas sæpe in amore moras:
Dum me jucundis lapsam sopor impulit alis.
Illa fuit lacrimis ultima cura meis.

ELE-

rei fit, explicat Lucianus in libello de Astrologia. Ἕλληνες δὲ, inquit, οὔτε παρ' Αἰθιόπων, οὔτε παρ' Αἰγυπτίων Ἀστρολογίης πέρι οὐδὲν ἤκουσαν, ἀλλὰ σφίσιν Ὀρφεὺς ὁ Οἰάγρου καὶ Καλλιόπης, πρῶτος τάδε ἀπηγήσατο. οὐ μάλα ἐμφανέως, οὐδὲ ἐς φάος τὸν λόγον προήνεγκεν, ἀλλ' ἐς γοητείην καὶ ἱερολογίην, οἵη διάνοια ἐκείνου. πηξάμενος γὰρ λύρην, Ὄργιά τε ἐποιέετο, καὶ τὰ ἱρὰ ἤειδεν. ἡ δὲ λύρη ἑπτάμιτος ἐοῦσα, τὴν τῶν κινεομένων ἀστέρων ἁρμονίην συνεβάλλετο. h.e. *At vero Græci nec ab Æthiopibus, nec ab Ægyptiis de Astrologia quidquam audiverunt: verum illis Orpheus Oeagro Calliopeque prognatus, primus ista memoravit. non ille quidem admodum dilucide, neque rem in lucem protulit, sed sententiam præstigiis ac mysticis involucris obtexit. Nam concinnatâ lyrâ Orgia celebrabat, sacrasque cantiones decantabat. Porro lyra quum septem haberet chordas, concentum mobilium stellarum repræsentabat.* De Orphei lyra Virgilius lib. 6. Æneid. v. 645.

Nec non Threïcius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum:
Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.

Ad quem locum ita Servius: *Orpheus Calliopes Musæ & Oeagri fluminis filius fuit, qui primus Orgia instituit, primus etiam deprehendit harmoniam, id est circulorum mundanorum sonum, quos novem esse novimus, e quibus summus quem ἀνάστρον dicunt, sono caret, item ultimus qui terrenus est. Reliqui septem sunt quorum sonum deprehendit Orpheus; unde utique septem fingitur chordis.* Lyram Orphei novem chordis instructam, & in sideribus collocatam memorat Eratosthenes cap. 24. Catasterism. & Manilius 1. Astronomic. v. 324. & seqq. VULP.

ibid. FESSA] Quum fessa jam essem carpendâ lanâ, lyram solatium laboris in manus sumebam. VULP.

v. 43. INTERDUM] Broukhusius, *interea*: quod non placet. Nempe τὸ *interdum* respondet ei quod supra dixerat: *Nam modo*. VULP.

ibid. MECUM QUEREBAR] Tacita videlicet, corde tantum & animo. PASS.

ibid. QUEREBAR LONGAS MORAS] Dolebam, te diu cessare, & desidere apud alienam. Horatius etiam Ode 2. lib. 1. adhibuit *queri* cum quarto casu: *Seculum Pyrrhæ nova monstra questæ*. Item Ovidius Epist. Didonis v. 29.

Non tamen Æneam, quamvis male cogitat, odi:
Sed queror infidum, questaque pejus amo. P.

v. 4. EXTERNO IN AMORE] Puellæ peregrinæ fortasse, non Romanæ. Ita Eleg. 32. lib. 2.

Tyndaris externo patriam mutavit amore.

Vel certe puellæ non ita familiaris Propertio, quam erat Cynthia. poeta scilicet noster cum ea solebat tamquam cum uxore. V.

ibid. SAEPE] Hoc enim identidem peccabat Propertius, ut videtur. Porro sibi habeat Livinejus illud suum *sæpe-moras*, quod nec Broukhusio, elegantis judicii viro, probare potuit. VULP.

v. 45. DUM] Quousque, donec. ut Eleg. 14. infra:

Quæ maneant, dum me fata perire volent. P.

ibid. JUCUNDIS ALIS] Volucrem Somnum poetæ fingunt, ac statuæ veteres. Jucundas autem Somni alas vocat Propertius, quod optabile ac suave fit curam dormiendo levare. Ovidius lib. 8. Metam. v. 823.

Lenis adhuc Somnus placidis Erisichthona pennis
Mulcebat. VULP.

ibid. LAPSAM IMPULIT] Πρώσμσε, & nutantem dormire omnino coëgit. VULP. Virgilius Æneid. lib. 4. v. 22.

Solus hic inflexit sensus, animumque labantem
Impulit.

& est genus oxymori. Sic, *scuta latentia condunt*, & *submersas obrue puppes*. PASS.

ibid. IMPULIT ALIS] Huic deo soporiferas tribuerunt alas, & virgam quoque. Papinius Statius lib. 1. Silvar. Carm. 4. ad Somnum ipsum:

Nec te totas infundere pennas
Luminibus compello meis; (hoc turba precatur

La-

Latier) extremo me tange cacumine virgæ :
Sufficis : aut leviter suspensa poplite transi.

Minus placet explicatio Passeratii, *Soper jucundis alis*, nempe jucundas alas habens; ut *deus facili aure*. VULP.

v. 46. ILLA F. L. ULTIMA CURA M.] Nimirum cura omnium gravissima. Ita Horatius Ode 16. lib. 1.

Iræ Thyesten exitio gravi
Stravere, & altis urbibus ultimæ
Stetere caussæ, cur perirent
Funditus.

Noster Eleg. 5. hujus libri :

Infelix! properas ultima nosse mala.

Sic & *ultimum bonum*. Cicero lib. 3. de Finibus : *Eorum dico qui summum bonum, quod ultimum appellant, in animo ponerent.* V.

ibid. LACRIMIS MEIS] Mihi lacrimanti. Sic inferius Eleg. 6. hujus libri : *Lacrimis ultima vota meis*. Recte autem lacrimas & curam conjungit : ut Plautus Captivis :

Satis me lacrimis & cura maceravi. P.

Par locus Homeri lib. 1. Odysseæ v. 363.

Κλαῖεν ἔπειτ' Ὀδυσῆα φίλον πόσιν, ὄφρα οἱ ὕπνον
Ἡδὺν ἐπὶ βλεφάροισι βάλε γλαυκῶπις Ἀθήνη.

Flebat tum Ulixem dilectum maritum, donec illi somnum
Dulcem palpebris immisit cæsia Minerva. V.

Papinius vii. Theb. 215.

Jam fessis gemitu paullatim corda levabat
Exhaustus sermone dolor: noxque addita curæ
Obruit, & facilis lacrimis irrepere somnus.

BROUKH.

ELEGIA IV.

QUid mihi tam multas laudando, Basse, puellas
Mutatum domina cogis abire mea?
Quid me non pateris, vitæ quodcumque sequetur,
Hoc magis assueto ducere servitio?

Tu

ARGUMENTUM ELEGIÆ IV. LIBRI I.] Bassum objurgat, quod se a Cynthiæ amore conaretur abducere. VULP.

v. 1. BASSE] Plures fuerunt Bassi poesi & eloquentia præstantes. Bassum Iamborum poetam, sodalem suum, quo uteretur familiarissime, Ovidius commemorat lib. 4. Trist. Eleg. ult.

Ponticus Heroo, Bassus quoque clarus Iambo
Dulcia convictus membra fuere mei.

Alium ab hoc existimaverim Cæsium Bassum, Lyricis poetis annumerandum, & a Quintiliano laudatum lib. 10. Instit. Orat. cap. 1. ad quem scripsit Persius Satyram 6. Sub Vespasiano floruit Salejus Bassus, cujus laudes occurrunt apud Fabium eodem loco, Scriptorem Dialogi de Oratoribus, & Juvenalem Satyra 7. Præterea Bassum quemdam, ut strenuum potorem, notat Horatius Ode 36. lib. 1.

Neu multi Damalis meri
Bassum Threicia vincat amystide.

Propertianus hic Bassus videtur fuisse ὁ ἰαμβογράφος. VULP. Citatur etiam Galbius Bassus poeta a Fulgentio in *Veruina*. PASS.

v. 2. MUTATUM] Animi sententia mutata, amore aliò translato, desertaque fide quam Cynthiæ dederam. Ita Catullus ad Januam :

Dic agedum nobis, quare mutata feraris
In dominum veterem deseruisse fidem.

Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 10.

Cur sim mutatus, quæris? quia munera poscis.

Idem lib. 4. Trist. Eleg. 8.

Hæc ego cuncta prius, quam te, carissime, credam
Mutatum, & curam deseruisse mei. P.

ibid. COGIS ABIRE] Non cogis quidem, etenim obsisto : in eo tamen es ut cogas, nihil intentatum relinquens. Virgilius pariter Ecloga 6. *Quum canerem reges & prælia*. h. e. quum canere vellem, & jam ad canendum aggrederer. PASS. & VULP.

ibid. ABIRE DOMINA] A domina discedere, & quasi divortere. Sic *abire magistratu, abire sacerdotio*, dixit M. Tullius : *abire honore*, A. Gellius. PASS.

v. 3. NON PATERIS] Non finis. Ovidius Epist. Briseid. v. 79.

Neve

Tu licet Antiopæ formam Nycteidos, & tu
Spartanam referas laudibus Hermionen,
Et quascumque tulit formosi temporis ætas,
Cynthia non illas nomen habere sinet.
Nedum, si levibus fuerit collata figuris
Inferior duro judice turpis eat.

Hæc

Neve meos coram scindi patiare capillos.

Idem lib. 1. Amor. Eleg. 3.

Ah nimium volui! tantum patiatur amari. V.

ibid. VITÆ QUODCUMQUE] Subaudi *tempus*, *spatium*. Lucretius lib. 2.

Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis
Degitur hoc ævi quodcumque est! PASS.

ibid. SEQUETUR] Futurum est, & reliquum erit. Virgilius Ecloga 8.

ævoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ. P.

Tibullus quoque lib. 3. Eleg. 4.

Sed proles Semelæ Bacchus, doctæque sorores
Dicere non norunt, quid ferat hora sequens.
VULP.

v. 4. MAGIS ASSUETO SERVITIO] Minus enim gravat, malum & incommodum cui assuevimus. Ovidius lib. 2. Artis Amat. v. 647.

Quod male fers, assuesce; feres bene. multa vetustas
Lenit: at incipiens omnia sentit amor. V.

ibid. VIVERE] Ita Broukhusius ex optimis codd. mss. Vulgati *ducere*, minus eleganter. VULP.

v. 5. ANTIOPÆ FORMAM NYCTEIDOS] Autiope Nyctei filia, puella fuit longe formosissima, de qua vide Pausaniam in Corinthiacis, Hyginum Fab. 7. & 8. Nostrum Eleg. 15. lib. 3. PASS.

v. 36. SPARTANAM HERMIONEN] Quod invenit Lipsius in quatuor libris manu exaratis. Hermione Menelai Spartæ regis & Helenæ filia. Lege Ovidium in Epistola Hermiones, Pausaniam in Atticis, & Indicem nostrum. VULP.

Spartanæ epitheton minime est otiosum, ut videri poterat quibusdam non nimis peritis poesios Romanæ. Hoc enim oppidum, præ ceteris omnibus universæ Græciæ, florebat venustate, ac pulchritudine feminarum. unde Σπάρτην καλλιγύναικα vocavit pater Homerus L. 13. Odyss. v. 412. Laus igitur amplissima Hermionæ, virtute formæ excelluisse inter ipsas etiam Spartanas. BROUKH.

ibid. REFERAS LAUDIBUS] Laudando celebres, atque in cælum tollas. Tibullus Eleg. 4. lib. 1. *Quem referent Musæ, vivet.* P.

v. 7. FORMOSI TEMPORIS] Heroicum illud tempus, quo mulieres pulcherrimæ nasci solebant. Sic Virgilius Ecl. 3. dixit, *formosissimus annus*. *Ætas* vero *temporis*, ut Tibullus Eleg. 8. lib. 1. *Dum primi floret tibi temporis ætas*. Et Ovidius lib. 1. Fast.

Omnia tunc florent: tunc est nova temporis ætas. PASS.

v. 8. NOMEN HABERE] Famam, laudem, gloriam consequi, vel antea quæsitam obtinere. Ovidius Epist. Paridis v. 141.

Nec tibi par usquam Phrygia, nec Solis ab ortu
Inter formosas altera nomen habet.

Idem lib. 3. Artis Amat. v. 536.

Nomen habet Nemesis: Cynthia nomen habet.
VULP.

v. 9. NEDUM, SI &c.] Tantum abest, ut si comparata fuerit cum formis istis vulgaribus & quotidianis, minor & victa decedat in certamine pulchritudinis. Rursus Eleg. 9. hujus libri:

Illis (blanditiis) *& silices, & possunt cedere quercus:*
Nedum tu possis, spiritus iste levis. P.

ibid. LEVIBUS FIGURIS] Minimi, aut nullius pretii. translatio est a rebus quæ æstimantur pondere. PASS. Vel significat, puellas quaslibet cum Cynthia collatas, umbras potius & simulacra puellarum fore, quales sunt imagines evanidæ mortuorum, quam puellas veras & solidas Virgilius lib. 6. Æneid. v. 292.

Et, ni docta comes tenues sine corpore vitas
Admoneat volitare cava sub imagine formæ,
Irruat, & frustra ferro diverberet umbras.
VULP.

ibid.

Hæc sed forma mei pars est extrema furoris:
Sunt majora, quibus, Basse, perire juvat.
Ingenuus color, & multis decus artibus, & quæ
Gaudia sub tacita ducere veste libet.

Quo

ibid. CONLATA] Eodem pacto Eleg. ult. lib. 4.

Nec matrem laudate nimis. conlata priori
Vertet in offensas libera verba suas. V.

v. 10. INFERIOR EAT] Causâ cadat, a judicio victa discedat cum ignominia. Cicero pro Quintio: *At, si in caussa pari discedere inferior videretur, tamen esset non mediocriter conquerendum. Nunc in caussa superiore, ne ut par quidem sit postulat, inferiorem esse patitur, dumtaxat usque eo, ut cum bonis, fama, fortunisque omnibus Sex. Navii cupiditati, crudelitatique dedatur.* Idem pro Roscio Comœdo: *Si planum facis, post hanc recentem stipulationem Roscii H-S* CCCIↃↃↃ *a Flavio te abstulisse: numquid caussa est, quin ab judicio abeas turpissime victus?* Idem in Lucullo: *De (Chrysippo) queri solent Stoici: dum studiose omnia conquisierit contra sensus & perspicuitatem .... ipsum sibi respondentem inferiorem fuisse.* Sic usurpatur & *superior*. M. Tullius lib. 1. De Invent. *In dicendo sæpe par, nonnumquam etiam superior.* Hæc autem a bello & militia ad concertationes forenses videntur esse translata. T. Livius lib. 30. Histor. *Eum bello inferiorem esse qui armis vincatur.* Horatius Epist. 10. lib. 1.

Cervus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat: donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis.

minor pro *inferior*. Lucianus Θεῶν κρίσει: Οὔποτε ἥττων ἄπει ἐκ μάχης, ἀλλ' ἀεὶ κρατεῖς. *Numquam e pugna inferior discedes, verum semper victor.* Cicero lib. 2. Tusc. Quæst. *Qui restiterunt* (milites) *discedunt sæpissime superiores.* Sallustius Catilin. cap. 40. *Si primo prælio Catilina superior, aut æqua manu discessisset.* Corn. Nepos Datame: *Superior omnibus præliis discedebat.* Homero, elegantiarum omnium parenti, lib. 1. Iliad. v. 113. ubi Agamemnon Chryseidis captivæ formam laudat, *inferior* est χερείων:

Καὶ γάρ ῥα Κλυταιμνήστρης προβέβουλα
Κουριδίης ἀλόχου· ἐπεὶ οὔ ἑθέν ἐστι χερείων
Οὐ δέμας, οὐδὲ φυήν, οὔτ' ἂρ φρένας, οὔτε τι ἔργα.

Etenim Clytæmnestræ præfero
Ductæ juveni uxori: etenim ipsa inferior non est
Neque corpore, neque oris habitu, neque mente, nec ullis artificiis. VULP. *Inferior eat.* abeat. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 2.

Veneris ignotus; postmodo notus eat. P.

ibid. DURO JUDICE] Sævo etiam & iniquo, vel agresti & inelegaoti formarum spectatore. PASS. Noster Eleg. ult. lib. 4. *austeras tabellas* vocare videtur eas in quibus scripta erant nomina judicum severiorum, & quas litigaturi extrahebant sortito ex urna:

Qualibet austeras de me ferat urna tabellas. V.

ibid. TURPIS] Vinci enim turpe habetur, vincere honestum. PASS.

v. 11. H. S. F. M. PARS EST EXTREMA FURORIS] Furendi quidem caussa mihi est forma Cynthiæ, sed neque sola, neque maxima, verum minima omnium & ultima. Cynthia enim quum sit pulcherrima, moribus tamen, ingenii suavitate, liberalium artium ornamentis, longe majorem sui amorem excitat, quam formâ ipsâ. V. *Hæc sed forma.* pulcram enim vero imitationem Ciceronis, Orat. pro Marcel. c. 2. *Quæ quidem ego nisi tam magna esse fatear, ut ea vix cujusquam mens, aut cogitatio capere possit, amens sim: sed tamen sunt alia majora.* Tu vide sis locum, & expende. Philipp. 5. c. 11. *Sed hoc minus vereor. sunt alia quæ magis timeam & cogitem.* BROUKH.

v. 12. QUIBUS PERIRE JUVAT] Propter quæ perdite amo, & in amore mori opto. Recte animadvertit Broukhusius, allatis veterum testimoniis, *perire*, *ardere*, *furere*, *languere*, *flagrare*, *tepere*, cum ablativo fere coojungi. VULP.

v. 13. INGENUUS COLOR] Nativus, non medicamentis quæsitus, facies non fucata. Juvenalis alicubi:

Ingenui vultus puer, ingenuique pudoris. P.

Vide tamen Eleg. 2. hujus libri, & 24. libri 3. ubi Propertius, iratus fortasse, objicit puellæ suæ candorem fuco quæsitum. VULP.

Quo magis & noſtros contendis ſolvere amores,
Hoc magis accepta fallit uterque fide.

Non

ibid. MULTIS DECUS ARTIBUS] Laus parta meæ Cynthiæ multarum artium cognitione. Loquebatur enim egregie Cynthia, verſus faciebat, canebat, ſaltabat, texebat. Vide Eleg. 3. & 4. libri 2. Itaqua *multis decus artibus*, eſt decus additum Cynthiæ ob multas artes. Virgilius lib. 1. Æneid. v. 592. *Quale manus addunt ebori decus*. PASS. & VULP.

v. 14. SUB TACITA VESTE] Intellige veſtem ſtragulam, qua inſternitur & operitur lectus. Catullus pariter Carm. 63. v. 163.

Purpureave tuum conſternens veſte cubile.

Nec non Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Tecum interpoſitâ languida veſte cubet.

Tacitam vocat Propertius, quod eſſet teſtis fida & taciturna deliciarum ſuarum, & cui tuto crederet ſua gaudia. Illud Galieni Imperatoris non diſſimile:

Ludite: ſed vigiles nolite extinguere lychnos:
Omnia nocte vident, nil cras meminere lucernæ.

Attulit elegantiſſimus Broukhuſius. VULP.

ibid. DUCERE GAUDIA] In longum trahere, producere. In editione principe anni 1472. exſtat *dicere*; quod probaveram adoleſcens, atque ita explicaveram: *Dicere gaudia* gemina locutio eſt illius Catullianæ Carm. 73. *Si quis delicias diceret*. Quod autem turpiculis hiſce verbis nefas fuerit extra cubiculum uti, diſerte indicat Juvenalis Sat. 6. v. 192.

Non eſt hic ſermo pudicus
In vetula, quoties laſcivum intervenit illud
Ζωὴ καὶ ψυχή. modo ſub lodice relictis
Uteris in turba?

Quæ ad explicandam Propertii ſententiam unice facere mihi videbantur. audis enim verba molliſſima, *vita & anima*; audis *lodicem*, ſeu veſtem ſtragulam, ſub qua deliciæ relinquendæ. Huc pertinebat locus Ovidii lib. 3. Amor. Eleg. 14.

Eſt qui nequitiam locus exigat. omnibus illum
Deliciis imple. ſtet procul inde pudor.
Hinc ſimul exieris; laſcivia protinus omnis
Abſit: & in lecto crimina pone tuo.

En tibi, crimina in lecto ponere, ſub lodice relinquere, *gaudia dicere ſub tacita veſte*. Facit etiam mirum in modum Callimachi fragmentum apud Hephæſtionem:

Ἡ παῖς ἡ κατάκλειςος, τὴν οἱ φασι τεκόντες Εὐναίης ὀαριςμοῖς ἔχθειν ἶσον ὀλέθρῳ. Puella illa concluſa (nempe, ſub clavi ſervata) *Quam ajunt parentes Venereas confabulationes perinde ac mortem odiſſe.* Εὐναῖοι ὀαριςμοὶ ſunt colloquia τῇ εὐνῇ, lecto ſeu thalamo convenientia, quæ puellam innuptam & intactam minus decent. Ut autem *gaudia dicere*, ita & *gaudia facere*, occurrit apud probatos auctores. Ovidius Epiſt. Briſeid. v. 111.

Si tibi nunc dicam: Fortiſſime, tu quoque jura,
Nulla tibi ſine me gaudia facta, neges.

Plinius vero H. N. lib. 7. cap. 42. *Cetera exempla fortunæ variantis innumera ſunt. Etenim quæ facit magna gaudia niſi ex malis?* VULP.

v. 15. QUO MAGIS, HOC MAGIS] Ut Eleg. 10. hujus libri:

At quo ſis humilis magis, & ſubjectus amori,
Hoc magis effectu ſæpe fruare bono. V.

ibid. CONTENDIS SOLVERE AMORES] In eo totus es ut ſolvas. Horatius verbo ſimplici uſus eſt in eadem ſignificatione, Epiſt. 10. lib. 1.

Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
Quam quæ per pronum trepidat cum murmure rivum? VULP.

ibid. SOLVERE AMORES] Diducere, dividere, dirimere. Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Hæc eadem ſe dixit amores
Cantibus, aut herbis ſolvere poſſe meos.

Virgilius etiam 4. Æneid.

Quæ mihi reddat eum, vel eo me ſolvat, amantem. PASS.

v. 16. ACCEPTA FIDE] Fœdere amatorio per mutua juramenta & pollicitationes utrimque renovato. *Accipere fidem* occurrit apud Nepotem in Vita Datamis. Livius quoque lib. 27. Hiſt. *Poſtero die fœdere accepto fides*. Dicebant tamen ſæpius *dare fidem & accipere*. Salluſtius Catilin. cap. 45. *Lentulus cum his T. Volturcium quemdam Crotonienſem mittit; ut Allobroges, priuſquam domum pergerent, cum Catilina, data acceptaque fide, ſocietatem confirmarent*. Vide & B. Jugurth. cap. 83. Livius lib. 21. Hiſt. *Fide accepta dataque, ac loco & tempore conſtituto ad hoſpites tradendos, Saguntum redit*. Virgilius

lib.

Non impune feres. ſciet hæc inſana puella,
  Et tibi non tacitis vocibus hoſtis erit.
Nec tibi me poſt hæc committet Cynthia, nec te
  Quæret: erit tanti criminis illa memor.
Et te circum alias omnes irata puellas
  Differet: heu nullo limine carus eris.
Nullas illa ſuis contemnet fletibus aras,
  Et quicumque ſacer, qualis ubique, lapis.

lib. 8. Æneid. v. 150. *Accipe, daque fidem.* Petronius Satyr. *Data ergo acceptaque, patrio more, fide.* Variavit Cæſar lib. 1. B. Gallici: *Inter ſe fidem & jusjurandum dant.* VULP.

ibid. FALLIT] Fruſtratur conatus tuos, occulteque effugit. Græce λανθάνει. *fallit*, ἁπλῶς; ut ab Horatio dictum Epiſt. 17. lib. 1. v. 10.

Nec vixit male, qui natus morienſque fefellit.

Nempe *latuit*, λέληθε. PASS.

ibid. UTERQUE] Subaudi *noſtrûm*; ego nempe & Cynthia. PASS.

v. 17. NON IMPUNE FERES] Non hoc tibi ſic abibit. Pœnas dabis malevolentiæ tuæ. Hyginus Fab. 8. *Mandat ne impune Antiopa ferret.* PASS.

ibid. SCIET HÆC I. P.] Audiet, cognoſcet, quid adverſus illam moliaris. V.

ibid. INSANA] Furens, & amore perdita. Amor enim morbus animi & mentis graviſſimus. Et, ut ajebat P. Syrus:

Amare & ſapere, vix deo conceditur. V.

v. 18. NON TACITIS VOCIBUS] Profitebitur Cynthia inimicitiam ſuam, illamque fronte ac ſermonibus promtam geret. non in aurem tibi inſuſurrabit, non familiariter monebit, ut ſolent qui amicum emendare volunt, non ab eo diſcedere: ſed querelæ proferentur, ſed clamore, pipulo, convicio res agetur. *Tacita* igitur *voces*, oratio eſt ſubmiſſa, & pauciſſimis nota. V.

v. 19. NEC TIBI ME COMMITTET] Nec me tuæ cuſtodiæ credet, ovem ſcilicet lupo: nec patietur, me conſuetudine tua in poſterum uti, qui ſcilicet me infidelem ac perjurum coneris efficere. VULP.
Ita locuti Cicero Philipp. 2. c. 46. Terentius Eun. Act. 4. Sc. 3. Ovidius lib. 1. Art. Amat. ipſo fine. BROUKH.

ibid. POST HÆC] μετὰ ταῦτα. Sic etiam dixerunt *poſtea*, & *poſtilla*, μετ' ἐκεῖνα. V.

ibid. NEC TE QUÆRET] Non de te quemquam interrogabit, nihil ſibi tecum eſſe volet, oblivioni te tradet ac nomen tuum. Poeta Veronenſis Carm. 8.

Vale, puella. jam Catullus obdurat.
Nec te requiret, nec rogabit invitam. V.

v. 20. TANTI CRIMINIS] Sceleri enim proximum amicitias diſſolvere, ac lites diſcordiaſque ſerere. Tibullus Eleg. 2. lib 3.

Qui primus caram juveni, carumque puellæ
Eripuit juvenem, ferreus ille fuit. PASS.

v. 21. CIRCUM OMNES ALIAS PUELLAS] Circuibit enim domos & cœtus puellarum, ut te apud illas infamem & odioſum faciat. Plautus Mil. Glor. 2, 5.

Te alloquor, probri vitiique plena, quæ circum vicinos vagas.

Suetonius Nerone, cap. 47. *Proſiluit e lecto, miſitque circum amicos.* PASS.

v. 22. DIFFERET] Ita optimi codices. quibuſcum facit Beroaldus. *Differre, diffamare.* Plautus Pſeudolo 1, 3.

Differam te dictis meis, impudice, ſcelefte, perjure.

Noſter Eleg. 16. libri hujus: *æterna differor invidia.* PASS.
Hoc eſt quod Itali dicimus, *menare per bocca.* VULP.

ibid. NULLO LIMINE CARUS ERIS] Nulla in domo diligêris, nullius tibi ædes arridebunt. Vel *limine* proprie, quia ibi ſedere mulieres ſolent: ut Eleg. 6. lib. 2.

Et quæcumque viri femina limen amat. P.

v. 23. NULLAS ILLA SUIS CONTEMNET FLETIBUS ARAS] Ad omnium deorum dearumque aras flebit, ac de injuria ſibi facta conqueretur. Deos deaſque omnes invocabit, rogabitque ut tibi irati, ſibi propitii

Non ullo gravius tentatur Cynthia damno;
Quam sibi quum rapto cessat amore deus.

Præ-

esse velint. *Contemnere* hic est negligere. Noster Eleg. 28. lib. 2.

An contemta tibi Junonis templa Pelasga?

Græci dicunt παραδραμεῖν, quod est *prætercurrere*, *præterire*. Homerus Iliad. 8. v. 239. παρελθέμεν βωμόν. Unde Ovidius Epist. Cydippes v. 179.

Prætериtine tuas de tot cælestibus aras?

hoc est contemsi, neglexi, sine cultu reliqui. VULP. Noster Eleg. 4. lib. 4. *lacrimis spargitur ara meis*. Papinius Statius lib. 5. Silvar. Carm. 1. de Abascantii pietate:

— *Nunc sanius omnibus aris*
Illacrimat, signatque fores, & pectore terget
Limina. PASS.

v. 24. ET Q. SACER, QUALIS UBIQUE, LAPIS] Non solum templis & aris illacrimabit; sed etiam Terminis, Hermis, lapidibus sacris in trivio fixis miserias narrabit suas. L. Appulejus initio libri 1. Florid. *Religiosam moram objicit viatori lapis unguine delibutus*. De hac stultissima veterum superstitione, qui lapides tantopere colerent, memorabilis est locus D. Augustini Enarrat. in Psalmum 46. n. 11. ubi sanctus vir explicat verba Joannis Baptistæ: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Non enim*, ait, *remansurus est Abraham sine filiis, si vos damnaverit Deus* . . . . *Et unde illi redditurus est filios, si damnat Hebræos de carne ejus progenitos? De lapidibus istis. Ostendebat illis lapides in eremo. Qui erant lapides, nisi Gentes quæ lapides adorabant? Lapides quare? Adorando lapides dicti erant lapides: quia Psalmus prædixerat, Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Tamen de ipsis lapidibus reddit filios Abrahæ: modo omnes qui lapides adorabamus, conversi ad Dominum, filii Abrahæ facti sumus, non ducendo ab illo carnem, sed imitando fidem*. Octavius Minutii Felicis ridiculam hanc Gentium religionem ita carpit: *Non boni viri est, Marce frater, hominem domi forisque lateri tuo inhærentem, sic in hac imperitiæ vulgaris cæcitate deserere, ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere, effigiatos sane, & unctos, & coronatos*. Non semper autem religiosi lapides effigiem, vel sculpturam aliquam præferebant. Id testatur Pausanias in Achaïcis cap. 22. ubi de Pharia urbe Achæorum: Ἑστήκασι δὲ ἐγγύτατα τοῦ ἀγάλματος (Ἑρμοῦ) τετράγωνοι λίθοι τριάκοντα μάλιστα ἀριθμόν· τούτους σέβονται οἱ Φαρεῖς ἑκάστῳ θεοῦ τινος ὄνομα ἐπιλέγοντες. Τὰ δὲ ἔτι παλαιότερα καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι, τιμὰς θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι. *Prope ipsum dei* (Mercurii) *signum lapides fere triginta erecti sunt quadrangula figura: singulos certis deorum nominibus appellantes venerantur. Et sane Græcis olim omnibus patrium fuit rudes lapides pro diis, perinde ac simulacra ipsa colere*. VULP.

v. 25. NON ULLO GRAVIUS T. C. D.] Nulla graviore jactura affici potest. P.

ibid. TENTATUR] Sic *tentari morbo*. Horatius Sat. 3. lib. 2. v. 163.

Quod latus, aut renes morbo tententur acuto.

Idem Sat. 1. lib. 1. v. 80. *Si condoluit tentatum frigore corpus*. PASS.

ibid. DAMNO] Damnum est eleganti puellæ amantis amissio: quemadmodum amisso mancipio patrimonium domini deminuebatur. PASS.

v. 26. RAPTO AMORE] Erepto amico. Sic Eleg. 8. lib. 2.

Tantus in erepto sævit amore dolor.

idest, amicâ procul abductâ. loquitur de Briseide. PASS.

ibid. CESSAT SIBI DEUS] Cupido, magnus amantium deus, nullum sibi fructum parit. Est autem locutio elegantissima, translata a sterilibus agris, vel non cultis. Virgilius 1. Georg. v. 71.

Alternis idem tonsas cessare novales,
Et segnem patiere situ durescere campum.

Cessat id, cujus possessio atque usus fructus alio transfertur, ut optime exponit Gebhardus, a Broukhusio laudatus, allato Plinii loco ex Epist. 4. lib. 2. *Sunt quidem omnino nobis modicæ facultates, dignitas sumtuosa, reditus propter conditionem agellorum, nescio minor, an incertior: sed quod cessat ex reditu, frugalitate suppletur, ex qua velut a fonte liberalitas nostra decurrit*. Apposite Columella lib. 2. R. R. cap. 1. *Seu sponte, seu quolibet casu destituta humus, quum est repetita cultu, magno fœnore cessationis*. Et

cap. 2.

Præcipue nostri. maneat sic semper, adoro:
Nec quidquam ex illa quod querar, inveniam.

ELE-

cap. 2. ubi de agro sicco & macro: *Itaque hic ager, sive exercetur, seu cessat, colono est poenitendus, ac tamquam pestilens refugiendus*. Addo ego, Plautum Asinaria 3, 1, 16. cessationem hanc amatoriam, seu meretriciam, translatione a re nautica ducta, mirum in modum expressisse. Inducit enim Philenium meretriculam ita cum matre loquentem:

Quin pol si reposivi remum, sola ego in casteria
Ubi quiesco, omnis familiæ caussa consistit tibi.

hoc est, omnis quæstus vel reditus, unde familiam tueris, cessat & impeditur. V.

v. 27. PRÆCIPUE NOSTRI] Nempe *amore nostri*. Virgilius 4. Georg. v. 324. *Quo tibi nostri Pulsus amor?* PASS.

ibid. MANEAT SIC SEMPER] Numquam mutetur, & eodem semper in me animo esse velit. Tibullus Eleg. 3. lib. 2.

At tu casta precor maneas.

Idem Eleg. ult. lib. 1.

Sic ego sim, liceatque caput candescere canis.

Horatius Ode 7. lib. 1. similiter locutus, quamquam in re dissimili: *Et te sæpe vocanti Duram difficilis mane*. PASS.

ibid. ADORO] Pro *oro*. verbum compositum pro simplici. Ovidius pariter Epist. Ariadnæ v. 141.

Non te per meritum, quoniam male cessit, adoro:
Debita sit facto gratia nulla meo. PASS.

Juvenalis quoque Sat. 3. v. 299.

Libertas pauperis hæc est.
Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.

Et illud Plauti fortasse huc trahendum Prol. Amphitr. v. 20.

Pater huc me misit ad-vos-oratum meus.

pro *adoratum vos*, κατὰ τμῆσιν. Ceterum, *adorare*, ut monet Broukhusius, proprie fuit, manum ad os admotam osculari: qui quod precantium ac supplicantium cultus erat, ideo verbum hoc usurpatum fuit pro *orare*. Eadem loquendi figura qua Propertius, dixit Euripides Hecuba v. 99. *ἀπ᾽ ἐμᾶς τᾶδε παιδὸς Πέμψατε, δαίμονες, ἱκετεύω. A mea hac filia avertite, dii, supplico.* V.

v. 28. NEC QUIDQUAM EX ILLA QUOD QUERAR, INVENIAM] Nec ulla mihi caussa sit, quamobrem de Cynthia conqueri debeam. Hoc tamen poetæ votum irritum cecidit, ut ex ejus carminibus colligitur. In Romanis Inscriptionibus mentio frequens uxorum *cum quibus sine ulla querela* mariti *vixere*. Horatius Ode 13. lib. 1. *Felices ter & amplius Quos irrupta tenet copula; nec malis Divulsus querimoniis Suprema citius solvet amor die*. VULP.

ibid. EX ILLA] Ex dictis eius, vel factis. Cicero de Claris Oratoribus: *Ea te nos duplex afficit sollicitudo*. VULP.



Ar-

ELEGIA V.

INvide tu tandem voces compefce moleftas,
Et fine nos curfu, quo fumus, ire pares,
Quid tibi vis, infane? meos fentire furores?
Infelix! properas ultima noffe mala.

Et

ARGUMENTUM ELEGIÆ V. LIBRI I.] Galli dementiam irridet, qui amorem Cynthiæ fibi efflagitaret. VULP.

v. 1. INVIDE] Familiaris objurgatio; alloquitur enim poeta hominem & propinquum & amicum. PASS.

ibid. VOCES MOLESTAS] Auribus meis graves, quibus me obtundis & enecas. P. Rogabat enim Gallus Propertium, ut pateretur, fe ad Cynthiam cum ipfo communes amores exercere, & fortaffe ut leno & conciliator fieri vellet. VULP.

ibid. COMPESCE] Comprime, contine, coërce. Nam id, verbum *pefco* proprie fignificat. In facris olim dicebant, *Pefcito linguam: id eft contineto, coërceto*, inquit Feftus. Horatius pariter Ode 20. lib. 2. *Compefce clamorem*. PASS.

v. 2. ET SINE NOS CURSU, QUO SUMUS, IRE PARES] Sine nos concordes & unanimes in amoris jugo eum vitæ curfum conficere quem ingreffi fumus. Ita Solon apud Aufonium:

Par pari jugator conjux: quidquid impar, diffidet.

Subaudiendum *in*. Cicero Epift. 1. lib. 1. ad Atticum: *Vide in quo curfu fimus*. nempe in quo curriculo, in quo fpatio decurrendo. PASS.

v. 3. QUID TIBI VIS, INSANE?] Quid quæris? Objurgantis eft, & reprehendentis inconfultam alicujus rei cupiditatem. Cicero lib. 2. de Oratore: *Quid tibi vis*, inquit, *infane? tanta malorum eft multitudo civium, ut tibi ego hoc confirmem, fi Romæ manferis, te paucis annis ad maximas pecunias effe venturum*. Terentius Heautont. 1, 1. *Quid vis tibi, aut quid quæris?* PASS.

ibid. MEOS SENTIRE FURORES?] Amoris, feu furoris potius, vehementiam experiri qua ipfe laboro? VULP.

v. 4. INFELIX!] Diis iratis nate. P. Ita Juvenalis Sat. 14. v. 295.

Infelix! hoc forfitan ipfe
Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur
Obrutus. VULP.

ibid. PROPERAS NOSSE] Salluftius pariter Catilina: *Abuti divitias properabat*. Stultum autem eft properare ad mala, malum fibi arceffere jumento fuo, quod ait Plautus. P.

ibid. ULTIMA MALA] κακὰ ἄπερ ἐςὶ τέλη ϗ ἔχατα. ὅροι κακῶν. τὰ κάκιςα. Sunt enim ficuti bonorum quidam fines, ultra quos natura boni non progreditur, ita & malorum. M. Seneca Controv. 2. lib. 1. *Non eft apud nos maximus honor ultimorum malorum folatium*. Scitum eft illud Glyconis, Græci declamatoris, apud eumdem Senecam Suaforia 1. Τῦτο ὐκ ἐςι Σιμόεις, ὐδὲ Γράνικος, τῦτο εἰ μή τι κακὸν ἦν, ὐκ ἂν ὕςατον ἔκειτο. *Hoc non eft Simois, neque Granicus: hoc nifi aliquid malum effet, non ultimum effet pofitum*. loquitur de Oceano. Ultimum igitur graviffimum eft, fummum, atque in fuo genere præcipuam. Sic *ultimum fupplicium humanorum famem* vocat P. Cornelius Scipio apud Livium lib. 21. Hift. Seneca lib. 1. de Ira cap. 5. *Ultima fupplicia fceleribus ultimis ponat* (civitatis rector), *ut nemo pereat, nifi quem perire etiam pereuntis interfit*. Juvenalis Sat. 2. v. 34.

Nonne igitur jure ac merito vitia ultima fictos
Contemnunt Scauros, & caftigata remordent?

Quintilianus lib. 2. Inftit. Orat. cap. 2. *Nam ut abfit ab ultimis vitiis ipfe præceptor, ac fchola, ne præcipiendum quidem credo*. Cornelius Celfus lib. 2. Med. cap. 6. *Cui fimul & continua febris, & ultima corporis infirmitas eft*. Huc pertinet celebris Hippocratis aphorifmus, 6. Sect. 1. Ἐς δὲ τὰ ἔσχατα νοσήματα αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην

κρά-

Et miser ignotos vestigia ferre per ignes,
Et bibere e tota toxica Thessalia.
Non est illa vagis similis conlata puellis:
Molliter irasci non sciet illa tibi.

Quod

κράτιςας. Ovidius pariter lib. 9. Metam. v. 560.

miserere fatentis amorem,
Et non fassura, nisi cogeret ultimus ardor.

Quod imitatus videtur Franciscus Petrarcha (*nel Sonetto 67.*)

e voi ch' Amore avvampa,
Non v' indugiate su l' estremo ardore.

Idem Ovidius Epist. Penelopes v. 95.

Irus egens, pecorisque Melanthius actor edendi,
Ultimus accedunt in tua damna pudor.

Eodem pacto Democrates in Sententiis: Ὑπὸ γυναικὸς ἄρχεσθαι, ὕβρις ἂν ἀνανδρείη ἐσχάτη. *Mulieri subditum esse, contumelia & imbecillitas animi ultima est*. Sic *obtestationes ultimas* legere est in Epitome lib. 49. T. Livii. Et apud Justinum lib. 24. *Ptolemaeus, sumtis in manus altaribus, contingens ipsa simulacra & pulvinaria deorum, inauditis, ultimisque exsecrationibus adjurat*. Ultimum *mancipium*, pro maxime abjectum, dixit Seneca lib. de Brevitate Vitæ cap. 13. Non aliter Florus lib. 2. Hist. Rom. cap. 14. *Vir ultimæ sortis Andriscus*. Et Seneca rursus lib. 1. de Ira cap. 16. *Ultima enim patientia visum est eum ferre, qui Jovem non ferret*. Interdum dicebant *ultima* ἁπλῶς, nullo apposito substantivo. Ovidius Tristium lib. 3. Eleg. 2.

Ultima nunc patior: nec me mare portubus orbum
Perdere, diversæ nec potuere viæ.

Idem lib. 2. Fast. v. 781.

Exitus in dubio est: audebimus ultima, dixit.

Albinovanus de Morte Drusi v. 151.

Ultima contigimus, jus matris habemus ab uno.

Celsus lib. 7. Med. cap. 26. §. 2. ubi de calculosis: *Ultima experiri statutum est*. Aliquando tamen *ultimum* usurpatur pro citimo, minimo, levissimo, sicuti *altum* interdum significat profundum. Horatius Epist. 17. lib. 1. v. 35.

Principibus placuisse viris, non ultima laus est. VULP.

v. 5. IGNOTOS PER IGNES] Poeta Venusinus Ode 1. lib. 2. *Et incedis per ignes Suppositos cineri doloso*. PASS.

ibid. VESTIGIA FERRE] Sic *ferre pedem*, pro incedere, dixerunt Catullus, Virgilius, & Horatius. PASS.

v. 6. BIBERE TOXICA] Recte ignem & venenum conjungit; quia utrumque amori tribuunt. Virgilius 1. Æneid.

Occultum inspires ignem, fallasque veneno. P.

Toxica vero dicuntur venena quædam, ἐν τῷ τὰ τόξα τῶν βαρβάρων ὑπ' αὐτῶν χρίεσθαι, *quod arcus & sagittæ barbarorum iis inungi solerent*: ut docet Dioscorides lib. 6. cap. 21. ex Ægineta. Plinius lib. 16. N. H. cap. 10. aliam hujus vocis originem affert, quæ minus mihi probatur. *Toxica sunt*, ait, *qui dicta quasi taxica putant, ab arbore taxo præsentis veneni, unde sagittæ tinguntur*. VULP.

ibid. E TOTA THESSALIA] Thessalæ veneficæ, atque herbæ in libris poetarum celeberrimæ. *Iolcon*, Thessaliæ urbem, *venenorum feracem* appellavit Horatius Epodo 5. PASS.

v. 7. VAGIS PUELLIS] Nempe scortillis hac & illac vagantibus, & conditiones legentibus: unde *volgivaga Venus* Lucretio. Aut levibus, quæ numquam eodem loco consistunt, quæ mutatione amatorum delectantur; quod placuit Beroaldo. Vagam puellam ita describit Noster Eleg. 23. lib. 2.

Cui sæpe immundo Sacra conteritur Via socco,
Nec sinit esse moram, si quis adire velit. P.

v. 8. MOLLITER IRASCI NON SCIET ILLA TIBI] Est enim Cynthia πικρόχολος, & quæ injuriam pati nesciat. Ovidius in calce Elegiæ 5. libri 1. Tristium:

At mihi perpetuo patria tellure carendum est,
Ni fuerit læsi mollior ira dei.

Ita crudelissimus expilator Siciliæ C. Verres, *numquam* (si Tullio credimus Act. in eum 7.) *est iniquum mediocriter minatus*. PASS. & VULP.

ibid. NON SCIET] Ita Scaliger, quum editiones vetustæ habeant, *non solet*. Cur

vero

Quod si forte ausis non est contraria nostris,
At tibi curarum millia quanta dabit?
Non tibi jam somnos, non illa relinquet ocellos.
Illa feros animis adligat una viros.
Ah mea contemtus quoties ad limina curres,
Quum tibi singultu fortia verba cadent:
Et tremulus mœstis orietur fletibus horror,
Et timor informem ducet in ore notam:

Et

vero Passeratius pronuntiaverit, nugari Scaligerum, equidem ignorare me fateor. V.

v. 9. AUSIS NON EST CONTRARIA NOSTRIS] Tibi scilicet optanti, & mihi pro te roganti, ac lenonem agenti non adversatur. Vulgatæ editiones:

Quod si forte tuis non est contraria votis. VULP.

v. 10. C. MILLIA QUANTA] Magnitudinem pro numero posuit, vel numero ipsi accommodavit. P. Lucretius pariter lib. 5.

Quantæ conscindunt hominem cuppedinis acres
Sollicitum curæ, quantique perinde timores!

Valerius Flaccus lib. 2. Argonaut.

Quot mihi post lacrimas, post quanta piacula patrum
Serus ades!

Hæc & alia testimonia protulit *Broukhusius*.

v. 11. NON T. J. SOMNOS, NON ILLA RELINQUET OCELLOS] Nocturnam tibi quietem adimet; oculosque ipsos vigiliis & lacrimis tibi corrumpet. PASS.

v. 12. ILLA FEROS ANIMIS ADLIGAT UNA VIROS] Da mihi animosum juvenem, trucem, indomitum: sine adducam ad Cynthiam: constringet ea statim, commitigabit, ac domabit. Hanc scilicet artem una egregie callet. Mulierem hujusmodi Italice dicere possis, *castigamatti*. VULP. M. Tullius lib. 2. de Divinat. *Si id agerent dormientes quod somniarent, adligandi essent omnes qui cubitum irent.* Et Philip. 11. *Illi exsultanti Mutinam, tamquam frenos furoris, injecit.* PASS.

v. 13. AH] Exclamatio in alieno dolore. Rursus lib. 2. Eleg. 33.

Ah quoties quernis læsisti frondibus ora!

Et lib. 3. Eleg. 13.

Ah quoties pulcros ussit regina capillos! P.

ibid. CONTEMTUS] Neglectus, non admissus, exclusus, prohibitus domo Cynthiæ. VULP.

ibid. MEA QUOTIES AD LIMINA CURRES] Petitum scilicet remedia tuis ærumnis, tamquam consultor aliquis ad Q. Scævolæ, vel Trebatii domum. Tibullus Eleg. 4. lib. 1.

— Me qui spernentur amantes
Consultent. cunctis janua nostra patet. V.

v. 14. SINGULTUS] Singultus est suspirium altius, & imo latere sæpe depromtum. λυγμός. Pedo Albinov. ad Liviam:

Singultu medios impediente sonos. PASS.

ibid. FORTIA VERBA CADENT] Magnifica illa verba, superbiæ atque arrogantiæ plena, quibus antea usus fueras, tibi perdomito et mansuefacto demum excident. Tibullum imitari videtur, qui Eleg. 6. lib. 2.

Magna loquor: sed magnifice mihi magna locuto
Excutiunt clausæ fortia verba fores.

Cadere autem dicuntur verba quæ præ timore, dolore, animi angustia vix proferri possunt. Horatius elegantissime Ode 1. lib. 4. *Cur facunda parum decoro Inter verba cadit lingua silentio?* Lucretius pariter lib. 4.

Et meditata diu cadat alte sumta querela. P.

Translatum a fluctibus maris, qui attolluntur, mox vento cessante detumescunt ac desident. Ovidius initio Epist. Leandri:

Mittit Abydenus, quam mallet ferre, salutem,
Si cadat ira maris, Sesta puella, tibi.

Et lib. 1. Trist. Eleg. 2. *alto cadens obruat unda caput.* VULP.

v. 15. TREMULUS HORROR] Terentius Eunucho 1, 2.

Totus tremo, horreoque, postquam illam aspexi. P.

Græci leve frigus in corpora ob febrem, vel aliam caussam, vocaverunt περίψυξιν, *torporem*: gravius φρίκην, *horrorem*: gravissimum

Et quæcumque voles fugient tibi verba querenti:
Nec poteris, qui fis, aut ubi, noffe mifer.
Tum grave fervitium noftræ cogére puellæ
Difcere, & exclufum quid fit abire domum.

Nec

fimum ῥῖγος, *rigorem*. Α'πὸ τῆς φρίκης, derivatum exiftimo Italicum *riprezzo*. Dantes Aligherius Inferni Cantu 17.

Qual' è colui ch' ha sì presso 'l riprezzo
Della quartana, ch' ha già l'unghie smorte;
E triema tutto, pur guardando il rezzo.

Et Cantu 32.

Poscia vid' io mille visi cagnazzi,
Fatti, per freddo: onde mi vien riprezzo,
E verrà sempre de' gelati guazzi. V.

v. 16. ET TIMOR INFORMEM DUCET IN ORA NOTAM] Hoc verficulo nihil venuftius. Inducit poeta puerilem illum timorem, quo miferi amantes vexantur, tamquam pictorem aliquem os luridis maculis & pallore pingentem. Tibullus prior dixerat Eleg. 6. lib. 1. *mensa ducas in orbe notas*. Quo fit ut Broukhufii mutationem probare non poffim, *ducet in ora notam*. V.

v. 17. ET QUACUMQUE VOLES] Scilicet queri, vel loqui. PASS.

ibid. FUGIENT TIBI VERBA QUERENTI] Hoc eft, queri conatus, quomodo querelas tuas exprimas, non invenies, a priftina fermonis ubertate fubito deftitutus. Valerius Æditutus apud A. Gellium lib. 19. cap. 9.

Dicere dum conor curam tibi, Pamphila, cordis,
Quid mi abs te quaeram? verba labris abeunt.

Verfus eft Ovidii fimillimus, neque adeo difpar fententia lib. 3. Pontic. Eleg. 7.

Verba mihi desunt, eadem tam sæpe roganti.

Nofter Elegia 14. lib. 3.

Nec quæ sint facies, nec quæ sint verba rogandi,
Inveniat.

Virgilius Ecl. 9.

Vox quoque Mœrin jam fugit ipsa. PASS.

v. 18. NEC POTERIS QUI SIS, AUT UBI, NOSSE] Ingentis perturbationis, aut ftuporis eft feipfum ignorare, & fui ipfius oblivifci. Plautus Amphitr. 2, 2, 214.

Delinitus sum profecto ita, ut me qui sim nesciam.

Idem Captivis 3, 4, 28.

Quin suum ipse interdum ignorat nomen, neque scit qui siet.

Catullus Carm. 17.

Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit.
Ipse qui sit, utrum sit, an non sit, id quoque nescit.

Paris amentiæ eft ignoratio loci. Virgilius 4. Æneid. v. 595.

Quid loquor? aut ubi sum? quæ mentem insania mutat?

Apud Horatium Ode 27. lib. 3. Europe, amiffa virginitate: *Unde, quo veni?* PASS. Deinde, qui amant, animo illuc feruntur, quo nequeunt corpore. Alcefimarchus apud Plautum Ciftellar. 2, 1.

Feror, differor, distrahor, diripior: ita nubilam mentem
Animi habeo; ubi sum, ibi non sum: ubi non sum, ibi est animus.

Et Q. Catulus, vetus poeta, citatus ab A. Gellio lib. 19. N. A. c. 9.

Aufugit mi animus. credo, ut solet, ad Theotimum
Devenit. sic est. perfugium illud habet.
Quid si non interdixem, ne illunc fugitivum
Mitteret ad se intro, sed magis ejiceret?
Ibimus quæsitum. verum, ne ipsi teneamur,
Formido. quid ago? da Venus consilium. V.

v. 19. GRAVE SERVITIUM N. COGERE PUELLÆ DISCERE] Servitutem Cynthiæ, quam dulcem & facilem tibi fingis, antequam experiare, demum tuo malo doctus duram & afperam vel invitus fatebere. Horatius pariter Epift. 18. lib. 1.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici:
Expertus metuit.

Huc pertinet παροιμία: *Dulce bellum inexpertis*. VULP. Salluftius lib. 4. Hift. in Epift. Mithridatis: *Græciæ demsi grave servitium*. Contra; quæ amantium inconftantia, idem Propertius Eleg. 20. lib. 2. ad eamdem Cynthiam:

Quod si nec nomen, nec me tua forma teneret,
Posset servitium mite tenere tuum. PASS.

v. 20. DISCERE] Vel *dicere*, ut fufpicatur Pafferatius: fed quæ ftatim fequuntur ab eodem verbo pendentia, huic lectioni adverfantur. VULP.

ibid. QUID SIT] Nofter Elegia 32. lib. 2.

Nec jam pallorem toties mirabere noſtrum,
Aut cur ſim toto corpore nullus ego.
Nec tibi nobilitas poterit ſuccurrere amanti:
Neſcit amor priſcis cedere imaginibus.
Quod ſi parva tuæ dederis veſtigia culpæ,
Quam cito de tanto nomine rumor eris?

Non

Tu certe Jovis occultis in amoribus, Io,
Senſiſti, multas quid ſit inire vias. PASS.

v. 21. NEC JAM] Nec amplius, nec ut antea. Sic Eleg. 14. lib. 2.

Nec mihi jam faſtus opponere quærit iniquos. VULP.

ibid. NEC J. P. T. MIRABERE N.] Quum tu ipſe pallebis, ob angorem animi, infelix amator, non amplius tibi res mira videbitur pallor meus. Franciſcus Petrarcha (*nella Canzone* 4.)

Lagrima ancor non mi bagnava il petto,
Nè rompea il ſonno: e quel ch' in me non era,
Mi pareva un miracolo in altrui. VULP.

v. 22. AUT CUR SIM TOTO CORPORE NULLUS EGO] Cur omnibus membris delicuerim & tabuerim, cur macies omnia membra ſic extenuarit, ut vix aliquid ex me ſuperſit. PASS. *Nullus ſum, nullus ſum*, Plauto ac Terentio ſignificat: *Eo loci deveni, quaſi non amplius eſſem aut viverem, ſed ut pro mortuo & nullo haberi queam.* Vide Aſinar. 5, 2, 72. Caſin. 3, 5, 1. Mercat. 1, 2, 52. & 104. Andr. 3, 4, 20. Eunuc. 5, 7, 22. Phorm. 5, 7, 49. 1, 4, 1. Hecyr. 3, 1, 39. 4. 1, 6. VULP.

v. 23. NOBILITAS] Galli Romæ ex Cornelia gente, vel ex Ælia. Gens vero Cornelia multas familias continuit, Gallorum, Lentulorum, Maluginenſium, Scipionum, Syllarum, Dolabellarum, Nepotum, Balborum, Frontonum, Celſorum. Ceterum *jacere ſub amore nobilitatem*, dixit Ovidius Epiſt. Phædræ v. 161. PASS.

v. 24. NESCIT AMOR P. CEDERE I.] Non didicit, non conſuevit. Locutio poetæ noſtro familiaris. PASS.

ibid. PRISCIS IMAGINIBUS] Avorum ſcilicet, quas in ſingulis armariis diſpoſitas viri nobiles apud Romanos domi ſervabant, & quæ mortuis præferebantur in funere. notiſſima res. VULP.

v. 25. SI PARVA TUÆ D. VESTIGIA CULPA] Hoc eſt, ſi homines, qui multum ſapientiæ tuæ tribuunt, deprehenderint ex aliquo indicio vel minimo, te virum gravem atque conſtantem deſcendiſſe ad amatoriam levitatem. Nam, ut ſcite Horatius Epod. 11. *Amantem & languor, & ſilentium Arguit, & latere Petitus imo ſpiritus.* V.

ibid. PARVA VESTIGIA] Lucretius pariter lib. 1.

Verum animo ſatis hæc veſtigia parva ſagaci
Sunt, per quæ poſſis cognoſcere cetera tute. V.

Quæ autem hoc loco Propertius vocat *veſtigia*, Elegia 28. hujus libri appellat *ſigna*:

An quia parva damus mutato ſigna colore? P.

ibid. DEDERIS VESTIGIA] Vulgatus interpres libri Geneſeos cap. 41. v. 20. *Quæ* (vaccæ) *devoratis & conſumtis prioribus, nullum ſaturitatis dedere veſtigium.* VULP.

ibid. VESTIGIA] Gaudet hac translatione M. Tullius. Ita enim pro M. Fontejo: *M. Fontejus ita duobus actionibus accuſatus eſt, ut objectum nihil ſit, quo ſignificari veſtigium libidinis, petulantiæ, crudelitatis, audaciæ poſſit.* Idem pro M. Cœlio: *Poſſum omnes latebras ſuſpicionum peragrare, dicendo: Non cauſſa, non locus, non facultas, non conſcius, non perficiendi, non occultandi maleficii ſpes, non ratio ulla, non veſtigium maximi facinoris reperietur.* Et lib. 1. de Oratore: *Quid enim? in Numa Pompilio, quid? in Ser. Tullio, quid? in ceteris regibus, quorum multa ſunt eximia ad conſtituendam rempublicam, num quod eloquentiæ veſtigium apparet?* VULP.

ibid. CULPÆ] Amoris videlicet, qui quum ex deſidia & luxu naſcatur, culpa & peccatum eſt. Noſter lib. 4. Eleg. 4.

Nam Veſta, Iliacæ felix tutela favillæ,
Culpam alit, & plures condit in oſſa faces.
PASS.

v. 26. DE TANTO NOMINE RUMOR ERIS]

De

Non ego tum potero solatia ferre roganti,
  Quum mihi nulla mei sit medicina mali.
Sed pariter miseri socio cogemur amore
  Alter in alterius mutua flere sinu.
Quare quid possit mea Cynthia, desine, Galle,
  Quærere: non impune illa rogata venit.

ELE-

De viro tanti nominis & celebritatis fies fabula & jocus. Tibullus lib. 4. Carm. 1. *Ne tanta teret mihi nomine charta*. Ovidius lib. 2. Trist.

Nec minus Hortensi, nec sunt minus improba Servi
Carmina. qui dubitet nomina tanta sequi?

Albinovanus ad Liviam, v. 139.

Nunc primum aspiceris consul victorque parenti?
Sic mihi, sic misera nomina tanta refers?

Præterea *nomen* significat gentem nobilitate insignem. Catullus Carm. 60. v. 212. *Non decet Tam vetus sine liberis Nomen esse*. Tacitus sub finem lib. 3. Annal. *Manlii, Quintii, aliaque ejusdem nobilitatis nomina*. Idem lib. 5. *Togonius Gallus, dum ignobilitatem suam magnis* (Scipionum) *nominibus insereret, per deridiculum auditur*. Ovidius Epist. Hypsipyles v. 113.

Si te nobilitas, generosaque nomina tangunt;
En ego Minoo nata Thoante feror. P. & V.

ibid. RUMOR ERIS] Fab. Quintilianus Declamat. 252. *Rumor est universi populi consensus certus*. Ita *risum esse, jocum, sermonem quibuslibet*, dixerunt Propertius, Horatius, Plautus. P. & V.

v. 27. NON EGO T. POTERO SOLATIA FERRE ROGANTI] Consulere tibi non potero aut verbis, aut re, si auxilium a me petas; non solari allocutione, quod Græci dicunt *παραμυθεῖσθαι*. Par sententia Ciceronis Epist. 12. lib. 6. *Nunc vero tantum te para ad hæc nobiscum ferenda: quibus ego si quam medicinam invenirem, tibi quoque eamdem traderem*. Et Epist. 8. lib. 4. *Non ita abundo ingenio, ut te consoler, quum ipse me non possim*. PASS. & VULP.

v. 29. PARITER MISERI] Vel simul, vel eodem genere calamitatis afflicti. PASS.

ibid. SOCIO AMORE] Communi mihi tecum. Ita Catullus Carm. 67.

Isque domum nobis, isque dedit dominam,
Ad quam communes exerceremus amores.

Sic & *socia arma*. Virgilius 8. Æneid. v. 119.

Ferte hæc, & dicite lectos
Dardanidas venisse duces, socia arma rogantes. PASS. & VULP.

v. 30. ALTER IN ALTERIUS MUTUA FLERE SINU] Propertium imitatur Petronius Arbiter:

Naufragus ejecta nudus rate, quærit eodem
Percussum telo, cui sua fata legat.
Grandine qui segetes, & totum perdidit annum,
In simili deflet tristia fata sinu.

Quod summæ familiaritatis esse, monuit Passeratius. Eodem pacto Plinius Cæcilius Epist. 1. lib. 2. *Quibus ex causis necesse est, tamquam immaturam, mortem ejus in sinu tuo defleam*. Contra Homerus l. 15. Odysseæ v. 398.

Κήδεσιν ἀλλήλων τερπώμεθα λευγαλέοισι
Μνωομένω.
Doloribus alter alterius delectemur tristibus
Recordantes.

At malorum præteritorum, e quibus evaserimus, jucunda nonnumquam est recordatio. Porro simili genere *παροιμίας* usus est Virgilius 2. Æneid.

Alterum in alterius mactatos sanguine cernam. PASS. & VULP.

ibid. MUTUA FLERE] *ἀμοιβαδὶς κλαίειν*. V. Lucretius lib. 5.

Mutua quum inter se rami, stirpesque teruntur.

Noster Eleg. 16. hujus libri:

Tu sola humanos numquam miserata labores
Respondes tacitis mutua cardinibus. PASS.

Proverbium etiam fuit, *mutua muli*, nempe *mutuum muli scabunt*; quod argumentum fuerat cujusdam Satyræ Menippeæ a Varrone scriptæ. VULP.

v. 31. QUARE] Quod quum ita sit. PASS.

ibid. QUID POSSIT] Quas vires habeat vexandi & exercendi amatores suos. Ita Ovidius lib. 6. Metam. v. 619.

 Per-

Peragit dum talia Procne,
Ad matrem veniebat Itys. quid possit, ab illa
Admonita est. VULP.

v. 32. NON IMPUNE ILLA ROGATA VENIT] Magna mercede rogatur, & exoratur, nempe curarum & lacrimarum. Eadem φράσις occurrit Eleg. 10. hujus libri;

Irritata venit, quando contemnitur illa.

pro *irritatur*. VULP. Sic ἔρχομαι Græcis & *sum* & *venio* significat. PASS.

ELEGIA VI.

NOn ego nunc Hadriæ vereor mare noſcere tecum,
Tulle, neque Ægæo ducere vela ſalo:
Cum quo Riphæos poſſim conſcendere montes,
Ulteriuſque domos vadere Memnonias.

Sed

ARGUMENTUM ELEGIÆ VI. LIBRI I.] Excuſat ſe Tullo patrono ſuo in Aſiam proficiſcenti, quod implicitus amoribus, cum eo maritimum iter aggredi nequeat. V.

v. 1. MARE NOSCERE] Hoc eſt viſere, adire, experiri, tentare. Sic Eleg. 10. lib. 2.

Necdum etiam Aſcræos norunt mea carmina fontes. VULP.

v. 2. ÆGÆO SALO] Si credimus Plinio N. H. lib. 4. cap. 11. Ægæum mare dictum eſt a ſcopulo quem vocabant αἶγα, quod capræ exſilientis formam præferret. PASS. Huic etymologiæ ſuffragatur Varro lib. 2. R. R. cap. 1. *An non etiam item*, ait, *in mari terraque ab his* (pecudibus) *regionum notæ? a pecore in mari, quod nominaverunt a capris Ægæum pelagus.* De mari Ægæo vide Indicem noſtrum. VULP.

ibid. DUCERE VELA] Navim agere, inquit Paſſeratius. Sed vela ipſa in antemnis ducuntur, adducuntur, reducuntur, nautarum manu. VULP.

ibid. SALO] *Salum* ἀπὸ τοῦ σαλεύειν, a quatiendo, movendo. Græcis autem ὁ σάλος, fluctuum agitatio. VULP.

v. 3. CUM QUO R. POSSIM C. M.] Eadem voluntate Septimium quemdam erga ſe fuiſſe, teſtatur Horatius Ode 6. lib. 2. *Septimi Gades aditure mecum, & Cantabrum indoctum juga ferre noſtra, & Barbaras Syrtes, ubi Maura ſemper Æſtuat unda.* Vide & Catullum Carm. 11. VULP.

ibid. RIPHÆOS MONTES] *Riphæi, montes Scythiæ: ἀπὸ τῶ ῥίπτειν, a perpetuo ventorum flatu & impetu. Nam ῥιπὴ, impetus.* Ita Servius ad lib. 4. Georg. Eſt etiam ῥίπη, & ῥίπαι, turbo venti. Propterea ſunt qui ſcribant, *Ripæi*. VULP.

v. 4. ULTERIUS] Sine caſu poſitum exiſtimat Paſſeratius. Quid ſi poeta uſurpaverit pro *ultra?* ut ſententia ſit: Auſim, o Tulle, te comitari non ſolum uſque ad domos Memnonias, ſed etiam ultra illas. V.

ibid. DOMOS MEMNONIAS] Ita omnino legendum, quidquid turbent ſcripti codices, & variæ editiones. Si te delectat diverſitas lectionis, conſule Broukhuſium. Memnoniæ domus, auctore Claudio Salmaſio in Exercitat. Plinianis ad Solinum, eſt regia Memnonis Æthiopica; quam commemorat Q. Curtius lib. 4. cap. 8. a Broukhuſio allatus: *Cupido*, inquit, *haud injuſta quidem, ceterum intempeſtiva, inceſſerat, non interiora modo Ægypti, ſed etiam Æthiopiam inviſere. Memnonis Tithonique celebrata regia cognoſcendæ vetuſtatis avidum trahebat pæne extra terminos Solis.* Quamquam domos pro regione & ſedibus dicere potuit Propertius. Certe Eleg. 12. lib. 2.

Et domus intactæ te tremit Arabiæ.

Virgilius quoque lib. 2. Georg. *Eoaſque domos Arabum. Domus ardua Daci*, dixit Papinius lib. 1. Silv. Carm. 1. Porro, quis fuerit Memnon, docebit noſter Index. VULP.

ibid. VADERE] Notat Paſſeratius, *vadere* ſæpe eſſe confidentis animi & intrepidi. Virgilius 2. Æneid. *Vadimus haud dubiam in mortem.* Idem 6. Æneid.

Ille ducem haud timidis vadentem paſſibus æquat.

Id vero magis oſtendunt compoſita, *invadere, pervadere, evadere.* VULP.

v. 5.

Sed me complexæ remorantur verba puellæ,
  Mutatoque graves ſæpe colore preces.
Illa mihi totis argutat noctibus ignes,
  Et queritur nullos eſſe relicta deos.
Illa meam mihi ſe jam denegat, illa minatur,
  Quæ ſolet ingrato triſtis amica viro.
His ego non horam poſſum durare querelis.
  Ah pereat, ſi quis lentus amare poteſt.

An

v. 5. ME COMPLEXÆ REMORANTUR VERBA P.] Nimirum, verba remorantur me puellæ complexæ me. *διλογία*. VULP.

v. 6. MUTATOQ. GRAVES S. COLORE PRECES] Addit ſcilicet amicæ precibus momentum & pondus, frequens coloris mutatio, unde varias & ingentes animi ejus perturbationes facile colligo. VULP.

v. 7. ILLA MIHI T. ARGUTAT NOCTIBUS IGNES] Præter ſolitum blanda, & arguta eſt: vehementius amorem ſuum querelis, & ſuſpiriis oſtentat, ſi forte queat me detinere. Soſipater Chariſius lib. 1. Grammat. *Ab argutia fit verbum arguto, as*. Plautus in fragmento Frivolariæ Comœdiæ deperditæ: *Superaboque omnes argutando præficas*. Dicebant & *argutari*. Nonius Marcellus: *Argutari, procaciter loqui*. Nævius Erodio: *Totum diem argutatur, quaſi cicada*. Exiſtimo autem, *argutare* idem prorſus eſſe ac *crepare*. Lucretius lib. 2.

Et crepat, antiquum genus ut pietate repletum
Perfacile anguſtis toleravit finibus ævum.

Horatius Sat. 3. lib. 2. *Si quid Stertinius veri crepat*. Idem Epiſt. 7. lib. 1. *Sulcos, & vineta crepat mera*. Italice dicunt, *cianciare*. VULP.

ibid. IGNES] Amorem. Infra Eleg. 11. libri hujus:

An te neſcio quis ſimulatis ignibus hoſtis
  Suſtulit e noſtris, Cynthia, carminibus?
    VULP.

v. 8. ET QUERITUR NULLOS ESSE RELICTA DEOS] Argumentum ducit contra deos, vel eorum providentiam, ab amantis levitate ac fluxa fide; quaſi ſi dii eſſent, ut ab eo dereretur, contingere nullo modo poſſet. *Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos Sollicitat*. VULP.

ibid. RELICTA] Nempe *ſi relinquatur*: nondum enim hoc acciderat. VULP.

v. 9. ILLA MEAM MIHI JAM SE DENEGAT] Se meam eſſe inficiatur. PASS. Vel negat mihi ſui corporis poteſtatem: non vult amplius haberi & vocari mea. Tibullus Eleg. 6. lib. 3.

Neve neget quiſquam me duce ſe comitem.

Particula *de* intendit vim verbi. VULP.

v. 10. INGRATO VIRO] Aſſentior Broukhuſio ita legenti. vulgata enim lectio *irata*, ſententiæ Propertii accommodari non poteſt. Certe ſi poeta iter ſuſcepiſſet, ac Tullum comitatus fuiſſet, non iratum Cynthiæ, ſed patrono obſequentem ſe oſtendiſſet. VULP.

v. 10. TRISTIS AMICA] Sæva, immitis. Virgilius 7. Æneid.

Protinus hinc fuſcis triſtis dea tollitur alis.

nempe Alecto una Furiarum; quas Græci vocabant *σεμνάς*. Interdum enim *triſtis* non crudelem, ſed gravem & ſeverum ſignificat, & jocoſo opponitur. *Accipio triſtis*, ait adoleſcens ille nequam apud Terentium Eunucho 3, 5, 48. hoc eſt, componens me ad gravitatem, faciens me virum honeſtum, & ab amoribus omnino alienum. Juvenalis Sat. 2. *Quis enim non vicus abundat Triſtibus obſcœnis?* nempe ſeveros & philoſophos ſe eſſe ſimulantibus, at introrſum turpiſſimis. Quamobrem ſerio, non joco, minabatur Propertio Cynthia. *Triſtis amica* ſpecies eſt *ὀξυμώρου*: profecto enim quæ triſtis & irata eſt, amica eſſe deſinit. VULP.

v. 11. NON HORAM POSSUM DURARE] Ne minimum quidem temporis ſpatium poſſum permanere in propoſito ac voluntate diſcedendi. Sic Horatius Sat. 7. lib. 2. v. 112. *Non horam tecum eſſe potes*. *Durare*

vero

An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas,
Atque Asiæ veteres cernere divitias:
Ut mihi deducta faciat convicia puppi
Cynthia, & insanis ora notet manibus:
Osculaque opposito dicat sibi debita vento,
Et nihil infido durius esse viro?

Tu

vero *plus est quam permanere , & hoc verbum perferendis malis convenit ;* auctore Donato in illud Terentii Adelph. 4 , 1. *Non hercule hic quisquam durare potest .* Plautus quoque Amphitr. 3 , 2. *Durare nequeo in ædibus*. Idem Pseudolo 1 , 3 , 6. - - PS. *Cor dura .* CAL. *non possum .* PS. *fac possis .* CAL. *quonam pacto possim vincere animum ?* Quum igitur occurrit *durare* positum ἀπλῶς , videtur subaudiendum *cor* , aut *animum* . V.

v. 12. AN PEREAT] Male sit illi . Hujus formulæ ad imprecantem pertinentis plena sunt poetarum carmina . VULP.

ibid. LENTUS] . Frigidus , languidus ; qui flente amica & conquerente , neque iracundiæ stimulis , neque doloris pungi se sentit . Noster lib. 3. Eleg. 8.

Hostibus eveniat lenta puella meis . VULP.

v. 13. AN MIHI SIT TANTI DOCTAS COGNOSCERE ATHENAS] An ego tam magno emam hoc Athenarum & Asiæ spectaculum ? PASS. Ovidius lib. 1. Amorum Eleg. 10.

Non fuit armillas tanti pepigisse Sabinas ,
Ut premerent sacræ virginis arma caput. V.

ibid. ATHENAS] Hinc colligimus , Tullum , antequam in Asia pedem poneret , debuisse aliquanto tempore Athenis subsistere . VULP.

v. 14. ASIÆ VETERES CERNERE DIVITIAS] Horatius Sat. 7. lib. 1. *Bruto prætore tenente Ditem Asiam* . Justinus lib. 36. *Sic Asia facta Romanorum , cum opibus suis vitia quoque Romam transmisit .* Nihil celebre magis Asiaticâ luxuriâ . Sallustius Bello Catilinar . *Huc accedebat , quod L. Sulla exercitum quem in Asia ductaverat , quo sibi fidum faceret , contra morem majorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat . Loca amœna , voluptaria facile in otio militum animos molliverant . Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare , potare , signa , tabulas pictas , vasa cælata mirari ; ea privatim ac publice rapere .* Eadem fere de Asia , ejusque luxu legi possunt apud T. Livium lib. 34. Hist. V.

v. 15. DEDUCTA PUPPI] Navi machinis e solo in salum tracta . Horatius Ode 4. lib. 1. *Trahuntque siccas machinæ carinas .* Virgilius 4. Æneid. *Litore celsas Deducunt toto naves .* PASS.

ibid. FACIAT MIHI CONVICIA] Me probris & maledictis incessat . Ovidius Epist. Leandri :

Nec faciam surdis convicia fluctibus ulla . P.

v. 16. INSANIS ORA NOTET MANIBUS] Vultum suum laniet , unguibus in se ipsam sæviens ; quod est insanorum . Noster Elegia 8. lib. 3.

Quum furibunda mero mensam propellis , & in me
Projicis insanâ cymbia plena manu . VULP.

ibid. NOTET ORA] Fortasse *mea* . nam rursus eadem Eleg. 8. lib. 3.

Et mea formosis unguibus ora nota .

Tibullus lib. 4. Carm. 3.

Quidve juvat furtim latebras intrare ferarum?
Candidaque hamatis crura notare rubis ? V.

v. 17. OSCULAQUE OPPOSITO DICAT SIBI DEBITA VENTO] Locus perplexus , & ab interpretibus varie explicatus . Josephus Scaliger in editione prima sic acceperat , ut diceret Cynthia , Propertium sibi fidem suam obligasse , blanditias & oscula promisisse , opposito pignore levissimo , & vento mero . Dixerunt enim Terentius , Plautus , Catullus *pignori opponere* . Sed in editione posteriore , mutata sententia , ita explicavit : *Hoc est , exprobrat vento , sibi eripi oscula ab ipso . Opposito , adverso , ut oppositi sunt ventus eorum nobis , quibuscum expostulamus . In priore editione non bene hæc assequebamur .* Nihilo tamen felicius . Verissima explicatio est , si quid video , viri egregii Petri Burmanni , quam & Bronkhusius probavit , ut simplicem maxime : Ventum secundum , ac

vela

Tu patrui meritas conare anteire secures,
Et vetera oblitis jura refer sociis.
Nam tua non ætas umquam cessavit Amori;
Semper & armatæ cura fuit patriæ.

Et

vela facturo Propertio faventem,. Cynthiæ votis *oppositum* a poeta vocari, hoc est contrarium; qui violenter ei eriperet oscula ab infido amatore sibi debita, quorum ususfructu in posterum sit carendum. Sic Laodamia apud Nasonem Epist. 13. v. 9.

Raptus es hinc praeceps: & , qui tua vela vocaret,
Quem cuperent nautæ, non ego, ventus erat.
Ventus erat nautis aptus, non aptus amanti.
Solvor ab amplexu, Protesilae, tuo.

In eadem Epist. v. 82. dixit Ovidius *oppositos viros*, pro *adversos*, & ἀντιπολεμοῦντας. Idem lib. 4. Pontic. Eleg. 6.

Perstat enim Fortuna tenax, votisque malignum
Opponit nostris insidiosa pedem.

Juvenalis pariter Sat. 10. v. 152. *Opposuit* (Hannibali) *natura alpemque nivemque*. V.

v. 18. INFIDO VIRO] Infideli amante. V.

v. 19. TU PATRUI MERITAS CONARE ANTEIRE SECURES] Tu patrui tui, viri primarii, & in consulatu suo de Republica optime meriti, virtutes & benefacta da operam ut superes. L. Volcatius Tullus Consul fuit cum M. Lepido biennio ante Ciceronis consulatum, ut scribit Sallustius in Catilina; si forte patruus fuit hujus Tulli. Horatius Ode 8. lib. 3. *Hic dies, anno redeunte, festus Corticem adstrictum pice dimovebit Amphoræ fumum bibere institutæ Consule Tullo*; & hujus patruo, opinor. Fuit & L. Volcatius Tullus collega Augusti in secundo consulatu, ut scribit Dio Cassius in calce lib. 49. Nescio an hic sit, ad quem Propertius hanc Elegiam mittit, superiori Tullo fratris filius. PASS. Nemo autem nescit, Consulibus in publicum prodeuntibus, secures fascibus virgarum alligatas a lictoribus præferri consuevisse. V.

v. 20. ET VETERA OBLITIS JURA REFER SOCIIS] Cyzicus, urbs Asiæ clarissima, ac tamquam ejus janua, fidelissimorum sociorum populi Romani, quum a Mithridate ipso Ponti rege maxima multitudine obsessa fuisset, atque oppugnata vehementissime; quum civium fide, tum consilio & virtute L. Luculli, ex belli ore ac faucibus erepta est atque servata. Quo bello Cyziceni αὐτόνομοι facti sunt; libertatem scilicet acceperunt, jurisdictionem, ac potestatem suis legibus utendi. Deinde, quod in quadam seditione cives aliquot Romanos flagris cæsos necavissent, ab Augusto redacti sunt in servitutem, M. Appulejo, P. Silio Coss. Idem tamen Augustus haud ita multo post iis libertatem restituit, M. Druso Libone, L. Calpurnio Pisone Coss. uti testatur Dio Cassius lib. 54. Nescias igitur, utrum illuc a Romanis missus fuerit Tullus quo tempore liberi jam erant, an quo iisdem serviebant, ac servitute pœnas dabant. Si ad liberos missus fuit, sic explicabis hunc Propertii versiculum: Refer jura vetera, nempe jurisdictionem ipsorum propriam, quam amiserunt, sociis oblitis libertatis, ac legum suarum: sin ad subjectos, & populo Romano servientes, ita interpretabere: Refer jura vetera, scilicet jura Romanorum, ad Cyzicenos, qui serviendi desuetudine lasciviunt, & pessima quæque facinora suscipiunt. Sed prius horum verum est; quum appellet socios, non subjectos. Quod autem colligebat Beroaldus, patruum hujus Tulli provincialibus Asiaticis jus antea dixisse, ac propterea poetam dicere: *refer sociis jura vetera*; id fines conjecturæ, & levis quidem, non egreditur. Vide Ciceronem pro Lege Manilia, & pro Archia, Strabonem lib. 12. Geographiæ, Propertium Eleg. 21. lib. 3. item Corn. Tacitum lib. 4. Annalium, ac Suetonium in Tiberio. Non placet Nicolai Heinsii correctio:

Et vetera oblitis jura referre foris;

quum propter illa quæ attulimus, tum quod efficax magis est & concinnum, *refer jura*, quam *conare referre*, tamquam si res esset dubii eventus. VULP.

ibid. REFER] Pro *redde*. Virgilius 8. Æneid.

O mihi præteritos referat si Juppiter annos!

id est, reddat, inquit Nonius. PASS.

v. 21. TUA ÆTAS] Pro *tu ipse*. Plautus Truculento 4, 4, 15.

Co-

Et tibi non umquam nostros puer iste labores
Adferat, & lacrimis ultima vota meis.
Me sine, quem semper voluit Fortuna jacere,
Hanc animam extremæ reddere nequitiæ.

Multi

Cogitato, mus pusillus quam sit sapiens bestia,
Ætatem qui uni cubili numquam committit suam.

Noster Eleg. 5. l. 2.

Scribam igitur quod non umquam tua deleat ætas.

Et rursus Eleg. 18.

Quid si jam canis ætas mea caneret annis?

Elegans ἀρχαϊσμός. VULP.

ibid. TUA NON ÆTAS UMQUAM CESSAVIT AMORI] Numquam vacavit nugis amatoriis, numquam occupata fuit in otio cupidineo. Hoc profitebatur pater ille apud Plautum Prologo Mercatoris v. 61.

Se se extemplo, ex ephebis postquam excesserit,
Non .... amori, neque desidiæ in otio
Operam dedisse, neque potestatem sibi fuisse. V.

ibid. CESSAVIT] Qui nihil utile agunt & bonæ frugi, sed tempus nequitia conterunt, dicuntur *cessare*. Propertius iterum Eleg. 22. lib. 3.

Aut dixit, Venias hodie, cessabimus una:
Hospitium tota nocte paravit Amor.

Hinc *cessator*, σχολάζων, otio indulgens. Horatius Sat. 7. lib. 2. *nequam & cessator Davus*. VULP.

v. 22. SEMPER AT ARMATÆ CURA FUIT PATRIÆ] Studium omne tuum positum est in patria tuenda, quum cives saga sumserunt, & cum hostibus dimicant. Cicero Philippica II. *Tota contra te armata est Italia*. VULP.

ibid. CURA F. PATRIÆ] Qui rei aut negotii alicujus curam gerit, ipse nonnumquam *cura* dicitur καθ' ὑπαλλαγήν. Ovidius lib. 2. Trist. v. 574. ad Augustum:

O Pater, o patriæ cura salusque tuæ!

Idem Epist. Penelopes v. 104.

Tertius immundæ cura fidelis haræ.

Eodem pacto, iis quæ postea consecuta sunt temporibus, Vir Clarissimus qui Palatio præerat, sive ædibus Imperatoris, appellatus est Cura Palatii, & a Græcis κουροπαλάτης, præsertim translato Constantinopolin Imperio. Corippus Africanus lib. 1.

Ordine pro rerum vocitatus Cura Palati.

Et lib. 2.

Dispositorque novus sacræ Baduarius aulæ,
Successor soceri, factus mox Cura Palati.

Præterea Trebellius Pollio in Valeriano memorat *servum Curam Prætorii*. Idem in Claudio: *Venatores qui obsequantur duos, carpentarium unum, Curam Prætorii unum*. *Tutelam* quoque dixerunt eum qui tuetur. Auctor liberi carminis Epigram. 36. *Tutela Lemni dispares movet gressus*. nempe Vulcanus claudus, qui tuetur Lemnum. Valerius Flaccus 1. Argonautic. v. 301.

Visa coronatæ fulgens tutela carinæ
Vocibus his instare duci.

hoc est Pallas, vel Palladis simulacrum: quod erat παράσημον τῆς πλοίας. VULP.

v. 23. PUER ISTE] Cupido. Sic Elegia quæ proxime sequitur:

Te quoque si certo puer hic concusserit arcu.

Et Eleg. 9. lib. 3.

Sit sors & nobis talorum interprete jactu,
Quem gravibus pennis verberet ille puer.

Immo *puer* ἁπλῶς occurrit Eleg. 19. hujus libri:

Non adeo leviter nostris puer hæsit ocellis,
Ut meus oblito pulvis amore vacet. V.

ibid. LABORES] Ærumnas, quas amantium genus perferre cogitur. Ita *labores Herculis*. VULP.

v. 24. LACRIMIS ULTIMA VOTA MEIS] Hanc lectionem sumtam ex veteri codice prætulit Broukhusius vulgatæ, *lacrimis omnia vota meis*. & merito. *Ultima vota* sunt desideria moriendi, quibus indulgent miseri amantes. Vide apud ipsum exempla. V.

v. 25. VOLUIT FORTUNA] Fortunæ, quæ ex libidine omnia regit, sat est velle. Juvenalis Sat. 7.

Si Fortuna volet, fies de Rhetore Consul:
Si volet hæc eadem, fies de Consule Rhetor. P.

ibid. JACERE] Obscurum, contemtum, & abjectum esse: quasi humi serpere, nullis honoribus attolli vel civilibus, vel militaribus. Plautus Trinummo 3, 2, 37.

Tute pone te latebis facile, ne inveniat te honor.
In occulto jacebis, quum te maxime clarum voles.

Ovi-

Multi longinquo periere in amore libenter;
In quorum numero me quoque terra tegat.

Non

Ovidius lib. 1. Fast. v. 217.

-- Dat census honores,
Census amicitias: pauper ubique jacet.

Enimvero poetæ nostro *pertica opes abstulerat*, quod ipse queritur Eleg. 1. lib. 4. Et verum est illud Juvenalis Sat. 3.

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Cicero pariter lib. 3. de Officiis cap. 20. *C. Marius quum a spe consulatus longius abesses, & jam septimum annum post præturam jaceres, neque petiturus umquam consulatum videretur.* Hoc Itali dicimus: *esser posto a sedero*. L. Seneca lib. 4. de Beneficiis cap. 31. *Hominem tam palam obscœnum, ad fasces, & ad tribunal admisisti? nempe dum veterem illum Scaurum senatus principem cogitas, indigne fere sobolem ejus jacere.* Cicero iterum Epist. 2. lib. 3. ad Q. Fratrem: *Memmius .... Cæsaris adventu sperat se futurum consulem. sed miseum in modum jacet.* puta, imparatus est ab amicis, a fautoribus. Idem Epist. 5. lib. 1. ad Famil. *Est quiddam tertium .... ut neque jacere regem pateremur, nec, nobis repugnantibus, ad eum deferri, ad quem prope jam delatum existimatur.* loquitur de Ptolemæo in regnum Ægypti reducendo, quo exciderat. Hoc verbum & ad alia transfertur. Idem Cicero in Lucullo: *Sic igitur inducto & constituto probabili, & eo quidem expedito, soluto, libero, nulla re implicato, vides profecto, Luculle, jacere illud tuum perspicuitatis patrocinium.* Et 1. Tuscol. *Jacent ea semper quæ apud quosque improbantur.* Lucretius lib. 5.

Nam fuit in pretio magis æs, aurumque jacebat
Propter inutilitatem hebeti mucrone retusum:
Nunc jacet æs, aurum in summum successit
honorem.

Jacens, aliquando Latinis est piger; obtuso ingenio. Quintilianus lib. 1. Instit. Orat. cap. 3. *Probus autem ab illo segni & jacente plurimum aberit.* VULP.

v. 26. HANC ANIMAM] Addi solet demonstrandi particula rebus nostris, hanc animam, hoc corpus, hoc caput, hæc dextra. Albinovanus ad Liviam v. 158. *Excipiat hanc animam ore pio.* Virgilius 1. Æneid. v. 97.

Me ne Iliacis occumbere campis
Non potuisse, tuaque animam hanc effundere
dextra?

Idem lib. 3. ejusdem operis, v. 654.

Vos animam hanc potius quocumque absumite
leto.

Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. 2. *Opprimet hanc animam fluctus.* Ita & *hanc vitam*. Terentius Hecyra 3, 1. *Hanccine ego vitam parsi perdere?* Naso pariter lib. 3. Trist. Eleg. 7.

Quilibet hanc sævo vitam mihi finiat ense. P.

ibid. EXTREMÆ NEQUITIÆ] De φιλοινίᾳ & κλοπῇ hoc accipit Broukhusios: quasi auguretur poeta, se in opere ipso moriturum. Judicent, quibus cor sapit. V.

ibid. REDDERE] Haud aliter Tullius Orat. postrema in C. Verrem: *Quod reliquum vitæ viriumque fames fecerat, id ferro potissimum reddere volebant.* Et Philip. 10. *Non est hominis Romani dubitare, eum spiritum quem quie naturæ debeat, patriæ reddere.* Ita locatus & Vellejus Paterculus lib. 2. Hist. Rom. cap. 35. *Catilina .... quem spiritum supplicio debuerat, prælio reddidit.* V.

ibid. NEQUITIÆ] Nequitia, Italice *dappocaggine*: nequam, *buono a nulla*, nugator, & nihili homo. Varro lib. 9. de L. L. prope finem: *Quod vocabulum (nequam) factum, ut ex non & volo, Nolo; sic ex ne & quidquam, item media extrita syllaba, coactum est Nequam. Itaque ut eum quem putamus esse non hili, dicimus Nihili; sic in quo putamus esse nequidquam, dicimus Nequam.* Quoniam vero libidinosi homines plerumque ad negotia sunt inepti, libido propterea nequitia vocari cœpit. Noster Eleg. 5. lib. 2.

Hoc verum est tota te ferri, Cynthia, Roma:
Et non ignota vivere nequitia?

Et Eleg. 17. lib. 3. ubi de mulierum libidine: *cupidæ stimulos frangere nequitiæ.* V.

v. 27. LONGINQUO IN AMORE] Hoc est, diuturno, & ad extremum vitæ tempus producto. Cicero lib. 2. de Inventione: *In loco igitur opportunitas, in tempore longinquitas ...... consideranda est.* Catullus Carm. 63.

Troiaque obsidens longinque mœnia bello
Perjuri Pelopis vastabit tertius hæres.

Trojanum tamen bellum Græcis longinquum

Non ego ſum laudi, non natus idoneus armis:
Hanc me militiam fata ſubire volunt.
At tu ſeu mollis qua tendit Ionia, ſeu qua
Lydia Pactoli tinguit arata liquor:

Seu

fuit & loco, & tempore. Vide Paulli Manutii Commentar. ad Epiſt. 9. lib. 2. Ciceronis. VULP.

ibid. PERIRE IN AMORE] Iterum Eleg. 9. hujus libri:

Dicere quo pereat ſæpe in amore levat. V.

v. 28. IN QUORUM NUMERO ME QUOQUE TERRA TEGAT] Cum quibus mori & ſepeliri cupio. Noſter Eleg. 26. lib. 2.

Me licet unda ferat, te modo terra tegat.

Terra tegi dicuntur proprie humati. Cicero lib. 2. de Legibus: *Humati quos injecta terra contegit.* PASS.

v. 29. LAUDI] Virtuti ac gloriæ. Cicero Philip. 10. *Natus ad laudem filius.* Et in Piſonem: *Natus abdomini, non laudi & gloriæ.* PASS. *Laus* interdum uſurpatur pro facinore laudabili. Virgilius 1. Æneid. v. 461. *Sunt hic etiam ſua præmia laudi.* Sed poeta noſter hoc loco ſignificare videtur laudes illas quibus imperator exercitûs fortes milites decorabat. Dixi ad Tibullum Eleg. 1. lib. 2. v. 57. VULP.

ibid. IDONEUS ARMIS] Donatus in Andriam Terentii: *Idoneus, aptus, & ei rei natus.* Horatius Ode 26. lib. 3. μετρικῶς: *Vixi puellis nuper idoneus, Et militavi non ſine gloria.* PASS.

v. 30. HANC ME MILITIAM F. SUBIRE V.] In caſtris Amoris militare, & ejus vexilla ſequi. *Subire* dixit, tamquam onus & periculum. nam omnis militia gravis & periculoſa. PASS.

ibid. FATA VOLUNT] Sic Eleg. 14. libri hujus:

Tum mihi ceſſuros ſpondent mea gaudia reges:
Quæ maneant, dum me fata perire volent. V.

v. 31. MOLLIS IONIA] Græcorum colonia fuit, in Aſiam deducta poſt Æolicam, cui Strabo lib. 14. Geographiæ XII. urbes tribuit, decem in continente, duas in inſulis, nempe Samum & Chium. Eas recenſet Ælianus lib. 8. Var. Hiſt. cap. 5. *Miletum, Epheſum, Erythras, Clazomenas, Prienen, Lebedum, Teon, Colophonem, Myunta, Phocæam, Samum & Chium.* Fines ejus Miletus, & Phocæa: ſive, ut Ptolemæus tradit, flumina Hermus, & Mæander. *Mollem* vocat Propertius, quod Iones nimis delicate viverent, ac luxuria diffluerent: quam ſumtuoſis ædibus, conviviis, veſtium magnificentia, muſica, ſaltationibus, meretricum abundantia profitebantur. VULP.

ibid. QUA TENDIT] Subaudi *ſe*; nempe qua ſe extendit, qua ſe porrigit. Rebus etiam ſtantibus motum & ambulationem affingunt poetæ. Sic Eleg. 10. lib. 2. *Si qua extremis tellus ſe ſubtrahit oris.* VULP.

v. 32. LYDIA ARATA] Veram hanc lectionem ex vetuſtis codicibus jam olim reſtituerant viri doctiſſimi, Turnebus, Lipſius, Paſſeratius. Eodem pacto *culta* dicuntur, & *ſata*. Virgilius lib. 10. Æneid. v. 142. de eadem regione:

ubi pinguia culta
Exercentque viri, Pactolusque irrigat auro.

Idem lib. 1. Georg. v. 324. *Ruit arduus æther,*
Et pluvia ingenti ſata læta, boumque labores
Diluit.

Varro R. R. lib. 3. cap. 16. hanc vocem agnoſcit: *In aratis qui faciunt reſtibiles ſegetes, plus tollunt frumenti ex intervallis.* Et ſingulari numero, lib. 1. cap. 29. *Seges dicitur, quod aratum ſatum eſt: arvum, quod aratum, necdum ſatum eſt.* Subaudiendum vero *ſolum*, & *ſola terræ*. Hæc lectio in Propertio placet etiam Nic. Erythræo in Indice Virgiliano, verbo *ſata*. Vulgati libri *aratra* præferunt. Qui ſic legunt, ita intelligere licet, ut monet Paſſeratius, udas liquore Pactoli terras, altius impreſſo vomere, aratrum ipſum aureo colore inficere. Et ſane Juſtinus lib. 44. Hiſt. Trogi, de Hiſpania: *Auro quoque ditiſſima adeo, ut etiam aratra frequenter glebas aureas excindant.* nempe auro tinctas. *Lydia* porro, ſive Mæonia, Aſiæ cis Taurum regio fuit mediterranea, cujus præcipua urbs, & Crœſi aliorumque regum Lydorum ſedes magnifica, Sardes, poſita in latere Tmoli, ſeu Timoli, montis. VULP. & BROUKH.

ibid.

Seu pedibus terras, ſeu pontum carpere remis
Ibis, & accepti pars eris imperii:
Tum tibi ſi qua mei veniet non immemor hora,
Vivere me duro ſidere certus eris.

ELI-

ibid. PACTOLI LIQUOR] Seneca pariter Thebaide v. 604.

Et qua trahens opulenta Pactolus vada ,
Inundat auro rura .

Pactolus Lydiæ fluvius , aureas arenas trahens . VULP.

ibid. TINGUIT] *Tinguere* ſcribi oportere , non *cingere* , oſtendit compoſitum *diſtinguere* , quod ſignificat variis quaſi coloribus diſcernere . *Tinguit* autem Pactolus *arata* , hoc eſt aureis arenis , quas defert , flava efficit . Quod vero hic fluvius in Hermum defluat , propterea & Hermus a poetis *aurifer* dicitur . Virgilius 2. Georg. v. 137.

Nec pulcher Ganges , atque auro turbidus Hermus .

Silius Italicus lib. 1. Punic. v. 157.

Non Lydia mallet
Stagna ſibi , nec qui rigua perfunditur auro
Campum , atque illatis Hermi flaveſcit arenis .

nimirum poſt confluentem . Argento enim , non auro , ſuapte natura Hermum ſcatere , diſertis verbis ait Nonnus Panopolita lib. 11. Dionyſiac. citatus ab Emmeneſſio ad ſuperiorem Virgilii locum . quem videſis . Ceterum *tinguere* , eſt etiam humore imbuere , madefacere : ſed prior explicatio magis placet . VULP.

v. 33. SEU PEDIBUS TERRAS , SEU PONTUM CARPERE REMIS] Hoc eſt ſeu terreſtre , ſeu maritimum iter . Dicunt enim poetæ *carpere viam* , ſcilicet ambulando quaſi decerpere , ac paullatim comminuere . Ovidius lib. 2. Artis Amat. v. 230.

Si rota defuerit , tu pede carpe viam .

Virgilius 6. Æneid. 629.

Sed jam age carpe viam , & ſuſceptum perfice munus .

Illud Catulli ſingulare ad exprimendam ſummam celeritatem , Carm. 35. *Quare ſi ſapiet , viam vorabit* . VULP.

v. 34. IBIS CARPERE] ἑλληνισμὸς , pro *ibis carptum* . VULP.

ibid. ACCEPTI IMPERII] An *accepti imperii* , grati ſociis , & moderati ? an honoris quem accepiſti ab Auguſto ? Ut Eleg. 9. lib. 4.

Riſerat imperio facta ſuperba dato . VULP.

ibid. PARS ERIS IMPERII] *Pars* , fortaſſe pro *particeps* , cui contrarium *expers* . Ita veteres Jureconſulti *damnas* pro *damnatus* non ſemel dixerunt ; Terentius autem Eunucho 5 , 6. *ſatias* pro *ſatietas* . Ita *pos* , hoc eſt *potens* , cujus oppoſitum *impos* . Varro lib. 4. de L. L. non procul ab initio : *Recto caſu quom dicimus Impos , obſcurius eſt eſſe a potentia , quam quom dicimus Impotem : & eo obſcurius fit , ſi dicas* Pos , *quam Impos . videtur enim* Pos *ſignificare potius pontem , quam potentem* . Eodem pacto *manſues* pro *manſuetus* dixit Cato apud Feſtum : Plautus vero *copem* pro *copioſum* , Bacchid. 2, 3, 117. *Ut amantem herilem copem facerem filium* . Idem Pſeudolo 2, 3, 8. *Me ut glorioſum faciam , ut copi pectore* . Virgilius tandem lib. 10. Æneid. v. 228. uſurpaſſe videtur *gene* pro *genus* , κατὰ συγκοπήν . *Vigilaſne , deum gens Ænea ?* Hæc Propertii verba Græci ſic efferrent : μεθέξεις τῆς ληφθείσης ἀρχῆς . Paſſeratius hunc locum alia ratione interpretatur : *Pars imperii* , id eſt præcipuus inter Imperatores & Procoſſ. Ita Corn. Tacitus lib. 1. Hiſt. de Creſcente Neronis liberto ; *In malis temporibus partem ſe reipublicæ fecerat* . Ovidius Epiſt. Briſeid.

Et fueram patriæ pars ego magna meæ .

Tullius Orat. ultima in C. Verrem : *Quibus illi urbis ſuæ partem ademerunt , iis tu noſtri imperii partem dediſti* . An *accepti imperii pars* , eſt particeps laudis , quod Cyziceni imperium & frenum acceperint ? An legendum : *acceptis par eris imperiis ?* id eſt , non impar tantis muneribus invenieris . ut Tacitus lib. 16. Annal. de Petronio Arbitro : *Proconſul tamen Bithyniæ , & mox conſul vigentem ſe & parem negotiis oſtendit* . Ego quoque olim adoleſcens ita fere legendum conjeceram . VULP.

v. 35. VENIET HORA] Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

Te ſpectem ſuprema mihi quum venerit hora . V.

ibid. NON IMMEMOR HORA] Tempori tribuit quod est hominis. Infra Eleg. 11. libri hujus:

Nostri cura subit memores ab ducere nostes?

Contra Livius lib. 9. Hist. ab U. C. *His invicem sermonibus, qua tibi qua quietis immemor, nox tradutta est. Genium memorem brevis avi*, legere est apud Horatium Epist. 1. lib. 2. v. 144. hoc est, quo monente meminimus vitæ brevitatis. Nam idem Sat. 6. lib. 2. v. 97. *Vive memor, quam sis avi brevis.* VULP.

v. 36. DURO SIDERE] Sidus pro fato, μετωνυμικῶς. Ipse Eleg. 1. lib. 4.

Et grave Saturni sidus in omne caput.

Et Eleg. 27. lib. 2.

Qua sit stella homini commoda, quæque mala. PASS.

Duro sideri opponuntur *mollia fata*, ut Elegia 7. hojos libri. Vivunt autem amantes duro sidere, quod miseri semper sint & ærumnosi. VULP.

ibid. CERTUS FATS] Compertum tibi erit, non dubitabis. VULP.

ELEGIA VII.

DUm tibi Cadmeæ dicuntur, Pontice, Thebæ,
Armaque fraternæ tristia militiæ:

At-

ARGUMENTUM ELEGIÆ VII. LIBRI I.] Ad Ponticum poetam: Fore ut is aliquando amator effectus molles Elegos Heroicis carminibus anteponat. VULP.

v. 1. DUM TIBI CADMEÆ DICUNTUR, PONTICE, THEBÆ] Scribebat hic Ponticus (quem Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 10. *Heroo clarum* appellat) Thebaida hexametris versibus: nempe bellum Polynicis cum Eteocle fratre, sive ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, Septem ad Thebas, sive oppugnationem Thebarum; atrox argumentum ac triste. Hoc poema penitus intercidisse, jure ac merito Broukhusius dolet, velletque id exstare etiamsi redimendam foret tota Papinii Statii Thebaide. Quam enim Ponticus Maroni σύγχρονος fuerit, & cultissimo illo Augusti sæculo scripserit, credibile est, eum & puriore usum Latinitate, quam Papinium, & judicio magis castigato. Neque enim contemtu dignum fuisse arguit, quod Statium ab eadem materia tractanda deterrere non potuerit: qui scilicet magna confidentia Homericum ipsum Achillem, tanto inferior, tentavit. VULP.

ibid. CADMEÆ THEBÆ] Bœotiæ nimirum, a Cadmo Agenoris filio conditæ. Vide Ovid. lib. 3. Metam. & Statium initio Thebaid. Horatius Ode 4. lib. 4. vocat *Echionias*, ab Echione socio Cadmi. Nomen his impositum ἀπὸ τῆς βοός, a vacca, quæ eo loco procumbens omen Cadmo dedit. Aliis, quia Θήβα Syrorum linguâ, vacca. Fuerunt & Ægyptiæ Thebæ, urbs ἑκατόμπυλος, centum portarum: & in Cilicia, patria Andromachæ: & in Lucania, & in Thessalia. ideo addidit Propertius, *Cadmea*, distinctionis causâ. PASS.

ibid. DICUNTUR] Ita editiones vulgatæ, & scripti codices plerique omnes: a qua lectione recedendum non est. Ovidius lib. 1. Metam.

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora.

Tibullus lib. 4. Carm. 1.

Alter dicat opus magni mirabile mundi.

Josephus Scaliger in suis codicibus invenerat, *ducuntur;* quod Broukhusius adoptavit, & veterum scriptorum auctoritate stabilire conatus est. Tu tamen, lector, cave auscultes quamquam elegantissimi judicii viro. Dixit quidem Ovidius, *perducis carmen ad iratum Achillem; duxit senem Phrygium in arva Gallica; contulit arma virumque in Tyrios toros.* At nihil simile Propertius, qui loquitur de urbe, non ambulante, sed immota. Dixerunt etiam Virgilius, Horatius, Papinius *ducere muros, & arces:* item Phœbum *muri Trojani ductorem:* sed hæc pertinent ad urbes condendas & ædificandas, non ad oppugnandas & diruendas; cujusmodi fuit poema Pontici. Nam explicatio illa: *Dum tu, o Pontice, eversas Thebas e ruderibus suis excitas, & novas iterum condis, dumque nova arma fabricas impiis fratribus;* (quum & arma a

fabro

Atque, ita sim felix, primo contendis Homero,
Sint modo fata tuis mollia carminibus:
Nos, ut consuemus, nostros agitamus amores,
Atque aliquid duram quærimus in dominam.

Nec

fabro ferrario duci dicantur) coacta nimis est, & ab aurea Propertii simplicitate multum aliena. VULP.

V. 2. ARMAQUE FRATERNÆ TRISTIA MILITIÆ] Lacrimosum bellum, quo germanos fratres inter se pugnare jussit dira regnandi cupiditas. Tibullus Eleg. 10. lib. 1.

Pace bidens vomerque nitent: at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.

Et rursus eadem Elegia:

Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem
Arma, nec audissem corde micante tubam. P.

V. 3. ITA SIM FELIX] Formula asseverantis. Cæsar Augustus apud Suetonium in Tiberio, cap. 21. *Jucundissime, &, ita sim felix, vir fortissime.* Simillimum est illud Homeri Hymno in Mercurium v. 379. ὣς ὄλβιος εἴην. Eodem pertinebant formulæ quæ sequuntur. *Ita me dii ament*, Catullus Carm. 95. *Ita me dii servent, ut hic pater est vester*, Plautus Pœnulo. Cicero quoque Epist. 21. lib. 5. ad Famil. *Nam tecum esse, ita mihi omnia quæ opto contingant, ut vehementer velim.* Asconius Pædianus in illa Ciceronis verba ex Divinat. in Verrem: *Ita deos mihi velim propitios: Genus*, inquit, *jurisjurandi, quo dicitur, Tantum mihi divinitas faveat, quantum verum est illud quod dico.* Denique Petronius in Satyrici Fragm. Tragur. *Ita lucrum faciam, & ita bene moriar.* VULP.

ibid. PRIMO HOMERO] Principi poetarum, ætate simul atque excellentia fingendi carminis. Horatius Ode 9. lib. 4. *Priores Mæonius tenet Sedes Homerus.* Nihilominus *in poetis*, ut ait M. Tullius in Oratore ad Brutum, *non Homero soli locus est*, ... *aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro: sed horum vel secundis, vel etiam infra secundos.* VULP.

ibid. CONTENDIS HOMERO] Provocas Homerum, certas cum Homero de palma. Lucretius initio lib. 3. *Quid enim contendat hirundo Cycnis?* Noster Eleg. 14. hujus libri:

Non tamen ista meo valeant contendere amori.

Græci quoque suum ἐρίζειν, & μάχειν tertio casui conjungunt. Homerus lib. 15. Odyssææ v. 320.

Δρηστοσύνῃ οὐκ ἄν μοι ἐρίσσειε βροτὸς ἄλλος.
Strenuitate non mihi contenderit homo alius.

Vide & lib. 23. v. 125. Idem lib. 18. v. 31. πῶς δ' ἂν σοὶ νεωτέρῳ ἀνδρὶ μάχοιο; *quomodo autem tu juniori viro pugnabis?* Ceterum magna laus Pontici, feliciter cum Homero certare, Propertio judice: quem amico non fuisse adulatum, solenne jusjurandum satis ostendit. VULP.

V. 4. SINT M. FATA T. MOLLIA CARMINIBUS] Dummodo Apollo & Musæ tuo poemati faveant, idque perenne esse jubeant. habent enim sua fata libelli. Quod tamen Propertii votum irritum cecidit, & Ponticus fatorum asperitatem expertus est, poemate suo oblivione sepulto. Sic Ovidius lib. 4. Tristium Eleg. 7.

Fata repugnarunt, quæ quum mihi tempora prima
Mollia præbuerint, posteriora gravant. V.

V. 5. NOS, UT CONSUEMUS, N. AGITAMUS AMORES] Nos a nostro more non discedimus, heroicis posthabitis levia & amatoria tractantes. Par sententia Horatii Ode 6. lib. 1. *Nos convivia, nos prælia virginum Sectis in juvenes unguibus acrium, Cantamus, vacui, sive quid urimur, Non præter solitum leves.* Ita & festivissimus Anacreon Ode 16. Σὺ μὲν λέγεις τὰ Θήβης, Ὁ δ' αὖ Φρυγῶν αὐτάς, Ἐγὼ δ' ἐμὰς ἁλώσεις. *Thebana bella cantas, Phrygumque dicit alter, Meas at ipse clades.* VULP.

ibid. CONSUEMUS] Lucretius lib. 1. utitur verbo *suemus*: *Et semina rerum Appellare suemus.* Item: *Nec voces cernere suemus.* Alias *consuescere* & *solere*, nupta verba & ἀφροδίσια. Donatus in illud Hecyræ Terentii: *Quicum tot consuesset annos. Consuesset*, inquit, *proprie dicitur de stupro.* PASS.

ibid. AGITAMUS] Assidue tractamus, quasi nostrum opus. Tibullus Eleg. 1. lib. 1. *Nunc levis est tractanda Venus.* Sic *agitare*

Dio-

Nec tantum ingenio, quantum ſervire dolori
Cogor, & ætatis tempora dura queri.
Hic mihi conteritur vitæ modus, hæc mea ſama eſt:
Hinc cupio nomen carminis ire mei.
Me

Dionyſia, & *agitare convivia*, pro convivari, dixit Terentius: *agitare cuſtodiam*, & *vigilias*, pro cuſtodire & vigilare, Plautus: *agitare vitam*, pro vivere, Salluſtius: *agitare ævum*, Ennius. PASS.

v. 6. ALIQUID DURAM QUÆRIMUS IN DOMINAM] Excogitamus aliquid ad dominæ ſævitiam leniendam. Contra Eleg. 1. hujus libri:

In me tardus Amor non ullas cogitat artes.

Proprium autem eſt poetæ quærere. Plautus Pſeud. 1, 4, 8.

Quaſi poeta tabulas quum cepit ſibi,
Quærit quod nuſquam eſt gentium, reperit tamen.
Facit illud veri ſimile quod mendacium eſt.

Tibullus pariter Eleg. 4. lib. 2.

Ad dominam faciles aditus per carmina quæro.
Ite procul, Muſæ, ſi nihil iſta valent.

PASS.

v. 7. NEC TANTUM INGENIO, QUANTUM SERVIRE DOLORI COGOR] Nec ideo ſcribimus, quod ſperemus opus noſtrum valde probatum iri lectoribus: at potius ut curas amoris leniamus. Propertium imitatus videtur Franciſcus Petrarcha, Italorum poetarum cultiſſimus (*nel Sonetto* 252.)

E certo ogni mio ſtudio in quel temp' era
Pur di sfogare il doloroſo core
In qualche modo, non d' acquiſtar fama.
Pianger cercai, non già del pianto onore.

Ante utrumque vero Theocritus Idyllio 11. v. 1.

Οὐδὲν ποττὸν ἔρωτα πεφύκει φάρμακον ἄλλο,
Νικία, οὔτ' ἔγχριστον, (ἐμὶν δοκεῖ) οὔτ' ἐπίπαστον,
Ἢ ταὶ Πιερίδες.

Nullum adverſus amorem natum eſt remedium aliud,
O Nicia, neque quod vel inungi vel aſpergi poſſit, ut opinor,
Præterquam Pierides.

Theocrito præiverat Heſiodus Theogonia, a verſu 98. illo enim teſte, ſi quis in luctu & mœrore ſit, poetæ excellentis carmen audiens, αἶψ' ὅ γε δυσφροσυνέων ἐπιλήθεται, οὐδέ τι κηδέων μέμνηται. *ſtatim ſollicitudinum obliviſcitur, nec omnino dolorum meminit.* V.

ibid. SERVIRE DOLORI] Tullianum hoc eſt. Cicero enim Divinat. in C. Verrem: *Probabilis eſt eorum cauſſa qui injurias ſuas perſequi volunt; qua in re dolori ſuo, non reipublicæ commodis ſerviunt.* Idem exordio Orat. pro Sextio: *Atque ego ſic ſtatuo, judices, a me in hac cauſſa, atque hoc extremo dicendi loco, pietatis potius quam defenſionis, querelæ quam eloquentiæ, doloris quam ingenii partes eſſe ſuſceptas.* Et in Oratore ad Brutum: *Quid ego de miſerationibus loquar? quibus eo ſum uſus pluribus, quod ſi etiam plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant: in quo ut viderer excellere, non ingenio, ſed dolore aſſequebar.* Pulchre Seneca Rhetor Præfat. lib. 4. Excerpt. Controv. de Haterio declamatore: *Deinde tanto majore impetu dixit, tanto miſerabilius, ut appareret quam magna interim pars eſſet ingenii dolor. Servire amicis & famæ*, legitur apud Nepotem Themiſtocle. VULP.

v. 8. ÆTATIS TEMPORA DURA QUERI] Vitæ acerbitates, ærumnas. Plautus Trinummo 2, 3, 60.

Nam & ſtulte facere, & ſtulte fabularier,
Utrumque, Lesbonice, in ætate haud bonum eſt.

Sunt qui τὸ *in ætate*, explicent *interdum*: ſed videtur ſignificare *in vita*. Sic 1, 1.

Ne amicum caſtigare ob meritam noxiam
Immune eſt facinus; verum in ætate utile,
Et conducibile.

Manifeſtius autem Truculento 4, 4, 15.

Cogitato, mus puſillus quam ſit ſapiens beſtia,
Ætatem qui uni cubili nunquam committit ſuam. VULP.

vel, *ætatis tempora dura*, Propertio ſunt ea quæ duras & difficiles puellas ferunt. modo enim *dominam* ſuam *duram* appellavit. Sic *formoſi temporis ætas* Eleg. 4. ſuperius eſt illa qua formoſæ ſæpius naſcebantur. *Noſtrum hoc tempus ætatis* dixit Cicero Epiſt. 5. lib. 3. ad Q. Fratrem. Horatius vero Ode 35. lib. 1. *Quid nos dura refugimus Ætas?* V.

v. 9. HIC MIHI CONTERITUR VITÆ MODUS]

Me laudent doctæ solum placuisse puellæ,
Pontice, & injustas sæpe tulisse minas.
Me legat assidue post hæc neglectus amator,
Et prosint illi cognita nostra mala.
Te quoque si certo puer hic concusserit arcu,
Quod nolim nostros evolüisse deos:

Lon-

DUS] Hoc in stadio currimus, hac in palæstra luctamur. Sic Elegia 13. lib. 3.

Hæc etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quaque terunt fastus, Icariati, tuos.

hoc est, quæ imitantur asperum & severum vivendi modum quo usa es, o Penelope Icarii filia, marito absente. Et Elegia 30. lib. 2.

Nec modo propositum, vita, teramus iter.

Simile est illud Catonis ad Ciceronem Epist. 5. lib. 15. ad Famil. *Vale, & nos dilige, & instituto itinere severitatem diligentiamque sectare, & reipublicæ præsta.* Et illud Ovidii lib. 3. Artis v. 87.

Ite per exemplum, genus o mortale, dearum.

Ansonius pariter Idyllio 15. *Quod vitæ sectabor iter?* Et Seneca Consolat. ad Polybium cap. 36. *Debes illorum* (Cæsarum) *imitari firmitatem in perferendis & evincendis doloribus, & in quantum modo homini fas est, per divina ire vestigia.* Propriè autem Virgilius 1. Georg. *Augustum formica terens iter.* VULP.

v. 10. HINC CUPIO NOMEN CARMINIS IRE MEI] Ab his emitti carceribus ad calcem gloriæ. translatio a quadrigis circensibus. Cicero sæpe: *Alicunde proficisci, & ex eo fonte profluere ad hominum famam.* P.

v. 11. ME LAUDENT PLACUISSE] Me ideo laudent homines, quod placuerim. Antonius in Epist. ad Hirtium & Cæsarem apud Ciceronem Philip. 13. *Securi percussos Pœtum & Menedemum laudastis.* hoc est, probavistis quod Pœtus & Menedemus securi percussi fuerint: dixistis, O factum bene! VULP.

ibid. DOCTÆ PUELLÆ] Cynthiæ poetica facultate, multisque bonis artibus præditæ. Sic Eleg. 13. lib. 2.

Me juvet in gremio doctæ legisse puellæ,
Auribus & puris scripta probasse mea. V.

ibid. SOLUM PLACUISSE] Non unum de multis fuisse apud amicam, sed peculiarem & eximium. Id optat Noster Eleg. 7. lib. 2.

Tu mihi sola places: placeam tibi, Cynthia, solus.

At votum dii non audivere. Ceterum laus magna in amore, post se rivales relinquere, & quæ multi sequuntur, unum assequi posse. VULP.

v. 12. INJUSTAS MINAS] Sævas, graves, superbas, perpessu difficiles. Virgil. 3. Georg.

Injusto sub fasce viam dum carpit.

loquitur de milite Romano gravioribus & armis & sarcinis oppresso. Idem Ecl. 3.

Est mihi namque domi pater, est injusta noverca.

Contra Eleg. 10. hujus libri:

Nec meminit justas ponere læsa minas. VULP.

v. 13. ME LEGAT] Scilicet mea carmina. Ovidius initio Artis:

Si quis in hoc artem populo non novit amandi;
Me legat; & lecto carmine doctus amet.

Idem Remed. Amoris v. 765.

Quis potuit lecto durus discedere Gallo? V.

ibid. LEGAT ASSIDUE] Propriè. nam assidui, id est sedentes, legebant. Sic Elegia 3. lib. 3.

Ut tuus in scamno jactetur sæpe libellus,
Quem legat exspectans sola puella virum.

Assiduo ab *assidendo* deducit Plautus in Truculento:

Assiduo, immo accubuo mavelim. PASS.

v. 14. ET PROSINT ILLI COGNITA NOSTRA MALA] Alieno periculo & malo sapiat. Tibullus Eleg. 6. lib. 3.

Felix quicumque dolore
Alterius disces posse carere tuo.

Huc pertinet senarius Græcus:

Βλέπων πεπαίδευμαι εἰς τὰ τῶν ἄλλων κακά.
Aliena spectans doctus evasi mala. PASS.

v. 15. CERTO ARCU] Noster Eleg. ult. lib. 2.

Queno

Longe castra tibi, longe miser agmina septem
Flebis in æterno surda jacere situ.
Et frustra cupies mollem componere versum,
Nec tibi subjiciet carmina serus Amor.

Tunc

Quem tetigit jactu certus ad ossa deus.

Ovidius lib. 1. Metam. verbis Apollinis, Cupidinem sibi arte jaculandi præferentis:

Certa quidem nostra est: nostrâ tamen una sagitta
Certior, in vacuo quæ pectore vulnera fecit.

Alioqui, ut fatetur Horatius Epist. ad Pisones:

Non semper feriet quodcumque minabitur arcus. VULP.

ibid. PUER HIC] Amor, quem fingebant puerum & sagittarium. VULP.

ibid. CONCUSSERIT] Terrore ad amandum impulerit. *Concuti* enim, ut animadvertit Passeratius, apud Jurisconsultos est terrore ac minis impelli ad aliquid faciendum vel dandum: & *concussionis* crimen, quum terrore potestatis aliquid extorquetur. Conjungit autem idem vir doctissimus τὸ *concusserit* cum τὸ *eviolasse*, quod proximo versu habent libri fere omnes. quasi hoc sibi velit poeta: Si Cupido minis te adegerit ad eviolandos nostros deos, nempe ad Cynthiam temerandam vel tentandam, quam ego perinde ac numen aliquod veneror & colo. Sed nec lectio, nec explicatio placet. VULP.

v. 16. Q. N. NOSTROS EVOLÜISSE DEOS] Assentior Josepho Scaligero & Broukhusio ita legentibus ex vetustis quibusdam membranis. Broukhusius porro sic interpretatur: *Spero, fusos istos furori tuo destinatos a diis nostris, amorum præsidibus, nondum evolutos fuisse. In fatis adhuc est, te aliquando amaturum. Estque imago multo lepidissima, Venerem cum populo Cupidinum nere fata hominum amatorum, itidem ut Parcas facere ajunt in ceteris mortalibus.* Evolvere est ad finem volvere, expedire. Docet Ovidius Epist. Medeæ, non procul ab initio:

Tunc, quæ dispensant mortalia fila, sorores
Debuerant fusos evolüisse meos.

Claudianus lib. 1. de Raptu Proserp.

Quæ seriem fatorum pollice ducunt,
Longaque ferratis evolvunt sæcula pensis. V.

v. 17. CASTRA, ET AGMINA SEPTEM] Thebaidem scilicet tuam, argumentum poematis quod suscepisti. Erant septem castra, & septem duces cum copiis suis ad septem portas Thebarum ἑπταπύλων. Duces illi fuere Adrastus, Polynices, Tydeus, Amphiaraus, Hippomedon, Capaneus, Parthenopæus. Vide Euripidem in Phœnissis, [Æschylum in Septem ad Thebas] & Statium in Thebaide. PASS.

ibid. TIBI] παρέλκει eleganter. VULP.

v. 18. FLEBIS JACERE] Pro dolebis, ægre feres. VULP.

ibid. IN ÆTERNO SURDA JACERE SITU] In angulo bibliothecæ, in capsula, carie putrescere, cum blattis & araneis luctari, numquam perficienda, & ad umbilicum adducenda. VULP.

ibid. SURDA] Broukhusius docet, *surdum* Latine dici tam qui non auditur, quam qui non audit. Noster lib. 4. Eleg. 5.

Qui versus, Coæ dederit nec munera vestis,
Istius tibi sit surda sine ære lyra.

Juvenalis Sat. 7. *Surda nihil gemeret grave buccina.* Sed hæ sunt καταχρήσεις. Vel *surdum* est *absurdum*, κακόφωνον. *Cæcum* quoque dixerunt ἀόρατον, id quod non videtur. Virg. 4. Æneid. v. 2.

Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

Sic Lucretius haud raro. VULP.

v. 19. ET FRUSTRA C. MOLLEM COMPONERE VERSUM] Nequicquam optabis conscribere, sive condere, versum infractum, tenerum, elegiacum, assuetus videlicet numeris heroici carminis. Contra Eleg. 1. lib. 2.

Nec mea conveniunt duro præcordia versu
Cæsaris in Phrygios condere nomen avos. P.

v. 20. SUBJICIET] ὑποβαλεῖ, dictabit. Eleg. 1. lib. 4.

Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo.

Proprie monitor subjicit. Terentius Phorm. 2, 3.

Geta, Si meministi id quod olim dictum est, subjice. PASS.

Cice-

Tunc me non humilem mirabere sæpe poetam:
Tunc ego Romanis præferar ingeniis.
Nec poterunt juvenes nostro reticere sepulcro,
Ardoris nostri magne poeta jaces.
Tu cave nostra tuo contemnas carmina fastu.
Sæpe venit magno fœnore tardus Amor.

Cicero in Verrem: *Cupio mihi ab illo subjici, si quid prætereo.* VULP.

Verbum *subjiciet* latius patet, quam ut ad solas operas scænicas referatur. hic ponitur pro eo quod est *dictare*, ducta tralatione a præconibus, qui verba legum ferendarum ad populum pronuntiabant, & scribis, qui dictabant. Asconius argumento Cornelianæ prioris: *P. Servilius Globulus tribunus pl. inventus est, qui L. Cornelio obsisteret. Is, ubi legis ferundæ dies venit, & præco subjiciente scriba verba legis recitare populo cœpit, & scribam subjicere & præconem pronuntiare passus non est.* atque ita capiendus Naso L. 2. Amor. Eleg. 1.

Ad mea formosæ vultus adhibete puellæ
Carmina, purpureus quæ mihi dictat Amor.
BROUKH.

ibid. SERUS AMOR] Qui sero advenerit, & ideo carminis amatorii rationem te docere non poterit, ad quam opus est adolescentia. PASS.

v. 21. NON HUMILEM POETAM] Parem scilicet heroicis, quamquam in argumento leviori. Sic Virgilius 4. Georg.

In tenui labor, at tenuis non gloria.

Noster Eleg. 15. lib. 3.

Hæc ego non humili referam memoranda cothurno.

Petronius Arbiter Sat. *Ego*, inquit, *poeta sum, &, ut spero, non humillimi spiritus.* VULP.

ibid. MIRABERE] Permagno æstimabis, non sine frequenti admiratione. Miramur autem insignes homines, quorum merita assequi nos posse diffidimus. VULP.

v. 22. ROMANIS PRÆFERAR INGENIIS] Tua sententia primus ero & excellentissimus Romanorum poetarum. Ingenia, pro hominibus ipsis ingeniosis. L. Seneca in Consolat. ad Polybium cap. 8. *Intentatum Romanis ingeniis opus.* Albinovanus ad Liviam:

Sequi opus ingeniis carminibusque dabit. V.

v. 23. NEC POTERUNT J. RETICERE] Erumpet enim ex dolentibus vera vox. V.

ibid. JUVENES] Quibus præcipue scribunt amatorii poetæ. VULP.

ibid. NOSTRO SEPULCRO] Ad nostrum sepulcrum, vel nobis sepultis. Haud aliter superius Eleg. 2. *nostra gratissima vita.* h. e. nobis, dum vivemus. Ovidius lib. 2. Fast. *Quia placatis sunt tempora pura sepulcris.* nempe manibus mortuorum. Solebant autem qui præteribant alloqui sepultos. Exempla obvia. PASS.

v. 24. ARDORIS NOSTRI MAGNE POETA] Qui amores & ignes nostros celebravisti, vel qui amare nos docuisti. Hoc loco *poeta* est magister & doctor. Plautus Asin. 3, 3. *Tu poeta es ad eam rem unicus.* Et cum secundo casu Noster lib. 3. Eleg. 15.

Virtutisque tuæ, Bacche, poeta ferar.

Ovidius quoque lib. 2. Amor. Eleg. 1.

Ille ego nequitiæ Naso poeta meæ.

Et lib. 3. Eleg. 1.

O argumenti lente poeta tui. PASS.

ibid. JACES] Lente & cum gemitu pronuntiandum. Sic Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 6. de Psittaco:

Infelix avium gloria, nempe jacet.

Palmerius & Scaliger ex vett. libris legunt, *vale:* quod dici solebat mortuis, & inscribi monimentis. PASS.

v. 25. TU CAVE] A *cavo*, *cavis*; cujus infinitivus *cavere*, secunda syllaba brevi. Sic Horatius Epist. 13. lib. 1.

Vade, vale: cave ne titubes, mandataque frangas.

Similis comminatio Catulli ad Calvum Carm. 50. *Precesque nostras, Oramus, cave despuas.* VULP.

ibid. TUO FASTU] Scilicet, Epicorum poetarum tumore, quorum spiritus ferox, λέξις πομπικὰ ϗ μεγαλοπρεπής. VULP.

v. 26. SAPE VENIT MAGNO FŒNORE TARDUS AMOR] Adventus sui tarditatem compensat acerbitate pœnæ. Ovidius Epist. Phædræ: *Venit amor gravius, quo serius.* Noster Epist. 13. hujus libri:

Perditus in quadam tardis pallescere curis
Incipit. VULP.

ibid. MAGNO FŒNORE] Sumtum a Menandro videtur. Is enim in Thesauro apud Stobæum Serm. 63. poetæ nostro præivit his versiculis:

Τοῖς οὐσίας ὅσοις μὲν ἂν πρᾴως ἔχει,
Νέοις ἔτ' οὖσι τοῦτο προσπίπτειν ποιεῖν.
Οἱ δ' εἰς τὸ γῆρας ἀναβολὰς ποιούμενοι,
Οὗτοι προσαποτίνουσι τοῦ χρόνου τόκους.
Quibus est juventus ac divitiæ dapsiles,
Amori hos jubeat indulgere comiter.
Nam qui in senectam rem ampliando differunt,
Solvunt usuras otiosi temporis.

Vertit Hugo Grotius. Illud L. Senecæ non dissimile Epist. 25. *Exspecta eum magno fœnore vitia reditura: quæ nunc scio cessare, non deesse.* Dicitur & de agris. M. Seneca Controv. 13. *Alicubi offenditur improvisa segetum maturitas, alicubi seram magno fœnore moram redemit.* Sed antea Tibullus Eleg. 6. lib. 2. -- *Spes sulcis credit aratis*
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Qui poeta lepidissimus graphice describit hujusmodi senem amore insanientem lib. 1. Eleg. 5. Porro, a fœtu pecuniæ fœnus: Varro, Festus, Gellius. *Duplici fœnore* dixit Noster Eleg. 1. lib. 3. Animadvertit Passeratius, nauticum fœnus maximum & iniquissimum fuisse; uti testatur Plutarchus in Catone Cens. & Jurisconsulti in titulum 2. libri 22. Digest. De Nautico Fœnore. VULP.

ELEGIA VIII.

TUne igitur demens? nec te mea cura moratur?
An tibi sum gelida vilior Illyria?
Et tibi jam tanti quicumque est iste, videtur,
Ut sine me vento quolibet ire velis?

Tune

ARGUMENTUM ELEGIÆ VIII. LIBRI I.] Expostulat primo cum Cynthia, prætorem quemdam in Illyriam proficiscentem secutura: deinde lætatur, quod eam a proposito precibus & blanditiis deterruerit. V.

v. 1. TUNE IGITUR DEMENS?] Pondus habent hæc singula. *Tune* ἐλλειπτικῶς: quia in dolore & iracundia imperfecta est oratio. Virgilius 1. Æneid. *Mene Iliacis occumbere campis Non potuisse?* Terentius Eunucho 1, 1. *Egone illam? quæ illum? quæ me? sine modo.* Pacuvius: *Men' servasse, ut essent qui me perderent?* *Tò igitur* quoque acrimoniam habet. Virgilius 4. Æneid. v. 537.

Iliacas igitur classes, atque ultima Teucrûm
Jussa sequar?

Noster lib. 3. Eleg. 7.

Ergo sollicitæ tu caussa pecunia vitæ es?

Tò demens etiam convenit concitato. Ipse lib. 2. Eleg. 30. *Quo fugis ah demens?* Virgilius Ecl. 2. *Quem fugis ah demens?* PASS.

ibid. NEC TE MEA CURA MORATUR] Nec te noster amor abire vetat, & me linquere? Hoc est quod dixit Eleg. 1. supra: *Sua quemque moretur Cura.* PASS.

v. 2. AN TIBI SUM GELIDA VILIOR ILLYRIA] Mene postponis regioni frigidæ & inamœnæ? PASS.

ibid. GELIDA ILLYRIA] De Dalmatiæ, quæ pars Illyrici est, frigoribus Vatinius ad Ciceronem lib. 5. ad Famil. Epist. 10. *In Dalmatiam profectus sum .... quatuor turres, & quatuor muros cepi, & arcem eorum totam: ex qua me nives, frigora, imbres detruserunt.* VULP.

ibid. VILIOR] Pretii longe minoris, dignior qui contemnar. VULP.

ibid. ILLYRIA] Hæc regio dicitur & *Illyris*, & *Illyricum*; de qua Plinius lib. 3. H. N. cap. 21. Strabo lib. 7. & Appianus in B. Illyrico. dicta ab Illyrio Polyphemi filio. PASS. Consule Indicem nostrum. In Illyriam vero cum prætore nescio quo Cynthia profectura videbatur. Vide Elegiam 16. lib. 2. VULP.

v. 3. ET TIBI J. TANTI Q. E. ISTE VIDETUR] Subaudi *esse pretii*. Nempe, adeo

ca-

Tune audire potes vesani murmura ponti
Fortis, & in dura nave jacere potes?

Tu

carna a te habetur. Vide Eleg. *6.* lib. *6.* v. 13. VULP.

ibid. QUICUMQUE EST ISTE] De obscuro homine, ut sæpe Plauto: *Odiosus es, quisquis es*. Propertius ipse Eleg. 33. lib. 2.

Quæ dea tam cupidos toties divisit amantes,
Quæcumque illa fuit, semper amara fuit.

Et *iste*, contemtim. PASS.

v. 4. UT SINE ME IRE VELIS] Conquestio desertorum. Ovidius Epist. Hermiones:

Clamabam, Sine me, me sine, mater, abis?

Virgilius Ecl. 10.

Alpinas, ah dura, nives, & frigora Rheni
Me sine sola vides. PASS.

ibid. VENTO QUOLIBET] Nempe, etiam adverso. Ita Suetonius in Julio cap. *66.* *Vetustissima nave impositos, quocumque vento in quascumque terras jubebo avehi*. Nos quoque Elegia 2. Carm. nostrorum, Propertium imitati:

Sed properas, insane, æstus perpessus & imbres?
Impellitque tuas qualibet aura rates? V.

ibid. VENTO IRE] Id est, cum periculo, ob levitatem & inconstantiam ventorum. Virgilius 4. Æneid.

I, sequere Italiam ventis, pete regna per undas.

Horatius Epod. *9.* hac locutione usus:

Aut ille centum nobilem Cretam urbibus
Ventis iturus non suis.

Et Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 5.

Nave mea vento forsan eunte suo. PASS.

v. 5. TUNE AUDIRE POTES V. M. P.?] Tò *potes* est immanis & obstinatæ duritiæ, vel audaciæ. Ovidius Eleg. 7. lib. 3. Amor.

Hunc potes amplecti formosis, stulta, lacertis?
Hujus in amplexu, stulta, jacere potes?

Noster Elegia 15. hujus libri:

Et contra magnum potes hos attollere Solem?

scilicet *oculos*. Idem Eleg. 17.

Et merito, quoniam potui fugisse puellam,
Nunc ego desertas alloquor alcyonas. PASS.

ibid. VESANI M. PONTI] *Vesanus*, inquit Festus in *Vegrande*, *male sanus, ut vecors, mali cordis, vegrande, male grande*. vide A. Gellium lib. 5. cap. 12. *Vesani ponti*, furentis, valde irati & sævientis. Catullus Carm. 25. *Deprensa navis in mari vesaniente vento*. Horatius Ode 4. lib. 3. dixit *Insanientem Bosporum*. Virgilius Ecl. *9.* *Insani feriant sine litora fluctus*. VULP.

ibid. MURMURA PONTI] Αἰγότης. Murmurat enim & fremit mare antequam tempestas insurgat. Lucretius lib. 3.

Et contemsit equis insultans murmura ponti.

Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. 10.

Quod facerem versus inter fera murmura ponti,
Cycladas Ægæas obstupuisse puto.

Horatius Ode 27. lib. 3. *Æquoris nigri fremitum*. Sed & quidam lacus murmurare ac fremere solent. Virg. lib. 2. Georg. v. 159.

An te lacus tantos? te, Lari maxime, teque,
Fluctibus & fremitu adsurgens, Benace, marino.

Μέγαλα βρέμει, *magnum fremit*, dicit Homerus de mari. PASS. & VULP.

v. *6.* FORTIS ET IN DURA NAVE JACERE POTES?] Poterit sane, o Properti, dummodo libidini suæ morem gerat. etenim feminæ,

---- justa pericli
Si ratio est, & honesta, timent, pavidoque gelantur
Pectore, nec tremulis possunt insistere plantis:
Fortem animum præstant rebus quas turpiter audent.
Si jubeat conjux; durum est conscendere navim:
Tunc sentina gravis: tunc summus vertitur aer:
Quæ mœchum sequitur, stomacho valet. Illa maritum
Convomit; hæc inter nautas & prandet, & errat
Per puppim, & duros gaudet tractare rudentes.

Ita Juvenalis pulcherrime Sat. *6.* Simile aliquid Persius Sat. 5. v. 146.

Tun' mare transilias? tibi torta cannabe fulto
Cœna sit in transtro? VULP.

ibid. FORTIS] Vel dura, sæva, nimis audax & confidens. Terentius Phorm. 2,2,8.

PH. *Quid vis? nisi ut maneat Phanium, atque ex crimine hoc*
Antiphonem eripiam: atque in me omnem iram derivem senis.
G. *O vir fortis atque amicus! verum hoc sæpe, Phormio,*
Vereor, ne istæc fortitudo in nervum erumpat denique.

nempe, confidentia ista servilis tibi vincula & carcerem paret. Vel opinione fortis,

 non

Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas?
Tu potes insolitas, Cynthia, ferre nives?

O uti-

non veritate; ut acute Passerat. Sic Horatius Ode 16. lib. 2. *Quid brevi fortes jaculamur ævo Multa?* hoc est, qui nobis ipsi fortes videmur, quum infirmi simus & fragiles. VULP.

ibid. IN DURA NAVE] Quia lignea & dura sunt nautarum cubilia. Virgilius 5. Æneid.

Placida laxabant membra quiete
Sub remis fusi per dura cubilia nautæ. PASS.

ibid. JACERE] Cubare, quiescere. V.

v. 7. TU] Efficax ἀναφορά. VULP.

ibid. PEDIBUS TENERIS] Πάθος a mollitudine plantarum puellarium. Virgilius Ecl. 10. v. 48.

Ah te ne frigora lædant!
Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!

Quod nos ita secuti sumus in Charidemo, bucolico poemate:

Ah ne te duri sentes, neve aspera lædat
Gleba pedes! VULP.

ibid. POSITAS PRUINAS] Κειμένας πάχνας Græci dicerent, ut Demosthenes κειμένους νόμους, *positas leges*. *Poni*, ut animadvertit Broukhusius, eleganter dicitur de iis quæ cælo delabuntur, nive, pruina, rore. Horatius lib. 3. Ode 10. *Positas ut glaciet nives Puro numine Juppiter.* Seneca lib. 5. Nat. Quæst. cap. 10. *Itaque nives & ponuntur & durantur.* Ovidius lib. 6. Fast. *Posito rore bis uda seges.* Josephus Scaliger e suis membranis legebat *ruinas*. Verum diligentissimus Gronovius in Diatribe ad Statii Silvas cap. 55. jure ac merito negat, *ruinas* simpliciter pro cæli ruinis dici. Hoc testimoniis auctorum facile ostenditur. Lucretius lib. 6.

Sæpe geli multus fragor, atque ruina
Grandinis, in magnis sonitum dat nubibus alte.

Virgilius lib. 1. Æneid.

Disjectam Æneæ toto videt æquore classem,
Fluctibus oppressos Troas, cælique ruina.

Martialis lib. 3. Epigr. 100.

Imbribus immodicis cælum nam forte ruebat.

Petronius Bello Civili:

Ipsa jam nubes ruptæ super arma cadebant:
Et concreta gelu putri velut unda ruebat:
Victa erat ingenti tellus nive. VULP.

ibid. FULCIRE PRUINAS] *Sulcare* Beroaldus, & Passeratius. quod interpretantur per hypallagen, pedes teneros sulcare positis pruinis, id est, gelu & glacie: ex versu Virgiliano Ecl. 10. *Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas.* Turnebus tamen lib. 13. Adverſ. cap. 18. ostendit sic dixisse Livium *secare nivem* de transitu Hannibalis per Alpes, ut Græcis ἀνακόπτειν secare & *sulcare* est. Idem lib. 19. cap. 17. *Secare viam*, Virgilio, id quod Euripidi τέμνειν ὁδὸν. Neutro tamen loco Turnebus hujus loci Propertiani meminit. Sed memoratus Passeratius, si librorum fides pateretur, libentius legeret *calcare*; quod placuit Marollesio, interpreti Gallico nostri poetæ, sed Broukhusio dissentiente. Seneca certe lib. 4. Nat. Quæst. cap. 5. *Minus algere ajunt pedes eorum qui fixam & duram nivem calcant, quam eorum qui teneram & labefactam.* Nos *fulcire* præferimus, codicum Josephi Scaligeri fidem sequentes. quasi dicat poeta: Tu Cynthia, tam delicatis pedibus, pruinas cælo delapsas, & humi stratas fulcire & sustinere potes? ut fere Philippus Silvius explicavit, immerito a Broukhusio, Gallis parum æquo, reprehensus. *Fulcire* igitur, auctore J. Frid. Gronovio in Distribe ad Statii Silvas cap. 55. est *injectas habere*. quare additur *positas*. *Qui enim per pruinas nivesque incedunt, eorum pedes hauriuntur, atque ita recte* pruinas *superjectas* fulcire *dicuntur*. *Aut* fulciunt pruinas, *quæ sub nudo Jove perasctantibus illis infunduntur aut circumfunduntur. Non enim aliter accipienda, quam apud Virgilium lib. 3. Georg. v. 368.*

Stant circumfusa pruinis
Corpora magna boum, confertaque agmine cervi
Torpent mole nova, & summis vix cornibus extant. VULP.

pruinæ hic sunt nives duræ ac concretæ. Valerius Flaccus L. 5. v. 159. de Hercule vinctum in Caucaso Prometheum liberante:

Jamque aspera nisu
Undique convellens, veteris cum strage pruinæ,
Vincula prensa manu saxis adduxerat imis
Arduus.

tum post paullo:

Contra autem ignari (quis enim nunc credat in illis

Mon-

O utinam hibernæ duplicentur tempora brumæ,
Et ſit iners tardis navita Vergiliis.
Nec tibi Tyrrhena ſolvatur funis arena,
Neve inimica meas elevet aura preces:

Atque

Montibus Alciden? dimiſſave vota retentet?)
Pergere iter ſocii: tantum mirantur ab alis
Litora diſcuſſâ ſterni nive. BROUKH.

v. 8. INSOLITAS P. NIVES] Quas Romæ numquam experta fueris, ubi aer tepidus & mitis; atque ideo graviores. Ovidius alicubi:

Quod male fers, aſſueſce, feres bene. PASS.

v. 9. O U. HIBERNÆ DUPLICENTUR TEMPORA BRUMÆ] Dii facerent, ut hiems, quo tempore ceſſat navigatio, duplum in anno ſpatium occuparet, ita ut ex trimeſtri fieret ſex menſium. *Hibernam* exponit Paſſeratius *pluviam*: alioqui enim otioſum eſſet epithetum: quia inde *hiems*, παρὰ τὸ ὕειν, a *pluendo*. Sic Tibullus Eleg. 1. lib. 1. *Gelidas hibernus aquas quum fuderit Auſter*. Vel *hiberna*, ſævæ. Interpres vetus Perſii ad illud Sat. 6. *Hibernatque meum mare: Sævit*, inquit, *vel a navigiis vacat. ſicut enim naves hibernare dicimus, ſic & mare quum non navigatur*. Porro *bruma*, teſte Varrone lib. 5. de L. L. *dicta quod breviſſimus dies eſt*. Feſtus: *Bruma a brevitate dierum dicta*. Columella lib. 9. R. R. cap. 14. *Bruma fere conſtituitur circa octavum Cal. Januar. in octava parte Capricorni*. Hic apud Propertium pro toto hiberno tempore ponitur. unde Martialis alicubi, de Januario menſe:

Triſtis Athenagoras non miſit munera nobis,
Quæ medio brumæ mittere menſe ſolet. V.

v. 10. SIT INERS NAVITA] Ceſſet, deſideat, artem ſuam & nauticum opus exercere non poſſit. Ipſe Eleg. 6. lib. 3.

At tu, ſæve Aquilo, numquam mea vela videbis.
Ante fores dominæ condar oportet iners.

Nautæ non inertes. hinc *navem agere*, & *navus*, ſive *gnavus*. Navita a nave, & itando: ut ſemita, ut comites. PASS. Si hæc vera ſunt, *iners navita* erit ſpecies ὀξύμωρος, ut *ſtrenua inertia*. VULP.

ibid. TARDIS VERGILIIS] Solito ſerius exorientibus, & mare aperientibus. *Vergiliæ*, inquit Feſtus, *dictæ, quod earum ortu ver finitur, & æſtas incipit*. Servius ad illud Virgilii 1. Georg.

Navita tum ſtellis numeros & nomina fecit,
Pleiadaſque, Hyadaſque;

Signum eſt, inquit, *ante genua Tauri, quod ortu ſuo primæ navigationis tempus oſtendit. unde* Πλειάδες ἀπὸ τοῦ πλεῖν, *id eſt a navigando*. Vide Ovid. 4. Faſt. qui earum nomina (Atlantidum) ponit. Plinius lib. 2. H. N. cap. 41. eas locat in cauda Tauri. Vide eumdem lib. 18. cap. 29. Et cap. 16. libri ejuſdem, eas exoriri ait circiter VI. Idus Majas. Vide etiam Hyginum Poetic. Aſtr. in *Taurus*, & A. Gellium lib. 13. cap. 9. PASS. Ceterum *tardus* nonnumquam dicitur qui ſolito ſerius diſcedit. Ovidius lib. 3. Triſt. Eleg. 12.

Frigora jam Zephyri minuunt; annoque peracto
Tardior antiquâ viſa Mæotis hiems.

quod male Critici ſollicitarunt. VULP.

v. 11. NEC TIBI TYRRHENA SOLVATUR FUNIS ARENA] Voces *Tyrrhena* & *arena* in hoc verſu efficiunt ὁμοιόπτωτον & ὁμοιοτέλευτον, auribus, quarum judicium ſuperbiſſimum eſt, parum ſuave. Nihilominus tempora ſequiora hujuſmodi ſonum, & hos verſus quos *Leoninos* appellant, in deliciis habuere. Quod tamen Broukhuſius rem barbaram vocat & Latinis inſolentem; ne ille ſinat Juppiter. Lector æquus teſtimonia Latinorum quæ proferam, per otium conſideret. Lucretius lib. 3. v. 337.

Matibus accenſus nobis per viſcera ſenſus.

Virgilius 4. Æneid. v. 488.

Quas velit; aſt aliis duras immittere curas.

Et inferius v. 542.

Laomedonteæ ſentis perjuria gentis.

Ovidius Epiſt. Phyllidis v. 126.

Protinus illa meos auguror eſſe deos.

Et Epiſt. Hermiones:

Vir, precor, uxori, frater ſuccurre ſorori.

Et Eleg. de morte Tibulli:

Aurea ſanctorum potuiſſent templa deorum &c.

Item lib. 5. Faſt. v. 665.

Pacis & armorum ſuperis imiſque deorum
Arbiter, alata qui pede carpis iter.

Martialis Epigr. 108. lib. 1.

Gaudere victuras tentem per ſæcula curas.

Vide

Atque ego non videam tales ſubſidere ventos,
Quum tibi provectas auferet unda rates.
Et me defixum vacua patiatur in ora
Crudelem infeſta ſæpe vocare manu.

Sed

Vide Iſaacum Caſaubonum, in Commentario longe doctiſſimo, ad illud Perſii Sat. 1.

Sic coſtam longo ſubduximus Apennino.

Invenies, inquit, *& apud optimum quemque veterum ſimiles verſus, uti jam diximus, ſed raros*. Lege reliqua, ſi vacat. VULP.

ibid. TYRRHENA ARENA] Litore maris Tyrrheni, ſive inferi. Hoſtienſi portu. *Scaliger*. *Litus Etruſcum* vocat Horatius Ode 2. lib. 1. & in Carm. ſæculari. PASS.

ibid. SOLVATUR FUNIS] Navis religabatur ad palum, qui *Primneſius* dicebatur; Feſtus. & alio nomine *Tonſilla*. Funis quo religata navis erat, vel per otium ſolvebatur, vel rumpebatur aut incidebatur a properantibus. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 11.

Sero reſpicitur tellus, ubi fune ſoluto
Currit in immenſum panda carina ſalum.

Virgilius 3. Æneid. *Fugite, atque ab litore funem Rumpite*. Et 4. Æneid. *Strictoque ferit retinacula ferro*. Eum porro funem interdum *oram* vocant: unde *ſolvere oram*, Livio, & Quintiliano in Epiſt. ad Tryphonem bibliopolam. PASS.

v. 12. NEVE INIMICA MEAS ELEVET AURA PRECES] Ne ventus aliquis, non bene advocatus vota mea diſcerpat, atque irrita nubibus donet. BROUKH.

ibid. ELEVET] Leviores reddat, & minus efficaces: pondus habere non ſinat. Ipſe lib. 2. Eleg. 33.

Elevat aſſiduos copia longa viros.

nempe illis pretium adimit & æſtimationem. VULP.

v. 13. ATQUE E. NON VIDEAM TALES SUBSIDERE VENTOS] Hoc diſtichum Scaliger loco movit, & ſequenti ſubjunxit, libris non addicentibus, & improbante Paſſeratio. Sententia hujuſmodi eſt, aut ego valde fallor: Nolim ego videre ſubſidentes, nempe interquieſcentes, tales ventos, nimirum qui nunc mare poſſident, & navigationem impedientes, cogunt Cynthiam hic manere, ac votis meis propitii ſunt. Quid ſit hoc loco *ſubſidere*, Virgilius explicabit lib. 7. Æneid.

Quum venti poſuere, omniſque repente reſedit
Flatus, & in lento luctantur marmore tonſæ.

Nam quod Paſſeratius docet, *ſubſidere*, interdum verbum eſſe inſidiarum, & *ſubſeſſores* vocari eos qui inſidiantur, id vero elegans eſt, vereor tamen ut aptum ſit explicando huic Propertii verſiculo. VULP.

v. 14. QUUM TIBI PROVECTAS AUFERET UNDA RATES] Navis primum deducitur. Eleg. 6. ſupra:

Ut mihi deducta faciat convicia puppi
Cynthia.

Deinde propellitur in æquor; ut Eleg. 19. lib. 3.

Nunc agite, o ſocii, propellite in æquora navim.

Mox altum tenet. Sententia igitur eſt; Quum claſſem porro & in altum a portu vectam, fluctus, & ipſe impetus æſtuſque maris rapient, & a conſpectu noſtro eripient. Virgilius 3. Æneid.

Provehimur portu, terræque urbeſque recedunt.

Et lib. 2.

Huc ſe provecti deſerto in litore condunt.

Auferet unda, dixit ut Ovidius in Remed. Amoris v. 263.

Quid tibi profuerunt, Circe, Perſeides herbæ,
Quum ſua Neritias abſtulit aura rates?

Rates proprie ligna colligata, quæ per aquam aguntur: ſed poetæ uſurpant pro navibus. PASS.

v. 15. ET ME DEFIXUM V. PATIATUR IN ORA] Fortaſſe *patietur*. *Defixum in ora*, ſtupentem, immobilem, attonitum, hærentem tam triſti ſpectaculo. Virgilius 1. Æneid.

Obtutuque hæret defixus in uno.

Horatius Epiſt. 6. lib. 1.

Defixis oculis animoque & corpore torpet. PASS.

ibid. VACUA IN ORA] In deſerto litore ac ſolo. Noſter Eleg. 25. lib. 2.

Putris & in vacua requieſcit navis arena. V.

v. 16. CRUDELEM INFESTA SÆPE VOCARE MANU] Id eſt, eo geſtu revocare. ſed melius, *infeſta manu* per ſe ſtat. Videlicet vocare crudelem, & interea infeſta manu mihimetipſi pectus percutere, caput tundere, capillum vellere, genas lacerare. *Infeſtum*

di-

Sed quocumque modo de me, perjura, mereris,
  Sit Galatea tuæ non aliena viæ:
Ut te felici prævecta Ceraunia remo,
  Accipiat placidis Oricos æquoribus.

Nam

dicitur ab inferendo in aliquem cum studio nocendi. Vide A. Gellium lib. 9. cap. 12. Ovidius lib. 6. Fast. v. 343.

Territa voce gravi surgit dea. convolat omnis
  Turba. per infestas effugit illa manus.

Vetus poeta ἀνώνυμος:

Sperat & in sæva victus gladiator arena,
  Sit licet infesto pollice turba minax.

Pollice enim converso populus Romanus, in spectaculis, gladiatorem quem minus probasset, occidi jubebat. VULP.

v. 17. QUOCUMQUE MODO] Id est, sive bene, sive male; ut infra hac eadem Elegia:

Et quocumque modo maluit esse mea. V.

ibid. Q. M. DE ME, PERJURA, MERERIS, S. G. T. N. A. V.] Ne obscævarit (videlicet ne male ominatis verbis puellæ discessuræ nocuerit) vertit omen in melius. Ita Plautus Cistellar. 1, 1, 110.

Si me absente Alcesimarchus veniet, nolito acriter
Eum inclamare. ut ut erga me est meritus, mihi cordi est tamen.

Idem Capteiv. 3, 5, 86.

Vale atque salve! etsi aliter ut dicam, meres.

Cicero quoque pro Milone: *Valeant cives mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati: stet hæc urbs præclara, mihique patria carissima, quo quo modo merita de me erit.* Noster Eleg. 21. lib. 3.

Qualiscumque mihi tuque puella vale.

Sic & Horatius Ode 27. lib. 3. post mala omina: *Sis licet felix ubicumque mavis, Et memor nostri, Galatea, vivas: Teque nec lævus vetet ire picus, Nec vaga cornix.* Et Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 11. a Propertio, ut solet:

At, si vana ferunt volucres mea dicta procellæ,
  Æqua tamen puppi sit Galatea tuæ.

Addo Tacitum, & Suetonium. Ille Annalium lib. 3. cap. 17. *Etiam ipsius, quo quo modo meriti, gravem casum miseratus.* Hic autem in Tiberio cap. 11. *Officii duxit, quantum in se esset, exorare filiæ patrem frequentibus litteris, & vel utcumque meritæ, quidquid umquam dono dedisset, concedere.* PASS. & VULP.

ibid. PERJURA] De perjuriis Cynthiæ vide Elegiam 16. & 28. libri 2. PASS.

v. 18. GALATEA] Nympha marina, Nerei ac Doridos filia. De hac ipse Propertius Eleg. 1. lib. 3. Theocritus in Cyclope, Ovidius lib. 13. Metam. Monet Beroaldus, Galateam potissimum invocari, quia sit mater Illyrii, qui nomen dedit Illyriæ, quo Cynthia tendebat. PASS.

ibid. NON ALIENA] Non irata, non offensa, sed propitia. Sic ipse Eleg. 15. hujus libri:

Sic quodcumque voles, non aliena tamen. V.

v. 19. UT TE FELICI PRÆVECTA CERAUNIA REMO] Vetus hæc & vera scriptura, recte a Scaligero revocata. Suffragatur etiam Turnebus Advers. lib. 12. cap. 15. Atque ita fere Editio princeps anni 1472. ignota Broukhusio. Corruptores legebant:

Ut te felici vectam per cærula remo. VULP.

Ut. forte, *Et.* BROUKH.

ibid. TE PRÆVECTA CERAUNIA] Pro *prævectam*. Nominativus, seu vocativus pro accusativo. Sic Eleg. 5. lib. 3.

Jurabo & bis sex integer esse dies.

Et Elegia 9. lib. 2.

Visura & quamvis numquam speraret Ulixem,
  Illum exspectando facta remansit anus.

Catullus etiam Carm. 4.

Ait fuisse navium celerrimus.

Tibullus Eleg. 7. lib. 1. *Sic venias hodierne.* Persius autem Sat. 3.

Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis.

Ceterum *prævecta* ἀντὶ τῦ *prætervecta*. Livius lib. 24. *Undecim fasces equo prævectus senex.* PASS.

Nic. Heinsius legebat, *post victa Ceraunia.* quod mihi vehementer adridet. Virgilius II. Georg. 123.

ubi aëra vincere summum
Arboris haud ullæ jactu potuere sagittæ.

VI. Æn. 688.

Venisti tandem, tuaque spectata parenti
Vicit iter durum pietas? BROUKH.

ibid.

Nam me non ullæ poterunt corrumpere tædæ,
Quin ego, vita, tuo limine vera querar.
Nec me deficiet nautas rogitare citatos:
Dicite, quo portu clausa puella mea est?

Et

ibid. FELICI REMO] Prospera navigatione. ut Eleg. 16. hujus libri: *felici nixa lacerto*. & Eleg. 17. *felici thoro*. alias *Nots*. & Eleg. 19. lib. 3. *felicia lintea*. Sic pede *fausto*, *candido*, *secundo*: & remi navium pedes. PASS.

ibid. CERAUNIA] De Cerauniis montibus Epiri, ita nominatis ἀπὸ πυκνῶν κεραυνῶν, a crebris fulminibus, dicetur ad Eleg. 16. lib. 2. v. 3. PASS.

ibid. REMO] Naves antiquorum haud ita magnæ fuerunt, & hodiernis triremibus non dissimiles, quas appellamus *galée*. Idcirco remis plerumque agebantur: veteres enim dum navigarent, litus legere solebant, & vix alto se committebant. Dixi ad Catullum Carm. 4. VULP.

v. 20. ACCIPIAT PLACIDIS ORICOS AEQUORIBUS] Ut accipere cœna, vel hospitio. Catullus Carm. 63. v. 392.

Quum Delphi tota certatim ex urbe ruentes
Acciperent læti divum spumantibus aris.

Noster Eleg. 18. lib. 3.

Et placidum Syrtes portum, & bona litora nautis
Præbeat hospitia sæva Malea suo.

Virgilius pariter 8. Æneid.

Tuque o Tibri tuo genitor cum flumine sancto
Accipite Ænean. PASS.

ibid. ORICOS] Plinius lib. 3. H. N. cap. 23. *Oricum oppidum Epiri*. Idem lib. 2. cap. 89. *Epidaurus & Oricum insulæ esse desierunt*. Hecatæus apud Stephanum de Urbibus: Μετὰ δὲ Βούθρωτος πόλις· μετὰ δὲ Ὤρικος λιμήν. *Deinceps autem Buthrotus urbs. deinceps vero Oricus portus*. Emporium fuit nobile. Horatius propterea Ode 7. lib. 3. de adolescente, qui mercaturam, ut videtur, prætulerat puellæ amatæ: *Ille Notis actus ad Oricum Post insana Capræ sidera*. Inde *Oricia terebinthus*, Virgilio, & Propertio Eleg. 7. lib. 3. VULP.

v. 21. NAM ME NON ULLÆ POTERUNT CORRUMPERE TÆDÆ, QUIN &c.] Mire hic turbant scripti libri, & editiones. Josephus Scaliger malebat:

Nam me non ullæ poterunt corrumpere; de te
Quin ego, vita, tuo limine acerba querar.

Editio omnium prima anni 1472.

Nam me non ullæ poterunt corrumpere de te
Quin ego victa tuo limine verba loquar.

Hæc autem, nisi Sibylla advenerit, interpretari posse arbitror neminem. Commodior mihi visa est lectio Broukhusii, qui sic explicat: Non ero tui similis, o Cynthia: nullius mulieris amor adeo me immutabit, ut desinam ad fores tuas absentis vera ac justa queri de tua levitate ac perfidia. noli dubitare, quin hæc sit ipsa mens poetæ: aut, si dubitas, contentum te teneo fidejussore ipsomet Propertio, quem videre te volo lib. 2. Eleg. 6. *Gavisa est certe*, præ omnibus commentariis. τὸ *vera* eruditissimo Schotto debemus L. 2. Observ. Human. cap. 7. nec non elegantissimo Livinejo. VULP.

ibid. ME NON ULLÆ P. CORRUMPERE TÆDÆ] Me vero nulli alii hymenæi & amores poterunt immutare. id enim valet *corrumpere*. Noster Eleg. 32. lib. 2.

Uxorem quondam magni Minois, ut ajunt,
Corrupit torvi candida forma bovis. PASS.

Ovidius Amor. lib. 2. Eleg. 4. *Corrumpor utraque*. Hymenæo præsidi nuptiarum pineam tædam tribuebant. quamobrem & novis nuptiis faces præferebantur. Vide Catullum Carm. 60. Amorem etiam cum facula pingebant. VULP.

ibid. VERA QUERAR] *Queri* cum quarto casu. Sic Eleg. ult. lib. 3.

Unque meam morso sæpe querere fidem.

Item Horatius Ode 2 lib. 1. *Grave ne rediret Sæculum Pyrrhæ nova monstra questæ*. VULP.

v. 23. NEC ME DEFICIET NAUTAS ROGITARE &c.] Hoc semper aderit, & in promtu: non desinam id facere. Tibullus lib. 4. Carm. 1.

Non te deficient nostræ memorare Camenæ,

quamquam syntaxis paullum diversa est. P.

ibid. NAUTAS ROGITARE CITATOS] Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 12.

Se-

Et dicam, Licet Atraciis considat in oris,
Et licet Eleis, illa futura mea est.
Hic erit: hic jurata manet. rumpantur iniqui.
Vicimus. assiduas non tulit illa preces.

Falsa

Sedulus occurram nautæ, dictaque salute,
Quid veniat quæram, quisve, quibusve locis.

Et Epist. Penelopes:

Quisquis ad hæc vertit peregrinam litora puppim,
Ille mihi de te multa rogatus abit.

Rogitare, sæpius interrogare & percontari. utitur sæpissime Plautus. rogitare, ut negitare. *Citatos*, an vocatos nomine? an properantes? quod est verius. ut apud Livium lib. 27. *citato agmine*. & lib. 28. *citato gradu*. Catullus in Galliambo: *citato pede, & citatis celerare tripudiis*. *Solent* autem *nautæ festinare, quæstus sui gratia* (vel, ut paratos vectores habeant, id simulare) inquit Cicero Epist. 9. Lib. 16. ad Famil. Petronius Satyr. *Stetitque in limine barbis horrentibus nauta, & Moraris, inquit, Eumolpe?* Pass. Mihi vero *citati nautæ* hoc loco sunt *prætereuntes*, quos etiam se interrogaturum dicit poeta; non solos e navi egressos, in litore aut portu stantes & commorantes. Vulp.

v. 24. DICITE, QUO PORTU C. P. M. E.] Ita Eleg. 1. lib. 3.

Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro. V.

ibid. PORTU CLAUSA] Tecta a maris periculis. verba boni ominis. Noster Eleg. 11. hujus libri:

Aut teneat clausam tenui Teuthrantis in unda
Alternæ facilis cedere lympha manu.

Virgilius Æneid. lib. 7. *Optato conduntur Tibridis alveo*. Cassius Ciceroni Epist. 13. lib. 12. ad Famil. *Corycum se contulit, & portu clauso* (an clausum?) *se tenere cœpit*. Festus in *Claudere*, Portumnum deum ideo clavim tenentem fingi ait, quod veluti portarum, & portuum deus esset. Pass. Ipsum mare clauditur molibus in altum jactis. Tibullus Elegia 6. lib. 2.

Claudit & indomitum moles mare, lentus ut intra
Negligat hibernas piscis adesse minas. V.

v. 25. ATRACIIS IN ORIS] Hic rursus libri variant. Retinet tamen Scaliger vulgatam lectionem *Atraciis*: quia Cynthia

proficiscebatur in Achaïam ab Hostiensi portu, ideoque poeta dixit supra:

Nec tibi Tyrrhena solvatur funis arena.

propter Tyrrhenum Tiberim. Et infra hic regnum Hippodamiæ commemorat, & Elidem. Sunt autem Atracii populi Ætoliæ, quos Atracas Plinius vocat ab Atrace fluvio, qui infunditur Ionio; & ab eo est initium Achaiæ. Vide Strabonem lib. 9. & Plinium lib. 4. H. N. cap. 11. Pass.

ibid. CONSIDAT] Consistat, & ad tempus maneat. *Considere* est post longam jactationem certo in loco conquiescere: vel ad tempus, ut hic: vel in perpetuum, ut apud Virgil. Æneid. 1.

Vultis & his mecum pariter considere regnis?

Et lib. 4.

Nec venit in mentem, quorum consederis arvis? Pass.

d. 26. ELEIS] Ceteræ lectiones nothæ & supposititiæ: hæc recta, detracta adspiratione, *Eleis*. quod satis ostendit ipse infra v. 36.

Et quas Elis opes ante pararat equis.

Sic Eleg. 7. lib. 3.

Est quibus Eleæ concurrit palma quadrigæ. P.

ibid. ILLA FUTURA MEA EST] Nempe, quum Romam peregre redierit, tunc interruptam consuetudinem integrabimus; neque amplius ab ullo rivali mihi timebo. V.

v. 27. HIC ERIT] Lipsius lib. 2. Var. Lect. cap. 18. ab hoc versu facit initium alterius Elegiæ; sed errat. Pass. Non aliam Elegiam orditur poeta, sed novam affectionem inducit, & argumentum triste exhilarat; quod ipse videlicet significando animi dolore, ac blande conquerendo, Cynthiam propediem discessuram flexerit atque exoraverit. Est autem hoc distichum valde concinnum, & cummatis pulchre distinctum, qualia non raro apud Nostrum occurrunt. Illud simile Eleg. 7. lib. 3.

Gaude quod nulla est æque formosa: doleres,
Si qua foret: nunc sis jure superba, licet.

Et illud Eleg. 1. lib. 4. quo nihil effici possit rotundius:

Falſa licet cupidus deponat gaudia livor:
Deſtitit ire novas Cynthia noſtra vias.

Illi

Vertite equum, Danai: male vincitis. Ilia tellus
Vivet: & huic cineri Juppiter arma dabit.

Pauci autem hæc animadvertunt; reliqui, etiam litteris imbuti, non ſentiunt, ὄνοι πρὸς λύρας. VULP.

ibid. HIC ERIT] Hic ſedem ſtabilem figet, abjecta cogitatione alio migrandi. *Eſſe* pro habitare, commorari, adeſſe. Cæſar lib. 1. Belli Gallici; *Si pacem populus Romanus cum Helvetiis faceret, in eam partem ituros, atque ibi futuros Helvetios, ubi Cæſar conſtituiſſet, atque eſſe voluiſſet.* Cornelius Nepos Hannibale: *Obſides, quo loco rogarent, futuros.* Cicero lib. 2. de Oratore: *Ego vero*, inquit, *Craſſus, neque Antonium verbum facere patior, & ipſe obmutescam, niſi prius a vobis impetraro. Quidnam? inquit Catulus, Ut hic ſitis hodie.* Plautus Caſina 2, 2, 2. *Ego hic ero, vir ſi, aut quiſquam quæret.* Idem Trinummo 2, 3, 181. *Tu iſtuc cura, quod juſſi; ego jam hic ero.* Et alibi ſæpius. VULP.

ibid. JURATA MANET] Quæ ſe manſuram juravit, fidem præſtat, Contra Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 3.

Eſſe deos, i, crede. fidem jurata fefellit;
Et facies illi, quæ fuit ante, manet.

Cicero & Plautus, *Jurati judices, jurati teſtes.* Vetus liber Scaligeri: *Hic jurata mea eſt.* PASS. *Injuratus* eſt qui ſe jurejurando non obſtrinxit, VULP.

ibid. RUMPANTUR] Dolore meæ felicitatis intumeſcant, diſrumpantur. Virgilius Ecl. 8.

Frigidus in pratis, cantando, rumpitur anguis,

Et Ecl. 7. *Invidia rumpantur ut ilia Codro*, διαρραγῶσι dixit Demoſthenes περὶ στεφάνου. Martialis alicubi;

Rumpatur, quiſquis rumpitur invidia.

Ovidius in Remed. Amoris:

Rumpere livor edax, magnum jam nomen habemus.

Vide Apologum unde hic ſermo natus eſt, apud Horat, Sat. 3. lib. 2. PASS.

ibid. INIQUI] Scilicet, qui nobis male volunt, inimici, infeſti. Virgil. 1. Æneid,

Iniquum ambobus Achillem.

Ovidius lib. 2. Triſt. Eleg. 2.

Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit. V.

v. 28. VICIMUS] Exſultantis formula in victoria. Lucilius apud Donatum in Eunuchum Terentii;

Vicimus, o ſocii, & magnam pugnavimus pugnam.

Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 10.

Vicimus, & domitum pedibus calcamus Amorem. PASS.

ibid. ASSIDUAS NON TULIT ILLA PRECES] Vim & efficacitatem precum mearum ſuſtinere non potuit; ſed ceſſit labefactata. Sic Naſo lib. 3. Triſt. Eleg. 5. de Achille corpus Hectoris Priamo regi reddente;

Dardanii lacrimas non tulit ille ſenis. PASS.

v. 29. FALSA GAUDIA] Vide quæ attulimus ad Eleg. 3. lib. 3. Tibulli v. 20. *Falſa gaudia* hic ſunt injuſta, malevolorum & invidentium propria. Aliovorſum pertinet illud Terentii Andria 1, 2, 9.

Id voluit, nos ſic nec opinantes duci falſo gaudio.

nempe, inani. Et illud Tibulli Eleg. ult. lib. 3.

Hei mihi, difficile eſt imitari gaudia falſa. V.

ibid. LICET] Eſt hoc Inſultantis per amaram conceſſionem & [illegible]. Ovidius lib. 3. Metam.

Nunc tibi me poſito viſam velamine narres,
Si poteris narrare, licet. PASS.

verba ſunt Dianæ Actæonem increpantis. Italice diceres, *Puoi raccontarlo a tuo poſta.* VULP.

ibid. CUPIDUS LIVOR] Scilicet nocendi cupidus. Invidi cupiunt evenire adverſa iis quibus invident. VULP.

ibid. DEPONAT GAUDIA] Abjiciat, & gaudere deſinat. Sic *deponere amorem & morbum* dixit Catullus; *deponere memoriam, timorem, deſiderium, dolorem, bellum, ſimultates*, M. Tullius. PASS.

ibid. LIVOR] Ita vocatur invidia a colore livido invidorum. VULP.

v. 30. DESTITIT IRE NOVAS C. N. VIAS] Mutato propoſito, deſiit velle proficiſci ad ignotas & inexpertas regiones. Virgilius 6. Æneid. v. 103.

— *Non ulla laborum,*
O virgo, nova mi facies inopinave ſurgit.

VULP.

v. 31.

Illi carus ego: & per me cariſſima Roma
  Dicitur: & ſine me dulcia regna negat.
Illa vel anguſto mecum requieſcere lecto,
  Et quocumque modo maluit eſſe mea,
Quam ſibi dotatæ regnum vetus Hippodamiæ,
  Et quas Elis opes ante pararat equis.

Quam-

v. 31. ILLI CARUS EGO] Contra ſuperius:

An tibi ſum gelida vilior Illyria? PASS.

ibid. PER ME] Mea cauſſa, me propter. Ipſe lib. 2. Elegia 6.

Per te nunc Romæ quidlibet audet Amor.

Livius lib. 4. Hiſt. *Per ætatem non recepti*. P. *Per me cariſſima Roma Dicitur*. forte *Ducitur*. mavult mecum in urbe, quam cum prætore in provincia eſſe. BROUKH.

v. 32. ET SINE ME DULCIA REGNA NEGAT] Proverbii genus: opes, honores, & imperia non eſſe jucunda ſine amore. Tibullus Eleg. 3. lib. 3.

Sit mihi paupertas tecum jucunda, Neæra:
  At ſine te regum munera nulla volo. VULP.

Douza Schediaſm. ſuccid. p. 64. ubi bene rejicit Canterum. BROUKH.

v. 33. VEL ANGUSTO LECTO] Non ſolum magno, cujuſmodi ſolent eſſe locupletium, ſed etiam arcto & exiguo lecto illa mecum jacere optavit potius; etiam duriore conditione. Lectus anguſtus, qui duos vix capiat. Sic Eleg. 1. lib. 2.

Nos contra anguſto verſamus prælia lecto. P.

v. 35. DOTATÆ R. V. HIPPODAMIÆ] Dotatæ mulieres dicuntur quæ cum magna dote ad viros veniunt. Horatius Ode 24. lib. 3.

Nec dotata regit virum Conjux. VULP.

ibid. REGNUM VETUS] Opum & potentiæ vetuſtas, magnifica. Superius Eleg. 6. *Aſiæ veteres cernere divitias*. Item lib. 2. Eleg. 28.

Et quot Iona tulit, vetus & quot Achaia formas.

Horatius Ode 15. lib. 2.

Conjurata tuas rumpere nuptias,
  Et regnum Priami vetus. VULP.

ibid. HIPPODAMIÆ] Oenomaus Piſæ regnavit, quæ urbs Elidis, cujus regnum dotale Pelops accepit. PASS. Quamobrem poeta noſter *Hippodamiam* vocat *dotatam*. Vide Indicem. VULP.

v. 36. ELIS] Sive *Eles*, Ἠλεία, Peloponneſi regio inter Achaïam & Meſſeniam, ab Arcadia ad mare uſque quod occaſum Solis ſpectat. Elidis & Achaïæ terminus promontorium Araxus, teſte Strabone lib. 8. Geogr. Fuit in illa etiam oppidum Elis. Celeberrimam fecit Jovis Olympii templum & ſimulacrum, item ludi Olympici, ubi curule certamen, ad quod equi undique mittebantur. Ea quoque optimos & generoſos procreabat. Tibullus Eleg. 4. lib. 1.

Quam jacet, infirmæ venere ubi fata ſenectæ,
  Qui prior Eleo eſt carcere miſſus equus!
    VULP.

ibid. OPES ANTE PARARAT EQUIS] Aut equis alendis, & magno vendendis, aut ipſo quadrigarum & bigarum certamine, ad quod viſendum quinto quoque anno tota Græcia confluebat. Porro urbes frequentia civium, & adventu peregrinorum opulentæ fiunt. VULP.

ibid. ANTE PARARAT] Uno verbo, ait Paſſeratius; ut Elegia 1. *antecupidinibus*: cui nolim auſcultes; hoc enim, candore Propertii alienum videtur. Ego vero ita explicaverim: Ante quam Oenomaus Hippodamiæ pater Piſæ regnaret; ut ſignificet, ludos Olympicos Oenomai regno antiquiores fuiſſe, vel ſaltem equorum alendorum ſtudium apud Eleos. Vel τὸ *ante* uſurpatur pro πάλαι, nempe a vetuſtiſſimis uſque temporibus. Ovidius 1. Metam. v. 5.

Ante, mare & tellus, &, quod tegit omnia,
  cælum,
Unus erat toto Naturæ vultus in orbe.

Ante, hoc eſt πρώτιςα, ut ait Heſiodus in Theogonia. VULP.

ibid. PARARAT OPES] Quæſiverat, congeſſerat, conſtruxerat, comparaverat. Ovidius lib. 5. Faſt.

Sed jam de vetito quiſque parabat opes.
  VULP.

K 2 v. 37.

Quamvis magna daret, quamvis majora daturus;
Non tamen illa meos fugit avara finus.
Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
Sed potui blandi carminis obfequio.
Sunt igitur Mufæ, neque amanti tardus Apollo:
Queis ego fretus amo. Cynthia rara mea eft.

Nunc

v. 37. QUAMVIS MAGNA DABET] Subaudi *prætor ille* quem in Illyridem Cynthia fequi cogitaverat. VULP.

v. 38. NON TAMEN ILLA MEOS FUGIT AVARA SINUS] Mallet Broukhufius *meo finu*. quomodo Catullus loquitur Carm. 37. *Puella nam mea, quæ meo finu fugit*. In finum enim & gremium amantes fe conferre folent. Sed nihil mutandum. Quid fi τὸ *finus* modicam poetæ pecuniam fignificet, cui arcam prætoris auro gravem puella præferre noluerit: quod fi feciffet, avara merito haberetur? Nam in finibus veftium, ut & in zonis, nummos condere ac fecum gerere antiqui folebant. Iccirco Nofter Eleg. 16. lib. 2.

Cynthia non fequitur fafces, non quærit honores:
Semper amatorum ponderat illa finus. V.

v. 39. NON AURO, NON INDIS F. CONCHIS] Iteratione negationis delectatur Propertius. Eleg. 6. fupra:

Non ego fum laudi, non natus idoneus armis.

Et alibi fæpius. PASS.

ibid. INDIS CONCHIS] Ex India, rubroque mari petitis. Significat margaritas, quæ ex conchis extrahuntur. VULP.

v. 40. BLANDI CARMINIS] *Blandum* appellat Ovidius Propertium, κατ' ἐξοχὴν. Lib. 2. Trift. v. 465.

Invenies eadem blandi præcepta Properti.

Et lib. 5. Eleg. 1.

Aptior huic Gallus, blandique Propertius oris,
Aptior, ingenium come, Tibullus erit.

Tenerum etiam vocat lib. 3. Artis v. 333.

Et teneri poffis carmen legiffe Properti. V.

ibid. OBSEQUIO] *Obfequium*, quæ & *Obfequela*, eademque dea Plauto, ab obfequendo, & alteri morem gerendo. Eft autem obfequium affentationi proximum. P.

v. 41. SUNT IGITUR MUSÆ] Epiphonema illis conveniens qui præfentiam numinis fenferunt. PASS. Tibullus pariter Eleg. 5. lib. 1. *Sunt numina amanti*. Papinius Statius lib. 1. Silv. Soteriis pro Rutilio Gallico: *Eftis io, fuperi*. Antiquorum autem ea fuit levitas, & defultoria pietatis ratio, ut pro arbitrio numina ftatuerent; pro arbitrio tollerent. Si quid ex animi fententia eveniffet, id ope deorum fe confecutos exiftimabant, ut hic Propertius, & reliqui citati: fin vero novum occurriffet infortunium, vel deos incufabant quafi auctores, vel omnino effe negabant. Exempla dabo utriufque infaniæ. Prioris: Virgilius Ecl. 5.

Quum complexa fui corpus miferabile nati,
Atque deos, atque aftra vocat crudelia mater.

Tibullus Eleg. 4. lib. 1.

Crudeles divi! Serpens novus exuit annos:
Formæ non ullam fata dedere moram.

Pofterioris: Calvus in celebri Epigrammate:

Marmoreo Licinus tumulo jacet: at Cato parvo,
Pompejus nullo. quis putet effe deos?

Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 3.

Effe deos, i, crede. fidem jurata fefellit,
Et facies illi, quæ fuit ante, manet.

Idem Eleg. 9. ejufdem libri:

Quum rapiant mala fata bonos (ignofcite faffo)
Sollicitor nullos effe putare deos.

Et lib. 9. Metam. verbis Herculis morientis:

At valet Euryftheus; & funt qui credere poffint
Effe deos?

Cornelius Tacitus lib. 14. Annal. cap. 12. *Prodigia quoque crebra & irrita interceffere .... quæ adeo fine cura deûm eveniebant, ut multos poft annos Nero imperium & fcelera continuaverit.* Vide L. Senecam libro de Providentia, & Claudianum lib. 1. in Rufinum. VULP.

ibid. NEQUE AMANTI TARDUS APOLLO] Deus vatum Apollo non eft fegnis neque ceffator ad opem ferendam poetæ amanti. V.

v. 42. QUEIS EGO FRETUS AMO] Quorum

Nunc mihi ſumma licet contingere ſidera plantis.
Sive dies, ſeu nox venerit, illa mea eſt.
Nec mihi rivalis certos ſubducit amores.
Iſta meam norit gloria canitiem.

rum ope ac numine ſubnixus, militiæ amatoriæ nomen dedi. Ut apud Plautum Caſina 2, 5. *Diis ſum fretus, deos ſperabimus*. Idem Aulul. 3, 6. *Fretus tua, Fides, fiducia*. Virgilius 11. Æneid. *Medium freti pietate per ignem Cultores*. PASS.

ibid. CYNTHIA RARA] Non una de multis: verum unica & pæne ſingularis. Ut Eleg. 17. hujus libri:

Quamvis dura, tamen rara puella fuit. P.

Sic in vetuſtis lapidibus: CONIVGI RARISSIMAE. FEMINAE RARISSIMAE. BROUKH.

v. 43. CONTINGERE SIDERA PLANTIS] Locutio παροιμιακὴ, de homine reliquorum fortunas prætergreſſo. quaſi dicat, Deus ſum, ſum in cælo, aſtra perambulo. Ennius apud Varronem:

Muſæ, quæ pedibus magnum pulſatis Olympum.

Catullus Carm. 65. *Me nocte premunt veſtigia divûm*. Virgilius Ecl. 5.

Sub pedibuſque vides nubes & ſidera Daphnis.

Contingere plantis, dictum ut ab eodem Virgilio 4. Æneid.

Ut primum alatis tetigit magalia plantis. P.

v. 44. SIVE DIES, SEU NOX VENERIT] Quocumque tempore. Nox & dies veniunt. Sic Eleg. 15. lib. 2.

Nox tibi longa venit, nec reditura dies. P.

v. 45. RIVALIS] Donatus in Eunuchum Terentii: *Rivales dicuntur æmuli de mulieribus, translatione nominis a feris beſtiis, quæ ſitientes quum ex eodem rivulo hauſtum petunt, in prælium contra ſe invicem concitantur. Sic Cicero pro Cælio: Sin erit ex illo fonte rivalis*. Apud Juriſconſultos in Tit. de aqua cot. & æſt. *Rivales, ſunt qui per eumdem rivum aquam ducunt*. Acron in Artem Poeticam Horatii: *Rivales, qui in agris rivum haberent communem, & propter eum ſæpe diſcreparent*. Noſter Eleg. ult. lib. 2.

Rivalem poſſum non ego ferre Jovem. PASS.

ibid. CERTOS AMORES] Firmos & ſtabiles. Ita *certus amator*. Noſter Eleg. 24. lib. 2.

Tu mea compones, & dices, Oſſa, Properti,
Hæc tua ſunt: eheu tu mihi certus eras.
VULP.

ibid. SUBDUCET] Donatus in Eunuchum: *Subducere, eſt furtim ſubtrahere*, ut, *Et fidum capiti ſubduxerat enſem*. Idem ibid. *Subducuntur, quæ nolumus amittere: ſupponuntur, quæ non deſideramus*. Porro, in duobus libris a Broukhuſio inſpectis, & in editione principe A. 1472. eſt *ſubducit*. VULP.

v. 46. ISTA MEAM NORIT GLORIA CANITIEM] Hypallage, pro, Mea canities norit & ſentiat iſtam gloriam. *Mea canities*, ego canus. Ita Eleg. 1. lib. 2.

Mæcenas, noſtræ ſpes invidioſa juventæ.

Gloria vero eſt, qua licere ſibi ait contingere ſidera plantis, & a nullo rivali ſuperari poſſe. PASS.



ELEGIA IX.

DIcebam tibi venturos, irrisor, amores,
Nec tibi perpetuo libera verba fore.
Ecce jaces, supplexque venis ad jura puellæ,
Et tibi nunc quovis imperat emta modo.

Non.

ARGUMENTUM ELEGIÆ IX. LIBRI I.] Pontico insultat, amore, quem antea contemserat, deflagranti. VULP.

v. 1. DICEBAM] Monebam, ut caveres. ἰδιωτικῶς. nam sic vulgo increpamus eos quibus contigit id quod monuimus ut caverent. Sic Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 14.

Dicebam, Medicare tuos desiste capillos.

Plautus Asin. 2, 5.

Dicebam, pater, tibi, ne matri consuleres male.

Ausonius Epigr. 13.

Dicebam tibi, Galla, Senescimus, effugit ætas.

L.Seneca in Apocolocynthosi: *Dicebam vobis, Non semper Saturnalia erunt.* Intelligit autem Propertius versum ultimum Elegiæ 7.

Sæpe venit magno fœnore tardus Amor. P.

Vel, dicebam quasi oraculum certissimum. Tibullus Eleg. 6. lib. 1.

Et tibi nescio quas dixit, mea Delia, pœnas.

Loquitur de sacerdote Bellonaria, quæ edebat oracula. Hinc *dictiones* pro vaticiniis. Vetus Poeta apud Auctorem Rhetoric. ad Herennium lib. 2. cap. 26.

Aperte fatur dictio, si intelliges.

T. Livius lib. 7. Hist. *Accito ab Tarentinis in Italiam data dictio erat: Caveret Acherusiam aquam.* VULP.

ibid. TIBI VENTUROS AMORES] *Venus* ipsa a *veniendo dicta, quod ad omnia veniat*, si Tullium audimus lib. 2. de Nat. Deor. V.

ibid. IRRISOR] Γέλοιος, γελοίαστος, γελῶος. Gallice, *moqueur*. Hoc verbo utitur Cicero in Paradoxis. Horatio *derisor* in Epist. ad Pisones. PASS.

v. 2. PERPETUO LIBERA V.] Erat libertas ad tempus, & erat libertas perpetua. Conditiones vero adjectæ libertatibus eas perpetuas esse non sinebant. Plautus Menæchm. Sc. ult.

Sed mihi meliore opus est auspicio, perpetuo liber ut sim.

Noster Eleg. 2. lib. 2.

Hoc mihi perpetuo-jus est, quod solus amator
Nec cito desisto, nec temere incipio.

Contra, *sempiternam servire servitutem*, dixit Plautus in Persa. PASS.

ibid. LIBERA VERBA] Fortia videlicet, quæ liberum & sui juris hominem deceant. Ipse Eleg. ult. lib. 4.

Nec matrem laudate nimis. conlata priori
Vertet in offensas libera verba suas.

Ita Plautus Persa 2, 4.

Servam operam, linguam liberam Herus me jussit habere. PASS.

ibid. VERBA FORE] Præsto futura esse. Horatius Epist. 1. lib. 1. v. 33.

Fervet avaritia, miseroque cupidine pectus?

Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi deponere partem. V.

v. 3. ECCE JACES] Verba præsentis exempli, reique subitæ. Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 9.

Carminibus confide bonis: jacet ecce Tibullus.

Martialis Epigr. 94. lib. 9.

Dat tibi securos vilis lecticula somnos:
Pervigil in pluma Caïus ecce jacet.

Jaces autem, afflictus & prostratus es. *Jacere* metaphorice dicuntur qui fracto sunt animo. Cicero pro Murena: *Jacet, diffidit, abjecit hastas.* PASS.

ibid. SUPPLEXQUE VENIS AD JURA PUELLÆ] Ad leges & conditiones servitutis accipiendas. Ductum a bello & victoria. Ut Eleg. 8. lib. 4.

Supplicibus palmis tum demum ad fœdera veni.

Et inferius:

Indixit leges: respondi ego, Legibus utor.
Riserat imperio facta superba dato. VULP.

ubi *fœdera, leges, imperium* conjunguntur, ut hic *jura*, & *imperat*. Rursus Eleg. 9. lib. 3.

Quid

Non me Chaoniæ vincant in amore columbæ
Dicere quos juvenes quæque puella domet.
Me dolor & lacrimæ merito fecere peritum:
Atque utinam posito dicar amore rudis.

Quid

Quid mirare, meam si versat femina vitam,
Et trahit addictum sub sua jura virum? P.

v. 4. QUOVIS MODO IMPERAT] Ut animo suo libitum fuerit, regio more ac tyrannico. VULP.

ibid. IMPERAT EMTA] Ancillam habes loco dominæ. Hujusmodi fatuos Romani per ludibrium *ancillariolos* appellabant. Martialis Epigr. 58. lib. 2.

Ancillariolum tua te vocat uxor: at ipsa
Lecticariola est. estis, Alauda, pares.

O par conjugum elegans! alter verbere sectis corporibus mire delectabatur: altera vices marito rependens, amplexus suos in crucem mittebat, ut cum Petronio loquar. quid enim aliud servi lecticarii, quam cruciarii meri? Huc autem pertinet Epigramma 71. lib. 6. ejusdem Hispani poetæ, quod unice hunc Propertii locum illustrat:

Edere lascivos ad Batica crusmata gestus,
Et Gaditanis ludere docta modis;
Tendere quæ tremulum Pelian, Hecubæque maritum
Posset ad Hectoreos sollicitare rogos;
Urit, & excruciat dominum Telethusa priorem.
Vendidit ancillam: nunc redimit dominam.

Neque abit Agathias Scholasticus Epigr. 79. lib. 7. Anthologiæ:

Ἢν δὲ μιγῇς ἰδίῃ θεραπαινίδι, τλῆθι καὶ αὐτὸς
Δοῦλος ἐναλλαγδὴν δμωΐδι γιγνόμενος.
Sin vero miscearis propriæ famulæ, tolera & ipse
Servus vicissim ancillæ fieri.

Veteris proverbii contraria sententia: *Emendus cui imperes.* VULP.

ibid. EMTA] Homerus lib. 14. Odysseæ v. 202. -- ἐμὲ δ' ὠνητὴ τέκε μήτηρ Παλλακίς. *Me autem emta peperit mater Concubina.* VULP.

v. 5. NON ME CHAONIÆ VINCANT IN AMORE COLUMBÆ DICERE] Quum agitur de re amatoria, noli putare ullum me oraculum certius esse; non illud celeberrimum Dodonæum. adeo me callidum & peritum effecit assidua exercitatio. Vide Eleg. 8. lib. 1. Tibulli. VULP.

ibid. CHAONIÆ COLUMBÆ] Servius ad illud Virgilii Ecl. 9.

Chaonias dicunt aquila veniente columbas,

In silva Epiri Dodona, inquit, *fuisse columbas quasdam ajunt quæ divinandi peritæ responsa illic darent. Orta autem ex eo fabula, quod Peliades Thessalorum lingua & vates & columbas significant.* Hesychius: Πέλειαι, περιστεραί, καὶ ἐν Δωδώνῃ θεσπίζουσαι μάντεις. Pausanias in Achaïcis, has columbas e Dodonæa quercu dedisse responsa scribit. Quamobrem Virgilius 2. Georg. *Habitæ Graiis oracula quercus.* Herodotus autem lib. 2. tradit, easdem mulieres fatidicas fuisse. Multa alia colligit Beroaldus quæ longum esset adscribere. Noster Eleg. 21. lib. 2.

Sed tibi jam videor Dodona verior augur?
Uxorem ille tuus pulcher amator habet.

Chaonia, Epiroticæ. Vetus Glossarium, *Chaonia*, ἠπειρωτική. nam *Chaonia* pars Epiri, dicta a Chaone Trojano. Virgilius 3. Æneid.

Morte Neoptolemi regnorum reddita cessit
Pars Heleno, qui Chaonios cognomine campos,
Chaoniamque omnem Trojano a Chaone dixit.

Ovidius lib. 2. Artis:

Quasque colat turres, Chaonis ales habet. P.

ibid. VINCANT DICERE] Superent prædicendo & divinando. ἰσχλευσμὸς. Vincant, ut apud Plautum Mil. Glor.

Qui se arguat, cum contra vincant jurejurando. PASS.

v. 6. QUOS JUVENES QUÆQUE PUELLA DOMET] Quibus juvenibus unaquæque puella imperet, quos feros animis alliget. Horatius Ode 27. lib. 1. *Quæ te cumque domat Venus, Non erubescendis adurit Ignibus.* P.

v. 7. ME DOLOR ET LACRIMÆ MERITO FECERE PERITUM] Quod mihi notitiam non vulgarem eorum quæ ad amores pertinent comparaverim, hoc debeo duriori disciplinæ, rebus adversis, dolori, lacrimisque assiduis, quibus Venus, magistra immitis, me sollicitum & exercitum habuit. Sic Tibullus Eleg. 8. lib. 1. postquam sollertiam suam & calliditatem in hoc genere jactasset, demum subjungit:

Ipse

Quid tibi nunc misero prodest grave ducere carmen,
Aut Amphioniæ mœnia flere lyræ?
Plus in amore valet Mimnermi versus Homero.
Carmina mansuetus lenia quærit Amor.

I,

Ipsa Venus magico religatum brachia nodo
Perdocuit, multis non sine verberibus. V.

ibid. MERITO] Minerval enim solvi præceptori. VULP.

v. 8. ATQUE UTINAM POSITO DICAR AMORE RUDIS] Nam tanti non est peritum & consultum esse, ut propterea miser sim. Æstimationem hujusmodi & celebritatem tranquillitate animi libenter commutavero. VULP.

ibid. POSITO AMORE] Tamquam gravi aliqua sarcina. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 9.

Vive, deus, posito, si quis mihi dicat, amore;
Deprecer. usque adeo dulce puella malum est.

Catullus Carm. 75.

Difficile est longum subito deponere amorem. V.

ibid. RUDIS] *Peritus* & *rudis* opponuntur. Sic Eleg. ult. lib. 2.

Sive in amore rudis, sive peritus erit.

Hinc *erudire*; nempe ex rudi peritum efficere. VULP.

v. 9. GRAVE CARMEN] Severum, triste, gravis argumenti, qualia sunt Epicorum, & quorumdam Lyricorum. *Stesichori graves Camœnæ* dixit Horatius Ode 9. lib. 4. V.

ibid. DUCERE CARMEN] Ita Horatius Sat. 10. lib. 1. v. 43. *Forte epos, acer Ut, nemo, Varius, ducit.* Quæ interpretes male interpungunt, etiam acutissimus Bentlejus. Idem poeta Venusinus Epist. 1. lib. 2. v. 225. *tenui deducta poemata filo.* Translatio est a nendo. Vulgati libri, *dicere carmen.* V.

v. 10. AMPHIONIÆ MŒNIA FLERE LYRÆ] Flebiliter canere excidium Thebarum, quarum muros ab Amphione constructos sonitu citharæ, tradit vetus fabula. Horatius Epist. ad Pisones:

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet.

Noster Eleg. 2. lib. 3.

Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem
Sponte sua in muri membra coisse ferunt.

Etiam Pergama, seu Trojæ mœnia, sic ædificata putabantur, nempe Apolline citharam pulsante. Ovidius Epist. Paridis v. 179.

Ilion aspicies, firmataque turribus altis
Mœnia, Phœbææ structa canore lyræ. V.

ibid. FLERE] Ita Eleg. 9. lib. 3.

Non flebo in cineres arcem sedisse paternos
Cadmi.

scilicet, non lugubri carmine narrabo. V.

v. 11. PLUS VALET] Majorem vim habet. Plautus Amphitr. 1, 2, 134. *Non loquar nisi pace facta, quando pugnis plus vales.* VULP.

ibid. IN AMORE] Sic Elegia 1. supra:

Tantum in amore preces, & benefacta valent.

Et Eleg. 7. lib. 2.

Devictæ gentes nil in amore valent. V.

ibid. MIMNERMI VERSUS] Pentameter Elegiacus, a Mimnermo Colophonio inventus, Solonis æquali, homine amoribus & voluptatibus dedito. Horatius propterea in calce Epist. 6. lib. 1.

Si, Mimnermus uti censet, sine amore jocisque
Nil est jucundum; vivas in amore jocisque.

Hic jam senex amavit tibicinam quamdam nomine Nanno; quod cognoscimus ex versibus Hermesianactis Colophonii ab Athenæo recitatis lib. 13. Meminerunt ejus idem Athenæus lib. 14. 15. & 16. Strabo lib. 14. Pausanias in Bœoticis, Plutarchus περὶ ἠθικῆς ἀρετῆς, Hipponax apud eumdem in libro de Musica: & ex recentioribus, Lilius Gyraldus in Dialogis de Poetis, qui *Mnemermum* perperam vocat, Andreas Schottus lib. 2. Observ. Human. cap. 52. & Fulvius Ursinus, a quo Fragmenta ejus poematum collecta sunt. Passeratius hunc Propertii locum videtur non satis intellexisse. Ceterum fuere qui Mimnermum Callimacho ipsi, poetæ in Elegia principi, anteferre non dubitarent. Id ostendit Horatius Epist. 2. lib. 2. v. 99.

Discedo Alcæus puncto illius: ille meo quis?
Quis, nisi Callimachus? si plus adposcere visus,
Fit Mimnermus, & optivo cognomine crescit.

BROUKH. & VULP.

v. 12. MANSUETUS AMOR] Non perpetuum epithetum, ait Passeratius; Amor enim modo dulcis, modo amarus: immo sa-

I, quæso, & tristes istos compone libellos:
Et cane quod quævis nosse puella velit.
Quid si non esset facilis tibi copia? nunc tu
Insanus medio flumine quæris aquam.

Nec-

sæpius amarus: Verum hoc loco mansuetam appellat Propertius, quod procul a castris in otio & pace colatur. Ipse Eleg. 5. lib. 3. *Pacis Amor deus est.* Mansuetus, *assuetus manui*, ut docet Nonius Marcellus; *quod feræ, quum manu permulcentur, mitescant.* VULP.

ibid. LENIA CARMINA] Censet Broukhusius, translationem duci a vino, quod *lene* dicitur quum suave est ac maturum potui. Cato de R. R. cap. 109. *Vinum asperum quod erit, lene & suave si voles facere, sic facito.* Horatius Ode 29. l. 3. *Non ante verso lene merum cado.* Ovidius pariter elegis lenitatem tribuit lib. 2. Amor. Eleg. 1.

Blanditias elegosque leves, mea tela, resumsi;
Mollierunt duras lenia verba fores. V.

v. 13. I, QUÆSO] Formula dimittentis a se aliquem cum irrisione, ut Eleg. 29. lib. 2.

I nunc, & noctes disce manere domi.

Virgilius lib. 7. Æneid.

I nunc, ingratis offer te, irrise, periclis. P.

Additum tamen τὸ *quæso* indicat benevolentiam & familiaritatem. VULP.

ibid. TRISTES ISTOS LIBELLOS] Truculentos, & nimis severos. Elegia 7. supra ad hunc eumdem Ponticum:

Dum tibi Cadmeæ dicuntur, Pontice, Thebæ,
Armaque fraternæ tristia militiæ. V.

Ibid. COMPONE LIBELLOS] Claude, & in scriniis, vel in forulis bibliothecæ repone. Cicero lib. 16. ad Famil. Epist. 10. *Libros compone; indicem, quum Metrodoro libebit.* Ovidius lib. 1. Pontic. Epist. 1.

Quæris, ubi hos possis nullo componere læso?
Qua steterant Artes, pars vacat illa tibi.

Sic Horatius Ode 14. lib. 4.

Te cæde gaudentes Sicambri
Compositis venerantur armis.

Ita *componere opes* dixit Virgilius, pro congerere. De libris autem alio verbo usus est Venusinus poeta Sat. 3. lib. 2. idem fere significante:

Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro,
Eupolin Archilocho? comites educere tantos?

Vulgatæ Propertii editiones *depone*. V.

v. 14. ET CANE QUOD QUÆVIS NOSSE PUELLA VELIT] Scribe carmen amatorium, quod legere & intelligere desideret quævis puella de plebe & vulgaris. Vel *quævis puella*, & rudis amorum, & perita. Sic Eleg. ult. lib. 2.

Non tamen hæc ulli venient ingrata legenti,
Sive in amore rudis, sive peritus erit.
PASS.

Vel denique doctæ simul puellæ poetarumque studiosæ, *rarissima turba*, ut ait Ovidius in Arte; & indoctæ; quæ passim occurrunt. nam & hæ carminibus delectari solent, si lenia & facilia sint. VULP.

v. 15. QUID SI NON ESSET FACILIS TIBI COPIA?] Hæc verba *quid si non* complectuntur argumentum a contentione minorum. ut Eleg. ult. lib. 2.

Quid si non constans illa, & tam certa fuisset?

Virgilius pariter 4. Æneid. *Quid si non arva aliena, domosque ignotas peteres?* Et Q. Catulus apud A. Gellium lib. 19.

Quid si non interdixem, ne illum fugitivum
Mitteret ad se intro, sed magis ejiceret? P.

ibid. FACILIS COPIA] Perperam Passeratius, mea quidem sententia, hunc locum explicat. Facultas, inquit, & abundantia in promtu, ob multitudinem puellarum Romæ, de qua Ovidius 1. Artis Amat. vel copia rerum & argumentorum in scribendo carmine; qua de re Noster Eleg. 1. lib. 2. Hactenus vir ille quantivis pretii. Sunt hæc nihilominus ἀπροσδιόνυσα. Id enim, si quid video, sibi vult Propertius: Æstuas, mi Pontice, distraheris, ac misere discruciaris in amoris rota, quamvis ancillam ames, mulierem scilicet potestati tuæ subjectam, adeoque paratam semper & facilem. Quid si liberam, ingenuam, patriciam, deperires, cujus tibi fruendæ neque copia, neque spes esset? Horatius Sat. 2. lib. 1. v. 19. de Venere pariter servili: *Parabilem amo Venerem, facilemque.* *Copia* vero ad hujusmodi delicias pertinet. Noster Eleg. 20. lib. 2.

Necdum etiam palles, vero nec tangeris igni.
Hæc eſt venturi prima favilla mali.
Tunc magis Armenias cupies accedere tigres,
Et magis infernæ vincula noſſe rotæ:

Quam

Interea nobis non numquam janua mollis,
Non numquam lecti copia facta tui. V.

ibid. NUNC TU] *τὸ nunc*, non eſt hic temporis adverbium, ſed ponitur pro *atqui*, vel *contra*. Cicero lib. 1. de Divinatione: *Quæ quidem multo plura evenirent, ſi ad quietem integri iremus: nunc onuſti cibo & vino, confuſa & perturbata cernimus.* P.

v. 16. MEDIO FLUMINE] Ubi flumen profundius eſt. Sic Virgilius 3. Æneid. *Graditurque per æquor Jam medium.* PASS.

ibid. QUÆRIS AQUAM MEDIO FLUMINE] Græcorum proverbio, ἐν θαλάσσῃ ζητεῖς ὕδωρ. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 2.

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus.

Idem lib. 3. Metam. v. 466. in fabula Narciſſi:

Quod cupio, mecum eſt, inopem me copia fecit.

Hæc attulit doctiſſimus Paſſeratius; qui quantum abfuit a vera hujus Propertiani loci explicatione? ſed neſcio quo malo fato non eſt aſſecutus. Regina illa apud Ludovicum Areoſtum lib. 28. Rolandi Furentis, quum pumilionem deperiret, ejuſque complexibus uteretur quandocumque ipſi collibuiſſet, illum tamen ſemper accuſabat ut remiſſum & languidum in amore. Sic igitur affecta erat ut noſter hic Ponticus. Ipſa verba afferam hilaris poetæ, ſtrophe 37.

Trova l' altro di ancor, che ſi lavora,
E l' altro. al fin non ſi fa feſta giorno.
E la regina (che gli par più ſtrano)
Sempre ſi duol, che poco l' ami il nano. V.

v. 17. NECDUM ETIAM] Vetus Gloſſarium: *Necdum etiam, nequaquam, οὐδέπω*. Virgilius 1. Æneid.

Necdum etiam cauſſa irarum, ſævique dolores
Exciderant animo. PASS.

ibid. PALLES] Quum amantes pallent, ſe morbum amoris penitus contraxiſſe oſtendunt. VULP.

ibid. VERO IGNI] Ut verus calor, Eleg. 8. lib. 3.

Nimirum veri dantur mihi ſigna caloris.

Cui e regione reſpondet quod ſcribit Noſter Eleg. 11. hujus libri:

An te neſcio quis ſimulatis ignibus hoſtis
Suſtulit e noſtris, Cynthia, carminibus? P.

ibid. TANGERIS] Cum graviſſimo malo & periculo conjunctum eſt tangi. Ut Eleg. 1. lib. 2.

Seu mihi ſint tangenda novercæ pocula Phædræ.

Horatius Ode 3. lib. 1.

Non tangenda rates tranſiliunt vada.

Sic *tangi de cælo*; & *tactus*, fulminis igne percuſſus. PASS.

v. 18. HÆC EST VENTURI PRIMA FAVILLA MALI] Quam nunc amoris favillam ſentis, ea leviſſimum eſt indicium ignis atque incendii futuri. Servius in illud 3. Æneid.

Turbine fumantem piceo, & candente favilla,

Favilla, inquit, *eſt deſerta igne ſcintilla*. Porro amorem *malum* vocavit etiam Eleg. 1. ſuperius: *Hoc, moneo, vitate malum*. PASS.

v. 19. TUNC] Quum vero igni ardebis. PASS.

ibid. MAGIS ARMENIAS CUPIES ACCEDERE TIGRES] Ad te diſcerpendum venire. Tigrium immanitas & rabies inſignis. Tigris Medorum lingua ſagittam ſonat, ut ſcribit Plinius lib. 6. H. N. cap. 27. Unde & feræ & fluvio nomen propter celeritatem. Idem Plinius lib. 8. cap. 18. tradit, in Hyrcania & India naſci tigres, nec meminit Armeniæ: ſed, ut idem ait, Armeniis Hyrcani adjacent a meridie. Virgilius Ecl. 5.

Daphnis & Armenias curru ſubjungere tigres
Inſtituit.

Tibullus Eleg. 6. lib. 3.

Armenias tigres, & fulvas ille leænas
Vicit.

Sic Horatius Ode 27. lib. 3. inducit Europen optantem ut a leonibus & tigribus laceraretur. PASS.

v. 20. ET MAGIS INFERNÆ VINCULA NOSSE ROTÆ] Experiri potius cupies & ſentire ſupplicium & cruciatus Ixionis apud inferos

ros

Quam pueri totis arcum sentire medullis,
Et nihil iratæ posse negare tuæ.
Nullus Amor cuiquam faciles ita præbuit alas,
Ut non alterna presserit ille manu.
Nec te decipiat, quod sit satis illa parata.
Acrius illa subit, Pontice, si qua tua est.

Quip-

ros rotæ alligati, & sine ulla requie circumvoluti. Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Illic Junonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota. P.

Vide Indicem nostrum verbo *Ixionis*. V.

v. 21. Q. PUERI TOTIS ARCUM SENTIRE MEDULLIS] Nempe sagittas Cupidinis arcu emissas, quarum ignis interiorem amatoribus medullam edit. Sic Ovidius lib. 2. Artis:

Sensit & Hylæi contentum saucius arcum.

Et lib. 1. Amor. Eleg. 11.

Credibile est, & te sensisse Cupidinis arcus. P.

Vulgati libri pro *totis* habent *toties*. V.

v. 22. ET NIHIL IRATÆ POSSE NEGARE TUÆ] Cogi ea omnia facere & pati quæ puella velit ac jubeat, eaque irata: omnia enim quamvis acerba placandæ amicæ caussa faciunda sunt amanti. Aliud vitium est in vitiosa verecundia, nihil posse negare; qua de re Plutarchus. Elegia proxime sequenti non dissimile est:

Nec, si quid petiit, ingrata fronte negaris. P.

ibid. TUÆ] Subaudi *amicæ*, *puellæ*, *dominæ*. Horatius Ode 15. lib. 1. *Non hoc pollicitus tuæ*. VULP.

v. 23. NULLUS AMOR CUIQUAM FACILES ITA PRÆBUIT ALAS, UT NON ALTERNA PRESSERIT ILLE MANU] Strenue hic nugantur interpretes, quasi certamine instituto, quis eorum a vera explicatione longius aberret. Ut hæc intelligas, lector, finge tibi puerum aliquem qui aviculam manu teneat filo impeditam. Is, ut de illa sibi ludum faciat, modo paullum excurrere & evolare sinit, modo filum retrahit, & miseram manu premit. Simillimum est Cupidinis ludicrum de capto & irretito amatore. Nonnumquam remittit vincula, & spem libertatis ostendit: sed quum ille sibi jam liber videtur, iterum se premi sentit, retrahi, ac retineri. VULP.

v. 24. ALTERNA MANU] Non, modo hac, modo illac: nunc dextra, nunc sinistra; ut perperam Passeratius: sed alternis expansa, alternis compressa. Vide Æsopi Fabulam 16. quæ inscribitur Καπνοπραγμων. ea scilicet imaginem hanc Propertianam illustrare potest. VULP.

v. 25. NEC TE DECIPIAT, QUOD SIT SATIS ILLA PARATA] Nec illud te inani persuasione fallat, spemque tibi faciat placidi amoris & fortunati, quod amicam habeas in potestate, cupientem omnia quæ tu velis, non difficilem, sed ad cupiditates tuas explendas paratam: & hic enim pericula & insidiæ latent. Ovidius quidem in Remediis Amoris v. 533.

Explenda est sitis ista tibi, qua perditus ardes.
Cedimus: in medio jam licet amne bibas.
Sed bibe plus etiam, quam quod præcordia poscunt:
Gutture fac pleno sumta redundet aqua.
Perfruere usque tua, nullo prohibente, puella.
Illa tibi noctes auferat, illa dies.
Tædia quære. malis faciunt & tædia finem.
Jam quoque, quum credas posse carere, mane.

Hoc tamen consilium, praeceps & periculosum, successo sæpe destituitur. VULP.

ibid. SATIS PARATA] Scriptor liberi carminis Epigr. 46. *Quamvis videar satis paratus*, nempe ad συνουσίαν. Noster Eleg. 24. lib. 2.

Dura est, quæ multis simulatum fingit amorem;
Et se plus uni si qua parare potest.

Tacitus lib. 14. Annal. a Gebhardo allatus: *Offerret se sæpius temulento comtam, & incesto paratam*. VULP.

v. 26. ACRIUS ILLA SUBIT, P. SI QUA TUA EST] Irrepit in animum, ingreditur clanculum, altius insinuatur, te non sentiente, atque aliud agente. *Subire* dicunt Latini de malis occultis, aut vix animadversis. Virgilius 3. Georg. v. 61. *Subeunt*

 amor-

Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos,
Nec vigilare alio nomine, cedat Amor?
Qui non ante patet, donec manus attigit ossa.
Quisquis es, assiduas o fuge blanditias.

Illis

morbi, tristisque senectus. Noster Eleg. 27. lib. 2. *Non subeant labris pocula nigra tuis*. Ovidius lib. 1. Artis v. 619.

Blanditiis animum furtim deprendere nunc sit;
Ut pendens tacitâ ripa subitur aquâ.

Idem lib. 10. Metam. v. 173. de Apolline amante: *Longaque alit assuetudine flammas*. Et lib. 2. Artis v. 345.

Fac tibi consuescat: nil consuetudine majus.

Profecto exitiale videtur, cum periculis familiariter, & sine ulla suspicione versari. VULP.

v. 27. QUIPPE UBI NON LICEAT VACUOS SEDUCERE OCELLOS, NEC VIGILARE ALIO NOMINE, CEDAT AMOR?] Probo interpunctionem & explicationem Jani Broukhusii: Etenim ubi tu quotidie ante oculos habeas dominam tuam, eam unam contempleris unice, quum illa tibi noctes auferat, illa dies; credis fore ut tam contumax amor victus abeat, ac loco cedat? VULP.

ibid. QUIPPE UBI] Lucretius lib. 3.

Quippe ubi imaginibus fumi, nebulæve movetur.

Noster Eleg. 4. lib. 2.

Quippe ubi nec caussas, nec apertos cernimus ictus.

Quippe, siquidem, quoniam. *quippe ubi*, Græcis ὅπουγε. PASS.

ibid. VACUOS OCELLOS] Vel amore vacantes & liberos factos, vel otio & amore laborantes. PASS.

ibid. SEDUCERE] Seorsum abducere, & illinc amovere. Sunt qui legant *subducere*. Virgilius 4. Æneid. v. 385.

-- *Quum frigida mors animæ seduxerit artus*.

ubi pariter Servius, teste Pierio Valeriano, *subduxerit* videtur legisse. VULP.

v. 28. NEC VIGILARE ALIO NOMINE] Hoc est, ubi ob unam tantum caussam, & unius puellæ gratia vigilare liceat. Vigilant autem homines amore non impediti alia de caussa, ut ob negotium, studium, ludum. PASS. Ob furta etiam & latrocinia, si diis placet. Horatius Epist. 2. lib. 1. v. 32.

Ut jugulent hominem, surgunt de nocte latrones:
Ut te ipsum serves, non expergisceris? atqui
Si noles sanus, curres hydropicus: & ni
Posces ante diem librum cum lumine; si non
Intendes animum studiis & rebus honestis,
Invidia vel amore vigil torquebere -- V.

ibid. ALIO NOMINE] Cornelius Celsus lib. 6. Medicinæ cap. 6. §. 14. *Acres cibi non alio magis nomine his nocent, quam quod lacrimas movent*, VULP.

ibid. CEDAT AMOR?] Abeat loco pulsus? *Cedere*, est eorum qui vel judicio, vel vi aliqua majore, de possessione dejiciuntur. Cicero pro Milone: *Tranquilla republica cives mei (quoniam mihi cum illis non licet) sine me ipso, sed per me tamen, perfruantur. ego cedam, atque abibo*. Virgilius lib. 12. Æneid. *Cedat Iulus agris*. BROUKH.

v. 29. QUI NON ANTE PATET, DONEC MANUS ATTIGIT OSSA] Multa hic etiam argutantur interpretes. Gebhardus contendit, hoc loco *attingere* usurpatum a Propertio pro sentire, ac tactu ipso deprehendere; ut Græci ἅπτεσθαι dixerint pro αἰσθάνεσθαι. Ego vero ita malim explicare: Qui non ante, quam sit validus & præpotens perspicitur, donec miseri amatores, hoc morbo tabidi & consumti fato cesserint, eorumque ossa manibus propinquorum lecta fuerint. Tunc demum hæc pestis cognoscitur penitus & intelligitur. V.

idid. NON ANTE, DONEC] Has particulas ita conjunctas, non temere invenire est apud auctores. VULP.

v. 30. QUISQUIS ES] Non uni Pontico, sed omnibus etiam ignotis id canit. Sic Ovidius lib. 2. Artis:

Ergo age fallaci timide confide figuræ,
Quisquis es: atque aliquid corpore pluris habe. PASS.

ibid. ASSIDUAS EFFUGE BLANDITIAS] Cave ne satis tibi parata amica assidue blandiatur, & verborum rerumque illecebris te continenter deliniat. Blanditiæ non tan-

tum

Illis & ſilices & poſſunt cedere quercus:
Nedum tu poſſis, ſpiritus iſte levis.
Quare, ſi pudor eſt, quamprimum errata fatere.
Dicere quo pereas ſæpe in amore levat.

El-

tum χρυσολογίας, & verba animum mulcentia, ſed & res ipſæ quibus delinimur, & pellicimur in amorem. Ovidius Epiſt. Hermiones utrumque genus commemoravit:

Non tibi blanditias primis, mea mater, in annis
Incerto dictas ore puella tuli.
Non ego captavi brevibus tua colla lacertis,
Nec ſedi gremio ſarcina grata tuo.

Noſter Eleg. 13. lib. 3. munera priſcorum amantium, cydonia mala, ceraſa, pruna, uvas, corollas, aviculas, blanditias appellavit:

His tum blanditiis furtiva per antra puellæ
Oſcula ſilvicolis empta dedere viris.

Blanditiæ vocantur in Epiſtola Helenæ Ovidiana, nutus ſuperciliorum, bibere ex eadem parte poculi ex qua puella biberit, vino uti ad ſcribendum in orbe menſæ. Apud eumdem poetam lib. 1. Amor. Eleg. 2. Blanditiæ ſunt in comitatu Cupidinis:

Blanditiæ comites tibi erunt, Errorque, Furorque,
Aſſidue partes turba ſecuta tuas. Pass.

ibid. effuge blanditias] Ita Broukhuſius ex Comelini membranis. quod vereor ut probum ſit. Dixerunt quidem Latini ſcriptores, quos ipſe affert, *effugere cruciatus*, *maculam*, *incurſum*, *vincula*, *baſiatores*, *calumniam*, *offenſionem*, *crimen*, *contumeliam*. nempe vitare hæc omnia, vel ab iis liberari, tamquam a malis & incommodis: verum dubito, an ſimile ſit, *effugere blanditias*, quæ tametſi nocent, & perniciem pariunt, dulces tamen ipſæ ſunt, & delectant. Deinde modus hic imperativus *effuge*, minus aptus videtur: ſic enim explicari ſententia deberet, *cura ut effugias*, *da operam ut effugias*. In vulgatis libris eſt *aufuge*; quod tamen verbum cum quarto caſu vix invenitur. Proferunt locum Ciceronis, & Petronii; ſed corruptos, ut oſtendit Broukhuſius.. Præſtat igitur legere, O *fuge*; quod malebat Paſſeratius: ita enim locuti ſunt Virgilius, ac Tibullus. Vulp.

v. 31. silices] Servius in 1. Æneid. ait, *Silicem eſſe ſpeciem lapidis duriſſimi, unde excutitur ignis*. Iſidorus lib. 16. Etymol. cap. 3. dictum putat quod ex eo percuſſo exſiliat ignis. Pass. Itali vocant *ſelce*, *macigno*. Vulp.

ibid. et possunt cedere quercus] Nempe, res quæque duriſſimæ. Locutio eſt παροιμιακὴ. Anacreon Ode 2. Νικᾷ δὲ καὶ σίδηρον, καὶ πῦρ καλή τις οὖσα. Pass.

v. 32. Nedum tu possis] Hic negandi particula ſubauditur, Nedum tu poſſis non cedere. Terentius Heautont. 3, 1. *Satrapes ſi ſiet amator, numquam ſufferre ejus ſumtus queat; Nedum tu poſſis*. Vel τὸ *poſſis* abſolute poſitum, pro, ſatis potens ſis & firmus adverſus blanditias. Cicero lib. 3. Tuſc. Q. *Nil dolet niſi pes: poſſunt oculi, poſſunt latera, pulmones*. Virgilius 5. Æneid. *Poſſunt, quia poſſe videntur*. Pass.

ibid. tu, spiritus iste] Similis appoſitio Naſonis lib. 2. Amor. Eleg. 15.

Et peragam partes annulus ille viri. V.

ibid. spiritus levis] Arrogantia non conſtans, quæ facile detumeſcit, concidit, & infringitur. Noſter lib. 2. Eleg. 3.

Qui nullam tibi dicebas jam poſſe nocere,
Hæſiſti: cecidit ſpiritus ille tuus. V.

v. 33. Si pudor est] Si quid te pudet, ſi quid pudoris tibi reliquum eſt, niſi pudoris egeas. Niſi id facias, te impudentiſſimum dicam. Eſt ſermo hortantis per increpationem, ut Eleg. 12. lib. 2.

Si pudor eſt, alio trajice tela tua.

Virgilius Ecl. 7.

Ite domum paſti, ſi quis pudor, ite juvenci.

Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 2.

Tu quoque qui ſpectas poſt nos, tua contrahe crura,
Si pudor eſt, rigido nec preme terga genu.

Optime *Paſſeratius*. *Ni pudor eſt*, legit Broukhuſius, elegantia longe minore, & languente ſententia. Vulp.

ibid. quamprimum] Confeſtim, nulla interpoſita mora. Sic Eleg. 11. infra:

Tu modo quamprimum corruptas deſere Bajas.
Vulp.

ibid.

ibid. ERRATA FATERE] Non quod ames (ut perperam interpretes) sed quod adhuc superbe amorem contemseris. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 4.

Confiteor, si quid prodest delicta fateri. V.

v. 34. DICERE QUO PEREAS SAEPE IN AMORE LEVAT] Hoc est, magno solatio & levamento est, posse in amici sinum effundere dolorem suum & curam: abscondito enim vulneri nulla medicina adhibetur; & ideo retegere illud oportet. Vel quod Amor mitius agat cum humilibus, & se victos fatentibus. Tibullus Eleg. 8. lib. 1.

Desine dissimulare. Deus crudelius urit,
Quos videt invitos succubuisse sibi.

Videsis quæ ad locum illum attulimus. V.

ibid. DICERE QUO PEREAS] Illud Horatii simillimum Ode 27. lib. 1. *Dicat Opuntiae Frater Megillae, quo beatus Vulnere, qua pereat sagitta.* VULP.

ibid. LEVAT] Leviorem curam & amorem reddit. ut Eleg. 14. hujus libri:

Quid relevant variis serica textilibus? PASS.

Horatius Epist. 8. lib. 1.

Nil audire velim, nil discere, quod levet aegrum. *Juvet*, in editione Beroaldi. VULP.

ELEGIA X.

O Jucunda quies, primo quum testis amori
Affueram vestris conscius in lacrimis.
O noctem meminisse mihi jucunda voluptas.
O quoties votis illa vocanda meis!

Quum

ARGUMENTUM ELEGIAE X. LIBRI I.] Gratum se profitetur Gallo, quod ab illo arcanis Cupidinis adhibitus fuerit: præcipit deinde, quibus ille artibus amorem servare possit. VULP.

v. 1. QUIES] Pro *nox*, quo tempore mortales quiescunt. Infra Eleg. 14. hujus libri:

— sive optatam mecum trahit illa quietem,
Seu facili totum ducit amore diem. V.

ibid. PRIMO AMORI] Gallus enim nullis cupidinibus antea contactus. Id ostendit superius Eleg. 5. PASS.

ibid. TESTIS AMORI] Sic Virgilius Ecl. 5. v. 21. *Vos coruli testes, & flumina Nymphis.* Cicero pro Quintio: *Quis huic rei testis est? Testis sensisse*, δὶς τὸ αὐτὸ, nisi forte *testis* referatur ad *amorem*, *conscius* ad *lacrimas*. Elegia 13. infra ad eumdem Gallum:

Hæc ego non rumore malo, non augure doctus;
Vidi ego. me, quaeso, teste negare potes? P.

v. 2. AFFUERAM VESTRIS CONSCIUS IN LACRIMIS] *Conscius* potest jungi cum *amori*. Cicero pro Cluentio, *Conscius facinori*. & 6. Verrina, *Conscius temeritati*. τὸ *in lacrimis* conjungi potest cum *affueram*, vel cum *conscius*. Cicero lib. 2. de Oratore: *Eum qui in Paulli pugna non affuerat*. Idem lib. 1. ad Atticum Epist. 18. *Qui mihi & in publica re socius, & in privatis omnibus conscius, & omnium meorum sermonum & consiliorum particeps esse solet*. Minucius Felix: *Sic solus in amoribus conscius ipse, socius in erroribus*. PASS. & BROUKH.

v. 3. O NOCTEM MEMINISSE MIHI JUCUNDA VOLUPTAS.] Et jucunda mihi accidit nox illa, & suavis est ipsa recordatio illius noctis. Epithetum perpetuum, neque hic omnino otiosum. Lucretius lib. 2.

Non quia vexari quemquam est jucunda voluptas.

Apud Virgilium contra lib. 6. Æneid. recordatio noctis acerba:

Namque, ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti: & nimium meminisse necesse est. PASS.

v. 4. VOTIS ILLA VOCANDA MEIS] Nox precibus veneranda, ut talis redeat. Vocantur votis dii, quum, vovendo aliquid, ab iis petimus ut adsint & faveant. Virgilius 1. Æneid. 290. de Julio Cæsare in deorum numerum recepto: *Vocabitur hic quoque votis*. Et lib. 1. Georg. 42. ad Augustum: *Votis jam nunc adsuesce vocari*. Vel ergo Propertius rogat deos illam noctem, aut similem: vel ipsam Noctem veneratur ut deam. PASS.

v. 5.

Quum te complexa morientem, Galle, puella
Vidimus, & longa ducere verba mora.
Quamvis labentes premeret mihi somnus ocellos,
Et mediis cælo Luna ruberet equis:

Non

v. 5. MORIENTEM] Ita languentem, ut jam jam morituri solent. Ipse Eleg. 13. infra ad eumdem Gallum:

Vidi ego te tota vinctum languescere collo,
Et flere injectis, Galle, diu manibus.

Ausonius in Centone Nuptiali: *Illa manu moriens telum trahit.* PASS. Tibullus Eleg. 6. lib. 2. *Tunc morior curis.* VULP.

ibid. PUELLA] Amica; non tamen Lycoride, quam amavit alius Gallus, & versibus celebravit. VULP.

v. 6. LONGA DUCERE VERBA MORA] Ita libri optimi, quos consuluerunt Scaliger, Lipsius, Gebhardus, Broukhusius. V. Porro, Gallum vix longo temporis spatio loqui potuisse, significat poeta. *Ducere verba*, vix elicere de pectore. Virgilius 1. Æneid.

Suspirans, imoque trahens a pectore vocem.

Vel ad lentam pronuntiationem referendum. Idem Maro 4. Æneid. *Longas in fletum ducere voces.* Vulgo legunt: *in longam ducere verba moram.* ut Virgilius Ecl. 9.

Caussando nostros in longum ducis amores. P.

Locus Petronii huic Propertiano simillimus: *Praeclusis deinde foribus, invado pectus amplexibus, & perfusum os lacrimis vultu meo contero. Diu vocem neuter invenit. nam puer etiam singultibus crebris amabile pectus quassaverat.* BROUKH.

v. 7. LABENTES OCELLOS] Fessos & inclinatos. Catullus Galliambo, 37.

Piger his labantes languore oculos sopor operit.

Labi in somnum dixit Petronius. Labentes oculos morienti tribuit Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 3.

Nec mandata dabo: nec cum clamore supremo
Labentes oculos claudet amica manus.

Item Quintilianus in procemio lib. 6. I. O. de filio moriente: *Tuosne ego (o meæ spes inanes) labentes oculos, tuum fugientem spiritum vidi?* PASS.

ibid. PREMERET MIHI SOMNUS OCELLOS] Tibullus pariter Eleg. 4. lib. 3.

Pressit languentis lumina sera quies. PASS.

v. 8. MEDIIS CÆLO EQUIS] Hypallage, pro equis jam in cælo medio. id est, quum medium cæli spatium jam Lunæ currus confecisset. Noctis autem meridiem significat, ut Varronis verbo utar. Virgilius 6. Æneid. *torquet medios nox humida cursus.* Theocritus Idyllio 25.

Οὔπω τὶ μέσσα τὸν δρόμον ἄντυεν ἅρμα Σελάνας.
Nondum medio cæli spatia confecerat currus Lunæ. PASS.

ibid. LUNA RUBERET] Pro luceret & micaret. quia sidera ignea, & ignis rubet. Sic Eleg. 10. lib. 3.

Mirabar quidnam misissent mane Camenæ,
Ante meum stantes Sole rubente torum.

Horatius Ode 11. lib. 2. *Non semper idem floribus est honor Vernis; neque uno Luna rubens nitet Vultu.* Alio modo dicitur rubere Luna, quum ventos portendit. Virgilius 1. Georg.

At si virgineum suffuderit ore ruborem,
Ventus erit. vento semper rubet aurea Phœbe.

Apud Statium lib. 1. Achilleidos, quum Achilles Deidamiæ vitium inferret, rubebat Luna, utpote virgo integra: ridebant stellæ, quarum plurimas post imminutum pudorem in cælum vexit benignitas Jovis, Bacchi, Mercurii, Neptuni.

Vi potitur votis, & toto pectore veros
Admovet amplexus. risit chorus omnis ab alta
Astrorum, & tenera rubuerunt cornua Lunæ.

PASS. & BROUKH. Apud Horatium quoque Sat. 8. lib. 1. v. 34. Lunam pudet veneficiorum Saganæ & Canidiæ:

Serpentes atque videres
Infernas errare canes; Lunamque rubentem,
Ne foret his testis, post magna latere sepulcra.

VULP.

ibid. EQUIS] Currum ab equis tractum, populari quadam & pingui philosophia, Lunæ tribuunt poetæ. Ovidius lib. 4. Fast.

Postera quum cælo motis Pallantias astris
Fulserit, & niveos Luna levarit equos.

Et lib. 1. Trist. Eleg. 3.

Lunaque nocturnos alta regebat equos.

Manilius in Astronomic.

Quadrijugis ut Phœbus equis, & Delia bigis.

Alii

Non tamen a vestro potui secedere lusu,
Tantus in alternis vocibus ardor erat.
Sed quoniam non es veritus concredere nobis,
Accipe commissæ munera lætitiæ.
Non solum vestros didici reticere dolores.
Est quiddam in nobis majus, amice, fide.

Pos-

Alii tamen mulis & juvencabus Lunam uti finxere. Festus: *Mulus vehiculo Lunæ adhibetur, quod tam sterilis ea sit quam mulus: vel quod, ut mulus non suo genere, sed equi creatur, sic ea Solis, non suo fulgore luceat.* Ausonius:

Jam succedentes quotiebat Luna juvencas.

Fulgentius in proœmio lib. 1.

Astrigeroque nitens diademate Luna bicornis
Bullatum bijugis conscenderat aëre tauris.

ubi *tauris* dixit feminino genere. Apud Homerum Luna maribus vehitur equis. PASS.

v. 9. NON TAMEN A VESTRO POTUI SECEDERE LUSU] Seorsum abire a vestra nequitia, blanditiis, amatoriis ineptiis. *Lusus*, res Veneris, *ἀφροδίσια ludere*, *ἀφροδισιάζειν*. Catullus Carmine 60. *Ludite, ut lubet, & brevi Liberos date.* PASS.

v. 10. TANTUS IN ALTERNIS VOCIBUS ARDOR ERAT] Ignem & amorem spirabant sermones vestri, licet interrupti. dixit enim superius, *longa ducere verba mora.* Infra Eleg. 13. simile est epiphonema:

Tantus erat demens inter utrosque furor. P.

v. 11. S. Q. NON ES VERITUS CONCREDERE NOBIS] Non dubitasti committere nobis amores tuos, quod periculosum est etiam amico, ut Noster docet Eleg. ult. lib. 1. & Ovidius sub finem lib. 1. Artis Amat. Ideo Tibullus Carm. 13. lib. 4.

Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu. PASS.

ibid. CONCREDERE] Cicero pro Quintio: *Alphenus, cui tu rem tuam commendare proficiscens, & concredere solebas.* VULP.

v. 12. ACCIPE COMMISSÆ MUNERA LÆTITIÆ] Id est, concrediti gaudii præmia. *τὸ accipe* est tradentis. Virgilius Ecl. 6. *Hos tibi dant calamos, en accipe, Musa.* *Munera* hic *ἀντίδωρα*; *redhostimenta* opinor veteres Latinos dixisse. Catullus Carm. 63. præmia vocat:

Talia qui reddis pro dulci præmia vita.

Et Carm. 14.

Ac te his suppliciis remunerabor.

Propertius ipse lib. 1. Eleg. 23.

Deinde ubi pertuleris, quos dicit fama, labores
Herculis, ut scribas, Muneris ecquid habes?
PASS.

ibid. LÆTITIÆ] Hoc nomine rem Veneris honeste obnubit. sic Eleg. 6. lib. 2. ubi de lascivis tabellis pictis:

Ah gemat in terris, ista qui protulit arte
Jurgia sub tacita condita lætitia.

Et Eleg. 19. hujus libri: *Inter nos lætemur amantes.* Eodem fere pacto Itali dicimus, *vivere allegramente, darsi bel tempo.* VULP.

v. 13. DOLORES] Ægritudines & amoris mala; quia supra dixit *morientem*. P.

v. 14. EST QUIDDAM IN NOBIS MAJUS, AMICE, FIDE] Anacoluthon, sive enallage numerorum: *Didici*, & mox *in nobis*. Ut Eleg. 1. lib. 2.

Non hæc Calliope, non hæc mihi cantat Apollo:
Ingenium nobis ipsa puella facit.

Et Eleg. 12. hujus libri:

Quid mihi desidiæ non cessas fingere crimen,
Quod faciat nobis conscia Roma moram?

Est quiddam, ut Eleg. 33. lib. 2.

Est quiddam quod vos quærere cogat Amor.
PASS.

ibid. MAJUS FIDE] Nam, ut ait Ovidius lib. 2. Artis Amat. 603.

Exigua est virtus, præstare silentia rebus:
At contra gravis est culpa, tacenda loqui.

Docere autem ac præcipere quæ servanda sint in amore, id vero sollertiæ hominis est atque experientis, neque inter ultimas laudes haberi debet. VULP.

ibid. FIDE] *Fideli silentio*, quod ait alicubi Horatius. *Fidem & taciturnitatem* conjunxit etiam Terentius Andria 1, 1. Noster infra Eleg. 18.

Si modo sola queant saxa tenere fidem.

id est non eliminare & prodere commissa. P.

v. 15.

Possum ego diversos iterum conjungere amantes,
Et dominæ tardas possum aperire fores:
Et possum alterius curas sanare recentes;
Nec levis in verbis est medicina meis.
Cynthia me docuit semper quæcumque petenda,
Quæque cavenda forent: non nihil egit Amor.

Tu

v. 15. DIVERSOS AMANTES] Ita legunt Beroaldus, Volscus, & Broukhusius ex optimis codicibus. *Diversi*, a *divertere*, unde & *divortium*. Plautus Epidico 3, 3.

Divortunt mores virgini longe ac lupæ.

Cæsar lib. 2. de Bello Gallico: *Quum Numidas diversos dissipatosque in omnes partes fugere vidissent.* Catullus Carm. 46.

O dulces comitum valete cœtus,
Longe quos simul a domo profectos,
Diversos variæ viæ reportant.

Plures tamen editiones, *divisos*. Noster Elegia 33. lib. 2.

Quæ dea tam cupidos toties divisit amantes,
Quæcumque illa fuit, semper amara fuit.

Unde Passeratius *dividiam* dictam putat ægritudinem ex illa divisione amoris. V.

v. 16. DOMINÆ TARDAS POSSUM APERIRE FORES] Januæ recludendæ rationem teneo. Vide Elegiam 16. hujus libri ad Januam quamdam:

Tu numquam reserata meos admittis amores.

Eleganter Plautus Curcul. *Viden' ut dormiunt pessuli pessimi?* Aperire fores, ut Terentius Eunucho:

Qui nunc fortunatus uno digitulo fores aperit.

Trabea, poeta vetus apud Ciceronem lib. 4. Tusc. Quæst. *Adveniens uno digito impellam januam, Fores patebunt.* PASS.

ibid. TARDAS FORES] Difficiles, quæ amantem vix admittunt. Horatius ita describit Ode 25. lib. 1. *Amatque Janua limen, Quæ prius multum faciles movebat Cardines.* VULP.

v. 17. ET POSSUM ALTERIUS CURAS SANARE RECENTES] Quomodo potest alterius, qui suas non potest? nam dixit superius,

Quum mihi nulla mei sit medicina mali.

Sed malum ipsius jam inveteraverat. *Curas sanare* dixit ut Tibullus Eleg. 3. lib. 2.

Nec potuit curas sanare salubribus herbis:
Quidquid erat medicæ vicerat artis Amor.

Addidit *recentes*, quia inveterato morbo, putridis plagis & ulcerosis difficilius medemur. Ovidius in Remediis Amoris:

Vidi ego, quod primo fuerat sanabile, vulnus
Dilatum longæ damna tulisse moræ. P.

v. 18. NEC LEVIS IN VERBIS EST MEDICINA MEIS] Græcorum est senarius apud Plutarchum in Consolat. ad Apollonium:

Ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι.

quem ita vertit P. Syrus:

Animo ægrotanti medicus est oratio.

Horatius Epist. 1. lib. 1, 34.

Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi deponere partem. P.

Ceterum, an sit vis aliqua in verbis certa quadam formula pronuntiatis, disputat luculenter Cælius Rhodiginus lib. 16. Antiq. Lect. cap. 14. VULP.

v. 19. CYNTHIA ME DOCUIT] E Cynthia didici maximo malo meo. Superius Eleg. 9.

Me dolor & lacrimæ merito fecere peritum. P.

Lepide Cleæreta lena apud Plautum Asin. 1, 3, 73.

Hoccine te esse oblitum, in ludo qui fuisti tamdiu?

Cui respondet Argyrippus adolescens:

Tua ista culpa est, quæ discipulum semidoctum abs te amoves. VULP.

ibid. PETENDA] Aphæresis, pro *expetenda*. Sic Horatius Sat. 3. lib. 1.

Dividit ut bona diversis, fugienda petendis. P.

v. 20. CAVENDA] Fugienda, vitanda, declinanda. Sic Ovidius lib. 6. Fast.

Hanc ego quum vellem genero dare; tempora tædis
Apta requirebam, quæque cavenda forent. P.

ibid. NON NIHIL EGIT AMOR] Adjuvit aliqaid, ut est ingenii sollertis. propterea mederi didici ægrotando. Contra, *nil agere*. ut Eleg. 32. lib. 2.

Nil agis, insidias in me componis inanes.

Et Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 4.

Dura

Tu cave ne trifti cupias pugnare puellæ,
Neve fuperba loqui, neve tacere diu:
Neu fi quid petiit, ingrata fronte negaris,
Neu tibi pro vano verba benigna cadant.

Irri-

Dure vir, impofito teneræ cuftode puellæ,
Nil agis. ingenio quæque tuenda fuo. P.

V. 21. TU CAVE NE TRISTI CUPIAS PUGNARE PUELLÆ] Adverfari iratæ; quod non eft ex arte amatoria. hæc enim obfequium præcipit. Elegia 7. fuperius:

Tu cave noftra tuo contemnat carmina faftu.

Cave ne ἀρχαϊκῶς. Terentius Eunucho 4, 6. *Cave ne hanc amittat.* *Triftis puella*, eft fæva & irata. τὸ *cupias* abundat, ut *velit* apud Jurifconfultos in edictorum formula. Satis enim fuiffet, *cave ne pugnes*. PASS.

ibid. PUGNARE PUELLÆ] Pro repugnare, obfiftere. Virg. 4. Æneid.

Placitóne etiam pugnabis amori? VULP.

V. 22. SUPERBA LOQUI] Quod Tibullo atque Ovidio eft *magna loqui*. Cicero lib. 4. Tufc. Qu. *Tantalo Poetæ apud inferos faxum impendere faciunt, ob fcelera, animique impotentiam & fuperbiloquentiam.* VULP.

ibid. NEVE TACERE DIU] Nam, ut ait Ovidius:

Sæpe fimultates ira morata facit.

Apud Ariftotelem lib. 8. Ethic. proverbium memoratur: Πολλὰς φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν. *Multas amicitias filentium diremit.* Ἀπροσηγορία non quodvis filentium eft, fed illud quum iratus amico amicus eum falutare & alloqui non vult. PASS.

V. 23. SI QUID PETIIT] Ut procaces & petaces funt mulieres. Horatius Epift. 12. lib. 1. 22.

Utere Pompeio Grofpho; &, fi quid petet, ultro
Defer.

Penthemimeris autem fulcit verfum. P.

ibid. INGRATA FRONTE] Minime grata & jucunda, fed trifti, fevera, tetrica, fuperba. Id enim ingratum proprie fignificat. Horatius Ode 10. lib. 3.

Ingratam Veneri pone fuperbiam.

Q. Cicero de Petitione Confulatus, docet, belle ac jucunde negandum effe quod facere non poffis; quia fronte & oratione magis quam re homines capiantur. ubi plura hac de re. Nofter Eleg. 22. lib. 2.

Quod fi forte aliquid vultu mihi dura negarat,
Frigida de tota fronte cadebat aqua. P.

V. 24. NEU TIBI PRO VANO VERBA BENIGNA CADANT] Id eft, tamquam homini mendaci & futili, qui temere promittit, deinde exfolvere promiffa non curat. Is enim Latinis vanus. Nofter Eleg. 5. lib. 3.

Omnis enim debet fine vano nuntius effe. P.

Sunt igitur qui ore duro ftatim negent puellæ petenti: funt qui promiffis & fpe lactent, numquam daturi vel facturi quod polliciti fuerant. VULP.

ibid. PRO VANO] Dicitur ut Jurifconfultis, *pro divifo*, *pro indivifo*, *pro emtore*, *pro poffeffore*. Sic Plautus Menæchm. 5, 5. *Hoc quidem edepol haud pro infano verbum refpondit mihi.* Idem Captiv. 3, 4. *Pro ignoto me afpernaris.* Suetonius in Claudio cap. 37. *Pro deprehenfo ad pœnam rapi.* Et in Nerone cap. 31. *Pro comperto polliceri.* Frequens in eo genere Corn. Tacitus. PASS.

Ovidius quoque Epift. Brifeidos:

At mea pro nullo pondere verba cadunt.

Nec non T. Livius lib. 2. Hift. *Id fatis Confuli vifum, cur pro victo relinqueret hoftem.* Ita & D. Auguftinus Serm. 248. num. 1. *Quid ergo pro magno potuit ad Jefum Chriftum pertinere fi pifces caperentur, aut fi non caperentur?* Ex his teftimoniis liquet, particulam *pro* interdum perfonas, interdum ipfa negotia afficere. VULP.

ibid. VERBA BENIGNA] *Promiffa magnifica, dicta dapfilia*, ut ait Plautus in Pfeudolo. & *lingua largi*. *Benigni*, liberales Ciceroni lib. 1. Offic. PASS.

ibid. CADANT] Excidant, ex ore profluant. PASS. Vel, ne tibi nullius pretii videantur blandi fermones & pollicitorum divites. Lucretius in calce lib. 5.

Pellis item cecidit, veftis contemta ferina.

hoc eft viluit, obfolevit. Horatius Epift. 1. lib. 2. 176.

Securus, cadat an recto ftet fabula talo.

nimirum explodatur & exfibiletur, tamquam inepta & fine arte. Virgilius 3. Georg.

Rur-

Irritata venit, quando contemnitur illa:
Nec meminit justas ponere læsa minas.
At quo sis humilis magis, & subjectus Amori,
Hoc magis effectu sæpe fruare bono.
Is poterit felix una remanere puella,
Qui numquam vacuo pectore liber erit.

ELE-

Rursus cura patrum cadere, & succedere matrum
Incipit.

At rectissima omnium explicatio hæc est: Effice quod verbis benignis pollicitus fueris, neque siveris ea levia & vana esse. VULP.

v. 25. IRRITATA VENIT] Irritatur. De hoc genere sermonis dictum ad Eleg. 5. supra vers. ult. *Non impune illa rogata venit.* *Irritare* non ab ira, ut quidam putant, qui simplici *r* scribi volunt, sed a verbo *irrire*, quod canum est quum ringi incipiunt, & *r* litteram valide exprimunt. Lucillius:

Irritata canes quod, homo quam, planius dicit.

Vide Nonium, & Donatum in Andriam & in Adelphos. Ad eam irritationem canum restrictis dentibus allusit Plautus Captivis 3, 1, 25.

Ne canem quidem irritatam voluit quisquam imitarier.
Saltem, si non arriderent, dentes ut restringerent. PASS.

ibid. QUANDO CONTEMNITUR ILLA] A repugnante videlicet, superbo & fallente. Aristoteles lib. 2. Rhetor. scribit, amicos amicis irasci magis, quam ceteris, si se videant καταφρονεῖσθαι, id est contemni. V.

v. 26. NEC MEMINIT PONERE MINAS] Nec didicit, nec consuevit. Ut Eleg. 1. superius, de Amore:

Nec meminit notas, ut prius, ire vias. P.

ibid. JUSTAS MINAS] Minatur enim læsa. Ceterum sunt & injustæ minæ, ob nullam aut levem caussam. Eleg. 7. supra: *Injustas sæpe tulisse minas.* PASS.

ibid. PONERE MINAS] Lucretius lib. 5. de mari: *leviterque minas ponebat inanes.* Propertius ipse Eleg. 10. lib. 3.

Ponat & in sicco molliter unda minas. P.

v. 27. AT QUO SIS HUMILIS MAGIS, ET SUBJECTUS AMORI, HOC MAGIS E. S. F. B.] Sic Eleg. 4. supra:

Quo magis & nostros contendis solvere amores,
Hoc magis accepta fallit uterque fide. V.

ibid. HUMILIS] Odit enim Venus superbiam, & supplicibus favet, ut ajunt Horatius & Tibullus. Nihilominus ipse Noster Eleg. 14. lib. 2.

--- Contemnite, amantes.
Sic hodie veniet, si qua negavit heri. P.

Sed tempora in amore sunt diligenter servanda. Mulierum animi leves: iccirco ratio sæpe mutanda; sicuti navita non semper eodem vento utitur. Franciscus Petrarcha (*nella Canzone 4. stanza 6.*)

Ma talor' umiltà spegne disdegno,
Talor l' infiamma.

Humilis, fracto animo, ταπεινός. ut Elegia 15. lib. 3.

Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris.

quod verbum vitii est, non laudis. V.

ibid. SUBJECTUS] Qui paratus est ad obsequium. ἀρχόμενος. Virgilius 6. Æneid.

Parcere subjectis, & debellare superbos.

Ovidius lib. 2. Artis Amat. 411.

Tum neque subjectus, solito nec blandior esto.
Hæc enimi multum signa nocentis habent. P.

v. 28. EFFECTU SÆPE FRUARE BONO] Quum Amor antea malus & iniquus tibi esset, obsequio effeceris bonum & facilem, & ita fructum amoris majorem capies. Ita PASS. quod nonnulli codices præferant *effecto*; quam lectionem ipse amplectitur. Editio princeps *affecto*. Sed *effectu bono* est a manu Propertii. Sic enim & Eleg. 23. lib. 3. de tabellis amatoriis:

Qualescumque mihi semper mansere fideles,
Semper & effectus promeruere bonos. V.

v. 29. POTERIT] Sunt qui legant *poterat*: sed minus recte. VULP.

ibid. FELIX UNA PUELLA] Sic Ovidius lib. 11. Metam.

Felix & nato, felix & conjuge Peleus. P.

v. 30. QUI NUMQUAM VACUO PECTORE

LIBER ERIT] Qui se non pro libero, sed pro servo geret: qui dominæ præsto erit semper, qui ejus gratiam officiis omnibus assidue promereri non desinet. Ovidius lib. 2. Artis Amat.

Te semper videat, tibi semper præbeat aurem:
Exhibeant vultus noxque diesque tuos.

O amantes capite minuti, & ad opus damnati! Passeratius *liberum* interpretatur ferocem. nam freti libertate, ferociores sunt. Ovidius lib. 1. Metam. 757, *Ille ego liber, Ille ferox.* VULP.

ibid. VACUO PECTORE LIBER] Otioso & securo. Contra, servum hominem otium & securitas non decet, quem sollicitum esse oportet, quomodo hero placeat. Elegia 20. hujus libri:

Id tibi ne vacuo defluat ex animo. V.

ELEGIA XI.

ECquid te mediis cessantem, Cynthia, Bajis,
Qua jacet Herculeis semita litoribus,

Et

ARGUMENTUM ELEGIÆ XI. LIBRI I.] Ad Cynthiam, ipso absente, Bajis commorantem; ne peccet. VULP.

v. 1. ECQUID] Donatus in illud Eunuchi, *Ecquid nos amas de fidicina ista?* exponit, *Ecquid, Aliquantumne?* ut apud Ciceronem in Catilinam. Potest sumi pro *an*, sed ita ut magis incitet orationem. PASS. *Ecquid.* veteres scribebant *Et quid*, duabus vocibus non junctis. V. Gifanius Ind. Lucret. in *Et quis*. Nannius in Cicer. Orat. T. 1. P. 2. p. 575. 6. Pierius in III. Æn. 341. BROUKH.

ibid. MEDIIS BAJIS] Non in suburbio, non in agro Bajano, sed in oppido ipso medio, maximo vitiorum diversorio, loco advenarum & voluptariorum hominum frequentia celeberrimo. Sic Ovidius Epist. Paridis v. 53.

Est locus in mediæ nemorosis vallibus Idæ
Devius, & piceis ilicibusque frequens.

Idem lib. 13. Metam. 692.

Ecce facit mediis natas Orione Thebis,
Hanc non femineum jugulo dare pectus aperto,
Illam, demisso per fortia vulnera telo,
Pro populo cecidisse suo. VULP.

ibid. CESSANTEM] Genio indulgentem ac nequitiæ: vel, ut ait Passeratius, male feriatam & operatam alieno amori. Sic Elegia 6. supra:

Nam tua non ætas unquam cessavit amori. V.

ibid. BAJIS] Bajæ mediocre oppidum inter Misenum & Puteolos, thermis nobile, quibus Romani locupletiores & ad medicinam utebantur, & ad luxuriam & voluptatem abutebantur. Nomen invenisse perhibent a Bajo, Ulixis socio, in ea regione sepulto. Lycophron in Cassandra v. 694.

Βαΐῦ δ' ἀμείψας κυβερνήτου τάφον.
Baji naucleri sepulcrum transiens.

Testatur Seneca Epist. 51. *Illic sibi plurimum luxuriam permisisse, &, tanquam aliqua licentia deberetur loco, illic solutam magis fuisse.* Dio Cassius lib. 48. Bajas describit, ac tamquam pictor ob oculos ponit. Bajanus sinus vulgo Italorum dicitur *Golfo di Napoli*. Isidorus lib. 14. Etymol. cap. pænult. *Bajæ olim portus dicebantur a bajulandis mercibus.* Animadvertit Christophorus Cellarius Geographiæ Antiquæ lib. 2. cap. 9. Canopum Ægypti, & Daphnen Antiochiæ, loca fuisse ob amœnitatem & delicias Bajis Campaniæ simillima. VULP.

v. 2. JACET] Sita est. ut Eleg. 6. supra: *mollis qua tendit Ionia.* Virgilius 3. Georg. *tantum campi jacet.* D. Brutus apud Ciceronem Epist. 13. lib. 11. ad Famil. *Quem locum (vada) volo esse tibi notum, jacet inter Alpes & Apenninum.* PASS.

ibid. HERCULEIS LITORIBUS] Diodorus Siculus lib. 5. & Strabo item lib. 5. tradunt, Herculem non procul a Bajis viam munivisse, ut illac Geryonis boves, quas a Gadibus abegerat, traduceret. M. Tullius Oratione 1. in Rullum hanc *viam Herculaneam multorum deliciarum* vocat. Simillimus, vel potius geminus, atque adeo idem locus Propertii nostri Eleg. 18. lib. 3.

Plausus ab umbroso qua ludit Pontus Averno,
Fumida Bajarum stagna tepentis aquæ,
Qua jacet & Trojæ tubicen Misenus arena,
Et sonat Herculeo structa labore via. PASS.

Me-

Et modo Thesproti mirantem subdita regno,
Et modo Misenis æquora nobilibus,

No-

Meminit & Silius Italicus lib. 12. Punicor. v. 113.

Docet ille, repentes
Unde ferant nomen Bajæ, comitemque dedisse
Dulichiæ puppis stagno sua nomine monstrat.
Ast hic Lucrino mansisse vocabula quondam
Cocyti memorat, medioque in gurgite ponti
Herculeum commendat iter, qua discidit æquor
Amphitryoniades, armenti victor Hiberi.

Vide & Jacobum Sanoazarium, parem antiquis poetam, Eleg. 7. lib. 2. ad Junianum Majum. BROUKH.

ibid. SEMITA] Semitam pro via posuit minus proprie; nam viam vocat loco citato. Est autem semita multo minor viâ. Varro lib. 4. de L. L. *Via, qua vehebant: Iter ab itu, qua ibant: Semita, qua anguste ibant, quasi semi iter.* Isidorus lib. 15. cap. 16. *Semita a semi itu. & est hominum, ut callis ferarum.* Proprie Ennius: *Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.* PASS. Hæc duo distinxit & Phædrus Prologo lib. 3. Fabul. v. 38.

Æsopi illius semita feci viam,
Et cogitavi plura quam reliquerat.

Sed confundere videtur Cicero Accosat. 2. in Verrem: *Attendite. Jam intelligetis, hanc pecuniam, quæ via modo visa est exire ab isto, eadem semita revertisse.* Porro via Herculanea erat agger inter lacum & mare. VULP.

v. 3. THESPROTI REGNO] Apollodoro lib. 3. Bibliothecæ Thesprotus Pelasgi filius est, a quo Thesprotia dicta, regio Epiri Chaoniæ proxima: Plinius initio lib. 4. H. N. Thesprotida eam vocat Pausanias in Eliacis. Thesprotiæ & Chaoniæ Cicero meminit lib. 6. ad Atticum. Hadrianus Turnebus lib. 11. Adverf. cap. 15. docet e Strabone, Epirum, cujus pars, ut diximus, Thesprotia, totam pæne fuisse possessionibus privatorum Romanorum occupatam, ita ut Thesprotiæ reges viderentur. Hæc ille ad hunc Propertii locum. Videndus quoque Alexander ab Alexandro lib. 2. Dierum Genialium cap. 1. sed in eo præcipue fallitur, quod *Te Presbyte*, vel *Te Protei*, legendum putat, pro *Thesproti*. Scaliger sic hunc locum exponit: In ora Cumana, quæ Græcis Abantum coloniis prætexta erat, sunt Puteoli; quam oram propterea vocat regnum Thesproti, quia, ut diximus, Thesprotus nomen fecit Thesprotiæ Epiri, unde Ambraciotæ Abantes profecti, occuparunt eam oram ubi fuerunt Cumæ. Igitur *Thesproti regnum* ea regio dicitur, a colonis Thesprotiis: ut a Francis colonis Francia, a Burgundis Burgundia, Normanis Normania. Et in medio mari, inquit idem Scaliger, erant Bajæ; ubi quum esset Cynthia, sinistrâ Puteolos, quæ est ora Thesprotia, habebat, dextrâ Misenos, sive Misena litora. Sic erat inter duo maria, alterum Misenis, alterum Puteolis subjectum. PASS.

ibid. MIRANTEM] Cum admiratione spectantem. PASS.

ibid. SUBDITA ÆQUORA] Refertur & ad *Misenis*, & ad *Thesproti regno*. Inter Misenum enim & Puteolos, oram Thesprotiam, est Bajanus sinus, ut hic locus describitur a Dione lib. 48. & tres sinus sunt, Puteolanus a sinistra, a dextra Misenus, in medio Bajanus. *χωρίον μεταξὺ Μισηνοῦ καὶ Ποτιόλων μηνοειδές*, inquit de Bajis Dio loco prænotato; nempe *falcatum*, seu *crescentis Lunæ specie*. *Subdita*, ut Tibullus lib. 4. Carm. 1. *Inferne Plutonis subdita regno Magna deûm proles.* PASS.

4. ET MODO] Legunt alii *Proxima*; sed perperam. VULP.

ibid. MISENIS NOBILIBUS] Portus ille & promontorium dicitur neutro genere *Misenum*, Plinio cap. 5. lib. 3. N. H. & Festo in *Misenum*; qui cum Virgilio sentit, a Miseno tubicine Trojano dictum esse, ut & ipse Propertius Eleg. 18. lib 3. Mirum vero quod numero multitudinis extulit, *Misena* vel *Misenos*. an ut *Illyrias* dixit Eleg. 15. lib. 2. & Catullus, *Syrias & Britannias?* Scaliger in Catalecta: *Misenos*, scilicet urbes, ut Varro dixit *Tarentinas nobiles*. id est, urbes tractus Tarentini. Magis placet esse adjectivum Misenus, a, um; & legi, ut in vet. lib. *Misenis literibus*, ut *Romula tellus*, *Dardana pubes*, *Æmilia ratis* Propertio, & *Hylæus ramus*: & Ciceroni lib. 13. Epist. ad Atticum: *A Ponte Mu-*

lino

Nostri cura subit memores ah ducere noctes?
Ecquis in extremo restat amore locus?
An te nescio quis simulatis ignibus hostis
Sustulit e nostris, Cynthia, carminibus?
Atque utinam mage te remis confisa minutis
Parvula Lucrina cymba moretur aqua:
Aut

lino Tiberim duci secundum montes Vaticanos. PASS.

v. 5. NOSTRI CURA SUBIT MEMORES AH DUCERE NOCTES] *τὸ nostri* & ad *cura* & ad *memores* referri potest. Tibullus Carm. 1. lib. 4. *nostri sit parvula cura*. Ipse Propertius Eleg. 6. supra: *nostri non immemor hora*. VULP.

ibid. CURA SUBIT DUCERE NOCTES] ἑλληνισμὸς, pro, *cura subit ut ducas*. V.

ibid. SUBIT] Subire, clam succedere & irrepere animo, vel invadere. Virgilius 2. Æneid. *Subiit cari genitoris imago*. id est, venit in mentem. VULP.

ibid. AH DUCERE NOCTES] Plures libri *adducere*; quæ lectio ferri & facile explicari potest. *Ducere* hic est producere, agere, transigere. Noster Eleg. 6. lib. 4. *Sic noctem patera, sic ducam carmine*. Et Elegia 14. infra: *Facili totum ducis amore diem*. PASS.

v. 6. ECQUIS IN EXTREMO RESTAT AMORE LOCUS?] Censet Broukhusius, *extremum amorem* hoc loco illum esse qui citra ipsam extremam amandi lineam consistere cogitur; quod absentibus accidit. *Extrema* enim *amoris linea*, juxta Terentium Eunucho 4, 2. est videre illud saltem quod tangere non possis. absentes autem ne id quidem consequuntur. VULP.

v. 7. NESCIO QUIS] Contemtim de rivali. ut Tibullus Eleg. 6. lib. 1.

Jam Delia furtim
Nescio quem tacitâ callida nocte fovet.

Et Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 10.

Ergo ego nescio cui, quem tu complexa tenebas,
Excubui, clausam servus ut ante domum? P.

ibid. SIMULATIS IGNIBUS] Amore ficto. Contra Eleg. 9. supra: *vero nec tangeris igni*. PASS. Id autem objiciens rivali jactat Cynthiæ amorem suum tamquam verum. VULP.

ibid. HOSTIS] Inimicissimus, rivalis. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 9.

In rivale oculos alter, ut hoste, tenet.

Et in Remediis Amor.

Hunc quoque quo nimium quondam rivale dolebas,
Vellem desineres hostis habere loco. PASS.

Noster Eleg. 8. lib. 2.

Nullæ sunt inimicitiæ, nisi amoris, acerbæ:
Ipsum me jugula, lenior hostis ero. V.

v. 8. SUSTULIT E NOSTRIS, CYNTHIA, CARMINIBUS?] Nomen habere noluit in libris nostris. ejus enim caussa te non amplius celebrabo, tuasque laudes e libris meis delebo. PASS. Callide admodum Cynthiæ minatur ultionem, ac tamquam factum pronuntiat quod certo futurum erat si ea fidem Propertio datam violasset. V.

v. 9. MAGE] Potius. mage & magis, ut pote & potis, fortasse & fortassis. Virgilius 10. Æneid.

Aspice num mage sit nostrum penetrabile telum. PASS.

ibid. REMIS CONFISA MINUTIS] Remi minuti sunt qui Virgilio & Catullo dicuntur *palmulæ*. Titinnius Lemniis *remulos* vocat, apud Nonium in *Celox*. *Remulis sensim celox ab oppido processerat*. Juvenalis Sat. 15.

Et brevibus pictæ remis incumbere testæ.

Sic apud Nostrum Eleg. 3. lib. 3. duobus remis agitur cymba:

Alter remus aquas, alter tibi radat arenas.

Minutis, ut Eleg. 29. lib. 2. *Turba minuta* (Cupidinum). & Eleg. 13. ejusdem libri: *Ossa minuta*. PASS. Verum ibi *ossa minuta* sunt ustulata, igne rogi corrosa & minora facta. Catullus Carm. 25. *navem minutam* vocavit curtam, ac tempestate quassatam, sine antemnis, malo, velis, ac reliquis armamentis. VULP.

ibid. CONFISA] Ovidius lib. 10. Metam.
v. 69.

Aut teneat clausam tenui Teuthrantis in unda
Alternæ facilis cedere lympha manu:

Quam

v. 69. *Tuque o confisa figuræ, Infelix Lesbæa, tuæ.* Lucanus pariter lib. 10. v. 82.

Quem formæ confisa suæ Cleopatra sine ullis
Tristis adit lacrimis.

Ceterum & cymba confidit remis, & navita confidit puppi. Horatius Ode 14. lib. 1. *Nil pictis timidus navita puppibus Fidit.* V.

v. 10. PARVULA CYMBA] *Cymba*, proprie navicula piscatoria, ut ex Nonio in *Cymba*, & Cicerone 3. de Officiis intelligitur. Græci vocant *κύμβην*, unde genus poculi *cymbium*. PASS.

ibid. LUCRINA AQUA] Lucrini lacus & sinus, qui fuit juxta Bajas, meminerunt Strabo lib. 5. Dio Cassius lib. 48. Plinius lib. 3. H. N. cap. 5. & Servius ad illud 2. Georg.

An memorem portus Lucrinoque addita claustra?

Fructuosus, inquit, *ille lacus populo Romano ob copiam piscium.* Pompejus Festus in *Lacus Lucrinus*: *In vectigalibus publicis primus locatur Lucrinus lacus, ominis boni gratia.* a lucro enim sic vocatus. Vulgo dicitur *mare morto*, PASS. Hic lacus anno Salutis 1538. ad diem III. Kal. Octobr. qui dies Angelorum Principi sacer est, ingenti motu terræ concussus, montem eructavit, qui adhuc *Monte nuovo di cenere*, id est mons novus cinereus vocatur, descriptus ab Julio Cæsare Capaccio in Antiquitatibus Puteolanis cap. 20. Quæ superant de lacu extra montem, paludes parvæ, lutosæ, cum arundineto sunt. Ita vir doctissimus Christoph. Cellarius Geographiæ Antiquæ lib. 2. cap. 9. VULP.

ibid. MORETUR] Detineat cum voluptate, nimirum piscatu indulgentem. Horatius Epist. ad Pisones v. 223.

Illecebris erat & grata novitate morandus
Spectator.

In deliciis Romanorum fuerunt ostrea Lucrina, quæ ex hoc lacu eruebantur. Horatius Epodo 2.

Non me Lucrina juverint conchylia.

Poterat igitur Cynthia, solius animi gratia, legendis illis vacare. VULP.

v. 11. TENEAT CLAUSAM] Bene tectam & conditam, ut tempestas nocere non posset: ut Eleg. 8. supra:

Dicite quo portu clausa puella mea est. PASS.

ibid. TENUI UNDA] Virgilius 4. Georg. *In aquas tenues dilapsus abibit.* Ovidius lib. 2. Fastor.

Et tenuem a vivis fontibus affer aquam. P.

Aqua, si cum terra comparetur, λεπτομερὴς est, nempe tenuium partium & subtilium: si cum aëre, παχυμερὴς, nempe crassarum & compactarum. Vel *tenuem undam* dixit Propertius limpidam & minime lutosam. Catullus Carm. 4. de Benaco: *hunc ad usque limpidum lacum.* VULP.

ibid. TEUTHRANTIS] Ita Scaliger legendum putat ex corrupta veterum codicum scriptura *teutantis*. Conjecturæ Scaligeri favet Broukhusii liber MSS. Græcum verbum est, aptum Græcæ coloniæ fluvio, quia Silius Italicus, qui solet a fluviis nomina fingere, Cumanum quemdam hominem Teuthrantem vocet libro 11. Punic.

Personat Euboica Teuthras testudine, Cymes
Incola.

Addit Broukhusius, non obstare aquæ ignobilitatem: potuit enim clarior fuisse alia tempestate. Ex Propertio licet colligere, nonnihil remotam fuisse ab litore Bajano. Ut videtur, euripus quidam fuit, vel piscina: & ob hoc etiam dixerit poeta *in tenui unda*, parvo scilicet flumine. VULP.

v. 12. ALTERNÆ MANU] Natantes enim modo utramque simul manum, modo alteram tantum movent. Ovidius lib. 4. Metamorph.

Desilit in latices, alternaque brachia jactans
In liquidis translucet aquis.

De Hermaphrodito natante. PASS.

ibid. FACILIS CEDERE LYMPHA] Quæ facile pellitur, & natanti dat viam. Tibullus Eleg. 5. lib. 3.

Et facilis lenta pellitur unda manu. PASS.

Fortasse Cynthia in remoto illo flumine, vel fluminis rivulo aliquo *clausa*, & procul ab arbitris, ut pudori consuleret, natatu exercebatur. Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 6.

Siccus ut amplecti Salmonida posset Enipeus,
Cedere jussit aquam: jussa recessit aqua.
VULP.

ibid. MANU] Pro *manui*. Veteres, & in

Quam vacet alterius blandos audire susurros
Molliter in tacito litore compositam.
Ut solet amoto labi custode puella
Perfida, communes nec meminisse deos.

Non

in iis C. Cæsar, in hujusmodi omnibus finalem *i* demi jubebant. Lucretius lib. 5. v. 201.

Ut fit, ubi insolitam rem adportes auribus ante,
Nec tamen hanc possis oculorum subdere visu.

Virgilius Æneid. 3. 541. de equis:

Sed tamen iidem olim curru succedere sueti
Quadrupedes.

Sallustius B. Jugurth. cap. 6. *Non se luxu, neque inertia corrumpendum dedit.* Livius lib. 5. Hist. *Cujus* (æstatis) *insanabili pernicie quando nec caussa nec finis inveniebatur, libri Sibyllini ex S. C. aditi sunt.* Ovidius 7. Metam. 545.

Non aper irasci meminit, non fidere cursu
Cerva.

Corn. Celsus lib. 2. Medic. cap. 18. ubi de avium esu: *Ex his quæ volatu fidunt.* Seneca, seu quisquis auctor est, Octavia Tragœdia v. 485.

Nutuque terras, maria subjecit tuo.

vide & v. 842. Sic & in Fragmentis Petronii:

Barbara contemtu prælia pannus habet.

Vide A. Gellium lib. 4. cap. 16. VULP.

ibid. LYMPHA] δὶς τὸ αὐτό. *in unda lympha.* Supra Eleg. 3. *harebam fixus.* Et Elegia 18. hujus libri: *& tua flendo*

Lumina dejectis turpia sint lacrimis.

Et alia id genus exempla passim. PASS.

v. 13. VACET] Libeat, & sit otium. Virgilius 1. Æneid.

Et vacet annales nostrorum audire laborum.

Horatius Sat. 5. lib. 1.

Si vacat, & placidi rationem admittitis, edam. P.

ibid. ALTERIUS] Vide Eleg. 3. supra v. 36. PASS.

ibid. BLANDOS SUSURROS] Id sic expressit Ovidius lib. 4. Metam. de Pyramo & Thisbe: *Tutæque per illud*

Murmure blanditiæ minimo transire solebant.

nam susurri taciti sunt sermones amantium, quum quasi in aurem ganniunt, quod Plautus *murmurillum* vocat in Rudente. *Nolo murmurillum, neque susurrum fieri.* Horatius Ode 9. lib. 1. *Lenesque sub noctem susurri.* Theocritus quoque Idyllio 2. καὶ ἐψιθυρίσδομες ἁδύ, *& susurrabamus suaviter.* Rursus Idyllio 27. ἀλλήλοις ψιθύριζον, *inter se susurrabant.* PASS.

v. 14. MOLLITER] Propter gramen. Infra Eleg. 14. hujus libri: *Abjectus Tiberina molliter unda.* PASS. Litora tamen graminea esse non solent, sed nuda & arenosa. Quid si *litus* pro *ripa* usurpavit? Sic certe Eleg. 4. lib. 2.

Tranquillo tuta descendis flumine cymba:
Quid tibi tam parvi litoris unda nocet?

Poterat etiam Cynthia composita in litore molles sibi pulvinos subjicere. VULP.

ibid. IN TACITO LITORE] Ubi nullus ventorum & fluctuum sonus: vel certe minor quam in ipso mari. Eleg. 15. lib. 3.

Litore si tacito sonitus rarescit arenæ.

Horatius Ode 29. lib. 3. *Cavetque Ripa vagis taciturna ventis.* Iccirco Noster Eleg. 17. hujus libri dixit, *mansuetis litoribus.* P.

ibid. COMPOSITAM] Jacentem. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 4.

Si bene compositus somno, vinoque jacebit. P.

Sed τὸ *compositam* hic notat amatori proximam, qui assideat ipsi, & cum ea per otium fabuletur. Pedo Albinovanus Consolat. ad Liviam, de Druso & Antonia uxore: *Par bene compositum.* Positos igitur simul in litore, seu compositos, notat poeta Cynthiam & rivalem suum τὸν τυχόντα. VULP.

v. 15. AMOTO CUSTODE] Amovetur custos quum arte aliqua, & per speciem ablegatur tantisper dum puella voto potiatur. Aliter dixit Horatius in Epist. ad Pisones:

Imberbis juvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque.

De custodia puellarum Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Nam posita est nostræ custodia sæva puellæ. P.

ibid. LABI] *Labi* dicitur puella quæ stuprum admittit, *qui se laisse aller.* nam *labi* & *peccare* dicuntur amantes, ut *culpa* dicitur, & *vultus lubricus.* PASS. In veteri

Ec-

Non quia perſpecta non es mihi cognita fama;
Sed quia in hac omnis parte timetur amor.
Ignoſces igitur, ſi quid tibi triſte libelli
Attulerint noſtri. culpa timoris erit.
An mihi ſit major caræ cuſtodia matris,
Aut ſine te vitæ cura ſit ulla meæ?

Eccleſia *lapſae* vocabant virgines devotas, quæ fidem Chriſto datam peccando violaverant. Exſtat adhuc *παραίνεσις* Ambroſii ad Virginem lapſam. Dicebantur etiam ſacerdotes, & reliqui fideles *lapſi*, qui vel mulieribus impure commixti fuerant, vel εἴδωλα ob metum adoraverant, mentis quodam adulterio, non corporis. Verum & Propertius Noſter Eleg. 1. ſupra, de ſe ipſo, qui amori nimium indulſiſſet:
At vos, qui ſera lapſum revocatis, amici. V.

v. 16. PERFIDA] Perjura. Vel eſt perpetuum epithetum, quod mulieres omnes levitatis & perfidiæ crimine accuſat. V.

ibid. COMMUNES DEOS] Quos uterque, nempe amator ſimul & puella, ad jusjurandum adhibuit. Virgilius 12. Æneid.
In medioque focos, & diis communibus aras
Gramineas.
Idem lib. 8. *Communemque vocate deum.* Aliàs communes dii ſunt, *vel qui ubique ab omnibus coluntur* (inquit Servius in 12. Æneid.) vel qui modo his, modo illis favent. unde ξυνὸς ἐνυάλιος, Mars communis, & Victoria, & Mercurius communis prædæ participandæ. PASS. Addo Valerium Flaccum 4. Argonaut. 761. *Communeſque vocant ſuperos.* VULP.

ibid. MEMINISSE] In uno codice Broukhuſii *metuiſſe*. VULP.

v. 17. NON QUIA PERSPECTA NON ES MIHI COGNITA FAMA] Non quia non te bene noverim ex hominum ſermonibus, & publica exiſtimatione. *cognita perſpecta.* δὶς τὸ αὐτό. vide adnotata ad verſum 12. hujus Elegiæ ſupra. Sic Elegia 16. lib. 2.
Non quia peccaris, teſtor te; ſed quia vulgo
Formoſis levitas ſemper amica fuit.
eadem ſententia, iiſdem pœne verbis. Elegia 29. lib. 2. *Sat erit mihi cognitus unus.* id eſt certus amicus. PASS.

ibid. PERSPECTA FAMA] *Perſpicere*, inquit Donatus in Andriam, *eſt ad plenum & perfectum videre.* PASS.

v. 18. SED QUOD IN HAC OMNIS PARTE TIMETUR AMOR] Omni, inquit, amori, ſive amicæ, diffidere ſolemus, quum ea ſine arbitris & cuſtodibus nacta eſt occaſionem labendi & peccandi. PASS.

ibid. SED QUOD] Editio omnium princeps, *Sed quia*. Illam autem lectionem veram exiſtimo. VULP.

ibid. IN HAC PARTE] Cicero Epiſt. 6. lib. 8. ad Atticum eodem ſermone utitur: *Ne me exiſtimaris ad manendum eſſe propenſiorem, quod plura in ea parte verba fecerim.* Idem pro Sex. Roſcio, cum quarto caſu: *Peccant in eam partem quæ eſt cautior.* P.

ibid. AMOR] Pro *amica*; quod Propertio non inſolens. VULP.

v. 19. IGNOSCES IGITUR] Catullus Carm. 67.
Ignoſces igitur, ſi quæ mihi luctus ademit,
Hæc tibi non tribuo munera, quum nequeo. V.

ibid. TRISTE] Male ominatum, ſuſpicioſum, auditu ingratum. Horatius Sat. 1. lib. 2. 22.
Quanto rectius hoc, quam triſti lædere verſu
Pantolabum ſcurram, Nomentanumque nepotem! VULP.

ibid. LIBELLI NOSTRI] Pro verſiculis & poematis. Eleg. 14. lib. 2.
Sat mea ſat magna eſt ſi tres ſint pompa libelli.
Et ſupra Eleg. 9.
I quæſo, & triſtes iſtos depone libellos. P.
Vel epiſtola verſibus ſcripta, & in libelli formam complicata. VULP.

v. 20. CULPA TIMORIS ERIT] Culpam omnem confert Propertius in timorem; ut Eleg. 6. lib. 2.
Omnia me lædunt: timidus ſum: ignoſce timori.
Et miſer in tunica ſuſpicor eſſe virum.
Sunt qui legant *culpa timentis*: at eodem recidit ſententia. PASS.

v. 21. AN MIHI SIT] Eleg. 6. ſupra:

Tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes,
Omnia tu nostræ tempora lætitiæ.

Seu

An mihi sit tanti: Et Eleg. 8.
An tibi sum gelida vilior Illyria?
Virgilius Ecl. 5.
An quidquam nobis tali sit munere majus? P.

ibid. MAJOR CARE CUSTODIA MATRIS?] An ego matrem servem & custodiam diligentius, ne quid ei mali accidat? PASS. quem errare non dubito; frigida enim admodum sententia esset. Ego sic interpretor: An ego matrem meam, quæ mihi custodis loco est, majoris faciam, quam te, o Cynthia? Fuit enim apud matrem educatus Propertius. Elegia 1. lib. 4. mathematicus quidam ita poetam alloquitur:
Ossaque legisti non illa ætate legenda
Patris, & in tenues cogeris ipse Lares.
Mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
Matris & ante deos libera sumta toga, &c.
De materna custodia Horatius Epist. 1. lib. 1.
Ut piger annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum.
Seneca pariter Consolat. ad Marciam cap. 24. *Sub tutorum cura usque ad quartum decimum annum fuit: sub matris custodia semper. quum haberet suos penates, relinquere tuos noluit.* Hoc est quod Propertius ait lib. 4. *Ante deos matris*. Ita & Phædrus Fab. 10. lib. 3.
Deinde noctu subito januam
Intravit, recta cubiculum uxoris petens;
In quo dormire mater natum jusserat,
Ætatem adultam servans diligentius.
Ait igitur Noster, custodiam qua ipse a matre servetur, non esse illa majorem qua Cynthiam servet poeta. Vel *major*, pretii majoris. Tibullus Carm. 13. lib. 4.
Hæc tibi sancta tuæ Junonis numina juro,
Quæ sola ante alias est mihi magna deos. V.

v. 22. AUT SINE TE VITÆ CURA SIT ULLA MEÆ?] An absque te vita mihi jucunda, ac non potius acerbissima sit? In eam sententiam Horatius Epodo 1.
Quid nos? quibus te vita sit superstite
Jucunda; si contra, gravis. PASS.

v. 23. TU MIHI SOLA DOMUS, TU, CYNTHIA, SOLA PARENTES] Tu mihi gentis & familiæ instar, tu mihi pater & mater & cognatio. Amantium ὑπερβολαί. V.

ibid. DOMUS] Pro *familia*. Ovidius 4. Fast.
Tota domus læta est; hoc est materque paterque
Nataque. tres illi tota fuere domus. P.

ibid. TU, CYNTHIA, SOLA PARENTES] Parentes hic de sola matre; nam patrem amiserat Propertius. ut liberi etiam de uno dicuntur. Virgilius 7. Æneid. dixit:
Invocat & duplices Cæloque Ereboque parentes.
Cælo scilicet Venerem, Erebo Anchisen. quoniam parentum nomine unus tantum intelligi poterat. Jurisconsultis & Festo *parentes* etiam usque ad tritavos: sed & *majores* in infinitum dicuntur. Ceterum Homerus Iliad. 6. v. 429. inducit Andromacham sic alloquentem Hectorem:
Ἕκτορ, ἀτὰρ σύ μοί ἐσσι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,
Ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης. PASS.
Hector, tu vero mihi es pater & veneranda mater,
Et frater, tu etiam mihi quem virginem cælebs duxisti maritus.
Homericum πάθος æmulatus est Q. Smyrnæus Paralipom. lib. 3. a versu 561. quo loco Briseis ad mortuum Achillem:
Πάσης τ' ἀγλαΐης πολὺ φέρτερος, ἠδὲ τοκήων
Ἔπλεο· πάντα γάρ οἶος ἐμοὶ ἔης δμωῇ περ ἐούσῃ.
Splendore omni atque parentibus ipsis optabilior
Eras. Solus enim mihi omnia fuisti, licet serva tua essem.
Eadem Briseis apud Ovidium in Epist.
Tot tamen amissis te compensavimus unum.
Tu dominus, tu vir, tu mihi frater eras.
Hecuba quoque apud Euripidem in Tragœdia cognomine, v. 280. de Polyxena filia, sola superstite, cujus mortem anxie deprecatur:
Ἥδ' ἀντὶ πολλῶν ἐστί μοι παραψυχή,
Πόλις, τιθήνη, βάκτρον, ἡγεμὼν ὁδοῦ.
Hæc pro multis est mihi consolatio,
Civitas, nutrix, baculus, dux viæ.
Par locus ejusdem poetæ in Alcestide a v. 645. quem videsis. Medea Nasonis ad Jasonem:
Deseror (amissis regno, patriaque, domoque)
Conjuge, qui nobis omnia solus eras.
Terentius denique Andria 1, 5, 60.
Te isti virum da, amicum, tutorem, patrem.
vide & Phormione 3, 2. VULP.

v. 24.

Seu tristis veniam, seu contra lætus amicis,
Quidquid ero, dicam, Cynthia caussa fuit.
Tu modo quamprimum corruptas desere Bajas:
Multis ista dabunt litora dissidium:
Litora quæ fuerant castis inimica puellis.
Ah pereant Bajæ crimen amoris aquæ.

v. 24. OMNIA TU NOSTRÆ TEMPORA LÆTITIÆ.] Quocumque tempore lætamur, id tibi omne acceptum ferimus. PASS.

v. 25. SEU TRISTIS VENIAM, SEU CONTRA LÆTUS AMICIS] Sive mœrentem, sive gaudentem me amici viderint. *veniam* pro *ero*. vide notata ad vers. ult. Eleg. 5. supra. An *veniam amicis*, pro *ad amicos*, ut Eleg. 15. hujus libri: *Ire viro novo?* Sic locutus de Fortuna Pedo Albinov. ad Liviam:

Quæ tamen hoc uno tristis tibi tempore venit. PASS.

v. 26. QUIDQUID ERO] Eleg. 19. infra:
Illic quidquid ero, semper tua dicar imago. P.

ibid. DICAM, CYNTHIA CAUSSA FUIT] Propter Cynthiam ita sum affectus animo. si ea facilis, lætus: si dura, tristis. Elegia 18. infra:

An nova tristitiæ caussa puella tuæ? PASS.

v. 27. TU MODO] Virgilius 2. Æneid. *Tu modo promissis maneas.* Et Noster Elegia 20. lib. 2.

Tu modo ne dubita de gravitate mea. PASS.

ibid. CORRUPTAS DESERE BAJAS] Discede istinc, ubi nihil sani & integri. corrupti enim alios corrumpunt, & sui similes efficiunt: unde Bajæ & corruptæ & corruptrices. Quamobrem Plautus Asin. 5, 2.

Is porro corruptus suum corrumpit filium. P.

ibid. CORRUPTAS DESERE BAJAS] quæ plurima huc congeri possunt, pulcre uno verbo exhausit Cicero, Orat. pro Cœlio C. 11. *Tibi autem, Balbe, respondebo primum precario, si licet, si fas est defendi a me eum, qui nullum convivium renuerit, qui unguenta sumserit, qui Bajas viderit.* & C. 15. *Accusatores quidem libidines, amores, adulteria, Bajas, actas, convivia, comissationes, cantus, symphonias, navigia jactant: iidemque significant, nihil se, te invito dicere.* BROUKH.

v. 28. MULTIS ISTA DABUNT LITORA DISSIDIUM] Hæc Bajarum & Cumarum ora maritima pluribus afferet distractionem amoris. *Dare dissidium*, ut *dare malum*, *damnum*, *cladem*, *ruinam*, *stragem*. Donatus in Phormionem, *dissidium* interpretatur *divortium*, quasi sit a discedendo. Aliis placet *discidium* dici a *discindendo*; ut Horatio Epist. 3. *gratia male sarta rescinditur.* Virgilius 2. Æneid.

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Plautus Pseudolo: *Harum voluptatum omnium, distractio, discidium, vastities venit.* Sed & a dissidendo venire potest; quia dissentientes & inimici simul sedere, & assidere non amant. Suetonius in Tiberio cap. 7. *Cum Julia primo concorditer vixit, mox dissedit.* PASS.

ibid. LITORA] Oppida maritima, litoribus proxima, quum peregrinos facile admittant, corruptelis etiam, vitiis, & malis moribus patent. Sacerdos illa Vestalis apud Senecam patrem Controvers. 2. lib. 1. *unda in litore stetit ad fastidium emtoris: omnes partes corporis & inspecta & contrectata sunt.* Propterea νησιῶται, insulares homines, mali & pravi esse consueverunt: contra mediterranei, & qui montes incolunt, simpliciores, & corrupti minus. V.

v. 29. LITORA QUÆ FUERANT CASTIS INIMICA PUELLIS] Quid, *fuerant?* an esse desierunt? Sed fortasse legendum est *fervent*, ob sulphuratas aquas & calidas, vel ob frequentiam & celebritatem. Sic Virgilius dixit *fervere litora flammis*, &, *opere omnis semita fervet.* PASS. Nihil mutandum. εἰρωνικῶς puto; quasi diceret, Opinor litora ista Bajana nuper pudicitiæ puellarum minus propitia erant, nisi forte postquam istuc venisti, o Cynthia, casta & pudica subito facta sunt. Versu tamen sequenti serio & aperte loquitur. VULP.

v. 30. BAJÆ AQUÆ] Pro *Bajanæ*. substantivum loco epitheti. Sic Ovidius lib. 8. Metam.

Sed postquam Colchis arsit nova nupta venenis,
Flagrantemque domum regis mare vidit utrumque.

Colchis pro *Colchicis*. Noster *Colchum Phasin* dixit lib. 3. Eleg. 22. Papinius vero Statius lib. 4. Silv. Carm. 7. *Dalmatæ montes*, pro *Dalmatici*. BROUKH. An per se stat *Bajæ*, & per se *aquæ*? Cicero pro Plancio: *Me unum ex iis feci qui ad aquas venissent*. subaudi *Puteolanas*, sive *Bajas*. Et *Aquæ*, dicta oppida quædam ob aquas calidas, ut *Aquæ-Sextiæ*, *mortuæ*, *Tarbellæ*. PASS.

ibid. CRIMEN AMORIS AQUÆ] Dedecus & infamia Cupidinis. Ita Eleg. 4. lib. 4.

Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis!

Et Eleg. 28. lib. 2.

Juppiter, affectæ tandem miserere puellæ:
Tam formosa tuum mortua crimen erit. P.

Huc pertinet venustum Epigramma Regiani cujusdam in Catalectis Pithœi lib. 2.

Ante bonam Venerem gelidæ per litora Bajæ:
Illa natare lacus cum lampade jussit Amorem.
Dum natat, algentes cecidit scintilla per undas;
Hinc vapor ussit aquas. quicumque natavit, amavit.

Præterea Martialis Epigramma 63. lib. 1. Epistola quoque 51. L. Senecæ. VULP.

ELEGIA XII.

QUid mihi desidiæ non cessas fingere crimen,
Quod faciat nobis conscia Roma moram?

Tam

ARGUMENTUM ELEGIÆ XII. LIBRI I.] Dolet absentiam, & fortasse dissidium Cynthiæ. Videtur vel Tullus, vel Gallus, aut potentium amicorum alius aliquis, Propertium rusticatum abducere voluisse: ei vero non venienti exprobrasse desidiam & nimis mollem animum, qui tantillo tempore Urbe carere non posset, clavo Cupidinis affixus apud Cynthiam. Respondet poeta, Cynthiæ consuetudinem minime omnium in caussa esse cur pergat nidum fovere; sed mœrorem ex ipsius secessu Bajano contractum. nec se posse, quamvis despectum, amorem in aliam puellam transferre, quod multis remedio fuit. esse sibi in fatis, ut Cynthia, quæ primus ardor fuit, sit etiam supremus. BROUKH. In vetustis editionibus hæc Elegia & superior cohærescunt inter se & continuantur: sed perperam; dissimili enim sunt argumento. Illa enim timorem poetæ describit, ne forte Cynthia Bajis, loco tam corrupto, diutius commorata peccaret: hæc jam peccavisse, non obscure significat. Interrogatio præterea & allocutio hujusmodi, exordio novæ Elegiæ valde accommodata est. V.

v. 1. QUID M. DESIDIÆ NON CESSAS FINGERE CRIMEN] Ita Ovidius Eleg. ult. lib. 1. Amor.

Quid mihi, Livor edax, ignavos objicis annos,
Ingeniique vocas carmen inertis opus? V.

ibid. DESIDIÆ NON CESSAS FINGERE CRIMEN] Non desinis me insimulare inertiæ & ignaviæ. nam desidiam crimen putabant, & eo nomine vocabant amorem. quod refellit Ovidius Eleg. 9. lib. 1. Amor. quam sic claudit:

Ergo desidiam quicumque vocabit amorem,
Desinat. ingenii est experientis amor.

De crimine desidiæ, quæ dicebatur ῥαθυμίας δίκη, vide Plutarchum in Lycurgo. Fingere, insimulare falso. Noster Eleg. 22. lib. 3.

Non bona de nobis crimina ficta jacis. P.

v. 2. QUOD FACIAT N. C. ROMA MORAM] Quod licet malis rumoribus flagrem, tamen infamiæ patiens, pedem Urbe non efferam. VULP.

ibid. FACIAT NOBIS MORAM] Ita sæpissime loquuntur Jurisconsulti. Virgilius pariter Ecl. 10.

Nam neque Parnassi vobis juga, nam neque Pindi
Ulla moram fecere.

Quintilianus lib. 10. I. O. cap. 2. *Quod non tam moram faciet, quam novos impetus dabit.* Propertius ipse Eleg. 1. lib. 4.

Quum Cinaræ traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram.

Refe-

Tam multa illa meo divisa est millia lecto,
Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.
Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores
Cynthia, nec nostra dulcis in aure sonat.

Olim

Refertur autem *τὸ nobis* & ad *conscia* & ad *faciat*. PASS.

ibid. CONSCIA ROMA] Testis amorum meorum & arbitra Roma. PASS. Eodem fere pacto Venusinus poeta Epodo 11. *Heu me per Urbem (nam pudet tanti mali) Fabula quanta fui!* Ceterum vehementer suspicor, *τὸ Romæ* vocativum esse, ut sermo totus ad Urbem seu civitatem ipsam convertatur, quæ unâ quasi omnium civium voce Propertium segnem & cessatorem vocaret: *conscia* vero sit casus rectus, & referatur ad Cynthiam. *Conscios* dicimus qui nobiscum familiarissime versantur, qui seria nostra & nugas noverunt. talis erat Propertio Cynthia. VULP.

v. 3. TAM MULTA, QUANTUM] Anacoluthon; ut Eleg. 3. lib. 2.

Nec me tam facies, quamvis sit candida, cepit,
(Lilia non dominâ sint magis alba meâ)
Quantum quod posito formose saltat Iaccho.

Et Eleg. 21. lib. 3.

Quantum oculis, anima tam procul ibit amor. P.

Frustra igitur Broukhusius, Nic. Heinsium secutus, reponebat *Quanta*; præsertim adversus codicum fidem. VULP.

ibid. ILLA] Notat Donatus in Andriam Terentii 2, 1. *Daturne illa Pamphilo nuptum? Amaterie, de nota certaque persona: ut Virgilius: Solam nam perfidus ille Te colere.* Noster supra Eleg. 5.

Non est illa vagis similis collata puellis:
Molliter irasci non sciat illa tibi. P.

ibid. MEO LECTO DIVISA] Id est, tam longe a me, meoque toro disjuncta. Elegia 3. supra:

Tandem te nostro referens injuria lecto,
Alterius clausis expulit e foribus.

Vetus Glossarium: *Discretus lectus*, ἀπόκοιτος. PASS.

ibid. DIVISA] *τὸ divisa* ostendit divortium. Vide Macrobium lib. 5. Saturn. c. 15. ubi *vidua* dicitur, quasi *ve idua*; id est, valde a viro divisa. PASS.

ibid. MILLIA MULTA] Supple, passuum. Catullus Carm. 9.

Veranni, omnibus e meis amicis
Antistans mihi millibus trecentis.

[ut quidem explicat M. Antonius Muretus: alii enim interpretes eunt in alia omnia.] Noster Eleg. 3. lib. 4.

Quot sine aqua Parthus millia currat equus.

Milliarium apud Romanos octo stadiorum fuit, teste Plutarcho in Gracchis. Idem in Galba, milliarium fuisse docet in capite fori Romani columnam auratam (quamvis aureum milliarium dicatur) in quam incisæ omnes Italiæ viæ terminabantur. PASS.

v. 4. HYPANIS] Ponti fluvius est Servio Grammatico in 4. Georg. Straboni vero lib. 7. Geograph. Scythiæ fluvius, Borysthenι proximus. Est etiam amnis Indicus eodem nomine, apud quem bestiolas nasci perhibent quæ uuum tantum diem vivant. Vide Aristotelem lib. 5. Hist. Animal. Ciceronem lib. 1. Tusc. Quæst. Plinium lib. 4. H. N. cap. 12. PASS.

ibid. VENETO ERIDANO] Padus, sive Eridanus, Venetus appellatur, quia in mare Hadriaticum effunditur, cui adjecti Veneti. Vide Plinium lib. 3. H. N. cap. 16. Dictus Eridauua ab Eridano Solis filio, qui alio nomine Phaëthon vocatur ob exustionem illam mundi. PASS. Pausanias vero in Atticis cap. 19. vocat Eridanum κελτικὸν, Gallicum. Quamobrem *Transpadana* undecima Italiæ regio ab Augusto dicta fuit, quæ & Gallia Cisalpina, & Insubria. V.:

ibid. DISSIDET] Sejunctus est, longe posita est. Virgilius 7. Æneid.

Omnem equidem sceptris terram quæ libera nostris
Dissidet, externam reor. PASS.

Non tamen Bajæ, ubi Cynthia erat, Roma tantum distabant, quantum Hypanis Eridano: sed est ὑπερβολή. Vel poeta significat, non solum corpore, sed etiam animo ac voluntate Cynthiam abesse: quæ distantia profecto maxima. VULP.

v. 5. CONSUETOS AMORES] Terentius Andria 1, 1. *Ut consuetum facile amorem cerneres.* PASS.

ibid.

Olim gratus eram: non illo tempore cuiquam
Contigit, ut simili posset amare fide.
Invidiæ fuimus. an me deus obruit? an quæ
Lecta Prometheis dividit herba jugis?

Non

ibid. NUTRIT AMORES] Ovidius 1. Metam. *Sperando nutrit amorem*. Noster Elegia 21. lib. 3.

Ipse alimenta sibi maxima præbet amor.

Theocritus in Cyclope : *Οὕτω τοι Πολύφαμος ἐποίμαινεν τὸν ἔρωτα. Sic Polyphemus pascebat amorem*. PASS.

ibid. NEC NOSTRA DULCIS IN AURE SONAT] Sonum ejus & vocem jucundam auribus non amplius accipio. Petronius, aut incertus auctor, in Catalectis vett. poetarum :

Agnovi : vera venit mihi vocis imago.
Blandior arguta tinnit in aure sonus.

Martialis Epigr. 63. lib. 3.

Inter femineas tota qui luce cathedras
Desidet, atque aliqua semper in aure sonat. P.

Etiam vulgatus Interpres divinarum litterarum hac locutione usus, dum verteret locum Cantici Canticorum 2, 14. *Sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis*. Vel non amplius canit & citharam pulsat, me præsente & audiente. Supra Eleg. 2.

Quum tibi præsertim Phœbus sua carmina donet,
Aoniamque libens Calliopea lyram.

Valerius Cato in Diris ad Battarum :

vobis mea Lydia ludit,
Vos nunc alloquitur, vos nunc adridet ocellis :
Et mea submissa meditatur carmina voce,
Cantat & interea, mihi quæ cantabat in aurem.

Vel non amplius mihi dulce est nomen Cynthiæ, ut antea solebat, sed triste potius & ingratum, tamquam infidelis & perjuræ. Lucretius lib. 4.

Nam si abest quod ames ; præsto simulacra tamen sunt
Illius, & nomen dulce obversatur ad aures.

Plato in Lachete : *περιφέρει δέ τις με καὶ μνήμη ἄρτι τοῦδε λεγόντων. Mihi vero quodammodo aures etiamnum Socratis nomen circumsonant*. Ita vertit Serranus. Idem vir divinus eleganter admodum in Lyside : *ἀκριβῶς γὰρ ἐπίσταται καὶ μέμνηται, εἴπερ, ὡς λέγει, ὑπ' ἐμοῦ ἀεὶ ἀκούων διατεθρύλληται. Optime enim & novit & meminit. quandoquidem, ut ipse ait, meis istis vocibus ipsius aures quotidie circumsonant*. VULP.

v. 7. GRATUS ERAM] Carus & acceptus. Horatius Ode 9. lib. 3. *Donec gratus eram tibi*. Noster Eleg. 19. hujus libri :

Quarum nulla tuâ fuerit mihi, Cynthia, formâ
Gratior. PASS.

ibid. NON ILLO TEMPORE CUIQUAM CONTIGIT] Quum mihi amor adspiraret, nemini datum est a fortuna. Donatus ad illud Andriæ : *Hanc tibi expetivi, contigit*. *Contigisse*, inquit, *dicitur quod vix evenit*. Hic de prospero eventu. aliquando contra in malam partem. Cicero Philippica 13. Antonio mala precatus : *Quod tibi tuisque contingat*. PASS.

v. 8. UT SIMILI POSSET AMARE FIDE] Male Passeratius : *Ut tantam in amore constantiam præstaret*. *Fidem suam prædicat*, ut Eleg. ult. lib. 3.

Quinque tibi potui servire fideliter annos.
Ungue meam morso sæpe querere fidem.

Fidelem esse in amore, non est fortunæ, sed voluntatis. Hoc igitur de fide Cynthiæ accipiendum, non de Propertii : quod pertinet ad fortunam poetæ. Dixerat supra de mutuis juramentis & obligationibus amborum Eleg. 4.

Quo magis & nostros contendis solvere amores,
Hoc magis accepta fallit uterque fide. V.

v. 9. INVIDIÆ FUIMUS] Aliquis nobis invidit, & amori adeo felici. Esse invidiæ, ut esse voluptati, curæ, molestiæ, odio. PASS. Ut docet M. Tullius lib. 4. Tusc. Quæst. invidia non solum est in illo qui invidet, sed etiam in eo cui invidetur. Contra invidentia solius invidentis est. V.

ibid. AN ME DEUS OBRUIT ?] Duplex invidia est, altera deorum ; & iccirco subjicit Propertius, *an me deus obruit ?* altera hominum ; quamobrem ait, *an quæ herba dividit ?* de humano scilicet veneficio. Deus autem vel Fortuna, vel Nemesis, vel Amor ipse & Venus. nam deos etiam de dea dicitur, ut notum ex Virgilio & Macrobio. *Obruit*, his malis mersit, & oppressit

Non sum ego qui fueram. mutat via longa puellas.
Quantus in exiguo tempore fugit amor!

Nunc

pressit me per invidiam. Virgilius lib. 11. Æneid.

Invidisse deos, patriis ut redditus oris
Conjugium optatum, & pulchram Calydona viderem? PASS.

Neque illud Fabii prætermittendum procemio lib. 6. Instit. Orat. ubi orbitatem suam deflet: *Esse nescio quam, quæ spes tantas decerpat, invidiam; ne videlicet ultra quam homini datum est, nostra provehantur.* VULP.

ibid. AN ME DEUS OBRUIT?] *an* Broukhusius invenit in margine unius libri Colbertini; quod Guyetus probabat. Vulgati *num*. VULP.

ibid. AN QUÆ LECTA PROMETHEIS DIVIDIT HERBA JUGIS?] An herba quæ decerpta in verticibus Caucasi distrahere potest amores & dissolvere? PASS. Ego vero crediderim, τὸ *quæ* usurpatum pro *aliqua*. An aliqua ex herbis in Caucaso monte germinantibus; quum multæ ibi venenatæ nascantur. Sic Eleg. 26. lib. 2.

Quæ tibi terra velim, quæ tibi fiat aqua.

Ad quem locum vide quæ afferimus. V.

v. 10. LECTA PROMETHEIS JUGIS HERBA] *Promethea juga*, Caucasus ipse, cui Prometheus olim affixus. PASS. De herba Promethea multi multa; quæ huc redeunt, valere eam ad varias incantationes magicas. hoc autem loco sumitur pro odii potione, sive misetro, ut bene observavit Theodorus Marcilius ad Horatium. Vide Quintilianum Declamat. 14. & 15. quibus titulus *Odii potio*. quæ Lampertus Alardus super *herba Promethea* notavit ad librum 7. Val. Flacci v. 365, ea sumsit ex Joannis Brodæi lib. 3. Miscellan. cap. 32. Sed Valerium ipsummet audiamus, pulcherrimis versibus hanc herbam describentem:

Cingitur inde sinus, & quæ sibi fida magis vis
Nulla, Promethea florem de sanguine fibra
Caucasium promit, nutritaque gramina tabo,
Quæ sacer ille nives inter tristesque pruinas
Durat alitque cruor; quum viscere vultur adeso
Tollitur e scopulis, & rostro rorat aperto.
Idem nec longi languescit finibus ævi
Immortale virens: idem stat fulmina contra
Sanguis, & in mediis florescunt ignibus herbæ.

V. Delrius Adv. in Senec. Med. v. 709. p. 28. BROUKH. Turnebus lib. 18. Advers. cap. 1. *Promethea juga*, inquit, *Propertius vocat Caucasum, ubi nascebatur ex cruore Promethei aconitum.* Seneca Medea v. 706.

Quæcumque generat invius saxis Eryx,
Quæ fert opertis hieme perpetua jugis
Sparsus cruore Caucasus Promethei.

Promethea vero *juga*, ut *Promethei scopuli* eidem Senecæ Herc. Fur. v. 1267. *Cur Promethei vacant Scopuli.* Martialis Epigr. 46. lib. 9.

Ecce Promethea rupes, & fabula montis,
Quam prope sunt oculis nunc adeunda tuis!

L. Columella de cultu Hortorum v. 59.

Iste Prometheæ genitrix fuit altera Cretæ. V.

ibid. DIVIDIT] Subaudi *nos*. VULP.

v. 11. NON SUM EGO QUI FUERAM] Felix scilicet. nam quod ad fidem, negat se mutatum. Cicero Epist. 3. lib. 7. ad Famil. *Vetus est; ubi non sis qui fueris, non esse cur velis vivere.* Idem Epist. 16. lib. 3. ad Attic. *Me velis esse aliquem; quoniam qui fui, & qui esse potui, jam esse non possum.* P.

ibid. MUTAT VIA LONGA PUELLAS] Quantum ab oculis absunt amantes, tantum ab animo puellarum. *Mutat*, ut Eleg. 4. v. 2. supra:

Mutatum dominæ cogis abire meæ.

Elegia vero 19. lib. 3.

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
Ut me longa gravi solvat amore via. P.

v. 12. QUANTUS IN EXIGUO TEMPORE FUGIT AMOR!] Par exclamatio Eleg. 17. lib 3. de morte Marcelli:

Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.

Quantus amor. de cujus magnitudine Elegia 8. supra. *Fugit*, non rediturus se ex oculis & conspectu proripuit statim. Horatius Ode 13. lib. 4. *Quo fugit Venus, heu, quove color decens?* Ovidius Epist. Briseid.

Quo levis a nobis tam cito fugit Amor?

Sic rursus Noster Eleg. 24. lib. 2.

Ille tuus pennas tam cito vertit Amor?
PASS.

ibid. IN EXIGUO TEMPORE] Ut Catullus de Coma Berenices:

Is haud in tempore longo
Captam Asiam Ægypti finibus addiderat.
PASS.

v. 13.

Nunc primum longas ſolus cognoſcere noctes
 Cogor, & ipſe meis auribus eſſe gravis.
Felix qui potuit præſenti flere puellæ.
 Non nihil aſperſis gaudet Amor lacrimis.
Aut ſi deſpectus potuit mutare calores,
 Sunt quoque tranſlato gaudia ſervitio.
Mi neque amare aliam, neque ab hac diſcedere fas eſt.
 Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

ELE-

v. 13. NUNC PRIMUM] Cicero initio lib. 1. de Legibus: *Qui nunc primum huc venerim, ſatiare non queo.* PASS.

ibid. LONGAS SOLUS COGNOSCERE NOCTES COGOR] Apollodorus apud Athenæum: Τοῖς γὰρ λυπουμένοις καὶ μεριμνῶσιν ἅπασα νὺξ ἔοικε φαίνεσθαι μακρά. Amantibus longæ noctes ſine amica; quas amaras vocat Eleg. 1. ſupra. *Cognoſcere*, ſentire, experiri, diſcere, & ſcire quid ſit ſolum cubare. ut Elegia 9. hujus libri. PASS. hos amantium æſtus nocturnos pulcherrime depingit Valerius Flaccus ipſo initio libri 7. deinceps v. 128. ſeqq. 194. Vide quæ notavi ad Tibull. 1, 9, 64. BROUKH.

v. 14. ET IPSE MEIS AURIBUS ESSE GRAVIS] Meipſum querelis obtundere. Sic Eleg. 30. lib. 2. dixit *onerare aures*:

Illorum antiquis onerentur legibus aures.

Q. Curtius lib. 8. *In quo Rex quum multo incaluiſſet mero, immodicus æſtimator ſui celebrare quæ geſſerat cœpit, gravis etiam eorum auribus qui ſentiebant vera memorari.* PASS.

v. 15. FELIX QUI POTUIT P. F. P.] Virgilius 2. Georg.

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſſas. P.

ibid. PRÆSENTI FLERE PUELLÆ] Præſentem puellam præſens lacrimis ſuis movere. Dixit, *præſenti*, quia ſibi abſentem Cynthiam nec licet alloqui, nec precibus & lacrimis ſuis flectere, ut antea fecit Eleg. 8. ſupra. *Flere* jungit cum tertio caſu, ut Eleg. 15. infra:

At non ſic Ithaci digreſſu mota Calypſo
 Deſertis olim fleverat æquoribus.

Et Eleg. 20. -- *indomito fleverat Aſcanio.* Contra Virgilius Æneid. 5.

Riſit pater optimus olli. PASS.

v. 16. NON NIHIL ASPERSIS GAUDET AMOR LACRIMIS] Multum Amor lacrimarum velut aſpergine delectatur. τὸ *non nihil* κατ' μείωσιν pro *multum*. Eleg. 10. ſupra: *non nihil egit Amor*. Sic Livius lib. 30. Hiſt. cap. 45. *Hunc regem in triumpho ductum Polybius, haudquaquam ſpernendus auctor, tradit.* pro *multum æſtimandus*. Eſt autem hypallage *aſperſis gaudet lacrimis*; pro *aſpergi gaudet*. non enim aſperguntur lacrimæ, ſed aſpergunt. ut Eleg. 24. lib. 2.

Cui non his verbis aſpergat tempora ſudor? P.

Verum ibi legendum *ſurdo*: neque ulla hic hypallage. ſicuti enim ſine figura dicimus, *ſparſit lacrimis*, ita & *aſperſit*. eadem ratio verbi compoſiti quæ ſimplicis. Ceterum Virgilius Ecloga 10.

Nec lacrimis crudelis Amor, nec gramina rivis,
Nec cytiſo ſaturantur apes, nec fronde capellæ.

Sed elegantiſſime Franciſcus Petrarcha, qui nominis immortalitatem debet carminibus vernaculo ſermone conſcriptis (*nel Sonetto 72.*) verbis ipſius Cupidinis:

Forſe non avrai ſempre il viſo aſciutto;
Ch' i' mi paſco di lagrime; e tu 'l ſai. V.

v. 17. DESPECTUS] Contemtus, neglectus, pro nihilo habitus. Virgilius Ecloga 2.

Deſpectus tibi ſum, nec qui ſim quæris, Alexi. PASS.

ibid. POTUIT MUTARE CALORES] Eleg. 18. hujus libri:

An quia parva damus mutato ſigna calore?

Et Elegia 15. lib. 2.

Quam poſſim noſtros alio transferre calores.

Lucretius eleganter lib. 4.

Inque dies gliſcit furor, atque ærumna graveſcit,
Si non prima novis conturbet vulnera plagis:
Aut alio poſſit animi traducere motus. PASS.

v. 18. SUNT Q. TRANSLATO GAUDIA SERVI-

VI-

VETTO] Est & aliqua voluptas in mutandis amoribus. *Transferre servitium*, ut *transferre calores*. Horatius pariter Epodo 15.

Eheu translatos alio mærebis amores.

Servitium de amore. Eleg. 5. supra: *Grave servitium puellæ*, & Eleg. 4.

Hoc magis assueto vivere servitio. PASS.

Gaudent amantes mutandis amoribus, quod jucundum sit ulcisci puellam infidelem & superbam. Tibullus Eleg. 9. lib. 1. ad ἐρώμενον, qui datam ipsi fidem fregerat: *At tua tum me pœna juvet*. Ceterum metaphora duci videtur a militibus qui castra movent, vel ab inquilinis, quum ædes mutant, & in novam domum transferunt supellectilem. Juvenalis Sat. 3. v. 198. *Jam poscit aquam, jam frivola transfert Ucalegon*. VULP.

v. 19. NEQUE AB HAC DISCEDERE] Separari. Sic Eleg. 7. lib. 2. *Citius poterer caput hoc discedere collo*. *Abire domina* dixit Eleg. 4. supra. Iterum Eleg. 25. lib. 3.

Flebo ego discedens, sed fletum injuria vincit.

Et Eleg. 4. lib. 2.

Nunc est ira recens, nunc est discedere tempus. VULP.

ibid. FAS EST] Non mihi licet, neque possum id facere. *Fas*, δυνατόν. PASS.

v. 20. CYNTHIA PRIMA FUIT, CYNTHIA FINIS ERIT] *Prima*, ut Eleg. 1. versu 1. supra. *Finis*, ut Horatius Ode 11. lib. 4. *Age, jam meorum Finis amorum, (Non enim posthac alia calebo Femina)*. Sic & Virgilius Ecl. 8. *A te principium, tibi desinet*. Noster iterum Eleg. 21. lib. 1.

Ultima talis erit, quæ mea prima fides.

Albinovanus ad Liviam:

Tu concessus amor, tu solus & ultimus illi.

Ovidius lib. 14. Metam. *Tu primus & ultimus illi Ardor eris*. PASS.

ELEGIA XIII.

TU, quod sæpe soles, nostro lætabere casu,
Galle, quod abrepto solus amore vacem.

At

ARGUMENTUM ELEGIÆ XIII. LIBRI I.] Ad Gallum; qui tandem a vulgivaga Venere ad stabilem amorem se recepisset. V.

v. 1. TU] Ita Ovidius exorditur Elegiam 10. lib. 2. Amorum:

Tu mihi, tu certe, (memini) Gracine, negabas
Uno posse aliquem tempore amare duas. VULP.

ibid. QUOD SÆPE SOLES] More tuo, nostro malo & infortunio gaudebis. Propterea Eleg. 5. supra; *Invidum Gallum* vocavit. Invidiæ autem proprium est alieno casu & infortunio lætari. Cicero 4. Tuscul. *Malevolentia, lætans malo alieno*. Ibidem: *Malevolentia, voluptas est ex malo alterius sine emolumento suo*. Diogenes Laertius in Zenone: Ἐπιχαιρεκακία, ἡδονὴ ἐπ' ἀλλοτρίοις κακοῖς. Ovidius lib. 2. Metam. de Invidia:

Risus abest, nisi quem visi fecere dolores. P.

Invidebat Gallus fidei mutuæ qua insignes erant Propertius & Cynthia, quod ipse in amore levissimus datam fidem quotidie frangeret. VULP.

ibid. NOSTRO LÆTABERE CASU] Rebus nostris adversis magnam capies voluptatem. Catullus Carm. 59. *In novissimo casu*. Ovidius lib. 4. Metam.

Pyrame, clamavit, quis te mihi casus ademit? VULP.

v. 2. ABREPTO AMORE] Per vim abducta amica. Elegia 4. supra:

Non ulla gravius tentatur Cynthia damno,
Quam sibi quum rapto cessat amore deus.

Et Elegia 8. lib. 2.

Tantus in erepto sævit amore dolor. PASS.

Profecto secessus ille Bajanus Cynthiam corruperat, & poetæ nostro perniciem creaverat. VULP.

ibid. SOLUS VACEM] In lecto vacuo jaceam. Sic Eleg. 10. lib. 2.

At tu non una potuisti nocte vacare,
Impia, non unum sola manere diem.

Et Elegia 2. ejusd. libri:

Liber eram, & vacuo meditabar vivere lecto. P.

Solus & vacem laudem habent animi fracti, etiam in amore ingrato, & violenter, ut videtur, *abrepti* a rivali potiore. BROUKH.

At non ipse tuas imitabor, perfide, voces.
Fallere te numquam, Galle, puella velit.
Dum tibi deceptis augetur fama puellis,
Certus & in nullo quæris amore moram:
Perditus in quadam tardis pallescere curis
Incipis, & primo lapsus abire gradu.

Hæc

v. 3. AT NON] Eleg. 15. hujus libri:
At non sic Ithaci digressu mota Calypso.
Virgilius 2. Æneid.
At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoste fuit Priamo. PASS.

ibid. IPSE] Pro *ego*. Horatius Sat. 1. lib. 1. v. 66. *Mihi plaudo Ipse domi*. Adhibetur & pro *tu*. Virgilius Ecloga 3.
Quum faciam vitula pro frugibus, ipse venito. VULP.

ibid. NON TUAS IMITABOR VOCES] Nec tecum loquar, nec sentiam. Quorum orationem imitamur, eorum plerumque & mores sequimur. Non dicam, ut tu soles, Fallendæ fallaces puellæ: sed contra, Fallere te puellæ nolint. Aliud est imitari voces in avibus, ut corvo & psittaco. P.

ibid. PERFIDE] Minime fidelis, & inconstans in amore. Vel qui amicitiæ legem violas, gaudens malis amici. VULP.

ibid. VOCES] Vel præcepta tua improba: vel sermones lætitiam significantes. Ovidius lib. 3. Artis:
Me voces audire juvat sua gaudia fassas. V.

v. 4. FALLERE VELIT] Pro *fallat*; ut in edictorum formulis. Sic supra Elegia 10.
Tu cave ne tristi cupias pugnare puellæ. P.

v. 5. DUM TIBI DECEPTIS AUGETUR FAMA PUELLIS] Dum te tua perfidia nobilitat. *Deceptis puellis*, circumventis fraude & jurejurando. ut Eleg. 22. lib. 2.
Colchida sic hospes quondam decepit Iason. P.

ibid. AUGETUR TIBI FAMA] Crescit nomen. Horatius Ode 12. lib. 1. *Crescit, occulto velut arbor ævo Fama Marcelli*. Cicero pro Lege Manilia: *Hæc victoria regis opes & nomen auxit*. PASS.

v. 6. CERTUS ET IN NULLO QUÆRIS AMORE MORAM] Numquam studes amori stabili. Qui autem constanter amant, certi amatores merito appellantur. Noster Eleg. 24. lib. 2. *Eheu tu mihi certus eras*. Et Elegia ult. ejusdem libri:
Quid si non constans illa, & tam certa fuisset?
Ennius quoque:
Amicus certus in re incerta cernitur.
Vel, certum tibi & propositum est nullo in amore hærere. quam explicationem veram existimo. VULP.

ibid. QUÆRIS MORAM] *Moram quærit in amore*, qui morari & permanere diu in eo vult. PASS.
Tibullus prior Eleg. 3. lib. 1.
Ipse ego solator, quum jam mandata dedissem,
Quærebam tardas anxius usque moras. V.

v. 7. PERDITUS IN QUADAM] *τὸ in quadam* cuntemtim dicitur, & jungi potest cum *perditus*, ut Eleg. 6. supra: *periere in amore*. sed melius per se stat. Qui amat, periit. Virgilius Ecloga 3. *Ut vidi, ut perii*. Ovidius Epist. Didus v. 61. *Perdita ne perdam timeo*. unde *perdite amare*. *In quadam*, Lycoride opinor. PASS.

ibid. TARDIS CURIS] Tardo & sero amore. PASS. Quia Gallus diu securus amaverat, puram liquidamque voluptatem sectatus. V.

ibid. PALLESCERE IN QUADAM] Ita Catullus de Nuptiis Pelei ac Thetid. *In flavo sæpe hospite suspirantem*. Ovidius lib. 1. Artis v. 731.
Pallidus in Lyrice silvis errabat Orion:
Pallidus in lenta Naïde Daphnis erat.
Et Epist. Penelopes:
Nomine in Hectoreo pallida semper eram. P.

v. 8. INCIPIS PALLESCERE] Sic Virgilius 1. Georg. *freta ponti Incipiunt agitata tumescere*. Idem 3. Georg.
Fluctus ut in medio cœpit quum albescere ponto.
Ibidem:
Sin in processu cœpit crudescere morbus. P.

ibid. PRIMO LAPSUS ABIRE GRADU] Vulgati libri *adire*. Sed hæc optima lectio. Translatio est a gladiatoribus, aut luctato-

ribus

Hæc erit illarum contemti pœna doloris:
Multarum miſeras exiget una vices.
Hæc tibi vulgares iſtos compeſcet amores.
Nec nova quærendo ſemper amicus eris.

Hæc

ribus petita; qui tum *gradu abire* dicebantur, quum, vi adverſarii obnitentis compulſi, loco cedebant. *Dejici*, & *Moveri gradu*, dixit Seneca de Conſtantia Sapientis cap. ult. *Iniurias vero, ut vulnera, alia armis, alia pectori infixa, non dejectus, ne motus quidem gradu ſuſtineat*. Eadem translatione uſus eſt M. Cicero lib. 1. de Officiis: *Fortis vero & conſtantis eſt non perturbari in rebus aſperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur*. Cornelius Nepos Themiſtocle: *Interim tamen ab eodem gradu depulſus eſt*. Ita Cicero Epiſt. 7. lib. 1. ad Famil. *Nos ſcito de vetere illa noſtra diuturnaque ſententia prope jam eſſe depulſos*. Horatius aliter Epiſt. 16. lib. 1.

Perdidit arma, locum virtutis deſeruit, qui
Semper in augenda feſtinat & obruitur re.

Idem Epiſt. 2. lib. 2. de milite quodam Luculli: *Præſidium regale loco dejecit*. Sic *dejicere de ſtatu*: Cicero lib. 1. de N. D. *Hanc tu opinionem, C. Vellei, uſque ad hanc ætatem perduxiſti, priuſque te quis de omni vitæ ſtatu, quam de iſta auctoritate, dejecerit*. Ἐκπίπτειν hoc eſt M. Antonino lib. 10. de his quæ ad ſe ipſum. Ἐὰν δὲ αἴσθῃ ὅτι ἐκπίπτεις, καὶ οὐ περικρατεῖς. *Sin excidere, nec ſtatum tueri poſſe te ſenſeris*. *Declinare de ſtatu*: Cicero pro Cluentio, cap. 38. *Quorum ego de ſententia non debeo diſputare. neque enim dubito, quin ii tales viri, ſuſpicione aliqua perculſi repentina, de ſtatu ſuo declinarint*. His oppoſitum *ſtare in gradu*. Seneca de Conſtantia Sapientis cap. 16. *Quorum* (gladiatorum) *alter premit vulnus, & ſtat in gradu, alter reſpiciens ad clamantem populum, ſignificat nihil eſſe, & intercedi non patitur*. Idem Conſolat. ad Polybium, cap. 25. *Omnes ſcient, quomodo te in iſto tuo geſſeris vulnere: utrumne ſtatim percuſſus arma ſubmiſeris, an in gradu ſteteris*. Denique *manere gradu*. Silius Italicas lib. 16. v. 19.

-- Tot diſſona lingua
Agmina, barbarico tot diſcordantia ritu
Corda virûm manſere gradu.

Crotoniatem Milonem, quum conſtitiſſet, nemo veſtigio educebat; ut ait Plinius H. N. lib. 7. cap. 20. Gallus igitur, qui ſæpius cum Amore compoſitus, firmo genuum robore palmam retulerat, feſſis tandem viribus, de ſtatu depulſus procubuit. VULP. D. Laberius, apud Macrobium L. 2. Saturn. C. 7.

Quem nulla ambitio, nulla umquam largitio,
Nullus timor, vis nulla, nulla auctoritas,
Movere potuit in juventa de ſtatu,
Ecce in ſenecta ut facile labefecit loco
Viri excellentis mente clemente edita
Submiſſa placide blandiloquens oratio. BROUKH.

v. 9. HÆC ERIT ILLARUM CONTEMTI PŒNA DOLORIS] Hæc ulciſcetur alias, quarum dolorem contemſiſti & deluſiſti, aao leviſſimis de cauſſis relinquens. PASS.

v. 10. MULTARUM MISEAAS EXIGET UNA VICES] Repoſcet & a te ſumet pœnas & acerba ſupplicia multarum nomine debita. Exigere dicitur creditor quum quod ſibi debetur repoſcit, & reddi jubet. unde translatum, *Exigere pœnas*. Auſonius:

Exegit pœnas de Cæſare Charea mollis.

Ovidius 4. Metam.

Exigit indicii memorem Cythereïa pœnam.

Vices, pœnas Horatius Ode 28. lib. 1. *Debita jura viceſque ſuperbæ Te maneant ipſum*. Servius ad illud 2. Æneid. *Nec tela, nec ullas Vitaviſſe vices Danaûm*. *Vices*, inquit, *etiam pœnæ. ἀμοιβαὶ Græcis, quia velut quædam talio eſt, & par pari refertur*. Sic Eleg. 4. lib. 4.

rapta ne ſint impune Sabinæ,
Me rape, & alterna lege repende vices.

Multarum miſeras vices, hypallage eſt pro *multarum miſerarum vices*. Ita Eleg. 20. hujus libri:

Nympharum cupidas ſemper defende rapinas.

nempe *Nympharum cupidarum*. PASS.

v. 11. HÆC TIBI VULGAAAS ISTOS COMPESCET AMORES] Vulgares amores ſunt, quum quælibet amatur ſine delectu. ut amantes *vulgo* dixit Eleg. 2. ſupra:

Non illis ſtudium vulgo conquirere amantes.

& Eleg. 5. ſupra *vaga puella*. Lucretius lib. 4. 1062.

Hæc ego non rumore malo, non augure doctus;
Vidi ego. me, quæso, teste negare potes?
Vidi ego te toto vinctum languescere collo,
Et flere injectis, Galle, diu manibus:

Et

Inque dies glificit furor, atque ærumna gravescit,
Si non prima novis conturbes volnera plagis,
Volgivagaque vagus Venere ante recentia cures.

Ovidius 4. Fast.

Numina vulgares Veneris celebrate puellæ:
Multa professarum quæstibus apta Venus.

unde *vulgaris uxor* Jurisconsultis & *vulgoquæsiti liberi*. Græci sic dicunt πάνδημον Ἀφροδίτην. qua de re vide Platonis Symposium: qui & πάνδημον ἔρωτα facit, ut & Venerem. PASS.

ibid. COMPESCET AMORES] Coercebit, cohibebit, intra fines continebit. Sic *ramos fluentes*, & *culpam compescere* dixit Virgilius; *compescere dolores* Tibullus; *compescere clamorem, mare, mentem, animum* Horatius; *compescere iram, pennas, ignes, sitim* Ovidius; *compescere labellum* Juvenalis. VULP.

v. 12. NEC NOVA QUÆRENDO SEMPER AMICUS ERIS] Nec te semper delectabit novas amicas parare. Sic Eleg. 26. lib. 2. *Multa amare*. & Eleg. 22. ejusd. libri *Aliquid amare*. *Quærere* verbum est amatorium; ut Eleg. 2. supra, *Vulgo conquirere amantes*. [diceres Italice, *fare incetta d' amanti*.] & *quærere alium*, & *quærere virum*. Venatoribus autem similes ejusmodi homines sunt. de quibus Ovidius:

Venator sequitur fugientia, capta relinquit;
Semper & inventis ulteriora petit. PASS.

Vide & Horatium Sat. 2. lib. 1. Ceterum, *Nec semper amicus eris nova quærendo*, una est e singularibus Propertii locutionibus, cui similis alia haud temere occurret. non enim *amicus* hic sumitur pro *amator*, ut putabat Passeratius. VULP.

ibid. SEMPER AMICUS] Juncto verbo scribendum esse *semperamicus*, nolim pignore contendere. Somniant hæc & sibi fingunt Interpretes. VULP.

v. 13. HÆC EGO NON RUMORE MALO, NON AUGURE DOCTUS] Hæc didici non ex fama, nec ex auguris vel haruspicis divinatione. Tibullus pariter Elegia 8. lib. 1.

Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra deorum,
Præcinit eventus nec mihi cantus avis.

Rumore malo, vel adverso, vel maligno. ut Virg. 4. Æneid. *Fama, malum*. & *Impia fama*. Noster autem Eleg. 33. lib. 2.

Nuper enim de te nostras me læsit ad aures
Rumor, & in tota non bonus urbe fuit.

Vanitatis arguit poeta famam, sive rumorem, & divinationem, sive augurium. P.

ibid. HÆC EGO DOCTUS] Subaudi *sum*. hæc ipsi oculi mei me docuerunt, non rumor, non augur. Sic Horatius Ode 9. lib. 3. *Dulces docta modos*. Et Ode 8. lib. ejusd. *Doctis sermones utriusque linguæ*. P.

v. 14. VIDI EGO] Non auritus, sed oculatus sum testis. Horatius Sat. 8. lib. 1.

Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam. PASS.

ibid. ME, QUÆSO, TESTE] Sic Eleg. 8. lib. 4.

Appia, dic, quæso, quantum te teste triumphum
Egerit. PASS.

v. 15. VINCTUM] Lucretius lib. 4.

Nonne vides etiam quos mutuo sæpe voluptas
Vinxit, ut in vinclis communibus excrucientur?

Vincula sunt arctissimi complexus. Ipse Eleg. 15. lib. 3.

Cuncta tuus sepelivit amor: nec femina post te
Ulla dedit collo dulcia vincla meo. P.

v. 16. INJECTIS MANIBUS] Brachiis collo implicatis. PASS. Ovidius pariter lib. 1. Amor. Eleg. 4.

Injiciet collo, quum volet, ille manum?

Idem lib. 3. Metam. 389.

Ibat, ut injiceret sperato brachia collo.
Ille fugit: fugiensque, Manus complexibus aufer:
Ante, ait, emoriar, quam sit tibi copia nostri.

Aliàs *injicere manus* est apprehendere, quasi rem sibi debitam; vim parare. Idem Ovidius lib. 1. Artis, 115. de raptu Sabinarum:

Protinus exsiliunt, animum clamore fatentes,
Virginibus cupidas injiciuntque manus.

Et de luctatore adversarium præfocante, lib. 9. Metam. 77.

Di-

Et cupere optatis animam deponere labris,
  Et quæ deinde meus celat, amice, pudor.
Non ego complexus potui diducere veſtros:
  Tantus erat demens inter utroſque furor.
Non ſic Hæmonio Salmonida mixtus Enipeo
  Tænarius facili preſſit amore deus.

Nec

Dixerat : & ſummo digitorum vincula collo
Injicit : angebar, ceu guttura forcipe preſſus:
Pollicibuſque meas pugnabam evellere fauces.
VULP.

v. 17. ET CUPERE OPTATIS ANIMAM DEPONERE LABRIS] Ita legunt Paſſeratius & Broukhuſius ex vett. codd. Vulgo *verbis* ; quod obſcurius, & minus elegans. VULP. Convenit huic loco notiſſimum & venuſtum admodum Platonis adoleſcentuli Epigramma apud Laertium in Platone, & A. Gellium lib. 19. cap. 11.

Τὴν ψυχὴν, Ἀγάθωνα φιλῶν, ἐπὶ χείλεσιν ἔσχον.
Ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων, ὡς διαβησομένη. P.

ibid. ANIMAM DEPONERE] Spiritum omnem efflare, mori penitus. Eleg. 13. lib. 2.

Atque utinam primis animam me ponere cunis
Juſſiſſet quævis de tribus una ſoror.

Et Eleg. 26. lib. 2.

Quod mihi ſi ponenda tuo ſit corpore vita,
Exitus hic nobis non inhoneſtus erit. P.

v. 18. ET QUÆ DEINDE MEUS CELAT, AMICE, PUDOR] Quæ ego, pudore jubente, ſilentio tegere cogor, quia honeſte non licet eloqui. PASS. Vel quod turpicula eſſent, vel quod inepta, & quæ Galli, viri primarii, dignitatem dedecerent. VULP.

ibid. MEUS PUDOR] Ita Cicero Epiſt. 6. lib. 6. ad Famil. *Voluit apud me plus pudor meus, quam timor.* Idem Epiſt. 27. lib. 11. *Me ad Pompejum proficiſci pudor meus coegit.* PASS.

ibid. ET QUÆ DEINDE] Ut Ovidius:

Et quæ præterea publica verba juvant.

Tibullus pariter Eleg. 3. lib. 3.

Et quæ præterea populus miratur. PASS.

v. 19. NON EGO COMPLEXUS POTUI DIDUCERE VESTROS] Vincta brachia collo divellere & ſeparare. Propertius negat, id Jovem ipſum facere poſſe Eleg. 7. lib. 2.

diducere amantes
Non queat invitos Juppiter ipſe duos.

Horatius Ode 9. lib. 3.

Quid ſi priſca redit Venus,
Diductoſque jugo cogit aheneo?

Verniliter ſervus Palinurus apud Plautum Curcul. 1, 3. de hero ſuo & ejus amica: *Nequeunt complecti ſatis. Etiam diſpertimini?* Vide & Lucretium lib. 4. 1106. PASS.

v. 20. TANTUS ERAT DEMENS INTER UTROSQUE FUROR] Plautus Curcul. eadem de re 1, 3. *Ilicet perire pariter hos amando video, uterque inſaniunt.* *Tantus furor*, ut Eleg. 10. ad eumdem Gallum:

Tantus in alternis vocibus ardor erat.

Demens furor, inſanus amor. Ita Catullus Galliambo: *furenti rabie*. Similia ſunt in libris Latinorum, *jucunda voluptas*, *anxius angor*, *malitia mala*, *pavidi metus*, *anus annoſa*, *antiqui ſenes*. PASS.

v. 21. NON SIC] Ut Eleg. 2. ſupra:

Non ſic Leucippis ſuccendit Caſtora Phœbe. P.

ibid. HÆMONIO] Theſſalico. Elegia 15. hujus libri:

Hypſipyle nullos poſt illos ſenſit amores,
Ut ſemel Hæmonio tabuit hoſpitio.

nempe amore hoſpitis Jaſonis Theſſali. *Hæmonia cuſpide* Eleg. 1. lib. 2. id eſt Achillis Theſſali haſta. *Theſſalicum Enipeum* vocat Eleg. 19. lib. 3. PASS.

ibid. SALMONIDA] Tyro Salmonei filiam. Hero Ovidiana in Epiſt. ad Leandrum, allocuta Neptunum:

Si neque Amymone, nec laudatiſſima forma
Criminis eſt Tyro fabula vana tui.

Et Eleg. 6. lib. 3. Amor.

Siccus ut amplecti Salmonida poſſet Enipeus,
Cedere juſſit aquam: juſſa receſſit aqua.

Noſter Eleg. 19. lib. 3.

Teſtis Theſſalico flagrans Salmonis Enipeo,
Quæ voluit liquido tota ſubire deo. PASS.

ibid. MIXTUS] Quaſi mare ipſum mixtum

Nec sic cælestem flagrans amor Herculis Heben
Sensit ab Oetæis gaudia prima jugis.

Una

tum fuerit cum aqua dulci ; hoc est Neptunus confusus cum Enipeo , adsumta ejus specie. PASS. Mira comparatio ad exprimendos arctissimos Galli complexus. V.

ibid. ENIPEO] Enipeus fluvius Achajæ in Peloponneso Straboni lib. 8. qui e Salmone fonte scaturiens in Alpheum influeret. Apud eumdem lib. 9. Enipeus Thessaliæ fluvius labitur in Apidanum, cujus meminit Ovidius 1. Metam. *Et irrequietus Enipeus*. Propertius Thessalico Enipeo tribuit quod alii Achaico. Homerus lib. 11. Odysseæ narrat ut Tyro Salmonei filia Enipeum fluvium amarit : atque ejus fluvii adsumta forma Neptunus amore puellæ potitus fit : ex qua suscepit filios Peliam & Neleum. Fabula est & apud Apollodorum lib. 1. sub finem, & Diodorum Siculum lib. 5. Ovidius tamen 6. Metam. *Tu (o Neptune) visus Enipeus Gignis Aloidas* ; alios auctores secutus. Nam Homerus loco prænotato Neptunum non ex Tyro, sed ex Ephimedia Aloei uxore suscepisse Otum & Ephialten narrat. PASS. Cave, lector, ne auscultes M. Antonio Mureto, viro alioqui doctissimo, qui putat, Propertium aut memoria lapsum, aut nominum similitudine fuisse deceptum ; quod Enipeus cujus amore flagravit Tyro, in Peloponneso sit. Addit etiam, in Thessalia non Enipeum fluere, sed Eniseum : & hoc ipsum discrimen e Strabone ab Eustathio annotatum esse. Pace tamen viri eloquentis, Enipeum Thessaliæ fluminibus annumerant Herodotus lib. 7. Ovidius lib. 1. Metam. 579. Lucanus lib. 6. 372. & lib. 7. 116. Claudianus quoque Bello Getico. 183. quorum versus recitat Ludovicus Carrio ad lib. 1. Argonaut. Valerii Flacci v. 83. Porro hic Enipeus, antequam Apidano commisceretur, lente fluebat : commixtus vero celeritatem acquirebat. Lucanus lib. 6. 372.

Et gurgite rapto
Apidanus, numquamque celer nisi mixtus Enipeus.

Item Valerius Flaccus 1. Argonaut. 357.

Segnior Apidani vires ubi sentit Enipeus.

Qui poeta *magnum* vocat lib. 5. 209. Utrique suffragatur Herodotus loco paullo ante memorato. Fuit & alius Enipeus Elidis fluvius, ut tradit Scholiastes Homeri in lib. 11. Odysseæ. Denique alius Macedonicus, qui ab Olympo monte procurrens prope Dium effundebatur. VULP.

v. 22. TÆNARIUS DEUS] Neptunus ; ut *Oetaeus deus*, Hercules Eleg. 1. lib. 3. Strabo lib. 8. Tænarus Laconiæ promontorium, ubi & Neptuni templum. Idem scribit Pausanias in Laconicis, qui & ipsum Neptunum Tænarium ait esse cognominatum. Idem in Messenicis, ob asylum Tænarii templi violatum ait a Neptuno afflictos esse Spartanos. Auctor liberi carminis :

Dodona est tibi, Juppiter, sacrata :
Junoni Samos, & Mycena Diti :
Unda Tænaros, æquorisque regi. PASS.

ibid. FACILI AMORE] Puella ipsa se benignam & facilem præbente, quia Enipeum deperibat Tyro : eam vero decepit Neptunus forma Enipei adsumta. Sic Eleg. 14. hujus libri :

Seu facili totum ducit amore diem. VULP.

ibid. PASSIT] Vide Ovidium lib. 1. Amor. Eleg. 5. v. 24. VULP.

v. 23. NEC SIC] Quasi diceret : Vehementes quidem fuerunt amores Neptuni & Herculis : vestri tamen, o Galle, vehementiores. VULP.

ibid. CÆLESTEM HEBEN] Quam cælestibus pocula miscere, ante Ganymedem, finxerunt poetæ. Vel quia Junonis filia. V.

ibid. FLAGRANS HEBEN] ἑλληνισμός. ut Virgilius Ecl. 2. *pastor Corydon ardebat Alexin*. VULP.

ibid. AMOR HERCULIS] Pro Hercule amante. Sic *liquor Pactoli*, *ferri rigor*, *Herculeus labor*, & similia plurima. PASS.

ibid. HEBEN] Teste Homero lib. 11. Odysseæ, & in Hymnis minoribus, Hebe nupsit Herculi deo facto. Seneca Octavia : *Deus Alcides possidet Heben*. *Juventas* dicitur Latinis. *Juventa* Ovidio lib. 1. Pontic. Eleg. 10.

Nectar & ambrosiæ latices, epulasque deorum
Det mihi formosâ nava Juventa manu.

A priscis dicta etiam *Ganymeda*, ut scribit Pausanias in Corinthiacis. Apollodorus lib. 1. Bibliothecæ tradit, Jovem ex Junone tres filias suscepisse, Heben, Ilithyiam,

&

Una dies omnes potuit præcurrere amantes:
Nam tibi non tepidas ſubdidit illa faces.
Nec tibi præteritos paſſa eſt ſuccedere faſtus:
Nec ſinet abduci: te tuus ardor aget.

Nec

& Argen. Philoſtratas facit deorum natu & minimam & maximam. Vide D. Auguſtinum lib. 4. de Civit. Dei. PASS.

v. 24. SENSIT GAUDIA PRIMA] Percepit fructum amoris conjugalis. & *prima gaudia* non Herculis, ſed Hebes tum adhuc virginis. PASS.

ibid AB OETÆIS JUGIS] In Oeta monte Theſſaliæ conflagraſſe Herculem cataſtæ impoſitum, vel ex Ovidio notum lib. 9. Metam. & Seneca in Hercule Oetæo, Sophocle in Trachiniis, Statio lib. 11. Thebaid. unde Hercules ipſe dicitur a Propertio *deus Oetæus*, Eleg. 1. lib. 3. Albinovanus ad Liviam:

Qualis in Herculeo colluxit montibus Oeta,
Quum ſunt impoſito membra cremata deo. P.

Porro *ab Oetæis jugis* rectiſſime legit Scaliger, cui ſuffragatur Broukhuſius. nam Hercules Heben in cælo demum duxit uxorem, poſtquam in monte Oeta arſiſſet. Catullus Carm. 67.

Pluribus ut cæli tereretur janua divis,
Hebe nec longa virginitate foret.

Vide & Val. Flaccum lib. 8. & Papinium lib. 3. Silv. Carm. 1. Vulgati libri: *in Oetæis jugis*. minus recte. VULP.

ibid. JUGIS] *Juga montium*, inquit Iſidorus lib. 14. Etymol. *dicta quod propinquitate ſibi jungantur*. Chariſius lib. 1. *juga* ἀκρώρεια recte exponit. Servius ad illud 6. Æneid. *Hoc ſuperate jugum*. (ſequitur dein *ſumma cacumina linquunt*) *Montes*, inquit, *dividuntur in radices, latera, juga, vertices, pro qualitate locorum*. Ovidius 4. Metam. docet, alia eſſe juga, alia cacumina:

juga ſiunt humerique manuſque:
Quod caput ante fuit, ſumma eſt in monte cacumen. PASS.

v. 25. UNA DIES] Eleg. 10. lib. 3.

Tantum operis belli ſuſtulit una dies.

Ovidius lib. 2. Faſtor.

Una dies Fabios ad bellum miſerat omnes,
Ad bellum miſſos ſuſtulit una dies. P.

ibid. UNA DIES OMNES POTUIT PRÆCURRERE AMANTES] Hac ipſa die qua iſtam amare cœpiſti, amantes omnes qui vel in fabulis, vel in hiſtoriis memorantur, magnitudine amoris antecedere potuiſti. Amor tuus non ſenſim crevit, ſed ſtatim adultus fuit. Tempori tribuit quod eſt hominis. PASS.

ibid. PRÆCURRERE] Anteire, vincere, plus virium habere. Horatius Epiſt. 10. lib. 1.

liceat ſub paupere tecto
Reges & regum vita præcurrere amicos.

Et Sat. 7. lib. 1.

Siſennas, Barros ut equis præcurreret albis. P.

v. 26. NON TEPIDAS SUBDIDIT ILLA FACES] Non lentos ignes tibi ſubjecit, ſive admovit. Ovidius in Remed. Amoris:

Afflarant tepidæ pectora veſtra faces. P.

ibid. SUBDIDIT FACES] Quintilianus lib. 1. Inſt. Orat. cap. 3. *Id nobis acriores ad ſtudia dicendi faces ſubdidiſſe contenderim*. Cicero pro Milone: *Quum omnes a tuis inimicis faces invidiæ meæ ſubjiciantur*. PASS. Tranſlatio a rogo ſumitur. Noſter Eleg. ult. lib. 4.

Sic mœſtæ cecinere tubæ, quum ſubdita noſtrum
Detraheret lecto fax inimica caput.

Virgilius pariter 6. Æneid. *Subjectam more parentum Averſi tenuere facem*. Vel ab iis qui in equuleo diſtendebantur, quibus & faces admovebant. VULP.

v. 27. NEC TIBI PRÆTERITOS PASSA EST SUCCEDERE FASTUS] Tuam iſtam antiquam ſuperbiam non ſivit ex ſententia tibi evenire. *Præteritos faſtus*, ſuperioris temporis. Noſter Eleg. 13. lib. 2.

Fas eſt præteritos ſemper amare viros.

hoc eſt, vita functos. VULP.

ibid. FASTUS] *Faſtus* in contemtu verſatur. Eleg. 7. ſupra:

Tu cave noſtra tuo contemnas carmina faſtu. P.

ibid. SUCCEDERE] Bene evenire, & feliciter cadere. Terentius Andria: *Hoc non ſucceſſit, alia aggrediemur via*. Suetonius in Auguſto cap. 85. *Non ſuccedente ſtilo*. id eſt, non reſpondente ſpei & deſiderio. Hinc *ſucceſſus*, eventus proſper. Ovidius Epiſt. Penelopes:

Fle-

Nec mirum, quum ſit Jove digna, & proxima Ledæ,
Et Ledæ partu, gratior una tribus,
Illa ſit Inachiis & blandior heroinis,
Illa ſuis verbis cogat amare Jovem.

Tu

Flebam ſucceſſu poſſe carere dolos. PASS.

v. 28. NEC SINET ABDUCI] Nec patietur, te, ipſâ relictâ, ad aliam puellam trahi. *Abduci*, proprium ejus rei verbum. Sic Eleg. 20. lib. 2. *Quid fles abducto gravius Briſeide?* Et Afranius eo nomine (*Abducto*) fabulam ſcripſit. Donatus in Hecyram: *Abduci eſt divortii, ut Virgilius, Gremiis abducere pactos*. Idem in Eunuchum: *Abducimur quo nolumus: ducimur quo volumus*. PASS. Quod tamen dubito, an verum ſit. *Rapi* enim & *abduci* dicuntur nuptæ mulieres, quamvis interdum haud invitæ ſequantur mœchos. Helena certe Paridem ſecuta eſt volens: Catullus tamen Carm. 67.

Nam tum Helena raptu primores Argivorum
Cœperat ad ſe ſe Troja ciere viros.

Coluthus vero Thebanus Ἑλένης ἁρπαγὴν compoſuit, quæ hodie exſtat. Propterea nos in Epigrammate πολυθρυλλήτω de Helena ſeneſcente, Latine, ut ſpero, diximus:

Europæ atque Aſiæ peſtis, quam Troius hoſpes
Abduxit caſto conjugis e thalamo. VULP.

ibid. TE TUUS ARDOR AGET] Tuus te ignis & amor, & puella quam deperis, exercebit. Sic Eleg. 20. hujus libri:

Eſt tibi, non infra ſpeciem, non nomine diſpar,
Thiodamanteo proximus ardor Hylæ.

Aget te, agitabit, miſerum & ſollicitum habebit. Virgilius 12. Æneid. *His agitur furiis*. PASS. Tibullus quoque Eleg. 5. lib. 1.

Namque agor, ut per plana citus ſola verbere turbo,
Quem celer adſueto verſat ab arte puer. VULP.

v. 29. QUUM SIT JOVE DIGNA] Hoc eſt, quam exacta Junone uxorem ducat Juppiter. Sic Eleg. 2. lib. 2. *Incedit vel Jove digna ſoror*. Vel cujus forma captus eam rapiat. ut Eleg. 2. lib. 2.

Cur hæc in terris facies humana moratur?
Juppiter, ignoro priſtina furta tua.

Item Eleg. 3. ejuſdem libri:

Romana accumbes prima puella Jovi.

Petronius quoque Arbiter:

Quid factum eſt, quod tu projectis Juppiter armis
Inter cælicolas fabula muta taces?
Nunc erat a torva ſubmittere cornua fronte,
Nunc pluma canos diſſimulare tuos.
Hæc vera eſt Danaë: tentu modo tangere corpus
Jam tua flammifero membra calore fluent. P.

ibid. ET PROXIMA LEDÆ] Quum ad Ledæ formam proxime accedat. Eleg. 20. hujus libri:

Thiodamanteo proximus ardor Hylæ.

Sic Eleg. 3. lib. 2.

Poſt Helenam hæc terris forma ſecunda redit. P.

v. 30. ET LEDÆ PARTU] Pro partui, tertio caſu, ut Eleg. 11. ſupra: *Alterna facilis cedere lympha manu*. VULP.

ibid. GRATIOR UNA TRIBUS] Amabilior Leda, Helena, & Clytæmneſtra. Scaliger male interpungit; *Gratior una tribus Illa ſit Inachiis*. Juppiter in cycnum mutatus Ledam Tyndarei compreſſit, & in ejus ſinu tergeminum ovum poſuit: unde nati Caſtores, Helena & Clytæmneſtra. Ovidius 6. Metam.

Facit olorinis Ledam recubare ſub alis.

Hyginus Fab. 77. ex Jove ait Pollucem & Helenam, ex Tyndareo Caſtorem & Clytæmneſtram genuiſſe. Auſonius omnium matrem Nemeſin facit, patrem Jovem, & nutricem Ledam, quæ Theſtii filia eſt Hygino. Vide Homerum Odyſſeæ 11. Apollodorum lib. 3. & Euripidem in Helena. PASS.

v. 31. INACHIIS HEROINIS] Inachus rex Argivorum, apud Apollodorum initio lib. 2. Oceani & Tethyos filius, neptem habuit Nioben, & filiam Io: unde aliæ quoque formoſæ prognatæ. ſed per *Inachias*, Argivas & Græcas intelligit. Eleg. 2. lib. 4.

Et quot Troja tulit vetus, & quot Achaia formas.

Et Eleg. 13. lib. 2.

Tunc ego ſim Inachio notior arte Lino.

Virgilius 11. Æneid. *Ultro Inachias veniſſet ad urbes Dardanus*. PASS.

ibid. BLANDIOR] Gratior, amabilior,

aptior

Tu vero, quoniam ſemel es periturus amore,
  Urere. non alio limine dignus eras.
Quæ tibi ſit felix, quoniam novus incidit error:
  Et quotcumque voles, una ſit iſta tibi.

ELE-

aptior ad demulcendum & deliniendum. Sic Eleg. 3. lib. 2.

Non ſum de nihilo blandus amator ego. P.

ibid. HEROINIS] Ἡρωΐναι, ἢ ἡρωΐδες, ἢ ἡρῷναι: Ariſtophani in Nubibus, vel deorum filiæ, vel heroum uxores. Eleg. 19. hujus libri:

Illic formoſæ veniant chorus heroinæ.

Theocritus in Hyla: Ἀλκμηνείας υἱὸς Μιδεάτιδος ἡρωΐνας. id eſt, Hercules. PASS. Ovidius lib. 1. A. A. v. 713.

Juppiter ad veteres ſupplex heroidas ibat. V.

v. 32. I. SUIS VERBIS COGAT AMARE JOVEM] Et quod blandiloqua ſit, & quod facile ad amorem impellatur Juppiter, magnus amator mulierum, & omnivolus. P.

v. 33. TU VERO] Sic Eleg. 6. lib. 3.

Tu vero noſtros audax invade capillos.

& alibi. PASS.

ibid. SEMEL] Τὸ *ſemel* rem certam ſignificat, quæ mutari non poſſit, nec regreſſum habeat. Eleg. ult. lib. 4.

Quum ſemel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato ſtant adamante viæ.

Catullus Carm. 3.

Nobis quum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

Ovidius Epiſt. Oenones:

Nulla reparabilis arte
Læſa pudicitia eſt: deperit illa ſemel. P.

ibid. ES PERITURUS AMORE] Virgilius Ecl. 10. hoc de amore Galli: -- *Indigno quum Gallus amore periret*. Non tamen amore periit, ſed in bello Peruſino interfectus eſt; ut manifeſtum ex Eleg. 21. & 22. hujus libri. PASS. Duos Gallos Paſſeratius male confundit. VULP.

v. 34. URERE] Sine te conſumi hoc amoris igni. Tibullus Carm. 5. lib. 4.

Uror ego ante alias: juvat hoc, Cerinthe, quod uror. PASS.

ibid. NON ALIO LIMINE DIGNUS ERAS] Non alia domo in qua amares, non alia domina. Creberrima *liminis* commemoratio apud amatorios poetas, ut animadvertit Broukhuſius. Editiones aliæ, *lumine*; ſcilicet igni, face, flamma. Similis porro Tibulli ſententia Carm. 6. lib. 4.

Ulli non ille puellæ
Servire, aut cuiquam dignior illa viro. V.

v. 35. QUÆ TIBI SIT FELIX] Quæ puella ſit tibi facilis, benigna & propitia. Virgilius Ecl. 5. *Sis bonus o felixque tuis*. Idem 1. Æneid.

Sis felix, noſtrumque leves quæcumque laborem.

Alludit ad formulam: *Quod fauſtum, felix, fortunatumque ſit*. PASS.

ibid. QUONIAM NOVUS INCIDIT ERROR] Incidit, quia caſu evenit & præter opinionem Galli, ut unam tantum amaret, ac ex animo. Errorem pro amore ponit. Sic Eleg. 9. ſupra:

quam primum errata fatere.
Dicere quo pereas ſæpe in amore, levas. P.

Fortaſſe appoſitio eſt. q. d. quoniam hæc puella incidit tibi novus error, quæ te ſcilicet aberrare faciat a priſtina via, & veteri conſuetudine. VULP.

v. 36. QUOTCUMQUE VOLES] Ita legit Douza pater, ingenioſe: ut dicat poeta: Sit hæc una inſtar omnium, & quaſi pro multis millibus; quum ſis, o Galle, multivolus & omnivolus. Laudat & amplectitur hanc lectionem Broukhuſius; jure quidem ac merito. Sic enim Eleg. 25. lib. 2.

Quum ſatis una tuis inſomnia portet ocellis,
Una ſit & cuivis femina multa mala.

Editiones vulgatæ habent *quodcumque*; ſed facilis tranſitus litteræ *d* in *t*, & rurſus *t* in *d*. Ex quo tranſitu petitus eſt jocus Epigrammatis 54. Liberi Carminis. quod videſis. VULP.

 Ar-

Elegia XIV.

Tu licet abjectus Tiberina molliter unda
Lesbia Mentoreo vina bibas opere:
Et modo tam celeres mireris currere lintres,
Et modo tam tardas funibus ire rates:

Et

Argumentum Elegiæ XIV. Libri I.] Ad Tullum: Amorem divitiis omnibus præstare. Pulcherrima est hæc Elegia, florida, hilaris, aurea: magnum quiddam & liberum spirat: numeros habet simplices, molles, rotundos; versus optime tornatos, verbo dicam, Propertianos. Vulp.

v. 1. Tu] Sic exorditur Elegiam superiorem, & Elegiam 21. hujus libri. P.

ibid. abjectus Tiberina molliter unda] Jacens in graminea ripa Tiberis. *Abjectus*, id est negligenter jacens & *stratus*, ut Horatius ait Ode 1. lib. 1. Sic Ovidius Epist. Didûs v. 1. *udis abjectus in herbis*. Cicero lib. 1. de Oratore: *Et quod ille* (Socrates) *durissimis pedibus fecit, ut se abjiceret in herbam, atque illa quæ philosophi divinitus ferunt esse dicta, loqueretur, id meis pedibus certe concedi est æquius. Unda Tiberina*, dixit, pro in ripa. vide quæ adnotavi ad Eleg. 3. supra Eleg. 3. v. 6.

Qualis in herboso concidit Apidano.

Molliter, ut Eleg. 11. supra:

Molliter in tacitis litore compositam. Pass.

Projectus, idem fere qui *abjectus*: sed significatio intenditur. Italice, *sdrajato*. Virgilius Ecl. 1.

Non ego vos posthac viridi projectus in antro
Dumosa pendere procul de rupe videbo.

Ceterum hic Propertii versus accipi etiam posset de cymba Tiberim secante, in qua Tullus identidem abjiceretur. Poeta enim rusticantem alloquitur in villa quadam sua prope Tiberim posita. Vulp.

v. 2. Lesbia vina] Horatius Epodo 9. *Capaciores adfer huc, puer, scyphos; Et Chia vina aut Lesbia*. De vino Lesbio, quod *Methymnæum* vocat Noster Eleg. 9. lib. 4. Plinius lib. 14. H. N. cap. 7. *Innocens* appellat Horatius Ode 17. lib. 1. Notum Aristotelis judicium de vino Lesbio, quod memorat A. Gellius lib. 12. cap. 5. Virgilius lib. 2. Georg.

Non eadem arboribus pendet vindemia nostris
Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos. P.

ibid. Mentoreo opere] Mentor, insignis sculptor, scyphorum præcipue; cujus meminit Noster Eleg. 9. lib. 3.

Argumenta magis sunt Mentoris addita formæ.

Cicero Orat. 6. in Verrem: *Pocula Mentoris manu cælata*. *Opus* autem pro vasis arte laboratis. Virgilius Ecl. 3. *Pocula ponam Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis*. P. Commendabantur pocula non a materia solum (fuerunt enim & aurea, & murrhea, & gemmea) sed etiam ab antiquitate, & excellentia summorum artificum, qui ea sigillis & emblematis additis ornaverant. Martialis Epigr. 93. lib. 14. cui lemma præfigitur, *Pocula archetypa*:

Non est ista recens, nec nostri gloria cæli.
Primus in his Mentor, dum facit illa, bibit. Vulp.

ibid. Mentoreo vina bibas opere] Non sine elegantia omisit præpositionem *ex*, vel *in*. Virgilius lib. 2. Georg. *Ut gemmâ bibat*. Seneca de Providentia cap. 3. *Illis quibus gemmâ ministratur*. Aliter quam Virgilius, extulerat L. Varius apud Macrobium lib. 6. Saturnal. cap. 1.

Incubet & Tyriis, atque ex solido bibat auro.

Et Noster Eleg. 4. lib. 3.

Nec bibit e gemma divite nostra sitis. Broukh.

v. 3. celeres] Celeres dicti homines prompti, & qui cito aliquid efficiunt, a Celere Romuli ministro, qui Remum interfecit, ut ait Plutarchus in Romulo. Festus ab eodem dictos Equites Celeres ait. Pass.

ibid. mireris currere lintres] Celeriter

Et nemus omne satas intendat vertice silvas,
Urgetur quantis Caucasus arboribus:

riter per aquam ferri. unde *cursus*, navigatio. Virgilius alicubi:

Currit iter tutum non secius aequore classis.

Ovidius Amor. lib. 2. Eleg. 11.

Sero respicitis tellus, ubi fune soluto
Currit in immensum panda carina salum.

Cato cap. 1. libri de Re Rustica dixit: *Prope siet mare, aut amnis, qua naves ambulant.* *Lintres* Nonio sunt *naves fluviales*. Servius ad illud Maronis 1. Georg. *cavat arbore lintres*, *fluviales naviculas* appellat. Isidorus lib. 19. Etymol. cap. 1. *Lembus, eadem cymba & lintris, id est carabus, quo in Pado paludibusque utuntur.* Lintres Tibullo vasa quædam etiam sunt uvis servandis, ob formæ similitudinem, ut videtur. Dicitur & *Navis* Festo ex uno ligno exsculpto, ut navis: quo in vindemia pro alveo utebantur. PASS.

v. 4. TAM TARDAS FUNIBUS IRE RATES] Duplex ratio in fluminibus navigandi; una velis & remis contóve: altera funibus, qui vel ab hominibus, vel a jumentis trahuntur. Ausonius in Mosella:

Tu duplices sortite vias; & quum amne secundo
Laberis, ut celeres feriant vada concita remi:
Et quum per ripas nusquam cessante remulco
Intendunt collo malorum vincula nautæ.

Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 1.

Contas & innitens limosa pronus arena,
Adverso tardam qui trahit amne ratem.

Plautus Frivolaria apud Festum in *Navus*:

Nave agere oportet quod agas, non ductarie.

ubi *ductarie*, tarde, quum fune ducitur navis; *navè*, celeriter, quum navis remis & velis agitur. & ductarie agere, ῥυμουλκεῖν. Horatius Sat. 5. lib. 1. docet, trahi lintrem, adverso flumine, a mula, & *funes* illic *retinacula* vocat. Noster Eleg. ult. lib. 4. *quæ tardam movisti fune Cybellen*. P. Has fortasse rates memorat Seneca de Brevitate Vitæ cap. 13. *Et naves nunc quoque, quæ ex antiqua consuetudine per Tiberim commeatus subvehunt, candicaria vocantur.* Apertius Martialis Epigr. 65. lib. 4.

Ne blando rota sit molesta somno,
Quem nec rumpere nauticum celeusma,
Nec clamor valet helciariorum;
Quum sit tam prope Mulvius, sacrumque
Lapsæ per Tiberim volent carinæ.

Helciarii sunt qui adverso amne funibus navigia cernui trahunt, ἀπὸ τοῦ ἑλκεῖν, ἐκ τοῦ ἕλκειν. Hispanus igitur poeta eo loco & celeres lintres, qui per Tiberim volarent, & tardas rates, quæ ab helciariis traherentur, commemoravit. VULP.

ibid. FUNIBUS IRE] Quemadmodum *vento ire*, dixit supra Eleg. 8. VULP.

v. 5. ET NEMUS OMNE S. I. V. S.] Subaudiendum *licet* ἀπὸ κοινοῦ. VULP.

ibid. NEMUS OMNE SATAS INTENDAT VERTICE SILVAS] Nemus in villa Tulli significat, quum & Romæ in ædibus quoque nemora haberent. Tibullus Eleg. 3. lib. 3.

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos.

Horatius Ode 10. lib. 3. *Nemus inter pulchra situm tecta.* ubi alii malunt, *satum*. *Intendat vertice silvas*: quod eidem Horatio est Ode 16. lib. 3. *Late conspicuum tollere verticem*. Item Ode 2. lib. 4. *Tendere in altos nubium tractus*. Vel *intendere silvas*, est, longe lateque spargere. ut apud Livium lib. 1. *Primis se intendentibus tenebris.* & lib. 7. *Nox interdiu visa intendi*. *Silvas* autem posuit pro singulis arboribus. Virgilius pariter lib. 2. Georg. *Pomaque & Alcinoi silvæ*; id est, *arbores pomiferæ*, inquit Servius. Ita Catullus Carm. 4.

Ubi iste post phaselus, antea fuit
Comata silva.

Satas vero dixit, *posito quæ surrexerant de semine*, ut Virgilius loquitur. serebantur enim certis intervallis, ut in quincuncem digererentur; quod sponte natis non contingit. PASS. Frustra Livinejus malebat, *sectas*. VULP.

v. 6. URGETUR QUANTIS CAUCASUS ARBORIBUS] Quantas arbores ita sustinet Caucasus, ut onere premi videatur. Plinius lib. 6. cap. 17. H. N. ait, hunc montem a Scythis Graucasum dici, hoc est nive candidum. Tauri montis pars est, ubi ille est altissimus, ut ait idem Plinius lib. 5. cap. 27. *Urgere*, premere & onerare. Lucretius lib. 3.

Urgerive superne obtritum pondere terræ.

Virgilius lib. 3. Æneid.

Non tamen ista meo valeant contendere amori.
  Nescit Amor magnis cedere divitiis.
Nam sive optatam mecum trahit illa quietem,
  Seu facili totum ducit amore diem:
Tum mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores,
  Et legitur rubris gemma sub æquoribus.

Tum

Fama est, Enceladi semiustum fulmine corpus
Urgeri mole hac.

Noster Eleg. 5. lib. 4.

Sit tumulus lenæ curto vetus amphora collo.
Urgeat hunc supra vis, caprifice, tua. P.

v. 7. NON TAMEN ISTA M. VALEANT CONTENDERE AMORI] Non possint hujusmodi opes atque deliciæ, quibus abundas, o Tulle, conferri cum illa quam ex amore meo percipio voluptate. VULP.

ibid. VALEANT CONTENDERE] Sic Horatius Sat. 2. lib. 1.

Cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem
Delassare valent Fabium. VULP.

ibid. CONTENDERE AMORI] Certamen felicitatis instituere cum amore. Sic Eleg. 7. supra:

Atque, ita sim felix, primo contendis Homero. V.

v. 8. NESCIT AMOR MAGNIS CEDERE DIVITIIS] Eleg. 5. lib. 1.

Nescit Amor priscis cedere imaginibus.

Nam *omnia vincit Amor*: ideo cedere nescius. PASS.

v. 9. OPTATAM QUIETEM] Noctem expetitam. Sic Eleg. 10. supra: *O jucunda quies.* V.

ibid. TRAHIT QUIETEM] Ducit noctem. Virgilius 1. Æneid.

Nec non & vario noctem sermone trahebant. P.

Auctor Carminis in Priapum:

Porem diebus pervigil traho noctem.

Scriptor Herculis Oetæi v. 645.

Cæspes Tyrio mollior ostro
Solet impavidos ducere somnos:
Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigilesque trahit purpura noctes.

Ceterum *quietes* pro somnis dixit Sallustius Bello Catilin. cap. 15. *Animus impurus neque vigiliis, neque quietibus sedari poterat.* V.

v. 10. FACILI AMORE] Propitio, benigno; ut *faciles Nymphæ* apud Virgilium Ecl. 3. vel parabili, promto, exposito, inemto, vel qui magno non constet. Horatius Sat. 2. lib. 1. *Parabilem amo Venerem facilemque.* Ovidius quoque lib. 13. Metam. v. 831.

Nec tibi deliciæ faciles, vulgataque tantum
Munera contingent.

Vide Eleg. 13. supra v. 22. VULP.

v. 11. TUM MIHI PACTOLI VENIUNT SUB TECTA LIQUORES] Liquidus Pactolus & flumen aureum tunc influit & illabitur in ædes meas. Continuo locupletissimus fio. Gaudia sunt divitiæ amantibus, & auro gemmisque præferuntur. Locutio est παροιμιακή. Horatius Epodo 15.

Sis pecore & multa dives tellure licebit,
Tibique Pactolus fluat. PASS.

Cui similis alia ejusdem poetæ Epist. 12. lib. 1. 7.

Si forte in medio positorum abstemius, herbis
Vivis & urtica; sic vives protenus, ut te
Confestim liquidus fortunæ rivus inauret. V.

v. 12. ET LEGITUR RUBRIS GEMMA SUB ÆQUORIBUS] Margaritas & uniones eruere mihi videor ex Erythræo mari. *Legere gemmas*, ut flores & herbas & baccas arborum & umbilicos. Tibullus Eleg. 3. lib. 3.

Quidve in Erythræo legitur quæ litore concha.

Et Carm. 2. lib. 4.

Et quascumque niger rubro de litore conchas
Proximus Eois colligit Indus aquis.

Idem Eleg. 2. lib. 2.

Gemmarum quidquid felicibus undis
Nascitur, Eoi qua maris unda rubet.

Propertius ipse Eleg. 13. lib. 3.

Inde cavis aurum mittit formica metallis,
Et venit e rubro concha Erycina salo.

Plinius in proœmio lib. 12. H. N. ait, uniones in rubri maris profundo quæri. P. A legendis purpuris, sive conchyliis aut muricibus dicti sunt murileguli, muricileguli, & conchyleguli, qui piscabantur purpuram, muricem, & alia conchylia, ex quibus Tyrius color parabatur. De his

egit

Tum mihi cessuros spondent mea gaudia reges:
Quæ maneant, dum me fata perire volent.

Nam

agit titulus VIII. libri XI. Codicis Justinianei, itemque Codex Theodosianus. V.

ibid. RUBRIS SUB AQUORIBUS] Plinius lib. 3. H. N. cap. 23. sub finem: *Irrumpit deinde geminum more in terras, quod Rubrum dixere nostri, Græci Erythræum, a rege Erythro: aut, ut alii, Solis repercussu solem reddi aqua colorem: alii ab arena, terraque: alii a toli aquæ ipsius natura.* Ε'ρυθρὸς Græci rubrum vocant. Horatius Ode 35. lib. 1. *Examen Eois timendum Partibus, Oceanoque rubro.* Virgilius 8. Æneid.

Victor ab aurora populis, & litore rubro.

Sed optime Q. Curtius lib. 8. *Mare quo alluitur* (India) *ne colore quidem abhorret a ceteris. Ab Erythro rege inditum est nomen: propter quod ignari rubere aquas credunt.* P. Poeta noster Eleg. 4. lib. 3. hoc mare appellavit *gemmiferum*:

Arma deus Cæsar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere classe maris. V.

v. 13. T. MIHI CESSUROS SPONDENT MEA GAUDIA REGES] Mihi pollicentur & persuadent, reges ipsos non ausuros mecum de felicitate certare. τὸ *reges* significare potest etiam divites privatos, quos hoc nomine clientes & parasiti vocare soliti erant. Horatius Epist. 17. lib. 1.

Coram rege suo de paupertate tacentes
Plus poscente ferent.

Et Sat. 2. lib. 1.

Regibus hic mos est, ubi equos mercantur; opertos
Inspiciunt.

Et non semel apud Plautum. Hæc autem felicium amatorum insania est, ut omnia putent infra fortunam suam. Phædromus Plautinus Curcul. 1, 3.

Sibi sua habeant regna reges, sibi divitias divites,
Sibi honores, sibi virtutes, sibi pugnas, sibi prælia:
Dum mihi abstineant invidere, sibi quisque habeant quod suum est.

Et in fine scenæ:

PLAN. *Facito ut memineris, tene etiam, priusquam hinc abeo, savium.*
PHÆDR. *Siquidem hercle mihi regnum detur, numquam id potius persequar.* V.

ibid. SPONDENT MEA GAUDIA] Stoici olim animi affectionibus promissionem tribuebant. Epictetus in Enchiridio cap. 2. Μέμνησο ὅτι ὀρέξεως μὲν ἐπαγγελία, τὸ ἐπιτυχεῖν, οὗ ὀρέγῃ· ἐκκλίσεως δὲ ἐπαγγελία, τὸ μὴ περιπεσεῖν ἐκείνῳ, ὃ ἐκκλίνεται. *Memento, adpetitionis promissionem esse, fore ut consequaris quod adpetis; declinationis autem promissionem, fore ut in id non incidas quod declinas.* Ovidius in Ibide v. 217.

Te fera, nec quidquam placidum spondentia, Martis
Sidera presserunt, falciferique senis. V.

v. 14. QUÆ MANEANT] Quæ gaudia propria sint & perpetua. Ut supra Eleg. 4. *Maneat sic semper adoro.* PASS.

ibid. DUM ME FATA PERIRE VOLENT] Sic Eleg. 6. hujus libri:

Hanc me militiam fata subire volunt.

Broukhusio persuaderi non potest, ita fuisse scriptum a Propertio; quod scilicet homines Romani ab hac dura & inauspicata locutione religiose abstinerent. Quamobrem pro *perire* libenter substitueret *manere*, vel *venire*. At poetæ ipsi nulla hujusmodi religio est: eumque dicentem audire videor: *Quam pro me curam geris, hanc, precor, optime pro me Deponas.* non dubitavit enim superius Eleg. 6. ita scribere:

Multi longinquo periere in amore libenter,
In quorum numero me quoque terra tegat.

Deinde, naturali seu fatali morte exstingui, non adeo infelix & luctuosum habitum est veteribus, ut id votis deprecari deberent. Contra, illorum misera mors & abominata, quæ contingeret, παρὰ φύσιν, πρὸ τοῦ δέοντος καὶ μοίρας, ἢ τοῦ χρόνου πρόσθεν, vi aliqua intercedente. Sic Dido apud Virgilium 4. Æneid v. 695.

nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem, subitoque accensa furore.

Noster ipse Eleg. 21. lib. 3. mortem fato sibi obventuram minus respuit:

Seu moriar, fato, non turpi fractus amore.
Atque erit illa mihi mortis honesta dies.
VULP.

v. 15.

Nam quis divitiis adverso gaudet amore?
Nulla mihi tristi præmia sint Venere.
Illa potest magnas heroum infringere vires:
Illa etiam duris mentibus esse dolor.

Illa

v. 15. NAM QUIS] *Nam* pro autem : vel est *ἀναστροφὴ* pro *Quisnam* ; ut apud Virgilium 4. Georg.

Nam quis te, juvenum confidentissime, nostras
Jussit adire domos?

Et ita Plautus haud raro. PASS.

ibid. QUIS DIVITIIS ADVERSO GAUDET AMORE?] Quis opibus delectatur quum Amor contrarius est votis? ut ipse loquitur Eleg. 5. supra. Vide Tibullum Eleg. 3. lib. 4. Sic Eleg. 1. hujus libri : *Adversos cogor habere deos*. Contra Terentius Adelphis :

Si mihi secundæ res in amore meo essent. P.

v. 16. NULLA MIHI TRISTI PRÆMIA SINT VENERE] Nullæ divitiæ, nullæ prædæ militiâ partæ tanti mihi fuerint, ut Venerem tristem sive iratam habere velim. V.

ibid. NULLA MIHI SINT] In nullo numero ac loco, nullius omnino pretii. V.

ibid. TRISTI VENERE] Aspera, difficili, sæva. Tibullus Eleg. 6. lib. 1.

Semper, ut inducar, blandos offers mihi vultus:
Post tamen es misero tristis & asper, Amor.

Quoniam vero ex rugis præcipue frontis, severitatem ac tristitiam agnoscimus, dixit idem poeta Eleg. 3. lib. 2. *Quisquis is es cui tristi fronte Cupido Imperitat*. *Venus* porro, vel ipsa mater Cupidinis, vel amica Propertii. Sic Virgilius Ecl. 3. *Parta meæ Veneri sunt munera*. VULP. *tristi Venere*. irata, aversa. Gulielmius in Plaut. Amphitr. C. 1. p. 4. BROUKH.

ibid. PRÆMIA] Prædæ, spolia ex hostibus, quibus duces ac milites domos locupletant suas. Tibullus Eleg. 2. lib. 1. dixit *præmia parere* pro prædari. Et *præmiatores* Festo prædones. *Præmium* pro pecunia Nævius usurpavit apud Priscianum :

Sine præmio sum, marsupium reliqui domi.

Festus : *Præmiosa, pecuniosa*. Et merito præmium, pecunia : nam antequam emas, pecunia opus est. Præmium enim dictum a *præ* & *emere*. PASS.

v. 17. MAGNAS HEROUM INFRINGERE VIRES] Debilitare, contundere, domare ingens heroum robur. Heroum animi sæpe fracti amore, ut Herculis propter Hylan & Omphalen, Achillis propter Briseidem, Ajacis propter Tecmessam, aliorum propter alias. Noster Eleg. 11. lib. 3.

Nam quid ego heroas, quid raptem in crimine divos?
Juppiter infamat seque suamque domum.

Aliquando autem *infringere* est valde frangere. Virgilius initio lib. 12. Æneid.

Turnus ut infractos adverso Marte Latinos
Defecisse videt.

Horatius Epodo 11. *Limina dura, quibus Lumbos & infregi latus*. *Infringere vires*, ut apud Nostrum Eleg. 6. lib. 4.

Frangit & attollit vires in milite caussa. PASS.

Heroes dicti fuerunt semidei homines, vel *ἀπὸ τῆς ἀρετῆς*, a virtute ac robore; vel *ἀπὸ τοῦ ἀέρος*, ab aere, quod morte obita dæmones facti, & aere induti, orbem terrarum obambularent, & mortalium prava & justa opera inspicerent, ut refert Hesiodus *ἐν ἔργοις καὶ ἡμέραις*; vel *ἀπὸ τῆς ἔρας*, a tellure, quod ex ea hominum genus primo formatum putarent; vel denique *ἀπὸ τῆς ἐράσεως*, ab amatione, sive a commixtione deorum. *οἱ γὰρ θεοὶ, θνηταῖς γυναιξὶ συμπλεκόμενοι ἐποίουν τὸ τῶν ἡρώων γένος*, *dii enim cum mortalibus mulieribus concumbentes, heroum genus effecere*. Quæ fabula de sacrarum litterarum veritate, sicut aliæ multæ, detorta fuisse videtur. Legimus enim cap. 6. libri Geneseos v. 4. *Postquam .... ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes a sæculo viri famosi*. Vide Scholiasten Homeri minorem ad librum t. Iliados. Ceterum heroes magnis finguntur & animis & corporibus. Iccirco qui tragœdias olim agebant, quum heroicam staturam & orationem æmulari deberent, cothurnos, nempe sublimes calceos, pedibus aptabant, ut grandiores viderentur; personâ vero capiti impositâ, cujus os immodice diducebatur, vocem & clamorem, quantum poterant, tollebant. Porro virtutes multas quidem heroibus antiqui scriptores tribuunt; sed

tamen

Illa neque Arabium metuit transcendere limen,
Nec timet ostrino, Tulle, subire toro:
Et miserum toto juvenem versare cubili.
Quid relevant variis serica textilibus?

Quæ

tamen iræ atque amoribus valde obnoxios describant. VULP.

v. 18. DURIS MENTIBUS ESSE DOLOR] Non solum molles animos, sed aspera etiam & horrida ingenia exercere atque cruciare. P.

ibid. DURIS MENTIBUS] Horatius Ode 21. lib. 3. *Tu lene tormentum ingenio admoves Plerumque duro*. De animi duritia mire Tibullus Eleg. 2. lib. 3.

Non ego firmus in hoc: non hæc patientia nostro
Ingenio. frangit fortia corda dolor. PASS.

Vel duræ mentes sunt fruge Socratica imbutæ, quæ seria & utilia persequuntur. Amor nihilominus & studium bonarum artium, pravi Cupidinis vires obtundit. Vide Lucianum Dialogo Veneris & Cupidinis. *Duri patres* dicebantur, qui liberos in officio continebant, eorum cupiditatibus minus indulgentes: *duri* etiam *homines*, laboriosi; ut *durus Ulixes*. VULP.

ibid. DURIS MENTIBUS ESSE DOLOR] Ut Eleg. ult. hujus libri:

Sit mihi præcipue pulvis Etrusca dolor.

Et Eleg. 18. *Ut tibi sim merito semper furor*.
Et Eleg. 1. lib. 2.

Huic misero fatum dura puella fuit.

Et Eleg. 2. supra: *Ida & Phœbo discordia Eveni filia*.
Virgilius quoque lib. 10. Æneid.

O dolor atque decus magnum rediture parenti. P.

Adde illud Eleg. 7. lib. 3.

Ut, quoties Pæti transibit nauta sepulcrum,
Dicat: Et audaci tu timor esse potes.

nempe justissima timoris caussa. VULP.

v. 19. ARABIUM LIMEN] Ex Arabio marmore, puta onyche, sive onychite vel alabastrite; quod genus magno in pretio fuisse ait Plinius lib. 36. H. N. cap. 7. unde & columnæ fierent. cur non limina quoque? De Arabio marmore Diodorus Siculus lib. 2. PASS.

ibid. TRANSCENDERE LIMEN] Verbum laboris ac moliminis; ut recte Broukhusius. *Transcendere Alpes* & *Caucasum* dixit M. Tullius: *in hostium naves*, Cæsar. Vulgati libri, *conscendere*; quod non comparuit primùm in exemplaribus Colinæi Parisinis A. 1529. ut idem Broukhusius affirmat: exstat enim in Editione Aldina A. 1502. quam vir doctus non inspexit. *Transcendere* habet etiam Editio princeps A. 1472. VULP.

v. 20. NEC TIMET] Neque dubitat. Versu præcedenti eodem sensu dixit, *metuit*: & mox, *vereber*. PASS.

ibid. OSTRINO TORO] Ostro, id est purpurea veste constrato. Eleg. 13. lib. 3.

Et Tyros ostrinos præbet Cadmea colores.

Ostrum, conchylia sive ostreum est, unde purpura tingebatur. Eodem pacto dixit Noster Eleg. 13. lib. 2.

Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.

id est, Attalicis vestibus strato. PASS.

ibid. SUBIRE] Clanculum ingredi & irrepere. Videsis quæ de hoc verbo dicta sunt ad Eleg. 9. hujus libri v. 26. PASS.

v. 21. VERSARE CUBILI] Huc illuc vertere & volutare. Catullus Carm. 50.

Nec somnus tegeret quiete ocellos:
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer, cupiens videre lucem.

Seneca de Tranquillitate Animi cap. 2. *Adjice illos qui non aliter quam quibus difficilis somnus est, versant se, atque hoc & illo modo componunt, donec quietem lassitudine inveniant*. PASS. Pulchre Dantes Aligherius Purgatorii Cantu 6. Florentiam allocutus:

E se ben ti ricorda, e vedi lume:
Vedrai te somigliante a quella 'nferma
Che non può trovar posa in su le piume,
Ma con dar volta suo dolore scherma. VULP.

v. 22. QUID RELEVANT] Cujusmodi levamen & laxamentum afferunt? Terentius Adelphis 4, 5. *Et illi animum relevabis, quæ dolore & miseria tabescit*. Cicero lib. 2. de Divinat. *Ut animus molestiis relevaretur*. Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. 4.

Omnis in hac cura mens relevata mea est. P.

ibid. VARIIS] Pictis, versicoloribus. ut Eleg. 13. lib. 3.

Aut variam plumæ versicoloris avem.

Virgilius 3. Georg. *Quid lynces Bacchi variæ?* P.

ibid.

Quæ mihi dum placata aderit, non ulla verebor
Regna, nec Alcinoi munera deſpicere.

ibid. SERICA] Veſtes bombycinæ ; quia apud Seras, populos Orientis (hoc tempore *del Catajo, e della China*) bombyces vermiculi in arboribus, aranearum more, tenuiſſima fila deducunt, inquit Servius ad illud Virgilii 2. Georg.

Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.

Vide Plinium H. N. lib. 6. cap. 17. Horatius Epodo 8.

Quid quod libelli Stoici inter ſericos
Jacere pulvillos amant? Pass.

Serica veſtimenta, quæ hodie vilia effecta ſunt, olim maximi pretii fuerunt, præſertim *holoſerica*, quorum ſcilicet & ſtamen & trama ex bombyce. Nam, ut docet Salmaſius ad Vopiſci Aurelianum, fuerunt etiam *ſubſerica* veſtes, quarum trama de lino erat, ſtamen ſericum: fuerunt etiam *tramoſerica*, quibus eſſet trama ſerica, ſtamen lineum. Holoſericam veſtem primus induit Heliogabalus; teſte Spartiano in ejus Vita. Aurelianus autem, princeps frugi & moderatus, *Veſtem holoſericam neque ipſe in veſtiario ſuo habuit, neque alteri utendam dedit. Et quum ab eo uxor ſua peteret, ut unico pallio blatteo ſerico uteretur, ille reſpondit:* Abſit ut auro fila penſentur: *libra enim auri tunc libra ſerici fuit.* Verba ſunt Vopiſci in Aureliano. Sericum porro & bombycinum, nulla alia re diſtare, quam gentis ratione, docet idem Salmaſius. præſtantiſſimum enim apud Seras provenire & neri bombycinum, quod inde Sericum appellatum eſt, κατ' ἐξοχὴν. Τὴν τῶν σκωλήκων γένεσιν ἀνὴρ Πέρσης (ut narrat Theophanea Byzantius apud Photium in Bibliotheca) βασιλεύοντος Ἰουστινιανοῦ, ἐν Βυζαντίῳ ὑπέδειξεν, οὔπω πρότερον ἐγνωσμένην Ῥωμαίοις. οὗτος δὲ ἐκ Σηρῶν ὁρμηθεὶς ὁ Πέρσης, τὸ σπέρμα τῶν σκωλήκων ἐν νάρθηκι λαβὼν, μέχρι Βυζαντίου διεσώσατο. καὶ τοῦ ἔαρος ἀρξαμένου, ἐπὶ τὴν τροφὴν τῶν συκαμίνων φύλλων ἐπαφῆκε τὰ σπέρματα. τὰ δὲ τραφέντα τοῖς φύλλοις, ἐπτεροφύησέ τε καὶ τἆλλα εἰργάσατο, ὧν τὴν τε γένεσιν καὶ ἐργασίαν ὁ βασιλεὺς Ἰουστῖνος ὕστερον τοῖς Τούρκοις ὑποδείξας, ἐθάμβησεν. οἱ γὰρ Τοῦρκοι τότε τά τε Σηρῶν ἐμπόρεια, καὶ τοὺς λιμένας κατεῖχον. h. e. *Bombycum originem, homo quidam Perſa, Juſtiniano imperante, Conſtantinopoli oſtendit, nunquam antea Romanis cognitam. Hic Perſa e Serum regione profectus, vermium ſemen ferulæ incluſum, Conſtantinopolin ſalvum deportavit, ac vere ineunte, in alimentum, mori foliis ſemina impoſuit: quæ foliis nutrita, & in alas ſe induerunt, & mire cœperunt operari. Ergo bombycum ortum, totumdique artificium quum poſtea Turcis Juſtinus Imperator oſtendiſſet, vehementer obſtupuerunt: nam Serum illi tunc emporia portuſque tenebant, quæ Perſæ prius tenuerant.* Theophylactus etiam Simocatta, ut idem Photius teſtatur, egerat in Hiſtoriis ſuis περί τε τῶν σκωλήκων τῶν τικτόντων τὴν ἐσθῆτα τὴν σηρικήν· καὶ ὡς πολλή ἐστι περὶ τὴν λεγομένην Χυβδὰν ἡ τῆς μετάξης γένεσις, καὶ τὰ περὶ αὐτὴν νόμιμα. h. e. *De bombycibus qui ex ſe veſtes gignunt ſericas, & quod ſerici ingens gignatur ad Cubdam urbem, quam appellant, copia, quæque in illa glomeranda fieri vulgo conſueverint.* Videndus præterea Suidas voce Σῆρες. Erat & *bombyx Arabius.* Noſter Eleg. 3. lib. 2. *Si qua Arabia lucet bombyce puella.* Vulp.

ibid. TEXTILIBUS] Stragulis texendo factis, quæ & *Babylonica ſtragula*, & *periſtromata*. Textilia inveniſſe Ægyptios ſcribit Plinius lib. 7. H. N. cap. 56. Pass. Id autem Propertius ait de ægritudine animi ob amorem contracta, quod antea de corporis morbis Lucretius dixerat lib. 2.

Nec calidæ citius decedunt corpore febres,
Textilibus ſi in picturis, oſtroque rubenti
Jactaris, quam ſi plebeja in veſte cubandum eſt.

Hujuſmodi textilium meminit & Cicero Oratione 6. in Verrem: *Nego ullam picturam neque in tabula, neque textili fuiſſe, quin conquiſierit, inſpexerit*, &c. Vulp.

v. 23. QUÆ MIHI DUM PLACATA ADERIT] Quæ Venus donec ſe mihi placidam & propitiam exhibuerit. *Aderit* pro *erit*. ut Eleg. 2. ſupra:

Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis.
Pass.

v. 24. ALCINOI MUNERA] Vel opes Alcinoi Phæacum regis, ut ſupra hac Elegia:

Nulla mihi triſti præmia ſint Venere:

vel

vel ea dona quæ idem Alcinous Ulixi hospiti dedit abeunti, teste Homero initio lib. 13. Odyssex: in quibus erat tripus, lebes, præterea vestes & aurum ei collatum a reliquis Phæacibus. Pass.

Elegia XV.

SÆpe ego multa tuæ levitatis dura timebam,
Hac tamen excepta, Cynthia, perfidia.
Adspice me quanto rapiat Fortuna periclo:
Tu tamen in nostro lenta timore venis.
Et potes hesternos manibus componere crines,
Et longa faciem quærere desidia.

Nec

Argumentum Elegiæ XV. Libri I.] Perfidiam Cynthiæ criminatur. Vulp.

v. 1. multa tuæ levitatis dura] Sic Eleg. 18. hujus libri:

Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet.

Catullus vero Carm. 8.

Ibi illa multa tum jocosa fiebant.

Ovidius quoque lib. 2. Trist. v. 421.

Neve peregrinis tantum defendar ab armis;
Et Romanus habet multa jocosa liber.

Et lib. 3. Artis v. 768.

Per somnos fieri multa pudenda solent.

Dura levitatis; quomodo Catullus *truculenta pelagi*, Horatius *acuta belli*. Provenire autem solent a levitate puellarum haud pauca dura & aspera, quæ ab amatoribus, præcipue fidelibus, vix tolerari possint. Legunt alii *damna*, *jura*, *signa*. Vulp.

v. 2. hac perfidia] Noster hac ipsa Elegia v. 33.

Quamvis mihi viles isti videantur ocelli,
Per quos sæpe mihi credita perfidia est.
Vulp.

v. 3. Adspice me] Apostrophe ad absentem. Pass.

ibid. quanto rapiat Fortuna periclo] Quantum in discrimen vitæ me vocet Fortuna. *Dominam æquoris* Fortunam esse, ait Horatius Ode 35. lib. 1. Propertius vero Eleg. 17. hujus libri, ait se navigasse cum periculo, ubi & Fortunam invocat:

Nullane placatæ veniet Fortuna procellæ?

Rapiat; ut paullo post: *rapientibus anxia ventis*. Et Eleg. 8. supra:

Quum tibi provectas auferet unda rates.

Tom. I.

Et τῷ *periclo*, vel tertio casu, vel sexto; ut Horatius Ode 20. lib. 3.

Non vides, quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Getulæ catulos leænæ? Pass.

Quidnam sibi periculi imminere dicat poeta, certo divinare non possumus. Infelices tamen amatores omnia metuunt & sibi fingunt adversa. Vulp.

v. 4. in nostro lenta timore venis] Nihil commoveris: audis otiosa & secura. *Venire* Propertius non semel usurpat pro *esse*. Ita Virgilius 1. Georg. 29. *An deus immensi venias maris*. Ovidius quoque Epist. Oenones:

Quæ venit indigna pœna, dolenda venit.

Lenta in timore nostro. Ita *lentus in dolore suo* dicitur Tiberius Cornelio Tacito lib. 3. Annal. cap. 70. Vulp.

v. 5. hesternos crines] Quos hesterno die comseras & ornaveras, nunc autem turbati & disjecti recomponi & repecti postulant. Ovidius 3. Artis 153.

Et neglecta decet multas coma. sæpe jacere
Hesternam credas: illa repexa modo est.

Externos habent multi codices. Verum Broukhusius animadvertit, Cynthiam peregrinis & emtis comis uti non consuevisse. *externus* autem & *hesternus* in antiquis membranis haud semel confunduntur. Vulp.

ibid. manibus] Arte ornatricis & cura. Tibullus Eleg. 2. lib. 1. *Et manibus canas fingere velle comas*. Pass.

ibid. componere crines] Dicebant etiam *disponere capillos*, *ponere*, *collocare*, *ponere in statione*. Exempla obvia in libris poetarum. Probro autem dabatur nuptis mulieribus,

Q viro

Nec minus Eois pectus radiare lapillis,
Ut formosa novo quæ parat ire viro.

Ac

viro absente ac periclitante capillum comere: laudabantur contra si neglectæ atque impexæ procederent. Id colligas vel ex Epist. 13. Heroidum Ovidiana, in qua sic loquitur Laodamia, v. 39.

Ipsa comas pectar: galea caput ille prematur?
Ipsa novas vestes: dura vir arma ferat?
Qua possum, squalore tuos imitata labores
Dicar; & hæc belli tempora tristis agam. V.

v. 6. LONGA FACIEM QUÆRERE DESIDIA] Formam tibi conciliare & parare velle longa inertique mora; quia, ut ait Terentius Heautont. 2, 2. mulieres

Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.

Quærere faciem dixit Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 13. de Hortensio: *Fuit enim vestitu ad munditiem curioso, & ut bene amictus iret, faciem in speculo quærebat.* ubi *facies* non est vultus, sed habitus totius corporis. Sic & Eleg. 22. lib. 3.

Quum tibi quæsitus candor in ore foret.

Quæritur quod naturâ abest, ut contra Eleg. 2. supra:

Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis. PASS.

D. Zeno Martyr hac locutione usus in Sermone de Pudicitia: *Miris excolit artibus se se, faciemque suam in se, quam non habet, quærit, pingit se in ipsam, & lenocinante varie magistri medicaminis fuco, vultum suum vultibus vertit alienis.* Coluthus quoque Thebanus de Raptu Helenæ v. 79.

Πᾶσα δὲ λωϊτέρην καὶ ἀμείνονα δίζετο μορφήν.
Unaquæque vero præstantiorem ac meliorem sibi formam quærebat. VULP.

ibid. DESIDIA] Quod scilicet feminæ ante speculum diu desidere ament, tempusque terant id consulendo. Tibullus Eleg. 8. lib. 1. *Nec nitidum tarda comserit arte caput.* V.

v. 7. NEC MINUS] Atque etiam. Vide Eleg. 3. supra v. 5.

ibid. EOIS LAPILLIS] Puta chrysolithis, beryllis, smaragdis, amethystis, margaritis, aliis gemmis ex ultimo oriente petitis. ἠὼς Græcis aurora; unde ἑῷος eous, orientalis. Noster Eleg. 11. lib. 3.

Felix Eois lex funeris una maritis,
Quos Aurora suis rubra colorat equis.

Et Eleg. 3. lib. 2.

Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois,
Uret & Eoos, uret & Hesperios.

Ita *Eoa domus*, *Eoum mare*, *Eoi equi*. Ovidio lib. 2. Metam. *Eous* est unus ex equis Solis. Propertio ipsi Lucifer, vel Aurora. Eleg. ult. lib. 3.

Et color est toties roseo collatus Eoo.

Cinna:

Te matutinus flentem conspexit Eous. PASS.

ibid. LAPILLIS] Horatius Sat. 2. lib. 1. 80.

Nec magis huic, inter niveos viridesque lapillos,
Sit licet hoc, Cerinthe, tuum, tenerum est femur, aut crus
Rectius.

Boethius lib. 3. de Consol. Philos. Metro 10.

Aut ludus calido propinquus orbi
Candidis miscens virides lapillos.

Et eod. libro, Metro 4.

Quamvis se Tyrio superbus ostro
Comeret, & niveis lapillis.

Item Seneca Hippolyto 392.

nec niveus lapis
Deducat aures, Indici donum maris.

Attulit Bentlejus ad Horatium. *Nivei lapilli* sunt margaritæ, seu baccæ. VULP.

ibid. PECTUS RADIARE] Testatur Gebhardus, hanc lectionem fuisse in membranis Comelini. Est autem *radiare* antiquæ elegantiæ verbum. Cicero in Lucullo: *Solis magnitudo (ipse enim hic radiatus me intueri videtur) admonet, ut crebro faciam mentionem sui.* Lucretius lib. 5. 463.

Matutina rubent radiati lumina Solis.

Ovidius lib. 3. Pontic. Epist. 4.

Scuta sed & galeæ gemmis radientur & auro.

Lucanus lib. 7.

Miles ut adverso Phœbi radiatus ab ictu
Descendens totos perfudit lumine colles.

Auctor Dialogi de Oratoribus Quintiliano tributi, cap. 20. *Quid enim si infirmiora horum temporum templa credas, quia non rudi cæmento & informibus tegulis extruuntur, sed marmore nitent, & auro radiantur?* L. Florus Hist. Rom. lib. 4. cap. 2. *Aliquid tamen adversus absentem ducem ausa Fortuna est circa Illyricum & Africam, quasi de industria, ut prospera ejus adversis radiarentur.* Vetus poeta in collectione Pithœana:

Metam

At non sic Ithaci digressu mota Calypso
Desertis olim fleverat æquoribus.
Multos illa dies incomtis mœsta capillis
Sederat, injusto multa locuta salo.

Et,

Mitam Sol eminus exit,
Intorquetque peplum Noctis, radiatque sororem.
Denique Pseudo-Ambrosius in Sermone 2. de Mysterio Paschæ: *Hoc, inquam, tempora visibilium & invisibilium conditor Deus, desca bomo cœli machinam suspendens, idem Solis ardore radiavit.* Editiones Propertii vulgatæ, *variare lapillis*; quomodo locutus D. Augustinus libro de Gratia Christi contra Pelagiam & Cælestium, cap. 24. de rege Assuero: *Totus auro variatus lapidibusque pretiosis.* Vereor autem ut *radiare* usurpari possit de niveis lapillis, seu margaritis. BROUKH. & VULP.

v. 8. UT FORMOSA NOVO QUÆ PARAT IRE VIRO] Sic Tibullus Eleg. 4. lib. 3.
Ut juveni primum virgo deducta marito.
Nec lapillis tantum ornabantur novæ nuptæ, sed & senis crinibus, & celibari hasta comebantur. Festus in *Senis*, & *in Celibari hasta*. τὸ *formosa* suspendendum; hoc enim sibi vult poeta: Quæ parat ire formosa novo marito, ut ipsi placeat. *Parat ire*; ut Virgilius 1. Æneid. *Ad urbem Sidoniam puer ire parat.* *Ire viro*; ut idem Virgilius *It clamor cœlo*. Et Noster Eleg. 1. lib. 4.
Tu licet armatis hostis inermis eas.
Viro novo, qui Catullo & Plauto *novus maritus*, νεόγαμος; ut dicitur, *nova nupta*. PASS.

v. 9. AT NON SIC] Hoc loquendi modo notatur dissimilitudo. Vide Eleg. 13. supra, versu 3. PASS.

ibid. ITHACI DIGRESSU MOTA CALYPSO] Ulixis Ithacensis discessu perturbata. Calypso Atlantis filia Ulixem detinebat, ejus amore capta, in insula Ogygia. Vide Homerum Odysseæ lib. 5. & 7. At libro Odysseæ 5. mittitur ad eam Mercurius, qui nuntiet ut a se Ulixem dimittat; quod illa facere coacta, diis ipsis irascitur. Noster Eleg. 21. lib. 2.
Sic a Dulichio juvene est elusa Calypso.
Vidit amatorem pandere vela suum.
Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 17.
Creditur & Nymphe mortalis amore Calypso
Capta, recusantem detinuisse virum. P.
Præterea lib. 2. Artis a versu 125. loco pulcherrimo & elegantissimo:
O quoties illum doluit properare Calypso;
Remigioque aptas esse negavit aquas!
Lege reliqua, & pretium operæ feceris. *Ithacus* pro *Ulixes* a poetis usurpatur. Virgilius 2. Æneid. v. 104.
Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.
Et alibi non semel. VULP.

ibid. DIGRESSU] Abitu, discessu. *Digredi*, discedere. Virgilius 3. Æneid.
Nec minus Andromache digressu mœsta supremo.
Et eodem libro:
Hos ego digrediens lacrimis affabar obortis. P.

v. 10. DESERTIS O. FLEVERAT ÆQUORIBUS] Aut *æquoribus desertis*, deserto in litore. ut Eleg. 3. supra, *in herboso Apidano*. & Eleg. 14. *abjectus Tiberina molliter unda*: Vel *fleverat æquoribus*, tertio casu; apud mare fleverat, & conquesta erat. Sic Tibullus Eleg. ult. lib. 3.
Gnosia, Thesea quondam perjuria linguæ
Flevisti ignota, sola relicta, mari.
Et Noster Eleg. 12. supra:
Felix qui potuit præsenti flere puellæ. VULP.
Desertis æquoribus, sine navibus in litore. Sic Virgilius: *Litora deseruere*. Noster Elegia 17. infra: *Desertas alloquor alcyonas.* Et Eleg. 3. supra:
Languida desertis Gnosia litoribus. PASS.

v. 11. INCOMTIS MŒSTA CAPILLIS] Passis & inornatis comis, ut in luctu solet. Noster Eleg. 6. lib. 3.
Siccine eam incomtis vidisti flere capillis?
Terentius Heautont. 2, 3. *Offendimus*
Mediocriter vestitam veste lugubri.
Capillus passus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter. PASS.
Indicium doloris manifestum, ornamenta & munditias negligere; præsertim apud antiquos, quibus consuetudo fuit in funeribus propinquorum, & in aliis adversis casibus, in publicum prodire sordidatos.

Et, quamvis numquam posthac visura, dolebat
Illa tamen longæ conscia lætitiæ.
Alphesibœa suos ulta est pro conjuge fratres,
Sanguinis & cari vincula rupit Amor.

Nec

Cato ille Uticensis, ut Lucanus testatur lib. 2. Pharsaliæ, v. 372. ex quo bella civilia cœperant,

nec horrificam sancto dimovit ab ore
Cæsariem, duroque admisit gaudia vultu.
Intonsos rigidam in frontem descendere canos
Passus erat, mœstamque genis increscere barbam.

Et in levioribus affectibus Ovidiana Sappho, v. 73.

Ecce, jacent collo sparsi sine lege capilli:
Nec premit articulos lucida gemma meos.
Veste tegor vili: nullum est in crinibus aurum:
Non Arabo noster rore capillus olet.

Item Laodamia in Epist. v. 31.

Nec mihi pectendos cura est præbere capillos:
Nes libet auratâ corpora veste tegi. VULP.

v. 12. SEDERAT] Sedere solebant lugentes. Hesychius: Καθέδρα, πένθος ἡμέραι ἐπὶ τετελευτηκόσιν. h. e. *Cathedra, dies luctus super mortuis.* unde Turnebus de feriis denicalibus exponit illud ex Æneid. 9.

luco tum forte parentis
Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.

Cicero lib. 2. de Legibus: *Feriæ denicales residentur mortuis.* PASS. Vide quæ attulimus ad Eleg. ult. lib. 2. Tibulli, v. 33. VULP.

ibid. INJUSTO MULTA LOCUTA SALO] Multis verbis de mari sævo conquesta. Potest esse hypallage, pro injuste locuta. *Injuste loqui*, nec recte dicere. Plautus Pseudolo 2, 2.

Non soleo respicere te, quum dicas injuste alteri.

An re vera *injustum salum*, crudele ipsi Calypsoni, quod Ulixis ratem maris unda auferret? Sic Eleg. 7. supra: *Injustas sæpe tulisse minas*, id est sævas. Vide illic adnotata. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 11.

Una est injusti cærula forma maris. PASS.

Nisi forte *injustum salum* est immoderatum, immensum, quod justos fines excedit. Virgilius 3. Georg. 346.

Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Injusto sub fasce viam quum carpit. VULP.

ibid. LOCUTA SALO] Ita Valerius Flaccus lib. 4. Argon. 46. de alcyone:

It super ægra parens: queriturque tumentibus undis.

nempe, *ad tumentes undas*. Ennius:

Cupido cepit miseram nunc me proloqui
Cælo atque terræ Medeai miserias.

Nec dissimile illud Maronis Ecl. 2.

Ibi hæc incondita solus
Montibus & silvis studio jactabat inani.

Et aliud ipsius Propertii Eleg. 18. hujus libri:

Et, quodcumque meæ possunt narrare querelæ,
Cogor ad argutas dicere solus aves.

Ejusdem porro insaniæ videtur, *queri ad rupes, ad nemora, ad mare, ad simulacra*, & hujusmodi res mentis & animæ expertes. VULP.

v. 13. QUAMVIS NUMQUAM POSTHAC VISURA] Licet perpetuò caritura esset ejus conspectu. Sic Eleg. 10. lib. 2.

Visura & quamvis numquam speraret Ulixen.

Catullus Carm. 64.

Numquam ego te, vita frater amabilior,
Adspiciam pa̓lbat? PASS.

ibid. DOLEBAT ILLA TAMEN LONGÆ CONSCIA LÆTITIÆ] Dolebat quidem, sed dolorem levabat præteritæ voluptatis recordatione. Epicurus in Epistola ad Hermachum, ut Cicero: ad Idomeneum, ut Laertius: *Quum ageremus vitæ beatum & eumdem supremum diem, scribebamus hæc. Tantus autem aderat dolor vesicæ & viscerum, ut ad ejus magnitudinem nihil posset accedere. Compensabatur tamen animi lætitia, quam capiebam memoria rationum inventorumque meorum. Conscia lætitiæ*, ut infra hac Elegia:

Nec tremis admissæ conscia nequitiæ? PASS.

v. 15. ALPHESIBŒA SUOS ULTA EST PRO CONJUGE FRATRES] Exegit a fratribus pœnas ob conjugis cædem. *Ulciscor, & vindico & punio:* Asconius. Alcmæon ultus Amphiarai patris mortem, Eriphylen matrem interfecit: unde furiis agitatus ad Phegeum in Psophidem venit: a quo expiatus ejus filiam Alphesibœam uxorem duxit; cui

&

Nec ſic Æſoniden rapientibus anxia ventis
Hypſipyle vacuo conſtitit in thalamo.

Hypſi-

& monile illud fatale dedit. Sed poſtea, relicta Alpheſibœa, duxit Callirrhoën Acheloi filiam. Ei ut morem gereret, monile ab Alpheſibœa recepit: ſed a fratribus Alpheſibœæ obtruncatus eſt. Illius mortem occiſis fratribus hic ulta dicitur Alpheſibœa; quum tamen alii a filiis Callirrhoës id factum ſcribant. Hæc Pauſanias in Arcadicis, qui Phegei filios Temenum & Axionem vocat, a quibus interfectus ſit Alcmæon; ſed non meminit ultionis, quam commemorat Propertius. Apollodorus lib. 3. Arſinoën vocat, pro Alpheſibœa, Phegei filiam, priorem conjugem Alcmæonis, & a Callirrhoës filiis Temeno & Axione cæſum ſcribit. Ovidius 9. Metam. 411. hanc fabulam leviter attingit:

Donec enim (Alcmæonem) *conjux fatale popoſcerit aurum,*
Cognatumque latus Phegeïus hauſerit enſis.

Et in Remed. Amoris:

Amphilochi frater ne Phegida ſemper amaret,
Callirhoë fecit parte recepta tori.

Hyginus Fab. 245. a Phegeo ipſo generum Alcmæonem interfectum ſcribit. PASS. Ἀλφεσιβοίας antiqui dicebant formoſas virgines, quod vel ex Homero manifeſtum eſt Iliados 6. παρὰ τῶ ἀλφεῖν τὰς βῶς, *ab inveniendis bobus*. Mos enim erat illorum qui uxorem ducturi erant, ut boves loco ἕδνων, id eſt *ſponſalitii muneris*, mitterent ſponſæ. Vide Pauſaniam in Meſſenicis cap. 36. Vetus autem erat Athenienſium moneta, *Bos* appellata, eo quod bovem inſculptum haberet. hanc autem Homerum ſunt qui putent intelligere dicentem: Centum boum pretio digna, dignis pretio novem boum: (ſcilicet, arma permutat): ſed & in Draconis Legibus erat, ἀποτίνειν δεκάβοιον, *Solvere decaboum*. Inde proverbium ortum βῦς ἐπὶ γλώσσῃ βέβηκεν: *Bos linguam conſcendit*: quum quis argenti cauſſa tacuiſſet. Hæc tradit Julius Pollux Onomaſtici lib. 9. Suſpicantur propterea nonnulli, bovis effigie percuſſos nummos, non boves ipſos, ad puellas nupturas loco muneris mitti conſueviſſe. VULP.

v. 16. SANGUINIS ET CARI VINCULA RUPIT AMOR] Artiſſimam illam neceſſitudinem qua ſoror fratribus devincta eſt. Virgilius 12. Æneid.

Victus amore tui, cognato ſanguine victus;
Conjugis & mœſtæ lacrimis, vincla omnia rupi.

Cicero pro Plancio: *Conjunctus artiſſimis vinculis propinquitatis*. Ab illis vinculis ſanguinis interdum fratres a Latinis dicuntur *conſanguinei*; ut Statio lib. 3. Thebaidos:

dum pellere leges,
Et conſanguineo gliſcis regnare ſuperbus
Exſule.

Catullus Carm. 63. de Ariadna & Phædra ſororibus:

Ut conſanguineæ complexum, ut denique matris.

quem locum vide. PASS. Ut *hic rumpere vincula ſanguinis*, ita *rumpere frena pudoris*, dixit Propertius Eleg. 19. lib. 3. VULP.

v. 17. ÆSONIDEN] Jaſonem Æſonis filium. VULP.

ibid. RAPIENTIBUS VENTIS]. Alio citiſſime auferentibus. Noſter Eleg. 18. lib. 2.

Quidquid jurarunt, ventus, & unda rapit.
VULP.

v. 18. HYPSIPYLE] Thoantis filia, quum Lemniæ mulieres jugularent viros, ſola patrem interficere non ſuſtinuit; & quum regina eſſet Lemni, hoſpitio conjugioque Jaſonem accepit, ex quo duos liberos ſuſtulit. Apollodorus lib. 1. Ovidius in Epiſt. Hypſipyles ad Jaſonem, Hyginus Fab. 15. Valerius Flaccus lib. 2. Argonaut. Poſt diſceſſum Argonautarum eadem Hypſipyle Lemno pulſa ſervivit Lyco, ſive Lycurgo Thebarum regi. Vide Papinium 6. Thebaidos, & Interpretem Pindari in Nemea. PASS.

ibid. VACUO CONSTITIT IN THALAMO] *Deſerto lecto* Ovidius, & *toro viduo*. Noſter Eleg. 5. lib. 3.

Gaudet me vacuo ſolam tabeſcere lecto.

Sulmonenſis poeta lib. 3. Amor. Eleg. 10.

Secubat in vacuo ſola puella toro.

Sic vacuum Æmilii Paulli currum vocat Seneca in Conſolat. ad Marciam cap. 13. in quo vehebatur Paullus ſine liberis, quibus orbus erat. *Thalamo*, vel cubiculo, vel cubili. Θάλαμος etiam τὸν οἶκον ſignificat, ut ait Euſtathius; & partem

Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Ut semel Hæmonio tabuit hospitio.
Conjugis Evadne seros elata per ignes
Occidit Argivæ fama pudicitiæ.

Qua-

tem eam navis in qua sedent remiges, & remigant; unde θαλάμιοι dicti; auctore Polluce. PASS.

v. 19. SENSIT AMORES] Ita Eleg. 5. supra v. 3. *meos sentire furores*. Virgilius Ecl. 3. dixit:

& quisquis amores
Aut metuet dulces, aut experietur amaros. P.

v. 20. UT SEMEL] Dictum Eleg. 13. supra, versu 33. VULP.

ibid. HÆMONIO HOSPITIO] Misero & perdito amore Jasonis Hæmonii, sive Thessali. PASS.

ibid. TABUIT] Delicuit, amoris tabe consumta est. Ut *pallere* & *pallescere* supra dixit pro amare, sic nunc *tabescere*; quia tabe & macie laborant amantes. Virgilius 6. Æneid.

Hic quos durus amor crudeli tabe peredit.

Ovidius lib. 3. Metam. in Fabula Narcissi:

sed ut intabescere flavæ
Igne levi ceræ, matutinæque pruinæ
Sole tepente solent, sic attenuatus amore
Liquitur, & tecto paullatim carpitur igni. P.

Itali dicunt *struggersi*, *squagliarsi*. VULP.

ibid. HOSPITIO] *Hospitium*, pro hospite; ut *servitium*, pro servis, & *conjugium*, pro conjuge Eleg. 13. lib. 3. & Catullus Carm. 67. & Virgilius 2. Æneid. Sic *exsilium*, pro exsule apud Attium Phœnissis, quem citat Nonius Marcellus. PASS.

v. 21. EVADNE] Noster Eleg. 13. lib. 3.

Hic genus infidum nuptarum: hic nulla puella
Nec fida Evadne, nec pia Penelope.

Hæc uxor Capanei, & filia Martis ex Thebe Asopi filia, se in ardentem mariti rogum conjecit: ut scribit Servius in illud 6. Æneid. *Evadnenque & Pasiphaën*. Martialis Epigr. 74. lib. 4.

Arserit Evadne flammis injecta mariti.

Evadne dicta, inquit Muretus, quod bene dotata esset a Capaneo, quia ἕδνα vocabant nuptialia munera. Vide Hyginum Fab. 243. & 256. Iphidis filiam facit Interpres Pindari, Hyginus Phylaci. Consule Apollodorum lib. 3. & Euripidem in Supplicibus, initio actus 5. ubi Iphis pater frustra dehortari conatur filiam Evadnen a præclaro illo facinore. Ovidius lib. 3. Artis:

Fata Pheretiadæ conjux Pagasæa redemit,
Proque viri est uxor funere lata sui.
Accipe me, Capaneu, cineres miscebimus, inquit
Iphias; in medios desiluitque rogos. PASS.

ibid. SEROS ELATA PER IGNES] Nimirum supremos, extremos. *serum* enim vocabant Latini quidquid ultimum erat, ut Bronkhusius animadvertit. Lege sis quæ ad hunc locum attulit vir doctissimus, & pretium operæ feceris. Secutus est autem vir ille doctus Nic. Heinsii correctionem in notis ad lib. 2. Hist. Velleji cap. 87. Vulgati libri præferunt *miseros*. non est autem novum, librarios ubi occurreret *serum*, pro illo substituisse *miserum*. Passeratius hunc Propertii locum ita explicabat: Per acerbum rogum & funus infelix mariti. nisi sit hypallage pro miseri conjugis, vel ipsa misera. Capaneum Juppiter fulmine percusserat, dum homo audax muros Thebarum scalis conaretur inscendere. Vide Statium lib. 10. Thebaidos. VULP.

ibid. ELATA] κατεστραμμένη, pro exstincta. nam elata proprie non est quæ ipsa se conjecit in rogum, & in flammam desiluit. Efferri dicuntur mortui quum funus ducitur, & ex ædibus fertur ad rogum cadaver. quia extra portam sepeliebantur. Sic Græci ἐκφέρειν dicunt, ut notat Donatus in Andriam. Horatius Sat. 5. lib. 2.

Anus improba Thebis
Ex testamento sic est elata: cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit heres.
Scilicet elabi si posset mortua.

Propertius iterum Eleg. 7. lib. 4.

Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos. P.

v. 22. OCCIDIT] Elata occidit. δὶς τὸ αὐτὸ, ut *lapsam impulit* Eleg. 3. supra. P.

ibid. ARGIVÆ FAMA PUDICITIÆ] Ob insignem pudicitiam, decus & gloria Græcarum mulierum. Argivam dixit pro Græca, ut Eleg. 19. hujus libri, & Eleg. 15. lib.

Quarum nulla tuos potuit convertere mores,
Tu quoque uti fieres nobilis historia.
Desine jam revocare tuis perjuria verbis,
Cynthia, & oblitos parce monere deos.

Au-

lib. 2. *Fama*, pro gloria, id est εὐφημία, ut dictum ad Eleg. 7. supra:

Hic mihi conteritur vitæ modus, hæc mea fama est.

Pudicitiæ, pudicarum mulierum, ut Elegia quæ proxime sequitur:

Janua Tarpejæ nota pudicitiæ.

Sic Eleg. 24. lib. 2. *Nequitiæ caput*, id est princeps hominum nequam. PASS.

v. 23. QUARUM NULLA] Eleg. 19. hujus libri:

Quarum nulla tuâ fuerit mihi, Cynthia, formâ Gratior. PASS.

ibid. TUOS POTUIT CONVERTERE MORES] In melius mutare tuum ingenium. Sic Eleg. 1. supra: *Dominæ mentem convertite nostræ*. Et Eleg. 17. hujus libri: *In melius sævas converte querelas*. *Mores* in deteriorem partem, ut Cicero *O tempora! O mores!* P. Haud aliter Sallustius B. Jugurth. cap. 31. *Animus æger facile avaritia conversus est*. M. Tullius in Oratore ad Brutum cap. 5. *Ad permovendos & convertendos animos instructi & parati*. Et lib. 1. de Oratore: *Quid tam potens tamque magnificum, quam populi motus, judicum religiones, senatus gravitatem unius oratione converti?* Silius Italicus lib. 10. Punic. 658.

Hæc tum Roma fuit; post te cui vertere mores
Si stabat fatis, potius, Karthago, maneres.

post deletam enim Karthaginem conversi penitus & corrupti sunt mores Romanorum. *τρέπειν φρένας*, dixit Homerus lib. 6. Iliad. v. 61. VULP.

v. 24. TU QUOQUE] Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 6.

Et leviter, Fies tu quoque fortis, ait.

Idem in Ibin v. 62.

Ibidis interea tu quoque nomen habe. V.

v. 24. UTI FIERES NOBILIS HISTORIA] Ut fama tuæ pudicitiæ litteris sermonibusque hominum celebraretur. *Fieri historia*, ut Persius Sat. 5. 152. *Cinis & manes & fabula fies*. historia enim quævis narratio, etiam fabulosa. Noster Eleg. 1. lib. 2.

Maxima de nihilo nascitur historia.

Horatius Ode 7. lib. 1. *Et peccare docentes Fallax historias monet*. Ovidius Eleg. 4. lib. 2.

Omnibus historiis se meus aptat amor.

id est fabulis de Leda & Aurora. Suetonius in Tiberio cap. 70. fabulas ipsas vocat historiam fabularem. PASS. Ita locutus & Seneca lib. 3. de Beneficiis cap. 23. de matrona quadam a famulis servata: *Sic servata, nobilis fabula, & exemplum duarum urbium fuit*. Dixerat prior Theocritus Idyllio 12.

Εἴθ' ὁμαλοὶ πνεύσειαν ἐπ' ἀμφοτέροισιν Ἔρωτες
Νῶϊν, ἐπεσσομένοις δὲ γενοίμεθα πᾶσιν ἀοιδή.

Utinam pares adspirent ambobus amores
Nobis, posteris autem simus omnibus cantilena.

Quod ex Homeri lib. 6. Iliad. v. 357. derivatum videtur. Sic enim ibi poetarum pater:

ὡς καὶ ὀπίσσω
Ἀνθρώποισι πελώμεθ' ἀοίδιμοι ἐσσομένοισι.
Ut etiam in posterum
Hominibus simus famosa fabula futuris.

Ceterum, vir disertissimus M. Antonius Muretus Oratione 13. Volum. 2. argutatur multa, ut historiæ definitionem ab Auctore Rhetoric. ad Herennium, itemque a Cicerone lib. 1. de Inventione traditam, ineptam & absurdam esse ostendat: *Historia est res gesta, sed ab ætatis nostræ memoria remota*. Verum scriptores illi historiam pro antiquo exemplo, quod oratoribus usui esse possit, peculiari quadam significatione acceperunt; quomodo etiam Propertius hoc loco. VULP.

v. 25. DESINE] Revocantis est ab incœpto inutili. Virgilius 4. Æneid.

Desine meque tuis incendere, teque querelis. P.

ibid. REVOCARE TUIS PERJURIA VERBIS] Iterare & renovare. Cicero Tusc. 4. *Primos tres versus revocasse dicitur Socrates*. id est, repeti ac iterari jussisse. Virgilius pariter 4. Georg.

Si

Audax ah nimium, nostro dolitura periclo,
Si quid forte tibi durius inciderit.

Muta

Si quem proles subito defecerit omnis,
Nec genus unde novæ stirpis revocetur, habebit.
Idem 1. Æneid. *Tum victu revocant vires*. P.

v. 26. OBLITOS PARCE MONERE DEOS] In deorum memoriam reducere perjuria. Sic dicitur *memorem monet*. Plautus Captivis: *Memini: mora mera est monerier*. Idem Curcul. *Melius est monere. hem, memento*. Inde *monitores* dicti. Hoc sibi vult poeta: Dii nimium lenes, o Cynthia, ad perjuria tua priora quasi connivere visi sunt, ac temeratæ majestatis suæ oblivisci: tu vero cave ne illos novo perjurio admoneas, eosque ad severitatem & ultionem tandem excites. PASS. & BROUKH. Vulgati libri, *movere*; quod σφάλμα est veteribus librariis familiare. VULP.

ibid. PARCE] Italice *rimanti, lascia stare*. VULP. Ovidius in Remed. Amoris:

Parce tuum vatem sceleris damnare, Cupido. P.

v. 27. NOSTRO DOLITURA PERICLO] Perfidiæ pœnam sensura, sed mei capitis discrimine, cujus salus cum salute tua conjuncta est. Eleg. 8. lib. 2.

Si non unius, quæso miserere duorum:
Vivam, si vivet; si cadet illa, cadam.

Dolitura, ut Eleg. ult. lib. 4. *Si quid doliturus erit*. PASS. Horatius pariter Epodo 15.

O dolitura meâ multum virtute Neæra. V.

v. 28. SI QUID FORTE TIBI DURIUS INCIDERIT] Si quid adversi evenerit; ut Cynthiæ morbus evenit Eleg. 28. lib. 2. cujus caussam Propertius adscribit perjuriis. Prisca formula est in mortis mentione vitandâ, ut Passeratius animadvertit. Veteres enim studebant εὐφημεῖν, & a verbis male ominatis diligenter abstinebant. Cicero Tusc. 1. *Præclare Anaxagoras: qui quum Lampsaci moreretur, quærentibus amicis velletne Clazomenas in patriam, si quid accidisset, afferri; Nihil necesse est, inquit: undique enim ad inferos tantumdem viæ est*. Idem lib. 2. de Inventione: *Non est una pecunia, propterea quod altera jam erat pupilli adventicia: cujus heres non, illo in tempore, in testamento quisquam scriptus erat, si quid pupillo accidisset*. Pomponius Jurisconsultus L. *In vulgari* 162. D. *de Verborum Significatione: Si quis ita in testamento scripserit, Si quid filio meo acciderit, Damas servus meus liber esto: mortuo filio Damas liber erit. licet enim accidat & vivis, sed vulgi sermone etiam mors significatur*. Julianus quoque J. C. in L. *Quidam ad S. C. Trebellianum, Si quid ei prius acciderit*. verba sunt testamenti. M. Seneca Controvers. X. *Non futurum periculum uxoris, si quid accidisset viro*. Et rursus: *Nempe si quid acciderit viro, peritura est....... si quid filiæ meæ acciderit, vir ejus victurus est*. Eamdem formulam usurpabant de gravi aliqua calamitate. Cæsar lib. 1. Belli Gallici cap. 18. *Si quid accidat Romanis, summam in spem regni per Helvetios obtinendi venire: imperio populi Romani, non modo de regno, sed etiam de ea quam habeat gratia desperare*. Dicebant etiam quum vellent mortem significare: *Si quid eo fuerit*, vel *me fuerit*. Plautus Trinummo 1, 2, 119.

Nunc si ille huc salvus revenit, reddam suum sibi:
Si quid eo fuerit, certo illius filiæ,
Quæ mihi mandata est, habeo dotem unde dem.

Ennius apud Festum:

Si quid me fuerit humanitus, ut teneatis.

Huc pertinet illud etiam Ciceronis pro Lege Manilia: *Quum ex vobis quæreret* (Catulus) *si in uno Cn. Pompejo omnia poneretis, si quid de eo factum esset, in quo spem essetis habituri*. Dicerent Itali, *Se Dio facesse altro di me, di te, di lui*. Illa quoque in eodem censu: Sallustius lib. 5. Histor. apud Arusianum: *Si Pompejo quid humani evenisset*. Justinianus Cæsar lib. 2. Institut. cap. 7. *Si quid humanitus ei contigisset*. Similis fuit hoc in genere Græcis religio. In testamento Aristotelis apud Laërtium: Ἔσται μὲν εὖ· ἐὰν δέ τι συμβαίνῃ, τάδε διέθετο Ἀριστοτέλης. *Bene quidem vertat: sed si quid contigerit, hæc disponebat Aristoteles*. Item Strato Lampsacenus, physicus nobilissimus, pariter in testamento apud eumdem Laërtium: Τάδε διατίθεμαι ἐάν τι πάσχω. *Hæc ita statuo, si quid mihi sinistri accidat*. Homerus lib. 10. Iliados. 26. Μή τι πάθωσιν Ἀργεῖοι. *Ne quid patiantur Argivi*. VULP.

ibid.

Muta prius vasto labantur flumina ponto,
Annus & inversas duxerit ante vices:
Quam tua sub nostro mutetur pectore cura,
Sis quodcumque voles, non aliena tamen.

Quam-

ibid. SI QUID DURIUS] Seneca de Vita Beata cap. 15. *Dolere quod aliquid tibi incidit durius*. Cæsar lib. 3. de Bello Civili, verbis Pompeji: *Tuemini castra, & defendite diligenter, si quid durius acciderit, si victi erimus*. PASS. Ita Plancus ad Ciceronem Epist. 21. lib. 10. ad Famil. *Si durius aliquid esset*. Cæsar quoque lib. 1. Belli Gallici cap. 48. *Ad hos se equites recipiebant: hi, si quid erat durius, concurrebant*. Virgilius in Catalectis:

Si quid de patria tristius audiero.

Apud Xiphilinum Livia conjugem Augustum sic alloquitur: Σωζομένου μὲν σοῦ ϗ αὐτὴ τὸ τήμερον ἄρχω, δεινὸν δέ τι παθόντος (ὃ μὴ γένοιτο) συναπολοῦμαι. *Te sospite, & ipsa regno: te patiente grave quiddam (quod absit) & ipsa simul pereo*. Nonnumquam vero ad malum omen vitandam ἀποσιωπήσει utebantur. Ovidius Epist. Laodamiæ v. 163.

Me tibi venturam comitem (juro) quocumque vocaris:
Sive, (quod heu timeo!) sive superstes eris.

Porro, de Romanorum superstitione in subticendis verbis quæ aliquid mali portendere viderentur, legi potest Commentarius Paulli Manutii in Epist. 2. lib. 1. Ciceronis ad Famil. v. *in aliis omnia*. VULP.

ibid. INCIDERIT] Pro acciderit. Cicero lib. 1. de Oratore: *Ut nihil incidisset postea civitati mali, quod non impendere illi tanto ante vidissent*. Cornelius Celsus lib. 2. Medic. cap. 1. *Neque solum in bona tempestatum habitu certior valetudo est; sed priores morbi quoque, si qui inciderunt, leviores sunt, & promtius finiuntur*. Et lib. 3. cap. 2. *Non quod non interdum id incidat, aut non decipiat, sed quod sæpius fallat*. Julianus J. C. Lege 10. D. de Legibus: *Neque Leges neque Senatus consulta ita scribi possunt, ut omnes casus qui quandoque inciderint, comprehendantur: sed sufficit ea quæ plerumque accidunt contineri*. Denique Suetonius in Tiberio cap. 8. *Curam administravit annonæ, quæ arctior inciderat*. VULP.

v. 29. MUTA PRIUS VASTO LABANTUR FLUMINA PONTO] Illud ante continget, ut flumina sine ullo strepitu in mare devolvantur, quod eorum naturæ contrarium est. Ita hunc versum emendavit Muretus, quum in editionibus legeretur *Multa*. Emendationem probat Broukhusius, jure ac merito quidem. Sic mare tranquillum *mutum* Plautus & Seneca Tragicus vocaverunt; alii vero scriptores fluvios quosdam *tacentes* ac *taciturnos* dixerunt, quod ἡσύχως fluere soliti sint. Horatius Ode 31. lib. 1. *Rura quæ Liris quieta Mordet aqua taciturnus amnis*. Papinius lib. 4. Silvar. Carm. 3. *Qualis Cinyphius tacente ripa Pœnos Bagrada serpit inter agros*. Videsis quæ nos attulimus ad Tibullum Eleg. 7. lib. 1. v. 13. Voces *mutum* ac *multum* indocti librarii facile olim corrumpebant, & inter se permutabant. Monet Passeratius, in veteri Propertii codice legi hoc loco *Nulla*; ut dicat poeta: Prius flumina in pontum labi desinent. perspicuum genus ἀδυνάτου. quæ lectio, ut mihi videtur, ceteris præferenda. VULP.

v. 30. ANNUS ET INVERSAS DUXERIT ANTE VICES] Vicissitudinem temporum in contrarium mutabit. Tribuit anno quod est cæli & Solis. Tibullus pariter Eleg. 4. lib. 1.

Annus agit certa lucida signa vice.

Ducere autem pro *agere*. Noster Eleg. 10. lib. 3.

Remorumque pares ducite sorte vices.

Vices, temporum vicissitudines, ver, æstas, autumnus, hiems. *Inversæ vices*, anni tempestates præpostero ordine. Horatius Sat. 1. lib. 1. *Inversum contristat Aquarius annum*. PASS.

v. 31. QUAM TUA SUB NOSTRO MUTETUR PECTORE CURA] Quam amor tui alio transferatur. *Cura tua*, amor tui, ut Elegia 8. supra: *Nec te mea cura moratur*. id est cura mei. Recte vero, *sub pectore*: ibi enim curæ & amoris sedes. Ennius:

O Tite, si quid ego adjuero, curamve levasso,

Quamve mihi viles isti videantur ocelli,
Per quos sæpe mihi credita perfidia est.
Hos tu jurabas, si quid mentita fuisses,
Ut tibi suppositis exciderent manibus.
Et contra magnum potes hos attollere Solem?
Nec tremis admissæ conscia nequitiæ?

Quis

Quæ nunc te coquit, & versat sub pectore fixa,
Ecquid erit præmî?

Virgilius 4. Æneid. *Vivit tacitum sub pectore vulnus*, Cicero 1. Tuscul. *Plato rationem* (τὸ ἡγεμονικὸν) *in capite, iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locavit*. PASS.

v. 32. SIS QUOCUMQUE VOLES] Et rigidis moribus, & dissolutis. Eleg. 32. lib. 2.

Quod si tu Grajas, sive es imitata Sabinas;
Semper vive meo libera judicio. PASS.

ibid. NON ALIENA TAMEN] Non aversa, nec iniqua mihi. ut Eleg. 8. supra v. 18. P.

v. 33. VILES OCELLI] Minimi pretii. Horatius Sat. 5. lib. 1. *Venit vilissima rerum Hic aqua*. *Isti* vero κατ' ἐξοχὴν, ut apud Appulejum lib. 5. A. A. *Isti tui oculi per meos oculos ad ima delapsi præcordia acerrimum medullis meis commovent incendium*. Oculi autem res carissima. Catullus Carm. 82.

Quinti, si tibi vis oculos debere Catullum:
Aut aliud si quid carius est oculis.

Hinc ὑπερβολικῶς idem poeta Carm. 14.

Ni te plus oculis meis amarem. PASS.

v. 34. PER QUOS SÆPE MIHI CREDITA PERFIDIA EST] Sic Ovidius lib. 3. Amor, Eleg. 3.

Argutos habuit: radiant ut sidus ocelli:
Per quos mentita est perfida sæpe mihi. P.

Credita. Virgilius lib. 2. Æneid. 246.

Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora dei jussu, non unquam credita Teucris.

Perfidia vero pro *mendacium*. Ita Catullus de Nuptiis Pelei ac Thetidos:

Carmine, perfidiæ quod post nulla arguet ætas. V.

v. 35. HOS TU JURABAS] Utrumque dicitur, & *jurare oculos*, & *per oculos jurare*. Plautus Menæchmis act. 5. sc. ult. versu 1. *Suleis oculos jurare*. Ovidius lib. 3. Amor, Eleg. 3.

Perque suos illam nuper jurasse recorder,
Perque meos oculos: & doluere mei. PASS.

D. etiam Augustinus Sermone de Jacob & Esau: *Et oculi carnis nostræ dicuntur lumina; & unusquisque jurat, Per lumina mea*. VULP.

ibid. SI QUID MENTITA FUISSES] Si qua in re fefellisses & pejerasses. Formula videtur fuisse, ut *Si sciens fallo*. Horatius Sat. 8. lib. 1.

Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis
Corvorum.

Et Ovidius lib. 4. Fast.

Ille fidem jussis dedit; &, Si mentior, inquit,
Ultima quam fallam sit Venus ista mihi. P.

v. 36. UT TIBI SUPPOSITIS EXCIDERENT MANIBUS] In subjectas manus defluerent. Eleg. 33. lib. 2.

Cum quibus Idæo legisti poma sub antro,
Supposità excipiens, Nai, caduca manu.

Plautus Pœnulo 3, 1, 67.

Quin etiam deciderint vobis femina in talos velim.

Ao. *At ædepol nos tibi in lumbos linguam, atque oculos in solum.*

Et Casina 2, 6.

Ut tu oculos emungare per nasum tuos.

Sic Noster Eleg. ult. lib. 2.

Perfide, nonne tuæ tunc cecidere manus?

ob perfidiam scilicet & scelus. Ovidius pariter lib. 1. Amor. Eleg. 7.

Ante meos humeris vellem cecidisse lacertos. P.

v. 37. ET] Τὸ *&* servit exclamationi & objurgationi. Virgilius lib. 1. Georg.

Et dubitant homines serere, atque impendere curam?

Noster Eleg. 4. lib. 4.

Et satis una malæ potuit mors esse puellæ,
Quæ voluit flammas prodere, Vesta, tuas? PASS.

ibid. CONTRA MAGNUM POTES HOS ATTOLLERE SOLEM?] Audes & sustines rectis oculis Solem adversum, tuæ testem perfidiæ, intueri? Impudentiæ & confidentiæ

est

est tollere oculos; ut demittere, pudentis vel fracti animi. Lucretius lib. 1.

Primum Grajus homo mortales tollere contra
Est oculos ausus, primusque obsistere contra. P.

Ovidius pariter lib. 6. Metam. 605. in Fabula Philomelæ:

Sed non attollere contra
Sustinet hæc oculos, pellex sibi visa sororis.

L. item Seneca de Tranquillit. Animi, cap. 1. *Paullum titubat acies: facilius adversus illam* (luxuriam) *animum, quam oculos attollo.* Et lib. 1. de Beneficiis, cap. 3. *Non audebit adversus multa oculos attollere.* Et Epist. 71. *Alius jam in tantum profecit, ut contra fortunam audeat attollere oculos; sed non pertinaciter: cedunt enim nimio splendore perstricti.* Auctor Octaviæ Tragœdiæ 838.

Malis domanda est, & gravi semper juga
Premenda, ne quid simile tentare audeat,
Contraque sanctos conjugis vultus meæ
Attollere oculos.

Addendus Plautus Casina 5, 3.

Nec quid agam meis rebus scio;
Nec meam ut uxorem aspiciam contra oculis.

Græci eleganter dicerent: ἀντοφθαλμεῖν μεγάλῳ τῷ ἡλίῳ. Pulcherrime Dionysius Longinus περὶ ὕψους Sect. 34. Καὶ θᾶττον ἄν τις κεραυνοῖς φερομένοις ἀντανοῖξαι τὰ ὄμματα δύναιτο, ἢ ἀντοφθαλμῆσαι τοῖς ἐπαλλήλοις ἐκείνου πάθεσιν. *Adeo ut facilius aliquis adversus erumpentium nubibus fulminum ictus apertos oculos attollere possit, quam densis illius* (Demosthenis) *atque sibi supervenientibus affectibus immoto & non perculso animo obsistere.* Similiter locutus Theocritus Idyllio 5. 35. Μέγα δ' ἄχθομαι εἰ τύ με τολμῇς Ὄμμασι τοῖς ὀρθοῖσι ποτιβλέπειν. *Sed moleste admodum fero, quod tu me audes oculis rectis aspicere.* Et Idyllio 22. v. 66. Ὄμματα δ' ὀρθὰ Πὺξ διατεινάμενος. *Oculos vero rectos Eu pugilum disciplina intendens.* Quamobrem vir acutissimus Richardus Bentlejus ita legebat versus Horatii ex Ode 3. lib. 1. *Qui rectis oculis monstra natantia, Qui vidit mare turgidum.* quum vulgati libri habeant, *Qui siccis oculis.* Et sane lectionem suam pluribus Græcorum & Latinorum auctorum testimoniis egregie comprobavit. VULP.

ibid. CONTRA MAGNUM SOLEM] Propterea quod Sol omnia cernere crederetur, eumdemque facinorum humanorum testem ac vindicem esse putarent. Homerus Iliados lib. 3. ubi Agamemnon deos testes invocat:

Ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις.
Sol, qui cuncta audis, quique omnia conspicis
nunc.

Æschylus in Prometheo vincto:

Καὶ τὸν πανόπτην κύκλον Ἡλίου καλῶ.
Voco & videntem cuncta Solis circulum.

Ex hac opinione fabulati sunt, ab eo proditum Martis & Veneris adulterium. Vide Ovidium lib. 4. Metam. Cicero in Lucullo: *Solis autem magnitudo* (*ipse enim me hic radiatus intueri videtur*) *admonet ut crebro faciam mentionem sui.* Valerius Flaccus lib. 5. Argonautic. v. 248. *Solem vocavit omnituentem.* Illud Taciti memorabile lib. 15. Annal. cap. 74. *Tum decreta dona, & grates deis decernuntur, propriusque honos Soli, cui est vetus ædes apud Circum, in quo facinus parabatur, qui occulta conjurationis, numine retexisset.* Illustrant hæc omnia locum Plauti Milit. Glor. 3, 1, 208.

Non potuit reperire, si ipsi Soli quærendas
dares,
Lepidiores duas ad hance rem, quam ego.

De hac Solis in perspiciendo sollertia vide Maronem quoque lib. 1. Georg. ab illis verbis: *Solem quis dicere falsum Audeat?* Neque Lactantius, auctor Christianus, lib. 6. Div. Instit. cap. 18. ita scribere dubitavit: *Præcepit Deus non occidere Solem super iram nostram, ne furoris nostri testis abscedat.* V.

ibid. MAGNUM SOLEM] Sic Ovidius lib. 13. Metam. 852.

Quid? non hæc omnia magnus
Sol videt e cælo?

Placet hæc lectio eruditis viris; tametsi vulgo legatur, *magno.* Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. 44. *Heu magni Solis pudor!* Convenit hoc ἐπίθετον globo ipsi solari, a quo recentiores Astronomi globum terræ nostræ mirum in modum magnitudine superari, facile demonstrant. VULP.

ibid. POTES ATTOLLERE] Audes attollere. Cicero Accusat. 5. in Verrem cap. 52. *Tu, qui cives Romani esse dicerentur, qui a multis cognoscerentur, securi ferire potuisti?* Sic *audere* vicissim pro *posse* Lucretius posuit lib. 6.

Vitigeni latices in aquaï fontibus audent
Misceri: quom pix nequeat gravis, & leve
olivum.

Utroque verbo in una re usus est Tullius Catilin. 1. C. 3. *Num inficiari potes, illo ipso die te meis præsidiis, mea diligentia circumclusum commovere te contra rempublicam non*

Quis te cogebat multos pallere colores,
Et fletum invitis ducere luminibus?
Queis ego nunc pereo, similes moniturus amantes.
O nullis tutum credere blanditiis.

ELE-

potuisse? &c. sequitur C. 4. *num negare audes? quid taces? convincam, si negas*. BROUKH.

v. 38. NEC TREMIS ADMISSÆ CONSCIA NEQUITIÆ] Nec perhorrescis illum justitiæ oculum, stupri commissi, violatique tori bene conscia. ut Eleg. 8. libri 4. *Admissæ si vis me ignoscere culpæ*. & Eleg. 29. lib. 2.

Spiritus admisso notus adulterio.

Admittit, inquit Donatus, *qui fieri patitur*. Quid *nequitia*, vide Eleg. 6. supra versu 16. PASS.

v. 39. QUIS TE COGEBAT] Præcidit Cynthiæ excusationem necessitatis, de qua Eleg. 3. supra:

Neve quis invitam cogeret esse suam. PASS.

ibid. MULTOS PALLERE COLORES] Colorem faciei sæpe mutare. etenim pallor non unius coloris est. Horatius Epodo 7. *Albus ora pallor inficit*. Idem Ode 10. lib. 3. *Tinctus viola pallor amantium*. Idem Epodo 10. *pallor luteus*. Ovidius lib. 4. Metam. 266.

Membra ferunt hæsisse solo: partemque coloris
Luridus exsangues pallor convertit in herbas.

Est etiam auri pallor. Catullus Carm. 63. *Magis pallore expallueris auri*. Et Carm. 80. *Inaurata pallidior statua*. *Pallere*, cum quarto casu adhibuit & Persius Sat. 1.

Iratum Enpoliden prægrandi cum sene palles.
PASS.

Illud Aristæneti non dissimile Epist. 11. lib. 2. ὑφ' ἡδονῆς παντοδαπὰ χρώματα παρ' ἕκαστον λόγον ἠφίει. *Præ voluptate mutabat colorem ad singulas voces*. VULP.

v. 40. ET FLETUM INVITIS DUCERE LUMINIBUS] Lacrimas elicere & exprimere. *Ducere fletum*, ut ducere aquam e rivo, vel fonte. *Invitis luminibus*, ut Ovidius lib. 6. Metamorph.

Invitique oculi lacrimis maduere coactis.

Juvenalis pariter Sat. 13. *Vexare oculos humore coacto*. Sed mire Terentius Eunucho 1, 1, 22.

Hæc verba, una mehercle falsa lacrimula,
Quam oculos terendo misere, vix vi expresserit,
Restinguet.

Sapit hoc proverbium Græcorum Κροκοδείλου δάκρυα. PASS. Videtur Cynthia, quum aliqua de caussa alio migratura esset, novis juramentis, amplexibus, fletu, coloris mutatione, omni denique blanditiarum genere amorem suum Propertio testata esse, fidemque olim datam denuo obligasse. Lacrimarum potentes mulierculæ modo illas emittunt, modo revocant, ut libuerit. Egregie Juvenalis Sat. 6. de uxore maritum fallente:

Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat,
Uberibus semper lacrimis, semperque paratis
In statione sua, atque exspectantibus illam,
Quo jubeat manare modo.

Vide quæ animadvertimus ad Eleg. 22. lib. 3. v. 26. VULP.

v. 41. QUEIS EGO NUNC PEREO] Quibus illecebris & fraudibus eo sum adductus, ut vix ulla vitæ spes mihi reliqua sit. Tibullus pariter Eleg. 9. lib. 1.

Tunc miser interii, stulte confisus amari.
Nam poteram ad laqueos cautior esse tuos.
PASS.

ibid. SIMILES MONITURUS AMANTES] Incautos amantes, qui nimiam credulitatem meam imitantur, moniturus & verbis quæ sequuntur, & exemplo. ut Eleg. 1. supra v. ult. PASS.

v. 42. O NULLIS TUTUM CREDERE BLANDITIIS] Videlicet, neque jurijurando muliebri, neque pallori simulato, neque falsis lacrimulis. Ideo exclamat, *O nullis* &c. O dolentis & monentis simul. ut & Eleg. 9. supra:

Quisquis es, assiduas o fuge blanditias.

Persimile est illud Eleg. ult. lib. 2.

Expertus dico: Nemo est in amore fidelis.
PASS.

AR-

ELEGIA XVI.

QUæ fueram magnis olim patefacta triumphis
Janua Tarpejæ nota Pudicitiæ,

Cu-

ARGUMENTUM ELEGIÆ XVI. LIBRI I.] Januam impudicæ cujusdam de amissa pristina dignitate, ac præsenti sua turpitudine conquerentem inducit.

Hanc Elegiam laudat Broukhusius, neque immerito: cujus vero mulieris flagitia notare voluerit Poeta noster carmine tam arguto, obscurum esse ait & retrusum omnino. Pepercit nomini Propertius, pudore scilicet impeditus, aut ne crabrones irritaret, vel denique metu legis *malo quæ nollet carmine quemquam describi*. Nonnulli fortassis eo tempore intelligebant: nunc divinationi vix locus est. VULP.

Catullus poemate cujus initium est *O dulci jucunda viro*, sic inducit loquentem & respondentem Januam; & Tibullus Elegia 2. lib. 1. Januam alloquitur; & amator Phædromus apud Plautum in Curculione 1,1. Lucillius apud Nonium in *abstemius*.

Thaunomeno, inquit valva sororem
Lauificam dici siccam atque abstemiam, ubi audit. PASS.

V. 1. QUÆ FUERAM M. OLIM PATEFACTA TRIUMPHIS JANUA] Fefellit ratio Beroaldum; qui triumphalem portam hic intelligit. nam Janua non dicitur porta. *Janua*, inquit Servius in 1. Æneid. *est primus domus ingressus; sic dicta quia Jano consecratum est omne principium*. Significari autem puto, dominos illius Januæ triumphantes, & redeuntes e Capitolio suas in ædes sic investos. M. Tullius Philippica 2. in vestibulo ædium Pompeji rostra & spolia hostium fixa fuisse ait. *Magnis triumphis*, ut Horatius Ode 2. lib. 1. *Hic magnos potius triumphos, Hic ames dici pater atque princeps*. PASS.

Ut videtur, domus illa cujus Januæ Propertius linguam & orationem accommodat, in censu viri patricii olim fuerat, & ab eo habitabatur, qui vel ipse de hostibus triumphaverat, vel certe majores ejus: postea vero, ut sunt res humanæ, ad alios dominos aut inquilinos, sive hereditate, seu venditione, seu locatione, sive alio quo titulo transierat. Eam igitur domum mulier quædam haud ignobilis tunc incolebat, sed luxu perdita, & meretricio vitæ genere delectata. Id etiam contingere potuit, ut ædes illæ triumphales in tabernam & popinam demum converterentur, in quibus locis lenones & lupæ frequentes sunt; vel etiam in lupanar ipsum & πορνοτροφεῖον. *Est autem odiosum*, si Tullium audimus lib. 1. de Officiis, *quum a prætereuntibus dicitur*:

„ O domus antiqua, heu, quam dispari dominare domino! „

quod quidem temporibus ipsius *in multis licebat dicere*. Huc facit illud Plinii nobilissimum lib. 35. H. N. cap. 2. ubi de veterum Romanorum diligentia in conservanda historia familiari: *Alia foris & circa limina, domitarum gentium imagines erant, adfixis hostium spoliis, quæ nec emtori refigere liceret: triumphabantque etiam dominis mutatis ipsæ domus: & erat hæc stimulatio ingens, exprobrantibus tectis, quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum*. Quid si non imbelles tantum, sed famosus & famosas in ejusmodi ædes incolas admitti licuit? Hujus sane dedecoris testem locupletem habemus Propertium. VULP.

V. 2. TARPEJÆ NOTA PUDICITIÆ] Quam bene Tarpeja pudica noverat, quæ limen ejus servabat, ut pudicæ solent. *Tarpeia pudicitia* pro Tarpeja pudica, ut superiore Elegia v. 22. Quæ vero fuerit hæc Tarpeja, quærendum est. nam quod Beroaldus de Tarpeja Vestali intelligit, falsum esse apparet ex Eleg. 4. lib. 4. ubi ea impudica describitur. Ita quidem PASS. (parcant mihi manes docti viri) andabatæ in morem. Ego, si quid video, Tarpejam Pudicitiam pro Patricia, novo quodam & singulari loquendi genere, a Propertio usurpatam

patam

Cujus inaurati celebrarunt limina currus
Captorum lacrimis humida supplicibus:
Nunc ego nocturnis potorum saucia rixis
Pulsata indignis sæpe queror manibus.

Et

patam crediderim. De Pudicitiæ autem Patriciæ ac Plebejæ templis apud Rumanos jam vulgata omnia. Sed *Tarpeja pudicitia* præter patricium genus, triumphos etiam ab bominibua ejua generis deportatus significat. Mulier Tarpejâ pudicitiâ fuit inter alias Cornelia illa, de qua Juvenalia valde apposite, Sat. *6. 166.*

Malo Venusinam, quam te, Cornelia mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus adfers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.
Tolle tuum, precor, Hannibalem, victumque Syphacem
In castris, & cum tota Carthagine migra.

Janua igitur *Tarpejæ nota Pudicitiæ*, illa est quam olim bene sciebat Pudicitia Patricia, tamquam dea a nobiliuribus & triumphalibua culta matrunis. Purru uemo eruditorum ignorat, duces triumphantes triumphi pompam ad rupem Tarpejam, seu Capitolium, duxisse. VULP.

v. 3. INAURATI CURRUS] Quos etiam aureos vocabant, quamvis auro liti, non ex auro solido essent. Horatius Epodu *9.* *Io Triumphe, tu moraris aureos Currus.* Utebantur & eburneis. Tibullus Elegia 7. lib. 1.

At te victrices lauros, Messala, gerentem
Portabat niveis currus eburnus equis.

Catullus Carm. 80. dixit *inauratâ statuâ*: & Horatius Epist. 12. lib. 1.

--- Ut te
Confestim liquidus fortunæ rivus inauret. V. ibid. CELEBRARUNT LIMINA] Nobilia & celebria reddiderunt. Ita Cicero pro Murena: *Janua & vestibulum Q. Mucii frequentia civium quotidie celebratur.* Idem pro Sextio dixit *celebrare viam* & *celebrare domum* alicujus. PASS.

v. 4. CAPTORUM LACRIMIS HUMIDA SUPPLICIBUS] Fletu hostium qui in triumphum ducebantur rigata. Sic Ovidiua Eleg. 3. lib. 3. Tristium:

Deque tuis lacrimis humida serta data.

Neque aliter Persius Sat. 5.

Dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores exstincta cum face canis.

Lacrimis supplicibus, lenire & placare victorem cunantibus: mos enim fuit, ut hostium ducibus, qui catenati & manibua in tergum retortis currum triumphantis antecesserant, triumpho demum peractu cervices frangerentur in carcere. Simile igitur veri est, miseros hanc sortem lacrimis & precibua deprecatos fuisse. Hæc omnia pulchre ob oculos ponit Albinovanus Consolat. ad Liviam v. 271.

At tibi jus veniæ superest, Germania, nullum.
Postmodo tu pœnas, barbare, morte dabis.
Adspiciam regum liventia colla catenis;
Duraque per sævas vincula nexa manus:
Et tandem trepidos vultus: inque illa ferocum
Invitis lacrimas decidere ora genis.
Spiritus ille minax, & Drusi morte superbus,
Carnifici in mœsto carcere dandus erit.
Consistam, lætisque oculis, lentusque videbo
Strata per obscœnas corpora nuda vias.

Captorum autem pro *captivorum*. Ovidius pariter lib. 4. Puntic. Eleg. 13.

Sic capto Latiis Germanicus hoste catenis,
Materiam vestris adferat ingeniis. VULP.

v. 5. NOCTURNIS RIXIS] Turbis quæ noctu fiunt & jurgiis. Ovidius in Remed. Amuris:

Effice nocturnâ frangatur janua rixâ.

Et lib. 1. Artis:

Nec tua nocturnâ frangetur janua rixâ,
Sparsa nec invenies limina mane rosâ.

Rixa, inquit Cornelius Frontu, *est sine armis. Rixa duorum: Turba multitudinis*; Ulpianus Lege 4. D. *Vi bonorum raptorum*. P. ibid. POTORUM] *Potus*, ebrius. Plautus Amphitr.

Capiam ornatum qui potis decet.

Ovidius lib. 6. Fast.

- Senem potum pota trahebat anus. PASS.

Declinari potest etiam a *potor*. Horatius Sat. 8. lib. 2. 35.

--- Vertere pallor
Tum parochi faciem, nil sic metuentis ut acres
Potores.

Po-

Et mihi non desunt turpes pendere corollæ
Semper, & exclusi signa jacere faces.
Nec possum infamis dominæ defendere noctes
Nobilis obscœnis tradita carminibus.

Nec

Potus ebrium significat, *potor* ebriosum. VULP.

ibid. SAUCIA] Sauciam dixit Januam, quia ei etiam sensum ac orationem tribuit. Sic Horatius Ode 14. lib. 1. *Et malus celeri saucius Africo*. PASS. Ita Nux conqueritur apud Nasonem v. 37.

At mihi sæva nocent mutilatis vulnera ramis.

& v. 69.

Pertica dat sævis immitia vulnera ramis. V.

v. 6. PULSATA INDIGNIS SÆPE QUEROR MANIBUS] *διὰ τὸ αὐτὸ*, *saucia*, *pulsata*. Pulsare, est violare manu & verbere id quod sanctum esse dicitur, ut Virgilius 6. Æneid. *Pulsatusve parens*. Et 12. Æneid.

Pulsatos referens infecto fœdere divos.

Janua autem Jano sacra, & ejus sacri postes. deo quoque Limentino. *Indignis manibus*, sævis. ut Virgilius 6. Æneid. *Indigna morte peremtum*. Ovidius pariter Epist. Canaces: *Indignos edidit ore sonos*; id est verba sæva, crudelia. An est hypallage, pro indigne & immerito? Non autem manibus tantum, sed & saxis cædebatur Janua & calcibus, teste Plauto: præterea vectibus & sagittis, teste Horatio. Ceterum, *τὸ sæpe* iterandum est, & *sæpe pulsata* & *sæpe queror*. Horatius Ode 25. lib. 1. *Junctas quatiunt fenestras Ictibus crebris juvenes protervi*. PASS.

v. 7. MIHI NON DESUNT PENDERE] *γένος ἑλληνισμοῦ*. Non desinunt pendere, scilicet pendent semper. Ut *desit Amor*, Eleg. 1. supra. & Eleg. 8. supra: *Nec me deficiet nautas rogitare*. Vide adnotata ad illud Tibulli in Panegyrico:

Tum tibi non desit faciem componere pugnæ.

PASS.

ibid. TURPES PENDERE COROLLÆ] Turpes, quia hic erat ornatus ebriorum, ut ait Plautus in Amphitr. Pendere autem solebant e foribus corollæ. Id testatur Tibullus Eleg. 2. lib. 1. Januam allocutus:

Te meminisse decet quæ plurima voce peregi
Supplice, quum posti florea serta darem.

Lucretius quoque lib. 4.

At lacrimans exclusus amator limina sæpe
Floribus & sertis operit, postesque superbos
Unguit amaracino.

Pendebant corollæ & ante fores templorum. Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores. PASS.

Turpes corollas vocare potuit Propertius, quod impudicitiam & infamiam dominæ, in cujus limine ponebantur, non obscure significarent. Iccirco si quis eas ad honestæ limen posuisset, actionem injuriarum in ipsum licuisset intendere. VULP.

v. 8. EXCLUSI SIGNA JACERE FACES] Faces, inquit, exstinctæ atque in limine abjectæ mihi semper adsunt, quæ quum crastina dies advenerit, testentur, exclusum amatorem noctu in limine jacuisse, ac discedentem eas abjecisse, & ibi reliquisse. Persius Sat. 5.

--- *Dum Chrysidis udas*
Ebrius ante fores exstincta cum face canto.

Τὸ *exclusi* debetur Justo Lipsio lib. 3. Var. Lect. cap. 12. quum antea duriùs & obscuriùs legeretur *exclusis*. Ceterum *jacère*, verbum contemtus & negligentiæ. Ovidius in Remed. Amoris v. 139.

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemtaque jacent, & sine luce faces. V.

v. 9. NEC POSSUM INFAMIS DOMINÆ DEFENDERE NOCTES] Quia ipsa sum infamis, cui agere & patrocinari non licet. Lege 1. D. *de Postulat*. PASS. Quasi dicat: Januæ reliquæ noctu domum operiunt, & dominorum flagitia occultant: mihi vero id facere non licet; famosis enim ac turpibus epigrammatis, quæ affixa postibus cogor sustinere, loquor de stupris dominæ meæ, quæ nemini jam ignota esse possunt. Vel *infamis noctes*, pro *infames*, antiqua horum accusativorum terminatione. Sic vero *τὸ dominæ*, tertius casus fuerit, atque ita versum explicabimus: Nec possum ab hera mea famosas noctes propulsare; siquidem obscœnis carminibus in limine pendentibus fit, ut ad me convolent scortatores, quum

sciant

Nec tamen illa ſuæ revocatur parcere famæ,
Turpior & ſæcli vivere luxuria.

Hæc

ſciant hic meretricem habitare . Virgilius pariter dixit , *defendite frigora myrtis :* Horatius , *Defendit æſtatem capellis Uſque meis , pluvioſque ventos* . VULP.

ibid. INFAMIS DOMINÆ] Hoc eſt quod dicturus ſub finem Elegiæ , *Dominæ vitiis æterna differor invidia* . Nam infamia libidinis comes . Ita Eleg. 17. lib. 3.

Infamis ſtupro ſtat Pelopea domus . PASS.

ibid. DEFENDERE NOCTES] Purgare & excuſare negando , vel refellendo ſtupra nocturna . Sic Eleg. 3. lib. 4.

Hæc ne marita fides , & pactæ ſunt mihi noctes?

Ibi tamen ſermo de legitima & maritali conſuetudine . Plautus Aſinar. *Pactis legibus noctem hujus & cunam ſibi dares* . PASS. Et centies Ovidius in Amatoriis . VULP.

v. 10. NOBILIS] Hoc vocabulum derivatur a *noſco* , & in utramque partem accipi ſolet . Dicimus enim *nobilem civitatem* , *familiam* , *ſcriptorem* , *artificem* , *hiſtrionem* , *meretricem* , *latronem* , ut quiſque ſeu virtute , ſeu vitio maxime præcellit . M. Tullius lib. 2. de Officiis : *Teſtis eſt Phalaris , cujus eſt præter cæteros nobilitata crudelitas* . Terentius Eunucho 5 , 7.

Tu jam pendebis , qui ſtultum adoleſcentulum nobilitas
Flagitiis .

Lucillius lib. 7. Satyr. *Phryne nobilis illa* . Horatius Sat. 3. lib. 2.

Par nobile fratrum ,
Nequitia & nugis , pravorum & amore gemellum . VULP.

ibid. OBSCŒNIS TRADITA CARMINIBUS] Famoſis ac turpibus Elegiis , Odis , Epigrammatis commendata hominum ſermoni , quæ impudicam heram teſtentur . Hæc autem carmina vel canebantur ſolum , vel etiam litteris mandabantur . Plautus Mercat. 2 , 3.

Noctu occentent oſtium ;
Meæ impleantur carbonibus elogiorum fores .

ubi alii legere malunt *eclogiorum* , vel *elogiorum* ; quia elogia , *blaſons* . Sed τὸ ἐλεγεῖον , verſus elegiacus & amatorius . Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 1.

Ah quoties foribus duris inciſa pependi ,
Non verita a populo prætereunte legi .

Eo loco ipſa Elegia loquens inducitur . Idem lib. eodem Eleg. 7.

Ad rigidas canto carmen inane fores .

Interpres vetus Perſii ad Satyram 5. *Fores amicarum ſolent unguento perſuadere , & ante januam illorum noctem vigiliis & cantu tranſigere* . PASS. Licentiam populi Romani in differendis carmine hominum perditorum flagitiis commemorat Cicero Epiſt. 3. lib. 2. ad Q. Fratrem . *Ea res acta eſt* , inquit , *quum omnia maledicta , verſus etiam obſcœniſſimi in Clodium & Clodiam dicerentur* . V.

ibid. OBSCŒNIS] Impudicis . *Obſcœna* , inquit Feſtus in Oſcum , *mali ominis : vel impudentia & ſpurca , a libidine & ſpurcitia Oſcorum* . PASS.

ibid. TRADITA] Ut Cicero Philippica 13. *Quem ego inuſtum veriſſimis maledictorum notis tradam hominum memoriæ ſempiternæ* . Quod autem vulgatur , quaſi per manus traditur . Cæſar lib. 2. de B. Gallico : *Tradere ſermones alios alii* . PASS. Ego vero ita interpretor : *Tradita carminibus* ; nempe verſibus & poematis commiſſa , ut infamia qua laboro , numquam extinguatur . Horatius Ode 9. lib. 4. *Vivuntque commiſſi calores Æoliæ fidibus puellæ* . hoc eſt amores traditi & commendati lyricis carminibus Sapphûs , poetriæ excellentiſſimæ . Nec illud ejuſdem auctoris diſſimile Sat. 1. lib. 2. 30. de Lucillio :

Ille velut fidis arcana ſodalibus olim
Credebat libris . VULP.

v. 11. NEC TAMEN ILLA SUÆ REVOCATUR PARCERE FAMÆ] Non poteſt eo reduci , ut famæ ſuæ conſulat . De hoc genere loquendi *Revocatur parcere* , dictum ad Eleg. 9. ſupra v. 5. Revocamur autem a periculis & malis ; ut Eleg. 1. ſupra , *Lapſum revocatis* . & Cicero alicubi , *Revocare a flagitio , ſcelere , furore* . *Parcere famæ* , eſt conſulere exiſtimationi ſuæ . Plautus Aſinar. *Quæ amanti parcet , eadem ſibi parcet parum* . Suetonius in Caligula cap. 36. *Nec ſuæ , nec alienæ pudicitiæ pepercit* . Afranius Epiſtola , apud Nonium in *Comparare :*

Nam proba & pudica quod ſum , conſulo & parco mihi . PASS.

Ita Salluſtius B. Catilin. de Sempronia :

Pe-

Hæc inter gravibus cogor deflere querelis
Supplicis ah longas tristior excubias.

Pecuniæ, an famæ minus parceret, haud facile discerneres. Et cap. 56. in Orat. Catonis: *Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiæ, si famæ suæ, si diis, aut hominibus umquam ullis pepercit*. VULP.

v. 12. TURPIOR ET SAECLI VIVERE LUXURIA] Non revocatur a turpi vita, & a luxuria corruptisque moribus hujus ætatis. Culpam autem confert in sua tempora. de quibus Eleg. 7. supra: *Ætatis tempora dura queri*. Multa quoque in luxuriam suæ ætatis dixit Eleg. 2. supra. Vide & Eleg. 13. lib. 3. quam totam consumit in conquestione de luxuria. Seneca Consolat. ad Helviam cap. 16. *Maximum seculi malum impudentia*. Apud Marcum ejus patrem in procemio lib. 1. Controvers. *dicere de seculo*, est declamare adversus malos mores. Tacitus de Moribus Germanorum cap. 19. *Nemo enim illic vitia videt: nec corrumpere & corrumpi seculum vocatur*. Noster Eleg. 25. lib. 2.

Non tamen ista meos mutabunt secula mores.

Albinovanus ad Liviam:

Quid tenuisse animum contra sua secula rectum?
Altius & vitiis exseruisse caput?

Auctor denique Octaviæ Tragœdiæ:

Tatum per orbem maximum exortum est malum
Luxuria, pestis blanda, cui vires dedit
Roburque longum tempus, atque error gravis.
Collecta vitia per tot ætates diu
In nos redundant: seculo premimur gravi. P.

In divinis litteris *desideria secularia* sunt pravæ cupiditates hominibus familiares, quas consuetudine potissimum ac seculi moribus excusare conamur. *Turpior* autem, dixit poeta, quod ea mulier, quæcumque tandem illa fuit, in dies turpior fieret ac magis dissoluta: vel turpior luxuriâ ipsâ seculi sui; quod ætate corruptissimâ reliquos tamen vitiosos & luxu perditos longe anteiret. Animadverte, lector; τὸ *revocatur*, quod est in superiore versu, accessum simul & recessum significare: illa etenim femina non revocabatur ad parcendum famæ suæ (ut Cicero dixit in Epistolis ad Atticum, *revocare ad severitatem*): neque a vivendo turpiter, flagitiose, ac luxuriose. VULP.

v. 13. HÆC INTER GRAVIBUS COGOR DEFLERE QUERELIS SUPPLICIS AH LONGAS TRISTIOR EXCUBIAS] Ita hunc locum fœde, ut videtur, corruptum Broukhusius refinxit, partim ex vetustis codicibus, partim ex ingenio & conjectura. Sed nondum sublata obscuritas & durities: atque adhuc medica manu opus est. Quod si in detergendo situ bonorum auctorum, divinatione atque audacia uti liceret, facile confici res posset: omnia vulnera sanarentur, omnia luxata restituerentur, omnes lacunæ nullo negotio explerentur: quo quid optabilius? quid felicius? At nos interpretum somnia valere jubemus: vera requirimus & antiqua; quæ si eruere, ob nimiam vetustatem, aut librorum defectum prohibemur, ipsis ruderibus ac ruina veteris ædificii, quam interpolato & novo magis delectamur. Distichi sententiam Broukhusius hoc pacto explicare conatur: Interea, inquit Janua, dum domina mea fovet sinu alium amatorem, exclusus ante fores pernoctat, non secus ac excubitor aliquis, graviter de me queritur, quasi mea culpa sit, quod ipse excludatur; tota nocte mihi molestus est: identidem tamen ad miseras preces ac blanditias confugit, si forte illum velim admittere; quo fit ut ipsa collacrimari, & non tam sortem ejus, quam infamiam meam deflere cogar. Legebat olim Scaliger:

Hæc inter gravius cogor deflere querelas
Supplicis a longis tristior excubiis.

τὸ *hæc* invenit etiam Passeratius in codice antiquo. *Hæc inter*, ἀναστροφὴ, pro *inter hæc*; quod valet interea; ut post hæc, valet postea. Suetonius in Caligula cap. 45. *Inter hæc senatum objurgavit edicto*. Porro *graves querelæ*, sævæ; ut Eleg. 17. infra versu 9. Cicero pro Marcello: *Nunc veniam ad gravissimam querelam & atrocissimam suspicionem suam*. VULP.

v. 14. SUPPLICIS] τὸ *Supplicis* per se stat; ut apud Virgilium 2. Æneid. *Sed jura, fidemque Supplicis erubuit*. Tibullus quoque Carm. 13. lib. 4.

Hæc notat injustos, supplicibusque favet. P.

ibid. EXCUBIAS] Excubat, qui extra cubat. Vetus Glossarium: *Excubitus*, ἐκκοί-

Ille meos numquam patitur requiescere postes,
Arguta referens carmina blanditia:
Janua vel domina penitus crudelior ipsa,
Quid mihi tam duris clausa taces foribus?

Cur

τηεις. *Excubiæ*, pervigilium ante fores. Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Tum niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridit, & æratas excubat ante fores.

De excubiis amantium Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 9. ubi amantem cum milite comparat:

Pervigilant ambo, terra requiescit uterque:
Ille fores dominæ servat, at ille ducis. P.

v. 15. ILLE MEOS NUMQUAM PATITUR REQUIESCERE POSTES] Amator exclusus non sinit capere somnum & dormire postes, quibus suffixa sum. Sic Plautus Curcul. 1, 2. *Hoc vide, ut dormiunt pessuli pessumi, nec mea gratia se commovent ocyus.* Noster Elegia 25. lib. 2. navi quietem tribuit:

Putris & in vacua requiescit navis arena.

Catullus autem prior Carm. 4. de phaselo: *Nunc recondita Senet quiete.* PASS.

v. 16. ARGUTA BLANDITIA] Tinnula, canora, garrula. ut adnotatum ad Eleg. 6. supra:

Illa mihi totis argutat noctibus ignes. PASS.

Eodem pacto Eleg. 18. infra:

Et, quæcumque meæ possunt narrare querelæ,
Cogor ad argutas dicere solus aves. VULP.

ibid. REFERENS CARMINA] Iterum & sæpius memorans & recinens. Dictum Eleg. 1. supra versu ult. & Eleg. 4. versu 6. PASS.

ibid. BLANDITIA] Assentatiuncula, χρηστολογίᾳ, bonis verbis. Vide adnotata ad Eleg. 9. supra, v. 30. Sic Ovidius in Remediis Amoris:

Nec dic blanditias, nec dic convitia posti. P.

Hoc vocabulum singulari numero usurpavit & Plautus Truculento 2, 7, 19. *Meretrix meum herum miserum sua blanditia intulit in pauperiem.* Lucillius quoque lib. 1. Satyr. apud Lactantium Div. Inst. lib. 1. cap. 9.

Blanditia certare, bonum simulare virum se.

M. Cicero pro Cn. Plancio: *Facilis est illa occursatio, & blanditia popularis.* Et Quintus, ejus frater, De Petitione Consulatus: *Dicendum est de illa altera parte petitionis, quæ in populari ratione versatur. Ea desiderat nomenclationem, blanditiam, assiduitatem, benignitatem, rumorem, spem in republica.* Infra vero: *Sed opus est magnopere blanditia.* P. Syrus:

Blanditia, non imperio fit dulcis Venus.

Quintilianus denique lib. 10. Inst. Orat. cap. 1. ubi de legendis ab oratore poetis: *Attrita quotidiano actu forensi ingenia, optime rerum talium blanditia reparantur.* Vide Theophrastum in Ethicis Characteribus, περὶ ἀρεσκείας. VULP.

v. 17. JANUA VEL DOMINA PENITUS CRUDELIOR IPSA] Hic incipit nocturna querela exclusi amatoris. nihil crebrius in moribus & amoribus illorum antiquorum. passim vestigia reperias in poetis. ea carmina παρακλαυσίθυρα vocabant Græci, a fletu ad januam, ut auctor est Plutarchus in Erotico, ubi Protogenes insectatur amorem viduæ Ismenodoræ, adolescentulum Bacchonem ultro adpetentis. originem nominis adlusit Persius Sat. 5.

an rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscœnum frangam, dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores exstincta cum face canto?

sed, ut solet, post Horatium L. 3. Od. 10.

Extremum Tanaim si biberes, Lyce,
Sævo nupta viro; me tamen asperas
Porrectum ante fores objicere incolis
Plorares Aquilonibus.

quæ Oda perfectissimum exemplum est carminis paraclausithyri, uti post illustrem Torrentium bene observavit Andreas Dacerius. Verum quod addit vir egregius, hanc esse solam atque unicam quæ ex hoc genere cantilenarum ad nos pervenerit ex omni antiquitate Romana; in eo quantum fallatur, ostendit hæc ipsa Elegia quam præ manibus habemus. ostendit & alia apud Nasonem, quæ est sexta libri Amorum primi. est & apud Tibullum tale quid L. 1. Eleg. 2. & apud Plautum Curcul. Act. 1. Sc. 1. De toto hoc carmine paraclausithyro (id quod merito mireris) nihil monuit Julius Cæsar Scaliger in laudatissimis Poetices libris. monuit vero eruditissi-

Cur numquam reſerata meos admittis amores,
Neſcia furtivas reddere mota preces?
Nullane finis erit noſtro conceſſa dolori?
Triſtis & in tepido limine ſomnus erit?

Me

tiſſimus Caſaubonus in Commentario Perſiano. BROUSH.

ibid. JANUA V. DOMINA PENITUS CRUDELIOR IPSA] Et tuâ & meâ dominâ multo durior, ut mox: *ferro durior & chalybe*. Ovidius lib. 3. Artis Amat.

Ante fores jaceat: Crudelis janua, clamet. P.

ibid. VEL DOMINA IPSA CRUDELIOR] *Vel* pro *etiam*. Cicero Epiſt. 15. Libri 7. ad Famil. *Quam ſint moroſi qui amant, vel ex hoc intelligi poteſt*. VULP.

ibid. PENITUS] Omnino. Virgilius Ecl. 1.

Et penitus toto diviſos orbe Britannos.

Aut valde. ut 1. Æneid. *Penitusque ſecantes Acceſtis ſcopulos*. & 6. Æneid. *Penitus convalle virenti*. Junxit autem cum comparativo, ut Plautus in Amphitr. *Magis majorem in modum*. Et Captivis: *Non inveniet hoc certe magis certius*. & alibi: *Magis majores nugas egerit*. PASS.

v. 18. QUID MIHI TAM DURIS CLAUSA TACES FORIBUS?] Contra Eleg. 21. lib. 2. *Nobis nonnumquam Janua mollis*. *Fores*, inquit Servius, *quæ foras aperiuntur: valvæ, quæ in ſe revolvuntur & ſe velant: Janua, primus ingreſſus*. habet igitur janua fores, ut valvæ. Ovidius lib. 2. Metam.

Argenti bifores radiabant lumine valvæ.

Sic Livius lib. 1. *fores portarum*. & lib. 25. *fores portæ*. *Duras* vocat, ut Ovidius Elegia 6. lib. 1. Amor.

Vos quoque crudeles rigido cum limine poſtes,
Duraque conſervæ ligna valete fores.

Et Horatius Ode 10. lib. 3. *Aſperas Porrectum ante fores*. PASS.

v. 19. RESERATA] Aperta. Varro ſub finem lib. 6. de L. L. *Reſerare a ſera dictum, ideſt aperire; unde ſeræ quibus remotis fores panduntur*. Nonius: *Reſerare, quia remota ſera fores pateſiunt*. Idem & Feſtus in *Litera*. Unde Ovidius Eleg. 6. lib. 1. Amor. *Excute poſte ſeram*. Albinovanus ad Liviam:

Claudite jam, Parcæ, nimium reſerata ſepulcra. PASS.

ibid. MEOS ADMITTIS AMORES] Sinis ingredi me amantem. τὸ *admittere* opponitur τῷ *excludere*. Eleg. 17. lib. 2.

Nunc decimo admittor vix ego quoque die.

Et Eleg. 19. lib. 3.

Vix tamen aut ſemel admittit quum ſæpe negavit.

Meos amores, me ipſum qui amo. ut Elegia 2. ſupra, *Noſtræ gratiſſima vitæ*. Et Elegia 17. hujus libri:

Illic ſi qua meum ſepeliſſent fata dolorem.

Et Eleg. 19. *Ne forte tuo careat mihi funus amore*. pro te amica. PASS. Harum locutionum ſeges uberrima in Propertio. V.

v. 20. NESCIA REDDERE PRECES] Ut Horatius Ode 6. lib. 1. *Pelidæ ſtomachum cedere neſcii*. Virgilius quoque 4. Georg.

Neſciaque humanis precibus manſueſcere corda. PASS.

Adde Lucanum 1. Pharſaliæ: *Bruma rigens, ac neſcia vere remitti*. VULP.

ibid. FURTIVAS PRECES] Quæ furtim & clam fiunt. ut Eleg. 3. ſupra: *furtiva poma*. vide illic adnotata. PASS.

ibid. REDDERE PRECES] Perferre ad dominam; ut redduntur nobis litteræ a nunciis & tabellariis. PASS. Eodem pacto & *referre* uſurpatur. Virgilius Ecl. 3.

O quoties, & quæ nobis Galatea locuta eſt!
Partem aliquam, venti, divûm referatis ad aures.

Sane hac eadem Elegia Propertius:

O utinam trajecta cavâ mea vocula rimâ
Percuſſas dominæ vertat in auriculas. V.

ibid. MOTA] Miſerata meas ærumnas. Movetur enim animus miſericordia. Ovidius lib. 1. Metam. 379.

Dic Themi, qua generis damnum reparabile noſtri
Arte ſit: & merſis fer opem, mitiſſima, rebus.
Mota dea eſt; ſortemque dedit.

Porro, ut Paſſeratius animadvertit, *mota* hoc loco ſignificat, quæ ſe inflexam miſericordia oſtenderet, ſi redderet. Vide adnotata ad illud Elegiæ 8. ſupra:

Non tamen illa meos fugit avara ſinus. V.

v. 21. NULLANE FINIS ERIT NOSTRO

Me mediæ noctes, me sidera prona jacentem;
Frigidaque Eoo me dolet aura gelu.

Tu

CONCESSA DOLORI ?] Ecquis dabitur meis curis modus? Simile Eleg. 17. hujus libri.

Nullane placatæ veniet fortuna procellæ?

Nonius, ubi profert eorum auctoritates qui *finis* dixerunt genere feminino, citat Actium Phœnissis : *Neque ulla interea finis curai datur*. sic correxi pro *cuius*. Hæc duo inter se similia sunt, *datur finis*, *concessa finis*. Virgilius 1. Æneid. *Dabit deus his quoque finem*. A. Gellius lib. 13. N. A. cap. 19. ad illud Virgilii 2. Æneid. *Hæc finis Priami fatorum*. PASS.

Horatius pariter ad Canidiam Epodo 17.

Quæ finis, aut quod me manet stipendium? V.

v. 22. TRISTIS SOMNUS] Acerbus, amarus : quies irrequieta. Sic Eleg. 19. lib. 2.

Nec tibi clamatæ somnus amarus erit.

Tristia centaurea, pro *amara* dixit Lucretius libro 4. *Turpis* in quinque libris invenit Broukhusius : quod ipse improbat, recto judicio. neque enim amatores quidquam pudet. VULP.

ibid. IN TEPIDO LIMINE] Quod scilicet fovendo & incubando intepuit. Catullus in Galliambo :

Mihi januæ frequentes, mihi limina tepida.

nempe amantium conventu. Sic Noster Eleg. 7. lib. 4.

Fecerunt tepidas pallia nostra vias.

Ceterum in limine cubile amantium. Horatius Ode 10. lib. 3. *Non hoc semper erit liminis aut aquæ Cælestis patiens latus*. Idem Epodo 11. *Heu Limina dura, quibus Lumbos & infregi latus*. Plato quoque in Convivio inter ineptias amantium commemorat κοιμήσεις ἐπὶ θύραις. dormitationes ad fores. PASS.

v. 23. MEDIÆ NOCTES] Mediam noctem venerabantur; credo quia esset diei civilis initium. Horatius Ode 19. lib. 3. ubi libat : *Da Lunæ propere novæ, Da Nocti mediæ*. P. Sed ibi legendum, *Da noctis mediæ : Lunæ* quoque *novæ* secundus est casus, non tertius. consule interpretes. Noster Eleg. 33. lib. 2.

Lenta bibis : mediæ nequeunt te frangere noctes. VULP.

ibid. SIDERA PRONA] Ita liber Josephi Scaligeri, & Groninganus a Broukhusio inspectus. Qui elegantissimus vir docet, significari partem illam noctis quæ sequitur μεσονύκτιον, quum sidera polo declivi prona parum abest ut mergantur in alto mari, veniente Lucifero. Eam partem excipit crepusculum matutinum. Noster autem expressit Homerum lib. 12. Odyss. v. 312.

Ἦμος δὲ τρίχα νυκτὸς ἔην, μετὰ δ' ἄστρα βεβήκει.

Quando autem tertia pars noctis advenit, & astra inclinarunt.

qui versus iterum legitur, L. 14. v. 482. Seneca Herc. Fur. v. 125.

Jam rara micant sidera prono
Languida mundo : nox victa vagos
Contrahit ignes.

Appulejus de Sole dixit, medium iter evecto, L. 4. Asini Aurei : *Jam in meridiem prono jubare*. Ovidius autem L. 11. Metam.

Pronus erat Titan, inclinatoque tenebat
Hesperium temone fretum.

Talis & siderum est ratio; quæ quia prona & e loco declivi in Oceani æquore tingui videntur, ideo *cadere* & *inclinari* dicuntur adventante Aurora. Virgilius lib. 2. Æneid.

Et jam nox humida cælo
Præcipitat, suadentque cadentia sidera somnos.

Idem lib. 8.

Surge, age, nate dea; primisque cadentibus astris
Junoni fer rite preces.

Noster L. 4. Eleg. 4.

Et jam quarta canit venturam buccina lucem,
Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt.

Plures tamen codices, & editiones habent, *sidera plana*; quod Lunæ accommodari posse existimat Passeratius. VULP.

v. 24. FRIGIDA EOO AURA GELU] Sub auroræ exortum sentiri frigus consuevit. Ausonius in Idyllio de Rosa :

Ver erat, & blando mordentia frigora sensu
Spirabat croceo mane revecta dies.
Strictior Eoos præcesserat aura jugales.

Horatius prior dixerat Sat. 6. lib. 2.

Matutina parum cautos jam frigora mordent.

Noster iterum Eleg. 9. lib. 2.

Sidera sunt testes & matutina pruina. PASS.

Ovidius quoque Epist. Ariadnæ :

Tem-

Tu sola humanos numquam miserata labores
Respondes tacitis mutua cardinibus.

O uti-

Tempus erat vitreâ quo primum terra pruinâ
Spargitur, & tectæ fronde queruntur aves. V.

ibid. ME DOLET] *Hoc ineptum*, ait Scaliger, & substituit *dolet*. sed, pace dixerim summi viri, non admodum apta emendatio est. Primum enim, *dolere* pro *misereri* optimi scriptores usurpant. Cicero Epist. 2. lib. 8. ad Atticum: *Mihi enim nulla in gente umquam ab ullo auctore reipublicæ ac duce turpius factum esse videtur, quam a nostro amico factum est: cujus ego vicem doleo*. Plura exempla possem afferre; sed in re tam trita morari non est necesse. Deinde solent poetæ rebus anima carentibus miserationem tribuere. Virgilius Ecl. 10.

Illum etiam lauri, illum etiam flevere myricæ:
Pinifer illum etiam sola sub rupe jacentem
Mænalus, & gelidi fleverunt saxa Lycæi.

En audis lacrimantes arbores, montes, lapides. Audis etiam *jacentem* amatorem, & *gelidum Lycæum*; quorum hæc Propertiana similia valde sunt. Ovidius pariter Epist. Ariadnæ, 21.

Interea toto clamanti litore, Theseu,
Reddebant nomen concava saxa tuum:
Et quoties ego te, toties locus ipse vocabat;
Ipse locus miseræ ferre volebat opem.

Cælo tribuitur luctus ab eodem poeta Epist. Herûs, 121.

Me miseram! quanto planguntur litora fluctu!
Et latet obscurâ condita nube dies!
Forsitan ad pontum mater pia venerit Helles,
Mersaque roratis nata fleatur aquis.

Soli etiam, a Virgilio in calce lib. 1. Georgic. item ab ipso Propertio Eleg. 3. lib. 3.

Solis & atratis luxerit orbis equis.

Quin etiam divi mortalium fata miserantes inducuntur; Thetis apud Homerum Iliados 1. Hercules apud Virgilium 10. Æneidos, Venus apud Nasonem in Amoribus Elegia de morte Tibulli, Tiberinus apud Pedonem Albinovanum Consolat. ad Liviam. Quod si omnia huc pertinentia colligere vellem, paginæ citius me deficerent. At quorsum hæc? Ut nimirum evincam hanc esse Propertii mentem: amatorem illum de quo loquitur, apud noctem, sidera, & ventum ipsum invenisse clementiam, adeo ut cuncta doleant miseriae ejus: unam Januam duram, immobilem, obstinatam expertum esse. nam subjungit:

Tu sola humanos numquam miserata labores.

Suspicari quis possit, fuisse a manu poetæ: *Me donat aura*; quod postea librarii corruperint. Homerus certe lib. 14. Odyss. ἀλλά με χεῖμα δαμάζει. *Sed me hiems domat*. Verum τὸ *doles* omnino præferendum. Editio princeps, *Me videt*. VULP.

V. 25. HUMANOS NUMQUAM MISERATA LABORES] Malis hominum commota numquam. VULP. *dolores*, Groninganus cum quinque aliis, & primitus cusis. puto ex margine irrepsisse, & fuisse interpretamentum τοῦ *labores*. Virgilius L. 2. Georg. *Adsuetumque malo Ligurem*. inibi Philargyrius: MALO, *pro labore*. *Sic etiam e contrario laborem pro malo solet ponere. ut ibi: Ille dies primus leti primusque laborum Caussa fuit*. sed ibi in omnibus libris legitur *malorum*, ut putem doctissimum grammaticum in animo habuisse hunc versum ex prima Æneide:

O sola infandos Trojæ miserata labores.

sic & Fabius quandoque aliud pro alio laudavit, non inspecto libro. BROUKH.

ibid. NUMQUAM MISERATA] τὸ *numquam*, iteratur: *numquam miserets*, & *numquam respondes*. ut supra hac eadem Elegia:

Cur numquam reserata meos admittis amores?

Et Elegia 10. hujus libri:

Qui numquam vacuo pectore liber erit.

Miserari, inquit Nonius, *est flere & lamentari: misereri, miserationem alienis casibus exhibere*. Festus: *Miseratur is qui queritur aliena incommoda: miseretur, qui miserum sublevat*. PASS.

V. 26. RESPONDES TACITIS MUTUA CARDINIBUS] *Respondere mutua*, parem voluntatem exhibere, grato animo esse. Ita *mutua flere*, Eleg. 5. supra versu 30. vide illic adnotata. *Tacitis cardinibus*, ambigue: tacent enim cardines clausa janua: quæ quum aperitur, cardines strident: & *numquam respondes tacitis cardinibus*. id est, arte quadam mutis. Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Nec furtim verso cardine aperta fores.

quod fit aquulâ suffusâ in Curculione Plauti:

Non

O utinam trajecta cava mea vocula rima,
Percussas dominæ vertat in auriculas.
Sit licet & saxo patientior illa Sicano,
Sit licet & ferro durior & chalybe:

Non

Non mutit, inquit, *cardo*, *lepidus est*. Tibullus iterum Eleg. 6. lib. 1.

Fingere tunc didicit caussas, cur sola cubaret:
Cardine tunc tacito vertere posse fores.

Quintilianus Declamat. 1. *Tu non cogitas quemadmodum suspensa manu sonantem blande cardinem flectas.* Cardo, inquit Servius, dictus quasi (καρδία) cor Januæ, quo movetur Janua. PASS.

V. 27. TRAJECTA C. M. VOCULA RIMA] Per rimam penetrans sive transmissa. Rima, κλεῖθεια, *une fente. cavâ rimâ*, ut *cavis pumicibus* Eleg. 2. lib. 3. Horatius Epist. 7. lib. 1. *per angustam rimam*. Ovidius 4. Metam. in fabula Pyrami & Thisbes:

Fissus erat tenui rima, quam duxerat olim,
Quum fieret paries domui communis utrique.
Id vitium nulli per sæcula longa notatum
(Quid non sentit amor?) primi sensistis amantes,
Et voci fecistis iter; tutæque per illud
Murmure blanditiæ minimo transire solebant.

Noster Eleg. 18. lib. 2.

Aut per rimosas mittere verba fores.

Et Eleg. 1. lib. 4.

Persuasæ fallere rima sat est. PASS.

Euripides quoque Hippolyto v. 587. Διὰ πύλας ἔμολεν, Ἔμολέ σοι βοά. *Per fores transiit, Venit tibi vox.* VULP.

ibid. VOCULA] ὑποκοριστικῶς. ut Cicero Epist. 22. lib. 2. ad Attic. *Recreandæ voculæ caussa ambulare.* & Epist. 15. lib. 2. ad Famil. *Incurrit hæc nostra laurus in voculas malevolorum.* PASS. Voculam dixit, nempe *murmur minimum*, quod ait Naso lib. 4. Metam. VULP.

V. 28. PERCUSSAS IN AURICULAS] Ictu vocis pulsas. Sensus audiendi fit pulsis auribus sono vocis. Plautus Amphitr. *Hinc mihi dextra vox aures verberat.* Ennius Thyeste apud Nonium in *Crepare*, pro ferire: *Sed sonitus aures meas pedum pulsu increpat.* Virgilius 12. Æneid. *Arrectasque impulit aures Confusæ sonus urbis.* Eodem pacto Apollonius Rhodius lib. 2. Argonaut. δοῦπος οὔατ' ἔβαλλε· *sonitus* (petrarum concurrentium) *aures feriebat.* PASS.

ibid. VERTAT IN AURICULAS] παθητικῶς; unde *vertens annus*. Plautus Amphitr. *Vertentibus Telobois telis complebantur corpora.* PASS. *Vertat* pro *vertatur*, aut *vertat se*. Ita Sallustius Catilin. cap. 6. *Regium imperium, quod initio conservandæ libertatis atque augendæ reipublicæ fuerat, in superbiam dominationemque convertit.* Et cap. 56. *Ne ista vobis mansuetudo & misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam vertet.* Idem Jugurth. cap. 87. in Oratione Marii: *Mihi, qui omnem ætatem in optumis artibus egi, bene facere jam ex consuetudine in naturam vertit.* Cicero in Bruto ubi de M. Antonio oratore: *Vox permanens, verum subraucа naturâ: sed hoc vitium huic uni in bonum convertebat.* Cæsar lib. 3. de Bello Civili cap. 73. *Quod si esset factum, detrimentum in bonum verteret.* Livius lib. 7. Hist. *Ludus in artem paullatim verterat.* Suetonius denique in Augusto cap. 23. *Vovit & magnos ludos Jovi Opt. Max. Si Respublica in meliorem statum vertisset.* ut quidem legitur in codice Pithœi, & in Palatinis a Grutero usurpatis. VULP.

V. 29. SAXO SICANO] Saxum Sicanum, Sicula rupes, Ætna. Tibullus Carm. 1. lib. 4.

Cessit & Ætnææ Neptunius incola rupis.

Sicani Hispaniæ populi, dicti a Sicano flumine, in Siciliam venere, & Sicaniam eam nominavere. Auctor Thucydides in 6. An est enallage numerorum, pro *saxis Sicanis*? ut intelligantur scopuli Cyclopum tres numero, de quibus Plinius lib. 3. N. H. cap. 8. Virgilius 1. Æneid. *Vos & Cyclopea saxa Experti.* Sic Eleg. 16. lib. 2.

Non potuit saxo vitam posuisse Cerauno. P.

Tacitus pariter lib. 4. Annal. cap. 21. *Bonis exutus, interdicto igne atque aqua, saxo Seriphio consenuit.* idest in scopulis parvæ insulæ Seriphi. VULP.

ibid. PATIENTIOR] Durior. Tibullus lib. 3. Eleg. 2. *Non hæc patientia nostro Inge-*

ge-

Non tamen illa suos poterit compescere ocellos,
Surget & invitis spiritus in lacrimis.
Nunc jacet alterius felici nixa lacerto.
At mea nocturno verba cadunt Zephyro.

Sed

genio. Ita Ulixem, quem *durum* appellavit Maro lib. 2. Æneid. *patientem* dixit Horatius Epist. 7. lib. 1. Plinius quoque Cæcilius Epist. 10. lib. 2. *Hominem te patientem, vel potius durum, ac pæne crudelem, qui tam insignes libros tam diu teneas*. VULP.

v. 30. ET FERRO DURIOR ET CHALYBE] Proverbialis hyperbole. Ferrum distinguitur a chalybe, ut genus a specie. Nam apud Chalybas populos ferrum optimum nasci, & illos ei uni dare operam rei scribunt Virgilius 1. Georg. Apollonius Rhodius lib. 2. & Strabo lib. 12. Chalybes sunt Paphlagoniæ seu Cappadociæ populi. Maro lib. 8. Æneid.

Vulnificusque Chalybs vasta fornace liquescit.

ubi Servius: *populos pro ferro posuit*. PASS.

v. 31. COMPESCERE OCELLOS] Cohibere a fletu. *Compescere lacrimas* dixit Seneca Consolat. ad Polybium cap. 15. *Supprimere lacrimas*, Propertius Eleg. 10. lib. 3. Et *Supprimere fletum*, Eleg. 1. lib. 4. De verbo *compescere* dictum Eleg. 5. supra versu 1. PASS.

v. 32. SURGET ET INVITIS SPIRITUS IN LACRIMIS] Invita suspirare & flere cogetur. *Surget* dictum, ut *orietur* Eleg. 5. supra versu 15. *Spiritus*, singultus & suspirium. Horatius Epodo 11. *Latere petitus imo spiritus*. Noster Eleg. 29. lib. 2.

Aspice, ut in toto nullus mihi corpore surgat
Spiritus, admisso notus adulterio.

id est anhelitus. PASS. *Spiritus*. h. e. suspiritus. vide notata ad Thes. Fabr. p. 2452. BROUKH. Animo perturbatis, quum ad fletum excitari incipiunt, spiritus quidam acer nares invadit. Hoc mirifice expressit Homerus lib. 24. Odysseæ v. 317. ubi de Ulixe Laërtem patrem, post longam absentiam, rursus vidente:

Τοῦ δ' ὠρίνετο θυμός, ἀνὰ ῥῖνας δέ οἱ ἤδη
Δριμὺ μένος προὔτυψε, φίλον πατέρ' εἰσορόωντι.

Hujus autem motus est animus, per nares autem ei jam
Acer spiritus prorupit, dilectum patrem inspicienti. VULP.

v. 33. NUNC JACET ALTERIUS FELICI NIXA LACERTO] Cubat fulta & incumbens alterius brachio; & quam alter amplexam tenet subjecto brachio. Ipse Eleg. 4. lib. 3.

Inque sinu caræ nixus spectare puellæ
Incipiam.

Tribuit autem parti quod est totius. *Felici lacerto*, ut Eleg. 8. supra *felici remo*. & Eleg. 3. *jucundis alis*. & Eleg. 1. *facili aure*. *felici* autem dolenter dixit, ut Virgilius 3. Æneid.

Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Jam sua. PASS.

Gebhardus profert e codice Palatino *nexa*. sed vulgata bene habet. Ovidius Epist. Laodamiæ:

Nox grata puellis
Quarum suppositus colla lacertus habet.

Et Epist. Sapphûs:

Sæpe tuos nostra cervice onerare lacertos,
Sæpe tuæ videor supposuisse meos.

Tibullus lib. 1. Eleg. 8.

Huic tu candentes humero suppone lacertos.

Isti supposito lacerto innititur puellæ collum. BROUKH.

Torquatus Tassus eodem fere pacto locutus Cantu 20. Gothifredi, strophe 128.

Le fe d' un braccio al bel fianco colonna.

Quod tamen Francisco Petrarchæ suffuratus est. VULP.

v. 34. AT MEA NOCTURNO VERBA CADUNT ZEPHYRO] Verba mea irrita ventus noctu flans excipit & discerpit. *Cadunt verba*; ut Sophocles Trachiniis: ὦ τέκνον, ὦ παῖ, κ' ἀξ ἀγιννήτων ἄρα μῦθοι καλῶς πίπτουσι. Vide notata ad Eleg. 5. supra versu 14. *Fortia verba cadent*. & Eleg. 8. supra *Eleves aura preces*. *Zephyrus* pro quocumque vento. ut Catullus Carm. 63.

Hic qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus, proclives incitat undas.

nam Zephyrum flare mane Aristoteles negat in Problematis, quia tum Sol longius absit ab occidente. PASS.

v. 35.

Sed tu sola mei tu maxima caussa doloris
  Victa meis numquam, Janua, muneribus.
Te non ulla meæ læsit petulantia linguæ,
  Quæ solet iratus dicere trita loco:
Ut me tam longa raucum patiare querela
  Sollicitas trivio pervigilare moras.

At

v. 35. SED TU SOLA MEI TU MAXIMA CAUSSA DOLORIS] Vide versum 25. hujus Elegiæ. VULP.

v. 36. VICTA MEIS NUMQUAM, JANUA, MUNERIBUS] Quæ flecti non potes sertis, vino, unguentis, votis, blanditiis, precibus & supplicationibus. *Vinci* dicuntur qui negare amplius non possunt, & cedere instantibus coguntur. ut Sylla apud Suetonium in Cæsare cap. 1. *Vincerent, ac sibi haberent*. Tibullus pariter Eleg. 2. lib. 1.

Janua, jam pateas uni mihi victa querelis.

Noster Eleg. 12. lib. 3. *Gallam non munera vincent*. PASS.

v. 37. TE NON ULLA M. LÆSIT PETULANTIA LINGUÆ] Nullum a me convicium in te jactatum est. Festus: *Petulantes & petulci, qui protervo impetu, & crebro petunt lædendi alterius gratia*. Cicero 4. de Republica apud Nonium: *A petendo, petulantia; ut a procando, procacitas*. Idem pro M. Cœlio: *Contumelia petulantius jactata convicium dicitur*. Et injuria vocatur etiam quæ aures alicujus maledicto violat. Anacreon: Φιλολοιδόρεῖο γλώττης φεύγω βέλεμνα κῆρα. Convicium Januæ fit apud Tibullum Elegia 1. lib. 1. PASS.

v. 38. QUÆ SOLET IRATUS DICERE TRITA LOCO] Anacoluthon. subaudiendum, *iis verbis*. Passeratius e vetere libro legit:

Quæ solet immerito dicere turba loco;

nimirum ædibus, parieti, januæ, foribus. *Turba*, vulgus. Broukhusius vero dicit se nescire quis fuerit ille liber, quum optimi quique codices præferant *tota*, vel *toto*. unde Scaliger fecit *trita*, felici emendatione. Sed explicationem ejus duo memorati interpretes improbant. Est autem hujusmodi: *Trita illa & solita, quæ irati solent loco & tempore effutire: hoc est, quotiescumque poscit locus ut irascantur. Loco*, est opportune, tempestive, apte. Cicero Epist. 16. lib. 11. ad Famil. *Quemadmodum coram qui ad nos intempestive adeunt, molesti sæpe sunt: sic epistolæ offendunt non loco redditæ*. Idem 2. Tuscul. *Philo & proprium numerum, & electa poemata, & loco adjungebat*. Et lib. 3. de Legibus: *Loco, senator, & modo orato*. Seneca Epist. 107. *Et fere nobis loco occurret, & homo perniciosior feris omnibus*. Dionysius Cato in Distichis de Moribus lib. 2.

Insipiens esto quum tempus postulat, aut res:
Stultitiam simulare loco sapientia summa est.

Dicebant etiam, *in loco*. Terentius Adelphis 2, 2.

Pecuniam in loco negligere maximum interdum est lucrum,

Horatius Ode 12. lib. 4. *Misce stultitiam consiliis brevem. Dulce est desipere in loco*. V. Broukhusius τὸ *loco* interpretatur ædibus, januæ, parieti. VULP.

v. 39. UT ME TAM LONGA RAUCUM PATIARE QUERELA] Postquam ad ravim usque sum conquestus de te, quod me pernoctare sinas in trivio; quod prohibere potes, nec prohibes. ita Eleg. 8. supra:

Ut me defessum vacuo patiaris in ore
Crudelem infesta sæpe vocare manu.

raucum querela, ut Virgilius Ecl. 1. *raucæ palumbes & turtures* longo gemitu. & Ecl. 2. *raucæ cicadæ*. PASS.

v. 40. SOLLICITAS TRIVIO PERVIGILARE MORAS] Hypallage, pro me sollicitum insomnem noctem ducere. ut Elegia proxime sequenti:

Mansuetis socio partita litoribus.

idest ipsæ mansuetæ. & hac Elegia infra:

Osculaque impressis nixa dedi gradibus.

id est ipse nixus. *Pervigilare moras*, ut Eleg. 6. supra *horam durare*. & Plautus, *Residere ferias*. An vigilare per moras, id est per longum tempus? *Pervigilare* uno verbo, ut pervigil, & pervigilium. Ovidius 6. Fast.

In

At tibi sæpe novo deduxi carmina versu,
Osculaque impressis nixa dedi gradibus.
Ante tuos quoties verti me, perfida, postes,
Debitaque occultis vota tuli manibus?

Hæc

In multo nox est pervigilata mero.

Catullus autem Carm. 67. *Quum mens anxia pervigilat*. ut hic *sollicitas pervigilare moras*. Sollicitas moras pervigilat qui sollicite exspectat morantem. In trivio autem plerumque amantes pernoctabant. Ipse Eleg. 17. lib. 2.

Nunc licet in triviis siccâ requiescere Lunâ.

Trivium, τρίοδος, ut bivium, quadrivium. Ovidius 1. Fast. 141. ita τριεφράζει:

Ora vides Hecates in tres vergentia partes,
Servet ut in ternas compita secta vias. P.

v. 41. AT] Atqui. ut Eleg. 13. supra, versu 3. PASS.

ibid. NOVO VERSU] Mirabili & eximio. Virgilius Ecl. 3. *Pollio & ipse facit nova carmina*. Horatius Ode 26. lib. 1. *fidibus novis sacrare*. Cicero pro Q. Ligario, *novum crimen*. Tibullus Eleg. 7. lib. 1. *novos triumphos*. nempe non antea visos, de gentibus nondum triumphatis, plane singulares. P. Vel non vulgari ac tralatitio, sed quod ipse primus excogitavi. VULP.

ibid. DEDUXI CARMINA] Scripsi filo tenui, & filo gracili. *Deducere carmen*, & *tenuare*, ut Eleg. 1. lib. 3. translatum a lanificio. Catullus Carm. 63.

Dextera tum leviter deducens fila supinis
Formabat digitis.

Carmen autem a versu distinguitur, quia carmen etiam longum poema, quod ex pluribus versibus constat. Eleg. 9. supra, *grave dicere carmen*, videlicet longum opus Thebaidos. PASS.

v. 42. OSCULAQUE IMPRESSIS NIXA DEDI GRADIBUS] Passeratius legit *genibus*; ex quo codice, ignoro; atque ita explicat: Hypallage, pro oscula fixi & impressi gradibus ipse genu-nixus. unde Nixii dii Festo genibus nixi. alioqui sævissima & adamantina essent oscula, quæ lapideos imprimerent gradus. Veteris autem superstitionis fuit osculari limina, & amplecti & salutare. Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Et dare sacratis oscula liminibus.

Virgilius 2. Æneid.

Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.

Et lib. 3. *Sæpeque amplector limina portæ*. Prusias rex quum Romam venisset, ingressurus curiam summisit se, & osculo limen curiæ contigit, ut scribit Livius extremo libro 45. *Imprimere osculum*, est *pangere suavium & oppingere*, ut ait Plautus Curcul. 1,1. PASS. & VULP.

ibid. GRADIBUS] Superba civium potentiorum limina, ut videtur, gradibus attollebantur, tamquam limina templorum. Ovidius Epist. Cydippes v. 105.

In templum redeo, gradibus sublime, Dianæ.

Et alibi non semel. VULP.

v. 43. ANTE TUOS QUOTIES VERTI ME, PERFIDA, POSTES] E ritu priscæ religionis, de quo Plutarchus in Numa, Camillo, & Marcello. Plinius lib. 2. N. H. cap. 28. *In adorando dextram ad osculum referimus, & totum corpus circumagimus: quod in lævum fecisse Galliæ religiosius credunt*. Plautus Curcul. 1, 1. *Quo me vortam nescio. Si deos salutas, dextrovorsum censeo*. Lucretius lib. 5.

Nec pietas ulla est, velatum sæpe videri
Vertier ad lapidem.

Ovidius 3. Fast.

Atque aliquis modo trux, visâ jam vertitur arâ.

Suetonius in Vitellio cap. 2. *Neque aliter adire ausus est, quam capite velato, circumvertensque se, deinde procumbens*. PASS.

ibid. PERFIDA] Jam incipit conviciari Januæ, quod antea se numquam fecisse jactaverat eo versu:

Te non ulla meæ læsit petulantia linguæ.
VULP.

v. 44. DEBITAQUE OCCULTIS VOTA TULI MANIBUS] Clam vota obtuli & persolvi, quia promissa & concepta. *Debita vota*, διὰ τὸ αὐτό. vel otiosum epitheton; ut Eleg. 6. lib. 3.

Et mater non justa piæ dare debita terræ,
Nec pete cognatos inter humare rogos.

Sabinus Epist. Ulixis:

Jam reduci solvent debita vota Jovi.

Hæc ille, & si quæ miseri novistis amantes,
Et matutinis obstrepit alitibus.
Sic ego nunc dominæ vitiis, & semper amantis
Fletibus, æterna differor invidia.

Debita interdum per se stat. Tibullus Carm. 3. lib. 4.

Jam celeber, jam latus eris, quum debita reddet
Certatim sanctis latus uterque focis.

Ovidius 5. Fast.

Emeritus vati debita solvit honor. Pass.

ibid. occultis manibus] Clam & furtim; & per hypallagen, ipse occultus. Vide adnotata ad versum 40. hujus Elegiæ. Pass. Morem supplicantium significat, qui manus velamine obtegebant; quas iccircu poeta *occultas* appellat. Plautus Amphitr. 1, 1, 101.

Velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum.

Virgilius 7. Æneid. in oratione Ilionei:

Ne temne, quod ultro
Præferimus manibus vittas, & verba precantum.

Ovidius lib. 2. Artis Amat. 401.

Audierat, laurumque manu vittasque ferentem,
Pro nata Chrysen non valuisse sua.

Livius denique lib. 1. Hist. *Et soli Fidei solenne instituit. ad id sacrarium flamines bigis, curru arcuato vehi jussit, manuque ad digitos usque involuta, rem divinam facere.* Vulp.

v. 45. Hæc ille] Subaudi *queritur*. P.

ibid. et si quæ miseri novistis amantes] Si quæ alia scitis dici & cantari solita. Pass.

v. 46. matutinis alitibus] Mane canentibus. *Alites proprie quæ alis & volatu faciunt auspicium, ut oscines quæ faciunt auspicium ore canentes*, inquit Festus in *Alites*, & in *Oscines*. Ergo hic *alites* dixit, pro oscinibus, ἀλέκτορας. De gallis gallinaceis exponit Beroaldus; de quibus Martialis in Apophoretis:

Cristataque sonant undique lucis aves.

Hesiodus ἐν ἔργοις hirundinem ὀρθρογόην vocat, id est mane gementem. *Matutinæ alites*, ut supra hac Elegia, *nocturno Zephyro*, & Eleg, 5. lib. 4. *matutino Noto*. Virgilius pariter 8. Æneid.

Et matutini volucrum sub culmine cantus.

Ibid.

Nec minus Æneas se matutinus agebat.

Bona locutione, inquit Servius, *rem temporis ad personam transfert*. Horatius contra Epodo 16.

Nec vespertinus circumgemit ursus ovile. P.

Gallos gallinaceos, qui diem vicinum cantu prænuntiant, *aves lucis auctores* vocat Noster Eleg. 3. lib. 4. Vulp.

ibid. obstrepit alitibus] Aves mane garrientes interpellat. *Obstrepere*, est strepitu quodam interturbare dicentem. Cicero pro Marcello: *Ejusmodi res obstrepi videntur clamore militum & tubarum sono*. Et lib. 3. de Oratore: *Sibi ipsi in dicendo obstrepere*. Sic *obloqui* & *occinere*, Plauto, Sallustio, Tacito. Ovidius quoque lib. 3. Pontic. Eleg. 1.

Non avis obloquitur, silvis nisi si qua remotis
Æquoreas rauco gutture potet aquas. Pass.

v. 47. nunc domina] ὕψου. ut Elegia 29. lib. 2.

Io versa caput primos mugiverat annos:
Nunc-dea, quæ Nili flumina vacca bibit.

Ubi vide quæ adnotamus. Catullus Carm. 66. Januam sic loquentem facit: *Ita Cæcilio placeam, cui tradita nunc sum*. Pass. *Nunc domina* igitur significat, mulieris ejus quam hoc tempore harum ædium dominam esse contingit. Vulp.

ibid. vitiis] Heræ meæ sævitia, luxuria, & libidine. *Vitium*, stuprum. Unde *vitium offerre virgini* & *vitiare*. Pass. Græci dicunt διαπαρθενεύειν. Vulp.

ibid. semper amantis] Nulla enim nox est, quin libidinosus aliquis juvenis me occentet, mihique lacrimis & querelis molestus & importunus sit. Vulp.

v. 48. Fletibus] Servius ad illud 6. Æneid. *Infantumque animæ flentes; Ploratus*, inquit, *tantum lacrimarum est: planctus tantum vocum: fletus & vocum & lacrimarum*. Pass.

ibid. æterna differor invidia] Perpetua traducor infamia, & odio sum omnibus.

bus. *Differor*, traducor, infamor, laceratur mea fama & distrahitur. Dictum ad Eleg. 4. supra:

Et te circum omnes alias irata puellas

Differet.

Invidia autem hic pro odio & offensione, qua quis laborat; ut sæpe usurpat Cicero. PASS.

ELEGIA XVII.

ET merito, quoniam potui fugisse puellam,
Nunc ego desertas alloquor alcyonas.

Nec

ARGUMENTUM ELEGIÆ XVII. LIBRI I.] Adversa tempestate in mari jactatus, naufragium a se deprecatur. Hanc Elegiam scripsit, vel se scripsisse finxit more poetis familiari, Propertius in media navigatione; quemadmodum Ovidius totum librum primum Tristium, quum Tomos proficisceretur, quo relegatus fuerat ab Augusto Cæsare, ut ipse testatur Elegia ultima libri ejusdem:

Littera quæcumque est toto tibi lecta libello,
Est mihi sollicito tempore facta via.
Aut hunc me, gelidi tremerem quum mense Decembris,
Scribentem mediis Hadria vidit aquis:
Aut, postquam bimarem cursu superavimus Isthmon;
Alteraque est nostræ sumta carina fugæ.

Lege sis reliqua elegantissima. VULP.

v. 1. ET MERITO] Jure id quidem mihi accidit. ἐπιφωνηματικῶς. PASS. Formula est, a Latinis usurpata quum pœnam vel præmium vel factum alicujus probarent. Lucretius lib. 1, 105.

Quippe etenim quam multa tibi jam fingere possum
Somnia, quæ vitæ rationes vertere possint,
Fortunasque tuas omnes turbare timore?
Et merito: nam si certam finem esse viderent
Ærumnarum homines, aliqua ratione valerent
Religionibus, atque minis obsistere vatum:
Nunc ratio nulla est restandi, nulla facultas;
Æternas quoniam pœnas in morte timendum.

Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 12.

Fallimur? an nostris innotuit illa libellis?
Sic erat: ingenio prostitit illa meo.
Et merito. quid enim formæ præconia feci?
Vendibilis culpâ facta puella meâ est.

Idem lib. 6. Metamorph. v. 685. de Borea Orithyiam amante:

Ast ubi blanditiis agitur nihil, horridus irâ,
Quæ solita est illi, nimiumque domestica vento;
Et merito, dixit: quid enim mea tela reliqui,
Sævitiam, & vires, iramque, animosque minaces,
Admovique preces, quarum me dedecet usus?

Idem lib 9. ejusdem operis v. 582. de Byblide repulsam passa:

Mens tamen ut rediit; pariter rediere furores:
Linguaque vix tales icto dedit aëre voces:
Et merito. quid enim temeraria vulneris hujus
Indicium feci? quid, quæ celanda fuerunt,
Tam cito commisi properatis verba tabellis?

Et C. Julius Cæsar apud Ælium Donatum in Vita Terentii:

Tu quoque, tu in summis, o dimidiate Menander,
Poneris; & merito, puri sermonis amator.

BROUKH. & VULP.

ibid. QUONIAM POTUI FUGISSE PUELLAM] Tam durus fui ut puellam relinquerem. Similiter Horatius Sat. 6. lib. 1.

Vel merito; quoniam in propria non pelle quiessem.

Fugisse, acerbe dictum; ut 4. Æneid. *Mene fugis?* & videri adlusum potest ad servos fugitivos; nam & servit puellæ, & eam dominam appellat. PASS. Ut morbum amoris, si fieri posset, deponeret, ad anceps remedium confugerat poeta noster, loci nempe mutationem & absentiam; quod ei male cessit. Dixit superius Eleg. 1.

Et vos, qui sero lapsum revocatis, amici,
Quærite non sani pectoris auxilia.
Ferte per extremas gentes, & ferte per undas,
Qua non ulla meum femina norit iter.

Mox a re periculi plena serio dehortatur sodales:

Hoc, moneo, vitate malum. sua quemque moretur
Cura, neque assueto mutet amore locum.
Quod siquis monitis tardas adverterit aures,
Heu referet quanto verba dolore mea!

Nec mihi Cassiope solito visura carinam;
Omniaque ingrato litore vota cadunt.

Quin

Unde colligere licet, Elegiam illam quæ prima occurrit hoc libro, post hanc fuisse conscriptam, & fortasse post omnes hujus libri. VULP.

v. 2. NUNC EGO DESERTAS ALLOQUOR ALCYONAS] Ad solas aves marinas verba facio, quæ nec auscultare, nec respondere possunt. *Deserta alcyones*, solitariæ; quia raro videntur, inquit Plinius lib. 10. H. N. cap. 32. Alia significatione Statius 9. Thebaidos, *desertam alcyonem* vocat, pullis videlicet amissis. Cur autem alcyonas potissimum alloquitur? an quia querulæ aves querulo amatori respondebunt? ut Eleg. 8. lib. 3.

Alcyonum positis requiescant ore querelis.

An quia præstant mare tranquillum, eas orat ut incubent, ut sint alcedonia? septem enim diebus quibus incubant, tranquillum est mare. Vide Ovidium lib. 11. Metamorph. in Fabula Ceycis & Alcyones, Plinium lib. 10. N. H. cap. 32. & lib. 18. cap. 26. Varro lib. 4. de L. L. *Halcyon Græcis, Latinis Halcedo.* unde Plautus Casina: *Halcedonia sunt circa forum.* & in Pœnulo:

Nisi mihi illum tam tranquillum facis,
Quam mare est, halcedo pullos quum educat suos.

Meminit Aristophanes in Avibus. Vide plura in proverbio *halcedonia*. Chorus apud Euripidem in Iphigenia in Tauris & alcyones alloquitur. PASS. De querelis harum avium Ovidius Epist. Leandri, 81.

Alcyones solæ, memores Ceycis amati,
Nescio quid visæ sunt mihi dulce queri. V.

Aptissimo exemplo utitur alcyonum, quæ aves sunt querulæ, ac solitariæ, litoribus gaudentes, atque adeo honesti conjugii tenaces ut adulteria credantur ignorare, alteroque conjugum mortuo alter maneat cœlebs, ac paullo post mœrore exstinguatur. quod itidem sibi futurum auguratur poeta, quandoquidem ita fuerit durus, ut desertâ Cynthiâ suâ in mare ingredi sustinuerit. convenienter etiam suas querelas miscet cum ave mæstissima. BROUKH. Ἀλκυὼν dicta παρὰ τὸ ἐν ἁλὶ κύειν, *a concipiendo & incubando in mari*. De his Aristoteles lib. 5. Hist. Animal. cap. 9. loco memorabili: Πάντων δὲ σπανιώτατον ἰδεῖν ἀλκυόνας ἐστί· σχεδὸν γὰρ περὶ Πλειάδος δύσιν καὶ τροπὰς ὁρᾶται μόνον, κ᾽ ἐν τοῖς ὑφόρμοις πρῶτον, ὅσον περιίπταμένη περὶ τὸ πλοῖον, ἀφανίζεται εὐθύς. διὸ καὶ Στησίχορος τοῦτον τὸν τρόπον ἐμνήσθη περὶ αὐτῆς. *Omnium rarissimum vidisse alcyonem est: fere enim circa Vergiliarum occasum, brumamque ipsam apparet: & ubi primum per portum non plusquam navem circumvolarit, statim abit, ut nusquam præterea videatur: quo modo Stesichorum quoque ejus meminisse, notum est.* VULP.

v. 3. NEC MIHI CASSIOPE SOLITO VISURA CARINAM] Nec mihi præsto est Cassiope, lumine suo directura navem qua vehor. solebam vero, antequam tempestas ingrueret, eo sidere potissimum duce navigationem prosequi institutam. *Mihi solito*, mihi consueto. Vel *solito* posuit tamquam adverbium; ut subaudiri debeat *more*. cujus tamen locutionis exemplum vix occurrit. Existimo autem, Cassiopen hoc loco usurpari pro sidere quolibet navigantibus propitio, κατὰ συνεκδοχήν. Passeratius legit:

Nec mihi Cassiope solitam visura carinam.

& suspicatur, *mihi* pro *mea* dictum esse, quomodo non semel Terentius locutus fuerit, aliique boni scriptores. Horatius Epist. 3. lib. 1. *Quid mihi Celsus agit?* Noster Eleg. 19. hujus libri: *Ne forte tuo careat mihi funus amore*; hoc est meum funus. Et Eleg. 23. lib. 2. *Vir mihi rure venit*; nempe meus. Ita *mea Cassiope*, erit mea Cynthia, meum sidus, ἀλληγορικῶς. & poeta notabit hoc nomine superbiam Cynthiæ atque arrogantiam: nam & Cassiope superba fuit, ac pulchritudini suæ nimium confidit. Apage vero Scaligeri lectionem,

Nec mihi Cassiope solito visura carinam
Ominat.

quamvis a Broukhusio & aliis probatam. obscura enim est, impedita, horrida: quæ neque ab ipso Scaligero, neque a Guyeto explicatione satis juvatur. VULP.

ibid. CASSIOPE] Cassiope, sive Cassiopea, mater fuit Andromedæ, uxor Cephei regis Æthiopum. Cicero 5. Tuscul. *Stellatus cum conjuge Cepheus, genero & filia.* Hyginus lib. 2. & 3. tradit, Cassiopen relatam in sidera; sed propter impietatem,

quod

Quin etiam abſenti proſunt tibi, Cynthia, venti.
  Adſpice quam ſævas increpat aura minas.
Nullane placatæ veniet fortuna procellæ?
  Hæccine parva meum funus arena teget?

Tu

quod ſe Nereïdibus formâ prætuliſſet, ita ſedere in ſiliquaſtro (genus eſt ſtellæ Varroni) ut vertente ſe mundo, reſupinato capite ferri videatur. Conſtat e ſtellis tredecim, ut ibidem deſcribitur. PASS.

ibid. VISURA CARINAM] Curatura, gubernatura. Terentius Andria 2, 6, 25. *Ego, hæc ut recte fiant, videro*. Cicero lib. 2. ad Attic. *Tu iſta omnia vide, & guberna*. V.

v. 4. INGRATO LITORE] Surdo, bruto, nihil ſentiente; quod propterea gratiâ moveri, & votis reſpondere non poteſt. Noſter Eleg. ult. lib. 4.

Nempe tuas lacrimas litora ſurda bibent. P.

ibid. VOTA CADUNT] Irrita & inutilia diſpereunt. Contra Ovidius 1. Faſt. *Nec linguæ caducas Concipit ulla preces*. Ita Noſter dixit Eleg. 5. ſupra, verſu 14.

Quum tibi ſingultu fortia verba cadent. P.

v. 5. QUIN ETIAM] Rurſus Eleg. 6. lib. 2.

Quin etiam falſos fingis tibi ſæpe propinquos.

Virgilius item 8. Æneid.

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis. PASS.

Tibullus quoque Eleg. 9. lib. 1. *Quin etiam flebas*. VULP.

ibid. ABSENTI PROSUNT TIBI, CYNTHIA, VENTI] Favent tibi venti, quum mihi, quem odiſti, ſunt adverſi. PASS. In hoc verſu ὁμοιοτέλευτον eſt, Latinis auribus minus familiare. Vide quæ diximus ad Eleg. 8. ſupra verſu 11. VULP.

v. 6. ADSPICE] Pro *audi*. ut ſæpe *videre*. Non ad Cynthiam tantum, ſed ad quemvis dicitur. Seneca Conſolat. ad Marciam cap. 7. *Aſpice, multorum animalium quam concitata ſint deſideria*. Noſter Eleg. 16. lib. 2.

Adſpice quid donis Eriphyla invenit amaris,
  Arſerit & quantis nupta Creuſa malis. PASS.

ibid. QUAM SÆVAS INCREPAT AURA MINAS] Quam atrociter, & quanto cum crepitu & ſtridore minetur ventus. *Aura* pro vento etiam vehementiore κατὰ μείωσιν. Virgilius Ecl. 4.

Adſpice, ventoſi ceciderunt murmuris auræ.

Increpat minas; ut Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 7.

Nec nimium rigidas intonuiſſe minas.

Ita & Virgilius 10. Æneid. *increpitare* & *minari* conjunxit:

Hoſtis amare, quid increpitas, mortemque minaris?

Crepare & *increpare* cum quarto caſu. Horatius *crepare pauperiem*, & *crepare vineta mera*. Ovidius Epiſt. Briſeidos:

Threïciam digitis increpuiſſe lyram. P.

v. 7. NULLANE PLACATÆ VENIET FORTUNA PROCELLÆ?] Ut Eleg. 16. ſupra:

Nullane finis erit noſtro conceſſa dolori?

Numquamne accidet, inquit, ut hæc placata & tranquilla ſit tempeſtas? nam utrique & tempeſtati & tranquillitati præeſt fortuna, quæ in mari dominatur. Seneca in Conſolat. ad Marciam cap. ult. *Quantis fortuna procellis diſturbet omnia*. *Procellæ*, ſecundo caſu; ut *fortuna procellæ*, ſit procella fortuita: ſi tertio caſu; *placata* erit poſitum pro *placanda*, ut *volventibus annis*. Eſt autem procella vehementior ventus cum pluvia; ita dicta, quod omnia ſuo impetu percellat & evertat. & *fortuna* apud Ciceronem pro Lege Manilia, pro felicitate; unde fortunati. *Venit* autem, abit & redit fortuna Virgilio & Horatio. PASS.

v. 8. HÆCCINE PARVA MEUM FUNUS ARENA TEGET?] Hæccine exigua & minuta arena me mortuum operiet? *Arena*, non humo teguntur ejecta naufragorum cadavera. Sic Elegia 14. lib. 3.

Me tegat ignotæ cumulus vallatus arenæ.

Horatius Ode 28. lib. 1. *Pulveris exigui munera* vocat, & *Arenæ particulam oſſibus dare*. *Funus*, inquit Donatus in Andriam, *pompa exſequiarum, dictum a funalibus*: cui conſentit Servius in 1. Æneid. Feſtus in *furvum*, a furvo deducit. Hic ſumitur pro cadavere; ut Eleg. 14. lib. 2.

Quæ tegat extincti funeris umbra locum.

Virgilius 9. Æneid. *Quæ nunc artus, avulſaque membra, Et funus lacerum tellus habet?*

In-

Tu tamen in melius ſævas converte querelas.
Sat tibi ſit pœnæ nox, & iniqua vada.
An poteris ſiccis mea fata reponere ocellis?
Oſſaque nulla tuo noſtra tenere ſinu?

Ah

Interdum *funera* ſumuntur pro manibus & umbris. Noſter Eleg. ult. lib. 4.

Quum ſemel infernas intrarunt funera leges.
PASS.

v. 9. TU TAMEN IN MELIUS SÆVAS CONVERTE QUERELAS] Imprecationes & diras mutare incipe in vota pro ſalute mea. ut Eleg. 1. ſupra: *Dominæ mentem convertite noſtræ.* ſcilicet in melius. & Eleg. 15. ſupra verſu 23. Virgilius 1. Æneid. *Conſilia in melius referet.* Tibullus Eleg. 4. lib. 3.

Hæc deus in melius crudelia ſomnia vertat.

Seneca Hippolyto:

Converte triſtes ominum in melius minas.

Vetus Gloſſarium: *In melius, ἐπὶ τὸ κρεῖττον.* Ovidius Eleg. 5. lib. 3. Triſtium ita variavit:

Neve hominum referam flexas ad mitius iras;
Junonis gener eſt, qui prius hoſtis erat.

Convertere, etiam in deteriorem partem. Cicero pro Quintio: *Vides ea ingenia converti ad perniciem.* *Querelæ* autem pro minis & malis verbis. Catullus Carm. 63.

Huc huc adventate, meas audite querelas.

Ibi Ariadna a Theſeo relicta Eumenidas alloquitur. PASS.

v. 10. SAT TIBI SIT PŒNÆ NOX, ET INIQUA VADA] Eſto hoc ſupplicio contenta, quod in tenebris, quæ ſunt comites tempeſtatis, & in periculo naufragii, propter vada navibus infeſta, verſor. *Nox* pro tempeſtate, ut Eleg. 11. lib. 3.

Venturam melius præſagit navita noctem.

Virgilius 1. Æneid.

Eripiunt ſubito nubes cœlumque diemque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra.

& 5. Æneid. *Noctem hiememque ferens imber.* *Vada* autem in mari ſunt arenæ cumuli, quibus illiſæ naves haud raro pereunt. Virgilius deſcribit 1. Æneid.

In brevia & ſyrtes urget, miſerabile viſu,
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.

Vadum tamen aliquando tutum locum ſignificat; unde Terentianum proverbium: *In vado res eſt*, pro in tuto. Sed aliud eſt *vadum ἁπλῶς*, aliud *vadum iniquum*, ſcilicet inæquale, brevibus & petris latentibus aſperum & ſcabrum. *Sat pœnæ*, ut Virgilius 9. Æneid. *Pœnarum exhauſtum ſatis eſt.* PASS. Malunt Gebhardus & Broukhuſius, *Sat tibi ſat pœnæ.* quæ lectio mihi, neſcio quomodo, ſe probare non poteſt. VULP.

v. 11. SICCIS OCELLIS] ἀδάκρυς. Horatio, *illacrimabilis*: unde immane ingenium colligitur. vide proverbium: *Boni viri lacrimabiles.* Horatius Ode 3. lib. 1. *Qui ſiccis oculis monſtra natantia, Qui vidit mare turgidum.* Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

Illo non juvenis poterit de funere quiſquam
Lumina, non virgo, ſicca referre domum.
PASS.

ibid. MEA FATA REPONERE] Componere oſſa; & corpus meum fato ſuo functum condere humo, collocare in ſepulcro. Virgilius 6. Æneid. *Eadem* (cura) *ſequitur tellure repoſtos.* *Mea fata*, ut paullo ante, *meum funus*, id eſt, me mortuum. VULP.

v. 12. OSSAQUE NULLA NOSTRA] Aut *nulla* re vera, quum corpus naufragi non comparebit, & abſenti facies cenotaphium: aut *nulla* pro non; ut Cicero lib. 11. ad Attic. & Plautus ac Terentius ubique. PASS. *Oſſa nulla*, ſi quid video, hic ſunt gracilia, ſemuſta, igne rogi deminuta, exiguæ potius reliquiæ oſſium, quam oſſa. Elegia 5. ſupra:

Nec jam pallorem toties mirabere noſtrum,
Aut cur ſim toto corpore nullus ego.

id eſt, *exiles tenuatus in artus*, quod alibi ait. VULP.

ibid. TUO TENERE SINU] Veteres oſſa cadaveris rogo conſumti legebant in ſinum, & in urnam condita geſtabant ad tumulum. Apud Tacitum initio lib. 3. Annal. Agrippina mariti Germanici feralem urnam tenet egrediens navi. Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Non hic mihi mater,
Quæ legat in mæſtos oſſa peruſta ſinus.
PASS.

v. 13.

Ah pereat quicumque rates, & vela paravit
Primus, & invito gurgite fecit iter.
Nonne fuit levius dominæ pervincere mores,
(Quamvis dura, tamen rara puella fuit)

Quam

v. 13. AH PEREAT] Aptum imprecationi. diximus Eleg. 6. supra versu 12. & *tò pereat*, cruciatum apud inferos post mortem significat; ut Eleg. 33. lib. 2.

Ah pereat quicumque meracas repperit uvas.

Sic Eleg. 3. lib. 4.

Occidat immerita qui carpsit ab arbore vallum.

Cicero lib. 15. ad Atticum Epist. 3. *Quem dii mortuum perdant*. Vide Ovidium Eleg. 11. lib. 2. Amor. Exsecrantur eum qui primus navigavit etiam Horatius Ode 3. lib. 1. & Papinius lib. 3. Silvar. Carm. 2. PASS.

ibid. RATES ET VELA] Tibullus Eleg. 7. lib. 1.

Prima ratem ventis credere docta Tyros.

Plinius lib. 7. H. N. cap. 56. *Ratibus olim navigabatur inventis in mari rubro inter insulas a rege Erythra: vela autem Icarus reperit*. PASS.

ibid. PARAVIT] Comparavit, instituit, invenit, adornavit, emit. *Parare navem* Plautus dixit, pro conducere mercede, & instruere, Mil. Glor. 2, 1. *Ego, quantum unus possum, mihi navem paro*. PASS.

v. 14. PRIMUS] Plautus Bœotia apud Gellium lib. 3. N. A. cap. 3.

Ut illum dii perdant, primus qui horas reperit.

Nævius (an Novius?) apud Priscianum:

Ut illum dii terant, qui primus olitor cepam protulit. PASS.

ibid. INVITO GURGITE] Ut Eleg. 6. lib. 4. *Invito labitur illa mari*; nempe classis. & Eleg. 2. lib. 4.

Quum pyrus invito stipite mala tulit.

Gurges pro mari, ἰλάττωσις. Eleg. 7. lib. 3. *Postaque in gurgite vita*. & Eleg. 27. libri ejusdem: *Extollens gurgite palmas*. PASS. *Invitus gurges* videtur hic esse maris unda non prona vel declivis, quæ navis cursum promovet; sed ardua, & quasi supina, quæ navigationi obsistit. nam & mare suas profluentes habet, item suos ascensus & descensus. Itali appellant *correnti*. Dantes Aligherius Paradisi Cantu 17.

Se non come dal viso, in che si specchia
Nave, che per corrente giù discende.

Hoc mire expressit Ovidius Epist. Leandri, 119.

Si qua fides vero est; veniens huc esse natator;
Quum redeo, videor naufragus esse mihi.
Hoc quoque si credas; ad te via prona videtur:
A te quum redeo, clivus inertis aquæ. V.

ibid. FECIT ITER] Navigavit; ut *navem ambulare* dixit Cato. Ovidius Epist. Leandri:

Unus, & hic audax, a quo tibi littera nostra
Redditur, a portu navita fecit iter.

unde *liquidum iter* de navigatione Eleg. 19. lib. 3. PASS. De volatu Virgilius usurpavit lib. 5. Æneid. VULP.

v. 15. NONNE FUIT MELIUS DOMINÆ PERVINCERE MORES?] Nonne satius fuit ferum ingenium longa patientia mollire, & contundere sævitiam cuncta perferendo? Virgilius Ecl. 2.

Nonne fuit satius tristes Amaryllidis iras,
Atque superba pati fastidia?

Pervincere cum quarto casu. Livius lib. 42. *Pervicerat Rhodios, ut Romanam societatem retinerent*. id est, ægre ab iis impetrarat. Inde *pervicaces* dicti. *Mores* vero in deteriorem partem, ut Eleg. 15. supra:

Quarum nulla tuos potuit convertere mores. P.

Horatius usurpavit in melius Ode 24. lib. 3. *Quid leges sine moribus Vanæ proficiunt?* Et Ode 6. lib. 4. *Mos & lex maculosum edomuit nefas*. Et Epist. 1. lib. 2. ad Cæsarem Augustum:

Res Italas armis tueris, moribus ornes,
Legibus emendes.

Ceterum placet lectio Edit. omnium principis, *Nonne fuit levius*. VULP.

v. 16. DURA PUELLA] Sæva & difficilis. Eleg. 1. lib. 2.

Huic misero fatum dura puella fuit. P.

Tibullus Eleg. ult. lib. 2.

Spes facilem Nemesin spondet mihi; sed negat illa.

Hei mihi, ne vincas, dura puella, deam.

Contra, *non dura puella*, mitis, amatoribus facilis, procax etiam, & cuilibet exposita. Noster Eleg. 2. lib. 4. verbis Vertumni:

In-

Quam sic ignotis circumdata litora silvis
Cernere, & optatos quærere Tyndaridas?
Illic si qua meum sepelissent fata dolorem,
Ultimus & posito staret amore lapis:

Illa

Indue me Cois; fiam non dura puella.
nam Coæ vestes pellucidæ nudabant corpora meretricum. VULP.

ibid. RARA PUELLA] Eximiis dotibus ornata. ut Eleg. 8. supra: *Cynthia rara mea est*. PASS. *Raram* dixit, quod erudita & docta esset; id autem propter mollitiem femineam, perraro contingit, quum labore paretur doctrina & eruditio. Ovidius lib. 2. Artis, 281.

Sunt tamen & doctæ, rarissima turba, puellæ:
Altera non doctæ turba, sed esse volunt.

Idem Epist. Helenæ, *raram* vocavit *faciem* Paridis: *Est quoque, confiteor, facies tibi rara*. VULP.

v. 17. IGNOTIS CIRCUMDATA LITORA SILVIS] Insulas fortasse, quæ plerumque silvosæ sunt. unde Virgilius 3. Æneid. *Nemorosa Zacynthos*. Plautus Menæchmis: *Quasi mare omnes circuimus insulas*. *Ignotis*, peregrinis, & *locis nesciis*, ut loquitur Plautus Rudente. Eleg. 20. hujus libri:

Quæ miser ignotis error perpessus in oris
Herculis.

Virgilius Ecl. 6.

Rara per ignotos errent animalia montes. P.

v. 18. OPTATOS QUÆRERE TYNDARIDAS] Votis nautarum expetitos Tyndaridas requirere & invocare. Eleg. 14. supra: *Optatam mecum stabit illa quietem*. *Tyndaridæ*, gemini Jovis & Ledæ seu Nemesis filii, qui Tyndarei filii esse putabantur, cum quo Leda nupta erat: Castor nimirum & Pollux. hi & Dioscuri vocati sunt, hoc est pueri Jovis. Horatius Ode 12. lib. 1. eorum stellas nautis prædicat salutares: *Dicam & Alciden; puerosque Ledæ, Hunc equis, illum superare pugnis Nobilem: quorum simul alba nautis Stella refulsit, Defluit saxis agitatus humor; Concidunt venti, fugiuntque nubes; Et minax (quod sic voluere) ponto Unda recumbit*. Idem Ode 8. lib. 4.

Clarum Tyndaridæ sidus ab infimis
Quassas eripiunt æquoribus rates.

Vide Plinium lib. 2. H. N. cap. 37. PASS.

ibid. QUÆRERE] Non invenire frustra circumspectos. quo ipso Propertius ostendit in gravissimo se periculo versari, atque adeo parum a morte remotum esse, quum nisi in supremo casu Castores non apparerent. Ita Broukhusius; qui testimonium affert Petronii, ex ejus specimine Belli Civilis:

Ut fuga mobilis ævi
Circumscripta morâ properantes differat annos.
Quæris se Natura, nec invenit.

Virgilius lib. 6. Æneid. dixit *vestigare oculis*. Et 4. Æneid.

Quæsivit cælo lucem, ingemuitque repertâ. V.

v. 19. ILLIC SI QUA MEUM SEPELISSENT FATA DOLOREM] Si casu aliquo & genere mortis in terra, non in mari, mortuus essem. *Illic*, Romæ, apud amicam, δεικτικῶς. ut Eleg. 19. hujus libri: *Illic Phylacides*, nempe apud inferos. *Sepelire*, inquit Servius, *est corpus condere*. & Cicero lib. 2. de Legibus: *Sepultus, quoquo modo conditus*. Ita loquitur quasi dolor unà cum ipso corpore exstinguatur; quod tamen Virgilius negat in 6. Æneid. & ipse Eleg. 19. hujus libri. *Meus dolor*, pro ego dolens & miser, ut Eleg. 25. lib. 2.

Unica nata meo pulcherrima cura dolori. P.

ibid. SEPELISSENT] Hanc lectionem præferunt optimi codices manu exarati, & editio princeps anni 1472. Alii, *sepelirent*; minus concinne. VULP.

v. 20. ULTIMUS STARET LAPIS] Id est, sepulcrum exstructum esset. *Lapis* de cippo seu columella sepulcrali. Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Fac lapis his scriptus stet super ossa notis.

Propertius ipse Eleg. ult. lib. 4.

In lapide hoc uni nupta fuisse legar.

nam hujusmodi cippis litteras inscribebant, quæ mortui memoriam revocarent. *Tò staret*, ad religionem sepulcri refertur, quod moveri non debet. *Ultimus lapis*, mortuo sacer, quia *mors ultima linea rerum est*. sic *suprema munera*, de exsequiis. An *ultimus lapis* dicitur, quia ad extremam viam defodi solebat? ut Eleg. 7. lib. 4.

Mur-

Illa meo caros donasset funere crines,
Molliter & tenera poneret ossa rosa.
Illa meum extremo clamasset pulvere nomen,
Ut mihi non ullo pondere terra foret.

At

Murmur ad extrema nuper humata via. P. Quia postremo imponitur cippus, icciroo dixit, *staret*. VULP.

ibid. POSITO AMORE] Vide Eleg. 9. supra versu 8. vel condito & sepulto amanta. VULP.

v. 21. ILLA MEO CAROS DONASSET FUNERE CRINES] Fulvam illam & dilectam comam abscidisset, ut in exsequiis & funere mihi dicaret. *Cari crines*, quia formæ decus. Est autem hypallage, pro donasset funus meum crinibus. vel *funere* pro funeri dixit. ut Eleg. 8. lib. 4.

Quum temere anguina creditur ore manus.

Mos autem secandæ comæ in alieno funere ab heroicis temporibus. Apud Homerum enim lib. 23. Iliados v. 135. & 141. Græci tundent comas suas, & iis Patrocli corpus tegunt. Ipse etiam Achilles comam, quam Sperchio fluvio nutriebat, abscindit, & in Patrocli manibus ponit. Apud Euripidem quoque in Oreste Helenam Electra rugat, ut crines suos ad Clytæmnestræ tumulum ferat. Pedo Albinov. ad Liviam:

Non animam apposite fugientem excepit hiatu,
Nec traxit cæsas per tua membra comas.

Petronius Satyrico: *Laceravit vehementius pectus, ruptosque crines super pectus jacentis imposuit*. PASS. Hinc Phædra illa impudica & calumniatrix apud Senecam Tragicum Hippolyto:

Placemus umbras. capitis exuvias cape,
Laceræque frontis accipe abscissam comam. V.

v. 22. MOLLITER] Suaviter, delicate. Ovidius Epist. Didûs:

Et senis Anchisæ molliter ossa cubent. V.

ibid. TENERA PONERET OSSA ROSA] Collocaret in urna rosis plena. *Tenerâ rosâ*, & propter usum delicatorum hominum; & quia *rosæ amœnæ flores breves*, ut loquitur Horatius. Delicati autem homines in rosa jacebant vivi. ut Eleg. 3. lib. 3.

Me juvet hesternis positum languere corollis,
Et caput in verna semper habere rosa.

Horatius Ode 5. lib. 1. *multa gracilis puer in rosa*. Cicero 5. de Finibus: *Potantem in rosa Torium*. Et 5. Tuscul. *An tu me in viola & rosa putas dicere?* Mortuis autem vulgo precabantur, ut molliter eorum ossa cubarent & quiescerent. PASS. Id ut suis manibus fierat, multi supremis testamenti tabulis anxie cavebant: nonnulli etiam ob liberalitatem aliis decernebant; quod constat ex antiquis Inscriptionibus. BROUKH. Pulchrum illud Juvenalis Sat. 7.

Dii majorum umbris tenuem & sine pondere terram,
Spirantesque crocos, & in urna perpetuum ver.

Neque solum prope tumulum, vel in sarcophago sternebantur flores, verum etiam qua pompa funeris ducebatur, large spargi soliti fuerunt. Auctor Plinius lib. 21. H. N. cap. 3. ubi de Scipione: *Nec erat in bonis funeris impensa. Asses ergo contulit populus, ac funus elocavit, quaque praferebatur, flores e prospectu omni sparsit*. Caussam vero satis idoneam elegantis hujus consuetudinis ex ipso Plinio videor subodorari, qui prooemio ejusdem libri sic ait; *Flores odoresque in diem gignit (natura) magnâ, ut palam est, admonitione hominis, quæ spectatissime florent, celerrime marcescere*. Job in sacris litteris cap. 14. hominis vitam comparat flori: *Qui quasi flos*, inquit, *egreditur & conteritur*. VULP.

v. 23. EXTREMO PULVERE] Quum ex cremato cadavere nihil nisi cinis & pulvis reliquum esset. id vero accidebat igne rogi exstincto, & strue lignorum desidente. V. *Extremo munere*, mallet BROUKH.

ibid. CLAMASSET MEUM NOMEN] *Clamare*, cum quarto casu; ut Eleg. 9. lib. 4.

Territa vicinas Teia clamat aquas.

unde & *clamata* [illegible] Eleg. 19. lib. 2.

Nec tibi clamata somnus amarus erit.

Ovidius Eleg. 3. lib. 3. Tristium:

Clamabis miseri nomen inane viri.

Ter autem inclamabatur mortuus. Virgilius 6. Æneid. *Magna manes ter voce vocavi*. quum existimarent, manes ter vocatos insidere cineri. ut Eleg. 5. lib. 4. *Nec sedeant cineri manes*. Servius ad illud 3.

At vos æquoreæ formosa Doride natæ
Candida felici solvite vela choro.
Si quando vestras labens Amor attigit undas,
Mansuetis socio parcite litoribus.

Ele-

Æneidos : *Magna supremum voce ciemus*, formulam veterem refert : *Vale ; nos te cuncti ordine quo natura permiserit, sequemur*. P. Hinc *funero conclamato*. Exempla obvia. V.

v. 24. Ut mihi non ullo pondere terra foret] Ut esset humus cineri meo non onerosa. An id significat, nomen ideo clamari, ut terra levis sit mortuo? Sed vetus liber, *Tu*. unde videtur legendum *Tum*. ut Eleg. 19. hujus libri :

Tum mihi non ullo mors sit amara loco.

Videtur *pondere* dictum pro ponderi : nempe, ut nulli esset oneri. *Esse ponderi*, ut Eleg. 22. supra : *Invidiæ fuimus*. Pass. Nihil frequentius in Romanis Inscriptionibus hac formula s. t. t. l. *Sit tibi terra levis*, quum de mortuis agitur. Κέφη γῆ τῦτον καλύπτοι, dicebant Græci. Contra Ovidius Eleg. 4. lib. 5. Trist.

Ossa bipenniferi sic sint male pressa Lycurgi.

Has vulgares ineptias pulchre deridet Lucretius lib. 3. v. 901.

Nam si in morte malum est malis morsuque ferarum
Tractari ; non invenio qui non sit acerbum
Ignibus impositum calidis torrescere flammis ;
Aut in melle situm suffocari ; atque rigere
Frigore, quum in summo gelidi cubat æquore saxi ;
Urgerive superus obtritum pondere terræ. V.

v. 25. At vos] Servit ἀποςροφῇ, ut notatum Eleg. 2. supra. Pass.

ibid. æquoreæ formosa Doride natæ] Nereïdas maris Nymphas alloquitur. Sic Eleg. 5. lib. 3.

O centum æquoreæ Nereo genitore puellæ.

Ovidius lib. 2. Metam.

Doridaque & natas; quarum pars nare videtur,
Pars viridis in mole sedens siccare capillos.

Doris, Hesiodo in Theogonia & Apollodoro lib. 1. Oceani & Tethyos filia, nupsit Nereo, unde genuit Nereïdas. Similis precatio apud Statium 3. Silvar. in Propemptico Metii Celeris. Pass.

v. 26. Candida solvite vela] Explicate, & *velorum alas pandite* Virgilio. Idem lib. 4. Æneïd. *Solvite vela citi*. Contra Horatius Ode 10. lib. 2. *Contrahes vento nimium secundo Turgida vela*. Vela autem candida prosperi cursus & secundæ fortunæ indicium. Catullus Carm. 63.

Candidaque intorti sustollant vela rudentes.

Sic *felicia lintea* dixit Noster Eleg. 19. lib. 3. Pass.

ibid. felici choro] Chorus Nympharum ludentium felix navigantibus. Virgilius lib. 10. Æneidos :

Atque illi medio in spatio chorus ecce suarum
Occurrit comitum: Nymphæ, quas alma Cybebe
Numen habere maris, Nymphasque e navibus esse
Jusserat.

Idem lib. 3. Æneidos :

Dixit, eumque imis sub fluctibus audiit omnis
Nereïdum Phorcique chorus, Panopeaque virgo.

Euripides quoque in Electra choros Nereïdum commemorat. Si *Noto* legimus, pro Zephyro positum erit. Pass. & Brouкн.

v. 27. Si quando] Ut Eleg. 13. lib. 2. *Si quando venies ad fata*. Pass.

ibid. labens Amor] Devolans a cælo in mare. ut Virgilius 11. Æneid. *Labere Nympha polo*. Pass.

ibid. attigit undas] Vos ipsas igni suo contigit. Sic Eleg. 7. lib. 2.

Hic deus & terras & maria alta domat.

& Eleg. 9. supra : *vere nec temperit igni*. *Flumen attingere*, est in ipsum ingredi natandi caussâ. Cicero 2. de Legibus : *Liri nullum frigidius flumen attigi*. Pass. Animadvertit Broukhusius, τὸ *attigit*, esse ab antiquo verbo *attigere*. qui tamen elegantis vir ingenii, dum in explicatione Passeratii non acquiescit, & nova quærit, in hoc versu exponendo a Propertii mente longe aberravit. Vulp.

v. 28. Mansuetis litoribus] Tribuit sensum rei brutæ atque anima carenti. ut *litora surda*, Eleg. ult. lib. 4. & *ferrum crudele*, Eleg. 15. lib. 2. De verbo *mansuetus* dictum ad Eleg. 9. supra versu 12. *Mansueta* autem *litora*, placata & tranquilla,

mare

mare quoque placidum significant. Virgilius contra 1. Georg. *Incipiunt resonantia late Litera misceri*; oriente nimirum tempestate. An est hypallage, pro mansuetæ ipsæ & faciles? PASS.

ibid. SOCIO PARCITE] Abstinete maris iram a me vestro socio, & in amore consorti. ut Eleg. 5. supra:

Sed pariter miseri socio cogamur amore
Alter in alterius mutuo flere sinu. P.

Sententia hujus distichi eo denique redit: Si umquam & vos amavistis, o Nereïdes, mei quoque amantis vos misereri æquum est. VULP.

ELEGIA XVIII.

HÆc certe deserta loca, & taciturna querenti;
Et vacuum Zephyri possidet aura nemus.

Hic

ARGUMENTUM ELEGIÆ XVIII. LIBRI I.] Cum silvis & saxis dolorem suum, quem a Cynthiæ superbia & sævitia capiebat, secreto communicat; rogatque ut secum habere velint.

Nihil dulcius, nihil blandius, nihil ad amicæ animum permovendum aptius hac Elegia, quæ una est ex pulcherrimis & elegantissimis nostri poetæ. VULP.

v. 1. HÆC CERTE DESERTA LOCA] Ita Cicero Epist. 9. lib. 15. ab Atticum: *Narro tibi, hæc loca venusta sunt, abdita certe, & si quid scribere velis, ab arbitris libera*. Idem pro Cæcina: *Quantum in agro locisque desertis audacia potest*. *Deserta*, sola, ut infra, vers. ult. hujus Elegiæ, & Eleg. 3. supra versu 2. *Desertis litoribus*. PASS. Hunc Propertii locum imitatus videtur poeta maximus Jacobus Sannazarius, parte secunda vernaculorum:

Or son pur solo, e non è chi m' ascolti
Altro ch' e sassi, e queste selve amiche,
Et io, se di me stesso oso fidarme.

Janus Broukhusius id animadvertit; qui, homo Belga, Musis tamen Italicis mirum in modum delectabatur. Porro apud Heliodorum lib. 1. Hist. Æthiopicæ, Chariclia, virgo pulcherrima, nacta locum quemdam remotum ab arbitris, miserias suas liberius querebatur, & lacrimis indulgebat. Afferam ipsa scriptoris verba: Τὴν ἐρημίαν τῶν ὀχλούντων, ἀφορμὴν εἰς θρήνους εἰ πλεῖ τὴν κόρην ἐλάμβανεν· ἀνακινούσης αὐτῆς οἶμαι πλέον τὰ πάθη τῆς συντοῦ; , ἅτε ἡδίσμασι ὔτε ἀκοῆς ὔτε ὄψεως ἐφ' ἑαυτὴν ἀντιπιπτούσης, ἀλλὰ μόνου τοῦ λυποῦντι σχολάζειν ἐπιτρεπούσης. h. e. *Solitudinem & absentiam eorum qui tumultuarentur, tamquam occasionem sibi datam ad luctum & lamenta virgo arripuit. Excitante etiam magis dolorem ipsa nocte, & nulla re quæ audiri & videri posset, ad se se animum revocante, sed soli mœrenti vacationem concedente*. VULP.

ibid. TACITURNA QUERENTI] Muta sunt, nec obstrepentia queri volenti. Horatius Ode 29. lib. 3. *Caretque Ripa vagis taciturna ventis*. *Querenti*, ut Eleg. 5. supra:

Et quæcumque voles fugient tibi verba querenti. PASS.

Ego vero existimo, *taciturna* hic esse fidelia, quæ silentium servare possint, quibus tuto committantur arcana. Broukhusius malebat, *taciturn*. VULP.

v. 2. VACUUM NEMUS] Liberum ab hominum turba, & ubi nobis vacuis & otiosis licet esse. Horatius Ode 25. lib. 3. *Ut mihi devio Ripas & vacuum nemus Mirari libet!* Idem Epist. 7. lib. 1. 44. *mihi vacuum Tibur placet*. Virgilius 3. Georg. *Saltibus in vacuis pascunt*. ubi Servius: *Vastis, magnis*. PASS.

ibid. ZEPHYRI AURA] Zephyrus ipse, cujus flatus lenissimus est. Lucretius lib. 1. *Genitabilis aura Favoni*. PASS.

ibid. POSSIDET] Tenet, ejus loci dominus est, vel saltem possessor, incolit nemus. Horatius Ode 10. lib. 3. *Objicere incolis Plorares Aquilonibus*. PASS. Ita locutus Petronius Arbiter in Satyrico: *Siciliam modo ventus dabat, sæpissime Italici litoris Aquila possessor convertebat huc illuc obnoxiam ratem*. Et vulgatus Interpres Jobi cap. 3. versu 6. *Noctem illam tenebrosus turbo possideat*. Sic Horatius Ode 3. lib. 1. *arbitrum Hadriæ* vocat Notum, sive Austrum. Ovidius Eleg. 2. lib. 1. Trist.

Hic licet occultos proferre impune dolores,
Si modo sola queant saxa tenere fidem.
Unde tuos primum repetam, mea Cynthia, fastus?
Quod mihi das flendi, Cynthia, principium?

Qui

Inter utrumque fremunt immani turbine venti.
Nescit, cui domino pareat, unda maris.
Hippocrates Aphorismo 5. Sect. 3. Ὁκόταν οὗτος δυναστεύῃ. *quum hic* (Auster) *dominatus fuerit*. Ludovicus Areostus Cantu 19. Rolandi Furentis :
Maestro, e Traversio più non molesta,
E tiranno del mar Libecchio resta.
Similiter Seneca Herc. Fur. 282.
Et quidquid atra nocte possessum latet,
Emitte tecum.
Idem Agamemnone, 701.
Creberque totum possidet corpus tremor.
Par verbum adhibuit Naso lib. 1. Metamorph. 57. ubi varias ventorum regiones describit :
His quoque non passim mundi fabricator habendum
Aëra permisit. vix nunc obsistitur illis,
Quum sua quisque regant diverso flamina tractu,
Quin lanient mundum; tanta est discordia fratrum.
habendum, id est possidendum. VULP.

v. 3. HIC LICET OCCULTOS PROFERRE IMPUNE DOLORES] Liberum est arcanos & conditos in pectore dolores depromere sine metu pœnæ. *Licet*, quia amantes queri de amicarum sævitia non audent. Vide ad Eleg. 1. supra :
Sit modo libertas qua velit ira loqui. PASS.
Impune; etenim si hoc fieret præsente Cynthia, omnino periculosum foret. Noster Eleg. 18. lib. 2.
Assiduæ multis odium peperere querelæ :
Frangitur in tacito femina sæpe viro.
Seneca vero Consolat. ad Helviam cap. 17. *Solent mœrentes ea quæ maxime diligunt, fugere, & libertatem dolori suo quærere*. Cicero pariter lib. 3. Tusc. Quæst. *Sunt autem alii, quos in luctu cum ipsa solitudine loqui sæpe delectat, ut illa apud Ennium nutrix :*
Cupido cepit miseram nunc me proloqui
Cœlo atque terræ Medeai miserias. VULP.

v. 4. SI MODO] Horatius Sat. 3. lib. 1. *Si modo plura mihi bona sunt*. PASS.

ibid. SOLA SAXA] Deserta. Vide hujus Elegiæ vers. ult. PASS. Tibullus Carm. 13. lib. 4. *In solis tu mihi turba locis*. Et Ovidius Remed. Amor. 579.
Quisquis amas (loca sola nocent) loca sola caveto. VULP.

ibid. TENERE FIDEM] Servare taciturnitatem. Translatum a vasis quæ perfluunt. Terentius Eunucho 1, 2.
Quæ vera audivi, taceo, & contineo optime.
Sin falsum quid, aut vanum, continuo palam est :
Plenus rimarum sum, hac & illac perfluo.
Mox : *Falsum est, effluet*. *Tenere fidem*, ut *habere fidem*, Eleg. 24. lib. 2. *Fides*, taciturnitas. ut Eleg. 10. supra :
Est quiddam in nobis majus, amice, fide.
Apud Ovidium lib. 2. Metam. saxum index infamiæ, quod fidem non tenuit. Vide Junium Proverb. 81. centur. 7. *Etiam saxa loquentur*. PASS. Notum illud Juvenalis Sat. 9. *Servi ut taceant, jumenta loquentur, Et canis, & postes, & marmora*. V.

v. 5. UNDE TUOS PRIMUM REPETAM, MEA CYNTHIA, FASTUS?] Unde memorare incipiam sævitiam & superbiam tuam ? ἀ-πορία in copia malorum ; ut Virgilius 9. Æneidos : *Quid primum deserta querar?* P. Item lib. 4. *Quæ quibus anteferam?* Cicero pariter pro Sex. Roscio Amerino : *Quid primum querar? aut unde potissimum, judices, ordiar?* Seneca Herc. Oeteo, 180. *Quæ prima querar? quæ summa gemam?* Papinius hanc dubitationem adhibet, sed in re dissimili, Carm. 1. lib. 2. Silvar.
Jamdudum dignos aditus, laudumque tuarum,
O merito dilecte puer, primordia quærens
Distrahor. hinc anni stantes in limine vitæ,
Hinc me forma rapit, rapit inde modestia præcox. &c.
Cui Lucanus, vel quisquis est auctor, præivit Panegyrico ad Calpurnium Pisonem :
Unde prius cœpti surgat mihi carminis ordo,
Quosque canam titulos, dubius feror. hinc tua, Piso,
Nobilitas, veterisque citant sublimia Calpi
Nomi-

Qui modo felices inter numerabar amantes,
Nunc in amore tuo cogor habere notam.
Quid tantum merui? quæ te mihi crimina mutant?
An nova triſtitiæ cauſſa puella tuæ?

Sic

Nomina Romanas inter fulgentia gentes :
Hinc tua me virtus rapit , &c.

Ceteris autem omnibus Homerus, poetarum & rhetorum pater, lib. 9. Odyſſeæ verſu 14.

Τὶ πρῶτον, τὶ δ' ἔπειτα, τὶ δ' ὕςατον καταλέξω; VULP.

v. 6. QUOD MIHI DAS FLENDI, CYNTHIA, PRINCIPIUM?] Quam mihi conquerendi primam cauſſam præbes? PASS. Sed hic *flendi principium*, eſt exordium orationis querulæ. Vulgatum illud Ciceronis lib. 1. de Oratore: *Ut exalbeſcam in principiis dicendi*. Idem lib. 2. *In utroque autem genere dicendi & principia tarda ſunt, & exitus tamen ſpiſſi & producti eſſe debent*. Videtur autem Propertius Theocritum ſecutus, qui Pharmaceutria v. 64.

Νῦν δὴ μώνη ἐοῖσα πόθεν τὸν ἔρωτα δακρυσῶ;
Ἐκ τίνος ἄρξωμαι; τίς μοι κακὸν ἄγαγε τοῦτο;
Nunc ſola relicta, unde amorem meum deplorare incipiam?
Unde exordiar? quis mihi hoc malum attulit? VULP.

v. 7. QUI MODO FELICES I. N. A.] Ita Eleg. 7. lib. 2.

Quem modo felicem invidia admirante ferebant,
Nunc decimo admittor vix ego quoque die.

Felix amator, venuſtus; quem ſcilicet neque Venus, neque Gratiæ negligunt: cui omnia belle ac proſpere eveniunt. PASS.

v. 8. COGOR HABERE NOTAM] Dedecus & infamiam ſuſtinere, quod ſerviam infideli dominæ, & quæ ſit ingenio meretricio. Eleg. 24. lib. 2.

Nec ſic per totam infamis traducerer urbem.

Habere notam vel translatum a cenſoria nota, vel a notis quæ inurebantur ſervis fugitivis. An notam repulſæ intelligit? Ovidius lib. 5. Faſt.

Exigerent noſtræ qualia damna notæ!

Quod ſcilicet Flora neglecta a Senatu. P.

v. 9. QUID TANTUM MERUI?] Pro *deliqui*. Virg. 6. Æneid. *Cui tantum de te licuit?* Et 7. Æneid.

Quod ſcelus aut Lapithis tantum, aut Calydone merente? VULP.

ibid. QUÆ TE MIHI CRIMINA MUTANT?] Quæ criminationes? quis accuſator? quis delator? Ita legunt Lipſius & Palmerius, probante Broukhuſio: & ſuffragatur vetus liber a Paſſeratio inſpectus. Pleræque editiones præferunt *carmina*; nempe, ut explicat Paſſeratius, ἐπῳδαὶ, cantus magici. Quæ incantationes te ab amore meo avertunt, & alio transferre amorem cogunt? ut Eleg. 3. ſupra:

Neve quis invitam cogeret eſſe ſuam.

Virgilius Ecl. 8.

Conjugis ut magicis ſanos avertere ſacris
Experiar ſenſus.

Tibullus Eleg. 8. lib. 1.

Quid queror heu miſero carmen nocuiſſe? quid herbas?

Ego vero olim adoleſcens ita explicaveram: Num in te Jambos vibravi quibus merito irata ſis? Vide Catullum Carm. 36. & Horatium Ode 16. lib. 1. VULP.

ibid. QUÆ TE MIHI CRIMINA MUTANT?] Eodem pacto Cicero ad Marcum Craſſum Epiſt. 8. lib. 5. ad Famil. *Quædam peſtes hominum, laude aliena dolentium, & te nonnumquam a me alienarunt, & me aliquando immutarunt tibi*. Catullus Carm. 65. *Quis te mutavit tantus deus?* Suetonius in Octaviano cap. 69. verbis M. Antonii ad Auguſtum: *Quid te mutavit? quod reginam ineo? uxor mea eſt*. VULP.

v. 10. AN NOVA TRISTITIÆ CAUSSA PUELLA TUÆ?] An ideo triſtis es, quod aliam puellam amare cœperim? Sic Cynthia, Eleg. 23. lib. 3. *An tibi neſcio quæ viſa eſt formoſior? Nova puella*, ut Eleg. 13. ſupra: *novus incidit error*. & Eleg. 9. lib. 4. *furta novare meo*. Notum illud Ovidii Remed. Amor.

Succeſſore novo tollitur omnis amor. PASS.

Huc pertinet arguta illa διλογία meretriculæ cujuſdam Athenienſis, quæ in ſympoſio accumbens, ad feminæ rivalis adventum ingemiſcere & contorqueri cœpit: interro-

gati

Sic mihi te referas levis, ut non altera nostro
Limine formosos intulit ulla pedes.
Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet,
Non ita sæva tamen venerit ira mea:
Ut tibi sim merito semper furor, & tua flendo
Lumina dejectis turpia sint lacrimis.

An

ganti verò amatoti, quid eam male haberet, respondit, ὑστέρα. hæc nimirum vox & uterum significat, & eam quæ posterior advenit. VULP.

v. 11. SIC MIHI TE REFERAS] Τὸ *Sic* est adjurantis; qua de re dictum Eleg. 7. supra: *Atque ita sim felix*. Horatius Ode 3. lib. 1. *Sic te diva potens Cypri, Sic fratres Helenæ lucida sidera, Ventorumque regat pater*. *Ferre se*, est ire. Virgilius 2. Æneid.

Qua se, Priami dum regna manebant,
Sæpius Andromache ferre incomitata solebat.

unde *referre se*, redire. Idem 10. Æneid. *Quum se se e pastu referunt*. Catullus Carm. 105.

Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te.

Cicero Epist. 11. lib. 7. ad Famil. *Si te cito retuleris* (id est redieris ad nos) *sermo nullus erit*. PASS.

ibid. LEVIS] Vel nimium credula, vel inconstans. Eleg. 1. lib. 2.

Si memini, solet illa leves culpare puellas.

Et Eleg. 24. libri ejusdem:

Tam te formosam non pudet esse levem?

Contra *gravitas* pro constantia, Eleg. 20. lib. ejusd.

Tu modo ne dubita de gravitate mea. PASS.

ibid. ALTERA] Nova puella. VULP.

ibid. NOSTRO LIMINE FORMOSOS INTULIT ULLA PEDES] Domum nostram ingressa est. *Limine* pro limini. Vide Eleg. 17. supra: *Donasset funere crines*. *Formosos pedes* κατὰ συνεκδοχήν. Catullus Carm. 67.

Quo mea se molli candida diva pede
Intulit, & trito fulgentem in limine plantam
Innixa, arguta constitit in solea.

Idem Carm. 60. *Transfer omine cum bono Limen aureolos pedes*. Seneca in Agamemnone: *Exsultat, & ponit pedes Pater decoros Dardanus*: Lucillius apud Festum:

Cernuus extemplo plantas convestit honestas.

Sic Homero: Θέτις ἀργυρόπεζα, & καλλίσφυρος Ἥβη. & Hesiodo: καλλίσφυρος Νίκη. PASS. Nollem tamen, Propertium, quum de rivali muliere mentionem apud Cynthiam faceret, formosos pedes ei tribuisse. Deterius epithetum, aut ego fallor, illum hoc loco adhibuisse oportuit. VULP.

v. 13. QUAMVIS MULTA TIBI DOLOR HIC MEUS ASPERA DEBET] Nimirum, ego miser & gravia perpessus debeo. *Dolor*, pro ipse dolens. ut Elegia superiore:

Illic si qua meum sepelissent fata dolorem.

Debet tibi, eadem translatione qua Eleg. 13. supra:

Multarum miseras exiget una vices.

Nam qui accepit malum, & redditurus est alteri, debere dicitur, donec persolverit. Plautus Curcul. 4, 3. *Ego, nisi malum, nihil debeo*. Sallustius in oratione Lepidi sic dixit, *solvere injuriam*, pro ulcisci. Virgilius etiam 2. Æneid.

Persolvant grates dignas, & premia reddant
Debita. PASS.

Contra, qui supplicium commeruerunt, antequam illud dent, dicuntur debere. Horatius Ode 14. lib. 1. ad navem ἀλληγορικῶς, videlicet ad Romanam rempublicam: *Tu, nisi ventis Debes ludibrium, cave*. VULP.

ibid. MULTA ASPERA] Ut Eleg. 15. supra:

Sæpe ego multa tuæ levitatis dura timebam. P.

v. 14. NON ITA SÆVA TAMEN VENERIT IRA MEA] Non adeo vehementer excandescam, & iratus in te tam acriter sæviam. PASS.

v. 15. UT TIBI SIM MERITO SEMPER FUROR] Ut jure semper irascaris, &, ut insani solent, in me debaccheris. *Furor*, pro furoris caussa. ut Eleg. 14. supra:

Illa etiam duris mentibus esse (potest) *dolor.*

Cha-

An quia parva damus mutato signa calore?
Et non ulla meo clamat in ore fides?

Vos

Charisius lib. 5. *Dolor mihi, vel honor fuit hæc res*. PASS.

ibid. ET TUA FLENDO LUMINA DEJECTIS TURPIA SINT LACRIMIS] Et oculi tui lacrimis assidue effusis fœdentur. *δὶς τὸ αὐτὸ, flendo, lacrimis*. ut Eleg. 11. supra, *unda, lympha*. Turpiores fiunt oculi fletu, quia & rubent & intumescunt. Catullus Carm. 3.

Flendo turgiduli rubent ocelli.

ad quem Veronensis poetæ versiculum videtur hoc loco respexisse Umber noster. Tibullus Eleg. 8. lib. 1.

Desistas lacrimare, puer: non frangitur illa.
Et tua jam fletu lumina fessa tument.

Idem Eleg. ult. lib. 2.

Nec lacrimis oculos digna est fœdare loquaces.

Plautus Amphitr. 1, 3. *Ne corrumpe oculos*. PASS. Quod autem recentiores poetæ, ut Areostus, Flaminius, Becanus, quorum versus elegantissimos profert Bronkhusius; & ante illos Franciscus Petrarcha (*ne' Sonetti* 123. 124. 125.) visi sibi fuerint jucundi aliquid & pulchri in fletu puellarum deprehendere; id quidem antiquæ veritati nihil officit. Veteres enim naturam ducem sequebantur; & iccirco ut dolorem malum existimabant, ita etiam a lacrimis, doloris indicibus, & ex eo profectis abhorrebant. Vereor igitur ne recentiorum sententia contorta nimium sit & ἐξύσμος, quales plurimæ hoc tempore: quæ tamen laudantur & in pretio habentur, ob novitatem, blandam conciliatriculam. Rectius Ovidius, meo judicio, lib. 3. Amor. Eleg. 6.

Quid fles, & madidos lacrimis corrumpis ocellos?
Pectoraque insana plangis aperta manu?
Ille habet & silices, & vivum in pectore ferrum,
Qui tenero lacrimas lentus in ore videt.

Lentus, id est tam tristi spectaculo non commotus: nos Itali dicimus *indifferente*. Quid si non tantum lentus aspiciat, sed etiam crudeliter delectatus, & ex puellæ dolore immanem quamdam voluptatem sibi quærens? VULP.

v. 16. DEJECTIS LACRIMIS] Ita *jacere querelas* dixit M. Tullius lib. 1. de Divinatione:

Et matutinis acredula vocibus instat,
Vocibus instat, & assiduas jacit ore querelas.
BROUKH.

Dejectis lacrimis, non est *δὶς τὸ αὐτὸ*, ut putabat Passeratius; verum hoc significat: quum flere desiveris, & lacrimæ dejectæ omnino & absterfæ fuerint, reliqua tamen sit oculorum turpitudo (nempe tumor & rubor) ex longo fletu contracta. dejiciuntur autem lacrimæ vel digitis, vel sudario. VULP.

v. 17. AN QUIA] Ita loquitur Terentius Hecyra 4, 4.

Censen' te posse reperire ullam mulierem
Quæ careat culpa? an quia non delinquunt viri? PASS.

ibid. PARVA DAMUS SIGNA] Virgilius 1. Georg.

Sol quoque & exoriens, & quum se condet in undas,
Signa dabit.

Item:

Obscenique canes, importunæque volucres
Signa dabant.

Sic dixit Eleg. 5. supra: *Si parva tuæ dederis vestigia culpæ*. PASS. & VULP.

ibid. MUTATO CALORE] Sententia hujus loci est: An quia non vultu satis ostendimus nos amare, quoniam amorem alio transtulimus? Ita Eleg. 12. *Si despectus potuit mutare calores*. Sed & Palmerius & vetus liber legit *colore*. ut Eleg. 15. supra:

Mutatoque graves sæpe colore preces. PASS.

v. 18. ET NON ULLA MEO CLAMAT IN ORE FIDES?] Nonne veritas, inquit, & res ipsa satis loquitur & vociferatur me amare, quum in vultu pallor & macies conspicitur? *Fides*, pro veritas, ut Eleg. 1. lib. 4.

Inque meis libris nil prius esse fide.

Et Eleg. 6. lib. 4.

Sum deus, & nostri sanguinis illa fides.

idest probatio & confirmatio. Inde vox Rhetorum, *fidem facere*. *Clamare* etiam muta dicuntur. Catullus Carm. 6. *Nequicquam tacitum cubile clamat*. & Carm. 79.

Sic

Vos eritis testes, si quos habet arbor amores,
Fagus, & Arcadio pinus amata deo.
Ah quoties teneras resonant mea verba sub umbras,
Scribitur & vestris CYNTHIA corticibus!

An

Sic certe. clamant Victoris rupta miselli Ilia. PASS.

Aristoteles, & alii Græci Rhetores argumenta quibus aliquid probatur, appellant πίστεις. Ceterum, *fides* hoc loco significat juramentum, quo utimur ad faciendam fidem. Certissimus interpres Ovidius Epist. Phyllidis v. 31.

Jura, fides, ubi nunc, commissaque dextera dextræ?
Quique erat in falso plurimus ore deus? V.

v. 19. VOS ERITIS TESTES] Vetus formula. Virgil. 12. Æneid. *Esto nunc Sol testis*. Noster Eleg. 15. lib. 3. *Testis erit Dirce*. & Eleg. 32. lib. 2.

Testis erit puras, Phœbe, videre manus.

Festus: *Contestari est quum uterque reus dicit: Testes estote*. PASS.

ibid. SI QUOS HABET ARBOR AMORES] Si verum est quod vulgo fertur, ipsas arbores sensu amoris non carere, immo aliquando amavisse. Male Passeratius: Si arbor habet aliqua amicarum nomina incisa in cortice suo. VULP.

v. 20. FAGUS] Arbor est glandifera & amoribus dicata. Ovidius Epist. Oenones:

Incisæ servant a te mea nomina fagi. PASS.

ibid. ARCADIO PINUS AMATA DEO] Περὶ πίτυος ἱστορίαν narrat Scriptor Geoponicorum lib. 11. cap. 11. Afferam in Latinum versam: *Pitys* (sive Pinus) *puella prius erat, & mutationem naturæ ex amore duplici accepit. Amabat enim puellam Pan, amabat etiam Boreas. quum autem uterque puellam alliceret, ipsa Panos amore magis afficiebatur, & ideo Boreas æmulatione tactus puellam in petras impulit, & occidit. Terra autem, miserata cladem, plantam puellæ cognominem edidit: quæ permutatâ vitâ, erga eosdem priores affectus servat: & Pana quidem germine suo coronat, flet autem & lamentatur arbor ubi Boream afflantem senserit*. Pan ipse apud Lucianum in Dialogis Deorum: Ἐγὼ δὲ, τῇ τε Ἠχοῖ, καὶ τῇ Πίτυϊ συνειμι, καὶ ἁπάσαις ταῖς τοῦ Διονύσου Μαινάσι. *Ego vero, & cum Echo, & cum Pitye concumbo, & cum universis Bacchi Mænadibus*. VULP.

ibid. ARCADIO DEO] Virgilius Ecl. 10. *Pan deus Arcadiæ venit*. Ovidius 1. Fast.

Pana deum pecoris veteres coluisse feruntur Arcades. Arcadiis plurimus ille jugis.

Vide Pausaniam in Arcadicis. PASS.

ibid. PINUS] Grata Pani arbor, ex qua nectebat sibi coronam. Lucretius lib. 4.

--- Pan
Pinea semiferi capitis velamina quassans.

Ovidius 1. Fast. v. 411.

Hinc aliæ (Naïdes) *Satyris incendia mitia præbent:*
Pars tibi, qui pinu tempora nexa geris. P.

ibid. AMATA DEO] Ovidius Eleg. 1. lib. 3. Trist. de lauro:

An quia Leucadio semper amata deo? P.

Ita Catullus Carm. 8.

Amata nobis, quantum amabitur nulla.

Et Horatius Epodo 17.

Amata nautis multum & institoribus.

Ovidius præcipue hoc loquendi genus in deliciis habuit. Videsis quæ nos attulimus ad versum 35. Carm. 66. Catulli, Commentarii pagina 383. & 384. Douza filius & Broukhusius ex quibusdam codicibus legunt, *amica deo*. Sed non opus mutatione. V.

v. 21. AH QUOTIES] Tibullus Eleg. 3. lib. 2.

Ah quoties ausa, caneret dum valle sub alta,
Rumpere mugitu carmina docta boves!

Vide Eleg. 5. supra versu 13. VULP.

ibid. TENERAS RESONANT MEA VERBA SUB UMBRAS] Si τὸ *resonant* neutrum est, *mea verba* recto casu dicet. ut Eleg. 20. lib. 3.

Non hic Andromedæ resonant pro matre catenæ.

Sin activum, erit *resonant fagus & pinus mea verba*, idest, referunt propter ἠχώ, ut Virgilius Ecl. 1.

Formosam resonare doces Amaryllida silvas. P.

ibid. TENERAS SUB UMBRAS] Nempe frondes molles. Tribuit umbris quod est foliorum. Ita Virgilius 6. Æneid. *teneras turbavit janua frondes*. Aliàs legitur *tremulas*, id est vibrantes. nam intremiscunt folia

ven-

An tua quod peperit nobis injuria curas,
Quæ ſolum tacitis cognita ſunt foribus?
Omnia conſuevi timidus perferre ſuperbæ
Juſſa, neque arguto facta dolore queri.

Pro

ventis agitata, ſed maxime populea. ut Virgilius 5. Æneid. *Splendet tremulo ſub lumine pontus*. PASS.

v. 22. SCRIBITUR ET VESTRIS CYNTHIA CORTICIBUS] Pro inciditur. Sic Eleg. 7. lib. 4.

Hoc carmen media dignum me ſcribe columna.

Paſtorum mos eſt ſcribere in cortice. Theocritus Idyllio 18. Γράμματα δ' ἐν φλοιῷ γεγράψεται. Virgilius Ecl. 5. *In viridi nuper quæ cortice fagi Carmina deſcripſi*. Et Ecl. 10. *Tenerisque meos incidere amores Arboribus*. Vetus poeta in Catalectis:

Quando ponebam novellas arbores mali & pyri
Cortici ſummæ notavi nomen ardoris mei.
Nulla fit exinde finis, vel quies cupidinis,
Creſcit arbor, gliſcit ardor, ramus implet litteras. PASS.

Non diſſimilia occurrunt apud Callimachum in Epigrammate, Ariſtophanis Interpretem in Acharn. Ovidium Epiſt. Oenones, T. Calpurnium Ecl. 1. & 3. Petrum Angelium Bargæum Ecl. 1. Torquatum Taſſum Cantu 7. Gothifredi, ſtrophe 19. ut plures alios omittam. eſt enim res in poetarum libris valde frequens. VULP.

v. 23. AN, TUA QUOD PEPERIT NOBIS INJURIA CURAS?] Pudetne te mihi cauſſam fuiſſe dolendi? & iccirco conſcientia criminis territa, vereris ad me accedere? at ego vix memini quas acceperim injurias. VULP.

ibid. TUA INJURIA] Faſtus iniqui: Eleg. 14. lib. 2. Ennio: *Iniqua ſuperbia*. Infra hic: *Superbæ juſſa*. *Injuria*, pro ſuperbia & ſævitia; quia ſuperbi libenter faciunt injuriam. Sic *injuſti*, pro ſuperbis Tibullo Carm. 13. lib. 4.

Hæc notos injuſtos, ſupplicibuſque fovet. V.

ibid. PEPERIT CURAS] Parit curas auctor curarum, & unde curæ natæ ſunt. Sic Tibullus Eleg. 6. lib. 1. *Sæpe mero ſomnum peperi tibi*. Et ambigue Cæcilius in Davo apud Feſtum in *Probrum*:

Ea tum compreſſa parit huic puerum, ſibi probrum. PASS.

v. 24. QUÆ SOLUM TACITIS COGNITA SUNT FORIBUS] Quæ ſola novit janua, licet muta, nec mutua reſpondens. Vetus liber, *ſit*, pro *ſunt*. unde legi videtur oportere, *ſit*, ut referatur ad τὸ *injuria*: nam teſtis hujus injuriæ janua. PASS. Non eſt neceſſaria emendatio Scaligeri, qui ſuperiore verſu legit *quæ*, pro *quod*: ut *curas* ſit verbum. nam mutatio iſta generis in proceſſu orationis frequens admodum eſt apud antiquos. Terentius Hecyra 3, 1.

Tum uxori obnoxius ſum: ita olim ſuo me ingenio pertulit:
Tot meas injurias: quæ numquam in ullo patefecit loco.

ibidem 3, 4.

Prorſus neſcio
Quo pacto hoc celem, quod me oravit Myrrhina,
Gnatæ ſuæ partum. BROUKH.

Excluſus fortaſſe fuerat a Cynthia Propertius: ne igitur amica ſibi diffidat, propterea quod amatorem injuria affecerit, ait poeta, injuriam hujuſmodi ceteros latere, ſolis foribus cognitam eſſe, quæ oratione ac lingua carentes, nemini narraturæ ſint. VULP.

v. 25. OMNIA CONSUEVI TIMIDUS PERFERRE SUPERBÆ JUSSA] Timidus, ut Elegia 3. ſupra:

Non tamen auſus eram dominæ turbare quietem,
Expertæ metuens jurgia ſævitiæ.

Perferre, ut Virg. 3. Æneid.

Stirpis Achilleæ faſtus, juvenemque ſuperbum
Servitio enixæ tulimus.

Salluſtius in Oratione Marcii: *Quamvis, Quirites, in vobis ſit, quæ juſſa pro aliis toleratis, ea agere, aut non agere*. PASS.

v. 26. NEQUE ARGUTO FACTA DOLORE QUERI] *Argutus dolor*, an acutus, ut *argutumque caput*? An potius, ſtridulus, vocalis, canorus, tinnulus? ut Eleg. 16. ſupra: *Tetis argutos noctibus ignes*; & Eleg. 16. *Argutâ blanditiâ*; & infra hic, *Argutæ aves.*

Pro quo, divini fontes & frigida rupes,
Et datur inculto tramite dura quies:

Et,

aves. An *argutus*, querulus, qui facile arguit alterum? Cicero lib. 12. ad Atticum: *Scis quam sit φιλαίτιος συμφορά*. hoc est, quam querula res sit calamitas. PASS.

ibid. FACTA QUERI] Ut Eleg. ult. lib. 3.

Et quæ fecisti, facta quereris anus.

Facta, malefacta, delicta, injurias, culpam. ut Eleg. 32. lib. 2. *Facti criminis lumen habet*. PASS. Codex Memmianus, *ficta*. quam lectionem probant Passeratius & Broukhusius, immo hic magno apparatu eruditionis ac testimoniorum stabilire conatur. Ego vero vulgatæ non prætulerim: facta enim superba jussa dominæ superbæ omnino conveniunt. præterea sententia magis expedita est. VULP.

v. 27. PRO QUO] Pro quibus meritis & malis perlatis. Catullus Carm. 63. *Pro quo dilaceranda feris dabor*. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 7.

Pro quibus officiis pretium mihi dulce repende.

Pompejus apud Sallustium in Epist. ad Senatum: *Pro queis, o grati patres, egestatem ac famem redditis*. PASS. Sic etiam in veteri ad Priapum Epigrammate:

Pro quibus officiis, si fas est, sancte, paciscor,
Assiduus custos ruris ut esse velis. VULP.

ibid. DIVINI FONTES ET FRIGIDA RUPES] Scaliger legit: *Pro quo, dii, vivi fontes*. Non recte opinor. Nam Propertius & fontes & rupem ipsam alloquitur; ut Eleg. 17. supra, alcyonas, & infra hic aves. Ita Turnus 10. Æneid. ventos: Narcissus apud Ovidium 3. Metam. silvas: Medeæ nutrix apud Euripidem cælum ac terram. *Divini* autem *fontes* dicantur, ut Eleg. 27. lib. 2. -- *At illi*

Aurea divinas urna refudit aquas.

Virgilius Ecl. 1. 52.

hic inter flumina nota,
Et fontes sacros, frigus captabis opacum.

qui Maronis locus huic Propertiano simillimus. Idem lib. 4. Georg.

Tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis.

Horatius Ode 1. lib. 1. *Nunc ad aquæ lene caput sacræ*. Cornelius Tacitus extremo libro primo Annal. *Patriis* amnibus lucos & aras dicari solere scribit. Fontium sacra, *Fontinalia* Festo. Theocritus Idyllio 8. Ἄγκεα καὶ ποταμοὶ θεῖον γένος. PASS. Divinare non possum, cur Josepho Scaligero placuerit, aliam ἀποστροφὴν huc inducere, nempe, *dii*, quum esset vulgata commodior, *divini fontes, & frigida rupes*. Deinde adjunctum illud, *vivi*, a mente Propertii hoc loco nimium abhorreret: debuisset enim fontibus aliud ἐπίθετον tribuere, quod molestiam & incommodum significaret; sicuti dixit *frigida rupes, inculto tramite, dura quies*. τὸ *vivi* autem otiosum esset. *Fontes* vocari *divinos* in Romanis Inscriptionibus, Broukhusius ostendit allatis exemplis. Horatius Fonti Blandusiæ, tamquam deo, victimam pollicetur Ode 13. lib. 3. VULP.

ibid FRIGIDA RUPES] Rupem alloquitur, ut Eleg. 4. lib. 4. *Romani montes*. *Frigida rupes*, ut Eleg. 20. hujus libri:

Ne tibi sit durum (adire) montes, & frigida saxa, &c.

Virgilius 8. Æneid. *Gelida monstrat sub rupe Lupercal*. Totus autem hic locus ita interpungendus:

Pro quo, divini fontes & frigida rupes,
Et datur inculto tramite dura quies:
Et, quodcumque meæ possunt narrare querelæ,
Cogor ad argutas dicere solus aves. P.

v. 28. ET DATUR INCULTO TRAMITE DURA QUIES] Contra Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Mollis & inculta sit mihi somnus humo.

Inculto tramite, aspero, horrido, senticoso. *Trames a transverso dictus*; Varro lib. 6. de L. L. Isidorus autem lib. 15. Etymol. cap. ult. *Tramites transversa in agris itinera, dicta quod transmittant*. Immo a trameando, unde & *trama*. *Dura quies*, ut Eleg. 15. lib. 3.

Et caput in dura ponere jussit humo.

& Eleg. 19. lib. 2. *Somnus amarus*. Contra: *mollis quies*, Eleg. 3. supra versu 7. PASS. *Dura quies*, de morte dixit Virgilius 10. Æneid. v. 745.

Olli dura quies oculos, & ferreus urget
Somnus. VULP.

v. 29.

Et, quodcumque meæ possunt narrare querelæ,
  Cogor ad argutas dicere solus aves.
Sed qualiscumque es, resonent mihi CYNTHIA silvæ,
  Nec deserta tuo nomine saxa vacent.

v. 29. ET, QUODCUMQUE MEÆ POSSUNT NARRARE QUERELÆ] Tibulli versus simillimus Carm. 1. lib. 4.

Et, quodcumque meæ poterunt audere camenæ.

Meæ querelæ, ego qui queror. ut Eleg. 2. supra: *Nostræ gratissima vitæ*. *Possunt*, dixit, quia queri vix fas amantibus. Eleg. 5. supra:

Et quæcumque voles fugient tibi verba querenti. PASS.

v. 30. COGOR AD ARGUTAS DICERE SOLUS AVES] Ita Eleg. 20. lib. 2.

De te quodcumque ad surdas mihi dicitur aures.

& Eleg. ult. lib. 4. *Nostra ad simulacra loquēris*. Livius lib. 3. Hist. *Quæ mandata habeat a senatu, ad quercum ea dicere jubet*. PASS. *Argutæ aves*, sunt garrulæ, canoræ. Sic *argutam ilicem* vocavit Maro initio Ecl. 7. & pinui τὸ ψιθύρισμα tribuit Theocritus Idyll. 1. VULP.

v. 31. SED QUALISCUMQUE ES] Licet sis perfida & sæva. Eleg. 19. lib. 3.

Qualiscumque mihi tuque puella vale. V.

ibid. RESONENT MIHI CYNTHIA SILVÆ] τὸ *Cynthia*, simul vocandi casu & accusandi. Virgilius Ecl. 6.

His adjungit, Hylan nautæ quo fonte relictum
Clamassent: ut litus HYLA, HYLA omne sonaret. PASS.

v. 32. NEC DESERTA TUO NOMINE SAXA VACENT] Numquam Cynthiæ nomine careant. Cicero pro Archia: *Saxa & solitudines voci respondent*. Virgilius Ecl. 5. *Ipsæ jam carmina rupes Ipsa sonant arbusta*. P. τὸ *resonent*, & τὸ *vacent*, Scaligero & Broukhusio relinqui debent. VULP.

ELEGIA XIX.

NOn ego nunc tristes vereor, mea Cynthia, manes,
  Nec moror extremo debita fata rogo.

Sed

ARGUMENTUM ELEGIÆ XIX. LIBRI I.] Etiam morte obita se Cynthiam amaturum. VULP.

v. 1. NON EGO NUNC VEREOR] Sic Elegia 2. supra:

Non ego nunc vereor ne sis mihi vilior istic.

Et Eleg. 6.

Non ego nunc Hadriæ vereor mare noscere tecum. PASS.

ibid. TRISTES MANES] στυγνούς. Virgilius 6. Æneid.

Et tristes sine sole domos, loca turbida, adiret.

Iterum eodem libro: *Non me impia namque Tartara habent, tristesque umbræ*. Adludit ad nomen Acherontis fluminis inferorum, ita vocati, quod mortui gaudio carere putarentur. *Manes*, inquit Charisius lib. 1. οἱ δαίμονες. Mortuorum hominum animæ manes, quia boni ac sancti genii illi habiti: manum enim bonum. & eo adlusit Virgilius 12. Æneid. *Vos o mihi manes Este boni*. Contra immanes, minime boni. Nonius in *Manum*. Servius κατ' ἀντίφρασιν dictus putat. Poetæ ac Livius pro cinere atque ossibus, vel ipsis inferis usurpare solent. PASS.

v. 2. NEC MOROR EXTREMO DEBITA FATA ROGO] Per me mora non fit morti & funeri. Non refugio mortem, nec detrecto cremari. *Moratur fata*, qui recusat mori, & pedem struit. Horatius Ode 27. lib 3. *Impudens Orcum moror*. Virgilius 12. Æneid. *Neque enim Turne mora libera mortis*. Si fata vocant, venio, inquit, nec rogo, ut me exspectent. Contra Horatius Ode 17. lib. 2. *Volucrisque fati Tardavit alas*.

 Fata,

Pro quo, divini fontes & frigida rupes,
Et datur inculto tramite dura quies:

Et,

aves. An *argutus*, querulus, qui facile arguit alterum? Cicero lib. 12. ad Atticum: *Scis quam sit φιλαίτιον συμφορά*. hoc est, quam querula res sit calamitas. PASS.

ibid. FACTA QUERI] Ut Eleg. ult. lib. 3.

Et quæ fecisti, facta quereris anus.

Facta, malefacta, delicta, injurias, culpam. ut Eleg. 32. lib. 2. *Facti crimina lumen habet*. PASS. Codex Memmianus, *ficta*. quam lectionem probant Passeratius & Broukhusius, immo hic magno apparatu eruditionis ac testimoniorum stabilire conatur. Ego vero vulgatæ non prætulerim: facta enim superba jussis dominæ superbæ omnino conveniunt. præterea sententia magis expedita est. VULP.

v. 27. PRO QUO] Pro quibus meritis & malis perlatis. Catullus Carm. 63. *Pro quo dilaceranda feris dabor*. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 7.

Pro quibus officiis pretium mihi dulce rependo.

Pompejus apud Sallustium in Epist. ad Senatum: *Pro queis, o grati patres, egestatem ac famem redditis*. PASS. Sic etiam in veteri ad Priapum Epigrammate:

Pro quibus officiis, si fas est, sancte, paciscor,
Assiduus custos ruris ut esse velis. VULP.

ibid. DIVINI FONTES ET FRIGIDA RUPES] Scaliger legit: *Pro quo, dii, vivi fontes*. Non recte opinor. Nam Propertius & fontes & rupem ipsam alloquitur; ut Eleg. 17. supra, alcyonas, & infra hic aves. Ita Turnus 10. Æneid. ventos: Narcissus apud Ovidium 3. Metam. silvas: Medeæ nutrix apud Euripidem cælum ac terram. *Divini* autem *fontes* dicantur, ut Eleg. 27. lib. 2. -- *At illi*

Aurea divinas urna refudit aquas.

Virgilius Ecl. 1. 52.

hic inter flumina nota,
Et fontes sacros, frigus captabis opacum.

qui Maronis locus huic Propertiano simillimus. Idem lib. 4. Georg.

Tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis.

Horatius Ode 1. lib. 1. *Nunc ad aquæ lene caput sacræ*. Cornelius Tacitus extremo libro primo Annal. *Patriis* amnibus lucos & aras dicari solere scribit. Fontium sacra, *Fontinalia* Festo. Theocritus Idyllio 8. Ἄγκεα καὶ ποταμοὶ θεῖον γένος. PASS. Divinare non possum, cur Josepho Scaligero placuerit, aliam ἀποστροφὴν huc inducere, nempe, *dii*, quum esset vulgata commodior, *divini fontes, & frigida rupes*. Deinde adjunctum illud, *vivi*, a mente Propertii hoc loco nimium abhorreret: debuisset enim fontibus aliud ἐπίθετον tribuere, quod molestiam & incommodum significaret; sicuti dixit *frigida rupes, inculto tramite, dura quies*. τὸ *vivi* autem otiosum esset. *Fontes* vocari *divinos* in Romanis Inscriptionibus, Broukhusius ostendit allatis exemplis. Horatius Fonti Blandusiæ, tamquam deo, victimam pollicetur Ode 13. lib. 3. VULP.

ibid FRIGIDA RUPES] Rupem alloquitur, ut Eleg. 4. lib. 4. *Romani montes*. *Frigida rupes*, ut Eleg. 20. hujus libri:

Ne tibi sit durum (adire) montes, & frigida saxa, &c.

Virgilius 8. Æneid. *Gelida monstrat sub rupe Lupercal*. Totus autem hic locus ita interpungendus:

Pro quo, divini fontes & frigida rupes,
Et datur inculto tramite dura quies:
Et, quodcumque meæ possunt narrare querelæ,
Cogor ad argutas dicere solus aves. P.

v. 28. ET DATUR INCULTO TRAMITE DURA QUIES] Contra Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Mollis & inculta sit mihi somnus humo.

Inculto tramite, aspero, horrido, senticoso. *Trames a transverso dictus*; Varro lib. 6. de L. L. Isidorus autem lib. 15. Etymol. cap. ult. *Tramites transversa in agris itinera, dicta quod transmittant*. Immo a trameando, unde & *trama*. *Dura quies*, ut Eleg. 15. lib. 3.

Et caput in dura ponere jussit humo.

& Eleg. 19. lib. 2. *Somnus amarus*. Contra: *mollis quies*, Eleg. 3. supra versu 7. PASS. *Dura quies*, de morte dixit Virgilius 10. Æneid. v. 745.

Olli dura quies oculos, & ferreus urget
Somnus. VULP.

v. 29.

Et, quodcumque meæ possunt narrare querelæ,
Cogor ad argutas dicere solus aves.
Sed qualiscumque es, resonent mihi CYNTHIA silvæ,
Nec deserta tuo nomine saxa vacent.

v. 29. ET, QUODCUMQUE MEÆ POSSUNT NARRARE QUERELÆ] Tibulli versus simillimus Carm. 1. lib. 4.

Et, quodcumque mea poterunt audere camenæ.

Meæ querelæ, ego qui queror. ut Eleg. 2. supra: *Nostra gratissima vita*. *Possunt*, dixit, quia queri vix fas amantibus. Eleg. 5. supra:

Et quæcumque volet fugient tibi verba querenti. PASS.

v. 30. COGOR AD ARGUTAS DICERE SOLUS AVES] Ita Eleg. 20. lib. 2.

De te quodcumque ad surdas mihi dicitur aures.

& Eleg. ult. lib. 4. *Nostra ad simulacra loquêris*. Livius lib. 3. Hist. *Quæ mandata habeat a senatu, ad quercum ea dicere jubet*. PASS. *Argutæ aves*, sunt garrulæ, canoræ. Sic *argutam ilicem* vocavit Maro initio Ecl. 7. & pinui τὸ ψιθύρισμα tribuit Theocritus Idyll. 1. VULP.

v. 31. SED QUALISCUMQUE ES] Licet sis perfida & sæva. Eleg. 19. lib. 3.

Qualiscumque mihi tuque puella vale. V. ibid. RESONENT MIHI CYNTHIA SILVÆ] τὸ *Cynthia*, simul vocandi casu & accusandi. Virgilius Ecl. 6.

His adjungit, Hylan nautæ quo fonte relictum
Clamassent: ut litus HYLA, HYLA *omne sonaret*. PASS.

v. 32. NEC DESERTA TUO NOMINE SAXA VACENT] Numquam Cynthiæ nomine careant. Cicero pro Archia: *Saxa & solitudines voci respondent*. Virgilius Ecl. 5. *Ipsæ jam carmina rupes Ipsa sonant arbusta*. P. τὸ *resonant*, & τὸ *tacent*, Scaligero & Broukhusio relinqui debent. VULP.

ELEGIA XIX.

NOn ego nunc tristes vereor, mea Cynthia, manes,
Nec moror extremo debita fata rogo.

Sed

ARGUMENTUM ELEGIÆ XIX. LIBRI I.] Etiam morte obita se Cynthiam amaturum. VULP.

v. 1. NON EGO NUNC VEREOR] Sic Elegia 2. supra:

Non ego nunc vereor ne sit mihi vilior istis.

Et Eleg. 6.

Non ego nunc Hadriæ vereor mare noscere tecum. PASS.

ibid. TRISTES MANES] στυγερὰς. Virgilius 6. Æneid.

Et tristes sine sole domos, loca turbida, adires.

Iterum eodem libro: *Non me impia namque Tartara habent, tristesque umbræ*. Adludit ad nomen Acherontis fluminis inferorum, ita vocati, quod mortui gaudio carere putarentur. *Manes*, inquit Charisius lib. 1. οἱ δαίμονες. Mortuorum hominum animæ manes, quia boni ac sancti genii illi habiti: manum enim bonum. & eo adlusit Virgilius 12. Æneid. *Vos o mihi manes Este boni*. Contra immanes, minime boni. Nonius in *Manum*. Servius κατ' ἀντίφρασιν dictos putat. Poetæ ac Livius pro cinere atque ossibus, vel ipsis inferis usurpare solent. PASS.

v. 2. NEC MOROR EXTREMO DEBITA FATA ROGO] Per me mora non fit morti & funeri. Non refugio mortem, nec detrecto cremari. *Moratur fata*, qui recusat mori, & pedem struit. Horatius Ode 27. lib 3. *Impudens Orcum moror*. Virgilius 12. Æneid. *Neque enim Turno mora libera mortis*. Si fata vocant, venio, inquit, nec rogo, ut me exspectent. Contra Horatius Ode 17. lib. 2. *Volucrisque fati Tardavit alas*.

 Fata,

Sed ne forte tuo careat mihi funus amore,
Hic timor est ipsis durior exsequiis.
Non adeo leviter nostris puer hæsit ocellis,
Ut meus oblito pulvis amore vacet.
Illic Phylacides jucundæ conjugis heros
Non potuit cæcis immemor esse locis.

Sed

Fata, ambigue etiam de ipso cadavere, ut Eleg. 17. supra:

An poteris siccis mea fata reponere ocellis?

Funera autem & cadavera debentur rogo; quia, ut ait Horatius in Epist. ad Pisones: *Debemur morti nos nostraque*. *Extremus rogus*, qui supremo die accenditur. ut Eleg. 17. supra, *Ultimus lapis*, & *extremo pulvere*. & Eleg. 11. lib. 2.

Omnia, crede mihi, secum uno munera lecto
Auferet extremi funeris atra dies.

Ovidius quoque lib. 2. Artis: de animo:

Solus ad extremos permanet ille rogos.

Rogus, inquit Servius in fragmentis, *exstructio lignorum: & ignis subjectio, pyra*. P. Vel est hypallage, pro, Nec rogum moror debitum fatis extremis. Quum enim cremabant mortuos, ultimum pietatis officium eis persolvebant. Noster Eleg. 7. lib. 3.

Et mater non justa piæ dare debita terræ,
Nec pote cognatos inter humare rogos.

Videtur hanc Elegiam dictavisse Propertius quum adversa valetudine laboraret, nec a mortis proximæ suspicione vacaret. Vulp.

v. 3. Ne forte tuo careat mihi funus amore] Ne ego mortuus te amica caream. Ne me mortuum amare desinas. *Mihi funus*, pro *meum funus*, hoc est ego funeratus, exstinctus. ut Eleg. 17. versu 8. supra. Statius lib. 12. Thebaid. *Et qui castissimus ardor Funus amat*. nimirum etiam vita functum. Pass. Virgilius 1. Georgic.

Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & sulco attritus splendescere vomer.

mihi taurus, pro *meus taurus*. vel τὸ *mihi* παρέλκει. Vulp.

v. 4. Hic timor est ipsis durior exsequiis] Ipsa morte mihi acerbior. *Durus timor*; ut Virgilius 4. Æneid. *duras immittere curas*. & 5. Æneid. *duri magno sed amore dolores Polluto*. Pass. Vel *timor durus*, pro ipsa re quæ timetur. Oblivio nimirum & contemtus in Cynthia durissimum futurum erat Propertio vel mortuo. V.

ibid. Exsequiis] Exsequiæ μετωνυμικῶς pro morte. id quod sequitur, pro eo quod præcedit. ut apud Horatium *Funeratus*, pro occisus. Isidorus lib. 11. Originum: *Exsequiæ cadaver dum portatur: immo ipsa pompa & comitatus sequentium cadaver*. Virgilius 5. Æneid. alludit ad etymon:

Annua vota tamen sollemnesque ordine pompas
Exsequerer.

unde *exsequiari*; Varro apud Nonium. Donatus in illud Andriæ: *Funus procedit, nos sequimur; Hinc exsequiæ dictæ*, inquit, *quia ordine naturæ mortuos sequemur*. Formula funeris indictivi hæc erat: *Exsequias quibus commodum est ire jam tempus est; ollus ex ædibus effertur*. Pass. *Exsequias ire*. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 6.

Psittacus, Eois imitatrix ales ab Indis,
Occidit. exsequias ite frequenter, aves.

ut habent optimi codices a Nic. Heinsio inspecti. Vulp.

v. 5. Nostris puer hæsit ocellis] Id est, fixus mansit in oculis, quia ex aspectu amor nascitur, ut dictum Eleg. 1. supra versu 1. Aut *noster puer*, Cupido communis amantium deus. ut Eleg. 1. supra: *Nostra Venus*. Aut *nostris ocellis puer hæsit*. *Puer* sine adjectione, ἁπλῶς. ut Eleg. 9. supra v. 21. & alibi. *Hæsit ocellis*; ut Virgilius 1. Æneid. *Hæc oculis, hæc pectore toto Hæret*. Cicero Philippica 13. *In oculis vestris hærebunt*. Pass.

v. 6. Ut meus oblito pulvis amore vacet] Ut ego versus in pulverem & cinefactus, amore caream. Sic infra hac Elegia:

Abstrahat a nostro pulvere iniquus amor.

τὸ *oblito* παθητικῶς. ut Eleg. 4. lib. 4.

Interque oblitas excidit urna manus. Pass.

Virgilius pariter Ecl. 9. *Nunc oblita mihi tot carmina*. Vulp.

v. 7. Illic] Nempe *cæcis locis*, quod proxime sequitur. Catullus Carm. 3.

Qui

Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis
Thessalis antiquam venerat umbra domum.

Illic

Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc, unde negant redire quemquam.

Tibullus etiam Eleg. 3. lib. 1.

Illic est, cuicumque rapax mors venit amanti.

id est, in Elysio. PASS. Εὐφημιστικῶς est, atque a verbo male ominato abstinentis. V.

ibid. PHYLACIDES HEROS] Ut Æaci nepos, Æacides, & Alcei nepos, Alcides; ita Phylaci nepos Protesilaus, *Phylacides*. Phylacus urbem Thessaliæ Phylacem possedit, ut scribit Apollodorus lib. 1. & Strabo lib. 9. Protesilaus Iphicli filius dicitur Apollodoro lib. 3. Homerus lib. 2. Iliados, Phylaces maritum fuisse ait, non Laodamiæ, & a Trojano viro primum Græcorum interfectum scribit; conjugem vero illius mœstam in vita remansisse. unde Ovidius lib. 12. Metam. *Hectorea primus fataliter hasta, Protesilae, cadis*. Ausonius:

Protesilae, tibi nomen sic fata dederunt,
Hostia quod Trojæ prima futurus eras.

Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 6. tangit hanc fabulam:

Tristia Phylacida Thersites funera vidit. P.

ibid. JUCUNDÆ CONJUGIS] Mirifice amabant inter se Protesilaus & Laodamia. V. Consulendi Catullus Carm. 67. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 18. & lib. 3. Artis & in Remed. Amoris, Papinius Statius lib. 2. Silvar. in Genethliaco Lucani, Ausonius in Cupidine cruci suffixo; ut alios omittam. PASS.

ibid. HEROS] Genus enim ducebat ab ipso Deucalione, ut scribit Apollodorus lib. 1. Bibliothecæ. PASS.

v. 8. NON POTUIT CÆCIS IMMEMOR ESSE LOCIS] Oblivisci non potuit Phylaces, ut eam vocat Homerus: vel, ut alii, Laodamiæ. Sic Eleg. 6. supra:

Tum tibi si qua mei veniet non immemor hora.

& Eleg. 20. lib. 2.

Possum ego naturæ non meminisse tuæ? P.

ibid. CÆCIS LOCIS] Apud inferos, ubi tenebræ. Virgilius 6. Æneid.

Ut tristes sine Sole domos, loca turbida, adires.

Catullus Carm. 3. *Malæ tenebræ Orci*. & *Iter tenebricosum*. Ennius: *Ubi rigida constat crassa caligo inferûm*. *Cæcum*, obscurum. Virgilius 6. Æneid.

Nec auras
Prospiciunt clausæ tenebris, & carcere cæco.

Horatius Ode 9. lib. 4. *Urgentur cæca nocte*. P. μνημονικὸν ἁμάρτημα. eo enim Horatii loco legitur *longa*, non *cæca*. VULP.

v. 9. CUPIDUS ATTINGERE] Ut Virgilius 12. Æneid. *Avidus confundere fœdus*. & Noster Eleg. 1. *Libertas loqui*. PASS.

ibid. FALSIS PALMIS] Ut Eleg. 17. lib. 3.

Induit abiegnæ cornua falsa bovis.

Falsis, non veris & solidis; sed simulatis & umbraticis. unde Plauto, *umbraticus homo*. Id Virgilius pulchre περιφράζει lib. 6. Æneid.

Et, ni docta comes tenues sine corpore vitas
Admoneat volitare cava sub imagine formæ,
Irruat, & frustra ferro diverberet umbras. P.

Sic *Falso sanguine imagines mortuorum*: Ennius. VULP.

ibid. ATTINGERE GAUDIA] Contrectare dilectam uxorem & delicias suas. *Gaudia*, ut apud Petronium Satyric. *Experrectus pertrectavi gaudio despoliatum torum*. idest τοῖς παιδικοῖς. Ovidius pariter Epist. Sapphûs: *Mihi nescio quis, Fugiunt tua gaudia, dixit*. PASS. *Falsis attingere gaudia palmis*. *falsis sua tangere gaudia p.* extremum *a* in *falsis* absorpsit *s* τῷ *sua*; cujus vocis littera ultima adhæsit cum verbo sequente. sic, ut factum fuerit *atangere*. id deinde concrevit in *attingere*. Certe τὸ *gaudia*, ubi de persona dicitur, adsciscit fere sibi *mea*, *tua*, *sua*. Ovidius Epist. Herûs v. 41.

Jam ne putes exisse domo mea gaudia, nutrix?

Cato in Diris v. 23.

Invideo vobis, agri: mea gaudia habebitis;
Et vobis nunc est, mea quæ fuit ante voluptas.

BROUKH.

v. 10. THESSALIS ANTIQUAM VENERAT UMBRA DOMUM] Fabula decantatissima, quia sine exemplo. Hyginus Fab. 103. *Uxor* (Protesilai) *Laodamia, Acasti filia, quum audisset eum periisse, flens petiit a diis, ut sibi cum eo tres horas colloqui liceret: quo impetrato, a Mercurio reductus: tres horas cum eo collocuta est*. quæ repetuntur Fab. 104. *Laodamia Acasti filia, amisso conjuge; quum tres horas consumpsisset, quas a diis petierat, fletum & dolorem pati non potuit*. Cæcilius

Mi-

Illic quidquid ero, ſemper tua dicar imago.
Trajicit & fati litora magnus amor.

Illic

Minucii Felicis: *Quis unus ullus ab inferis vel Proteſilai forte remeavit, horarum ſaltem permiſſo commeatu, ut vel exemplo crederemus?* ubi videtur aliquid excidiſſe, & reponendum *horarum ſaltem paucarum permiſſo commeatu*. Sed elevat miraculi fidem Papinius, ac pro re habet non inſolita, Carm. 7. lib. 2. Silv.

Adſis lucidus, & vocante Polla,
Unum quæſo diem deos ſilentum
Exores. ſolet hoc patere limen
Ad nuptas redeuntibus maritis,

Neque multo reverentior antiquitatis argutus ille nequam: *Dii majores ſunt qui me reſtituerunt in integrum. Mercurius enim, qui animas ducere & reducere ſolet, ſuis beneficiis reddidit mihi quod manus irata præciderat: ut ſcias me gratioſiorem eſſe quam Proteſilaum, aut quemquam alium antiquorum.* Non omittendus eſt affectus uxorius in marmore inſigni apud Gruterum DCCLXXXVI. 5.

ITA. PETO. VOS. MANES. SANCTISSIMAE
COMMENDAT. HABEATIS
MEVM. CA M. ET. VELLITIS
HVIC. INDVLGENTISSIMI. ESSE
HORIS. NOCTVRNIS
VT. EVM. VIDEAM

Ceterum in producendo hoc Noſtri loco humani aliquid paſſus eſt inſignis ille renaſcentis doctrinæ inſtaurator Hermolaus Barbarus Caſtig. in Plinii lib. 3. cap. 9, ita enim ſcribit;

Illis Phylacides jocunda conjugis heros
Theſſalis antiquam venerat umbra domum,

prætenue eſt monere tam minuta: & tamen in his minutis quum ſæpe peccent hodierni noſtri Alcidæ, quos in cælum tollit cirratæ pubis admiratio, tantum non inſaniunt ubi monentur. Elegantiſſime Noſtro dicitur *Theſſalis umbra:* quod non neglexit quiſquis ille fuit qui Domitillæ nomine Hectori agitatori epitaphium fecit, a Georgio Fabricio relatum in Antiquit. quod & nos vidimus Stephani Vinandi Pighii manu enotatum de theſauris Cardinalis Cæſii;

Qui colitis Cybelen, & qui Phryga plangitis Attin,
Dum vacat, & tacita Dindyma nocte ſilent,
Flete meos cineres. non eſt alienus in illis
Hector, & hoc tumulo Mygdonis umbra tegor. BROUKH.

ibid. THESSALIS UMBRA] Anacoluthon, *cupidus umbra*. ut Eleg. 14. ſupra:

Non tamen iſta meo valeant contendere amori.
Neſcis Amor magnis cedere divitiis.
Nam ſive optatam mecum trahit illa quietem, &c.

Phylacides, umbra Theſſalis: ut infra hic: *Formoſa chorus heroina*. ubi adnotavimus. *Theſſalis umbra*, umbra Proteſilai, qui Theſſalus fuerat. ſic *ara Theſſalis* Ovidio in Epiſt. Laodamiæ. & ibid. *Hæmonis Laodamia*. Chariſius lib. 1. *Theſſalis, Dardanis*. Hyginus tradit, Laodamiam ſe tandem in pyram ardentem conjeciſſe, in quam pater Acaſtus effigiem Proteſilai conjecerat. Alii transfixam haſta, alii deſiderio & dolore tabuiſſe, ſcribunt. PASS.

ibid. ANTIQUAM VENERAT DOMUM] Vel caram, vel re vera priſcam & nobili vetuſtate. Virgilius 2. Georg. *Antiquaſque domos avium*. Idem 4. Æneid.

Namque ſuam patria antiqua cinis ater habebat.

Vel priorem, priſtinam; ut Maro eodem libro 1 *Templum Conjugis antiqui*. PASS. Hæc veriſſima explicatio: nam domus nova & poſterior Proteſilao erat *domus exilis Plutonia*. VULP.

v. 11. QUIDQUID ERO] Ovidius in Ibin:

Quidquid ero, Stygiis erumpere nitar ab oris.

Statius 8. Thebaid.

Quidquid er (apud inferos) *æternus Phœbe dolor,*

dictum Eleg. 11, ſupra verſu 26. PASS.

ibid. ILLIC QUIDQUID ERO, SEMPER TUA DICAR IMAGO] Dubitantis eſt, *quidquid ero:* valde enim fluctuabant veteres in conſtituenda ratione animarum. Lucretius lib. 1.

Ignoratur enim quæ ſit natura animaï:
Nata ſit, an contra naſcentibus inſinuetur:
Et ſimul intereat nobiſcum morte diremta:
An tenebras Orci viſat, vaſtaſque lacunas:
An pecudes alias divinitus inſinuet ſe.

Vides opiniones diverſiſſimas. quarum receptior erat, animas in alia corpora migrare; ad inferos deſcendere quaſdam tenues ſpecies, quæ *imagines* & *ſimulacra* di-

ce-

Illic formosæ veniant chorus heroinæ,
Quas dedit Argivis Dardana præda viris;

Qua-

cebantur, & *idola*, & *spectra*. nam quas *umbras* vocamus, eæ in terris vagari credebantur. quamquam hæc omnia nonnumquam confundunt poetæ. Ennii patris doctrinam recitat Lucretius lib. 1.

Etsi praterea tamen esse Acherusia templa
Ennius æternis exponit versibus edens,
Quo neque permanent anima, neque corpora nostra,
Sed quadam simulacra, modis pallentia miris.

Nemo hæc melius exposuerit doctissimo grammatico Servio Honorato, cujus notam ad L. 4. Æneid. v. 645. exscribere non pigrabor; & credo te juvabit legisse. SUB TERRAS IBIT IMAGO: *Bene imaginem dixit. valde enim quaritur apud philosophos, quid illud sit quod inferos petat. nam tribus constamus: Anima, qua superna est, & originem suam petit: Corpore, quod in terra deficit: Umbra, quam Lucretius sic definivit*, SPOLIATUS LUMINIS AER. *Ergo umbra si ex corpore creatur, sine dubio perit cum eo: nec est quidquam reliquum de homine quod inferos petat. Sed deprehenderunt esse quoddam simulacrum, quod ad nostri corporis effigiem fictum inferos petit: & est species corporea, qua non potest tangi, sicut ventus. Hinc in sexta:*

Corpora viva nefas Stygia vectare carina.

Hanc autem rem etiam Homerus requirit, simulacro Herculis apud inferos visa. Et sciendum, simulacra hæc esse etiam eorum qui per apotheosin dii facti sunt. Unde aut visi esse apud inferos, aut illuc descendisse dicuntur. Horatius de Libero:

Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum.

Sciendum tamen, abuti poetas & confuse vel simulacrum vel umbram dicere. Quod addit Noster, *semper tua dicar imago*, multo est tenerrimum, neque capi satis potest ab hominibus diris atque invenustis. Sic lib. 2. Eleg. 15.

Hujus ero vivus, mortuus hujus ero.

& lib. 3. Eleg. 15.

Te solam & lignis funeris ustus amem.

Has imagines, sive hæc simulacra apud inferos obambulantia, Ausonius pulcro vocabulo *effigies* nominavit Epigr. 54.

Effigiem, rex Crœse, tuam, ditissime regum,
Vidit apud manes Diogenes Cynicus.

Afranius etiam de spectro nocturno videtur dixisse in Vopisco:

Cujus te suscitat imago? cujus effigia? quo natus patre? BROUKH.

V. 12. TRAJICIT ET FATI LITORA MAGNUS AMOR] Transmittit etiam ripas Stygiæ paludis. *Trajicere* verbum nauticum. *Fatum* autem pro ipso Orco. ut Eleg. 28. lib. 2.

Una ratis fati nostros portabit amores

Litora autem pro ripa, ut Eleg. 2. supra:

Eveni patriis filia litoribus.

Virgilius 6. Æneid. & *ripas* & *litora* dixit de fluviis inferorum: *Nec ripas datur horrendas.* & mox:

Centum errant annos volitantque hæc litora circum.

Magnus amor, qualis est meus. vel perpetuum est Amoris epitheton, ob ejus numinis vim & majestatem. ut Eleg. 3. lib. 4.

Omnis amor magnus; sed aperta in conjuge major.

Plato in Convivio: Μέγας θεὸς ὁ Ἔρως, καὶ θαυμαστὸς ἐν ἀνθρώποις τε καὶ θεοῖς. Virgilius 1. Georg.

Quid Juvenis magnum cui versat in ossibus ignem
Durus Amor?

Item 4. Æneid. *Insideat quantus misera deus.* Catullus Carm. 65. *Quis te mutavit tantus deus?* Quod ad sententiam vero hujus loci attinet, Virgilius pariter 6. Æneid.. *Curæ non ipsa in morte relinquunt.* Theocritus quoque Idyllio 1.

Κ' εἰν Ἀΐδα κακὸν ἔσσεται ἄλγος ἔρωτος.
Et apud Orcum malus erit dolor Amoris.

ubi καὶ, ut hic: *Et fati*, &c. PASS.

V. 13. ILLIC FORMOSÆ VENIANT CHORUS HEROINÆ] Passeratius *vernant chorus* videtur legisse: ita certe exposuit: quod unde habuerit, non possum conjicere. libri veteres nihil mutant. Ceterum nobiles illæ heroinæ in Elysio sedes habitare putabantur discretas, singulari quodam honore a reliquis piarum mulierum umbris semotæ. Pomponia ad filium Scipionem, interprete C. Silio L. 13. Punic.

Nul-

Quarum nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma
Gratior: & Tellus hoc ita justa sinat.
Quamvis te longæ remorentur fata senectæ,
Cara tamen lacrimis ossa futura meis.

Quæ

Nullos, a nate, labores
Mert habuit nostra, atheria dum pondere partu
Exsolvor. misi dextra Cyllenia prolec
Imperia Jovis Elysias deduxit ad oras:
Attribuitque pares sedes, ubi magna moratur
Alcidæ genetrix, ubi sacro munere Leda.

Alia regio est illustrium amatricum: *lugentes campos* inferi vocant. descripsit poeta princeps L. 6. Æneidos, & Ausonius in Cupidine cruci affixo. BROUKH.

ibid. ILLIC] In Elysio, & silva myrtea. Sic & Eleg. 7. lib. 4. locat heroinas in campis Elysiis, ubi chori & cantus. P.

ibid. FORMOSÆ HEROINÆ] Eleg. 4. supra:
Et quascumque tulit formosi temporis ætas.
& Eleg. 13. supra v. 31.
Illa sit Inachiis & blandior heroinis. P.

ibid. CHORUS HEROINÆ] Appositio. ut Eleg. 9. supra:
Nedum tu possis spiritus iste levis.
& hic *Phylacides Thessalis umbra. Chorus* autem multitudo choreas ducentium & canentium. Atqui in campis Elysiis, ut testatur Tibullus Eleg. 3. lib. 1. *choreæ cantusque vigent.* PASS.

v. 14. QUAS DEDIT ARGIVIS DARDANA PRÆDA VIRIS] Ilionam puta, Cassandram, Andromacham, Briseïdem, Tecmessam, Helenam ipsam a marito receptam, & alias; quæ scilicet in prædæ Trojanæ divisione Græcis victoribus sorte contigerunt. *Præda*, inquit Nonius, *corpora ipsa rerum: Manubiæ, pecuniæ ex præda vendita redactæ.* Vide Gellium lib. 3. N. A. cap. 24. Varro lib. 5. de L. L. *Præda*, inquit, *est ab hostibus capta, quod manu parta*, ut *parida præda.* Idem tamen lib. 7. *A prædando præda, a merendo merces.* ubi fortasse legendum; *A præ dando. Argivis*, pro quibuscumque Græcis; ut adnotatum ad illud Eleg. 15. supra, *Argivæ fama pudicitiæ.* De formosis Trojanis mulieribus Eleg. 27. lib. 2.
Et quot Troja tulit vetus, & quot Achaïa formas. PASS.

Dardana præda, pro Dardania. VULP.

v. 15. QUARUM N. TUA FUERIT MIHI, CYNTHIA, FORMA GRATIOR] Veniant licet, me circumstent, aspectu me alliciant, nulla tamen earum jucundior & blandior mihi te ipsa formosa esse poterit. Eleg. 4. supra, *forma Nycteidas*, pro formosa Nycteide. Virgilius pariter lib. 2. Æneid.
Non mihi Tyndaridis facies invisa Lacænæ. P.
Series sermonis postulat *Harum*. non absimili mendo peccatum erat supra Eleg. 15. v. 35. BROUKH.

v. 16. TELLUS HOC ITA JUSTA SINAT] Id est, nolit mihi succensere, si te unam omnibus priscis heroinis anteposuero, sed judicandi & eligendi libertatem permittat. VULP. *Tellus justa*, vel benigna & propitia; ut *justa servitus* in Andria Terentii: vel quod omnibus æque patet. Sic Horatius Ode 18. lib. 2. *Æqua tellus pauperi recluditur Regumque pueris*: vel ob maternam pietatem adversus homines; unde & *pia* dicitur Nostro Eleg. 7. lib. 3. vel tandem, quia reddit credita cum fœnore. Virgilius 2. Georg.
Fundit humo facilem victum justissima Tellus.
Veneratur porro Terram poeta, quod continere crederetur deos Manes. Enimvero illos aditurus Æneas apud Maronem lib. 6. Terræ sacrificat. Suetonius autem in Tiberio cap. 75. *Morte ejus ita lætatus est populus, ut ad primum nuntium discurrentes, pars Tiberium in Tiberim clamitarent: pars Terram matrem deosque Manes orarent, ne mortuo sedem ullam nisi inter impios darent.* Ovidius in Ibin:
Respuet invisum justa cadaver humus. P.

v. 17. QUAMVIS TE LONGÆ REMORENTUR FATA SENECTÆ] Licet te Parcæ detineant in vita, quam longam tibi neverant. *Fata senectæ*, ut Eleg. 13. lib. 2. de Nestore:
Si tam longævæ minuisset fata senectæ!
id est, senectam longam fatis datam. Et Eleg. 28. libri ejusdem:
Illa sepulturæ fata beata tuæ.
id est, mors tibi beata fatis concessa. *Remorentur*, ut Eleg. 6. supra:

Sed

Quæ tu viva mea possis sentire favilla.
Tum mihi non ullo mors sit amara loco.
Quam vereor, ne te contemto, Cynthia, busto
Abstrahat a nostro pulvere iniquus Amor:

Co-

Sed me complexæ remorantur verba puellæ.
unde Cicero 6. de Republica: *Quid moror in terris?* Horatius Ode ult. lib. 2. *Nec in terris morabor Amplius*. Pertinet huc jocus Neronis de Clodio: *Postquam inter homines morari desiit*. PASS. Ita Noster Eleg. 2. lib. 2.
Cur hæc in terris facies humana moratur? V.

v. 18. CARA TAMEN LACRIMIS OSSA FUTURA MEIS] Sententia est: Tu etiam mortua, mihi misero, quem curæ nec in ipsa morte relinquent, cara eris; teque vita functam complectar, & *mixtis ossibus ossa teram*, ut ait Eleg. 7. lib. 4. *Meis lacrimis*, mihi lacrimanti. Hoc genus loquendi Propertio frequens. PASS. Quamvis te longa senectus maneat, o Cynthia, me in ipso flore ætatis absumto; non tamen desinam vel mortuus te amare; & quandocumque ad Orcum descenderis, id testabuntur piæ meæ lacrimæ super ossa tua profusæ. Sane & umbras lacrimari, testis est Q. Ennius apud Lucretium lib. 1.
Unde sibi exortam semper-florentis Homeri
Commemorat speciem, lacrimas & fundere salsas
Cœpisse, & rerum naturam expandere dictis.
Virgilius etiam L. 2. Æneid.
In somnis, ecce, ante oculos mæstissimus Hector
Visus adesse mihi, largosque effundere fletus.
BROUKH.
Quamvis, o Cynthia, fatorum imperio ad ultimam senectutem sis perventura, qua ætate nullum antiquæ tuæ pulchritudinis vestigium exstabit, sed arida ossa vix tenui tegentur cute: ego tamen apud inferos desiderium tui ægre ferens, osculis & lacrimis longo post tempore advenientem excipiam. Adde, quod imagines mortuorum osseæ fingebantur. Ovidius in Ibin:
Insequar & vultus ossea forma tuos.
Seneca Epist. 24. *Nemo tam puer est, ut Cerberum timeat, & tenebras, & larvalem habitum nudis ossibus cohærentium*. Et facit locus elegans Petronii Satyr. *Potantibus ergo, & accuratissimas nobis lautitias mirantibus, larvam argenteam attulit servus, sic aptam, ut articuli ejus vertebræque locatæ in omnem partem flecterentur. Hanc quum super mensam semel iterumque abjecisset, & catenatis mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalcio adjecit:*
Heu heu nos miseros, quam totus homuncio nil est!
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.
De formis hisce osseis apud inferos sæpius loquitur etiam Lucianus in Dialogis Mortuorum. VULP.

v. 19. QUÆ TU VIVA MEA POSSIS SENTIRE FAVILLA] An viva Cynthia, & superstes? An viva numero multitudinis accusandi casu? utinam, inquit, illa sentire possis viva: id est, lacrimas & amorem meum adhuc in favilla spirantem. Sed quum vetus liber habeat: *Quod si in te me possim*; legendum puto:
Quod sine te vivâ possim sentire favillâ.
id est, utinam id sentire possim, nempe amorem tuum & lacrimas, vivâ adhuc meâ favillâ, & spirante meo cinere. *Meâ favillâ*, meis Manibus & cineribus. Ita Eleg. 1. lib. 2. *Muta jace verba favilla*. & Eleg. ult. lib. 4.
Hæc cura & cineri spirat inusta meo. PASS.
Tò *viva*, ut mihi videtur, casus est rectus numeri singularis, & ad Cynthiam pertinet, non ad ossa. Id sibi vult Propertius: Utinam, o Cynthia, mihi superstes futura, pari pietate funus meum prosequare. utinam talia de me sentias, qualia ego de te. Joannes Auratus legebat, *vita*. sed non opus mutatione. VULP.

v. 20. TUM MIHI NON ULLO MORS SIT AMARA LOCO] Sive terra, sive mari, sive in patria, sive peregri moriar, mors acerba non sit. *sit*, pro erit. *Mors amara*, ut *noctes amara* Eleg. 1. supra; & *somnus amarus*, Eleg. 19. lib. 2. & *virtus amara*, Elegia 10. lib. 3. & *amarus odor*, Eleg. 33. lib. 2. PASS.

v. 21. QUAM VEREOR] Ut Eleg. 26. lib. 2.
Quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet!
& Virgilius 6. Æneid.

Cogat & invitam lacrimas ſiccare cadentes!
Flectitur aſſiduis certa puella minis.
Quare, dum licet, inter nos lætemur amantes.
Non ſatis eſt ullo tempore longus amor.

Ele-

Quam metui, ne quid Libyæ tibi regna nocerent! Pasi.

ibid. CONTEMTO BUSTO] Abjecta cura mei ſepulcri, & luctu debito. Sic Eleg. 1. lib. 3. *contemto ſepulcro*. vide quæ illic adnotamus. An *buſtum* pro Manibus? ut Eleg. 7. lib. 4. *Fracto buſto piare cado*. id eſt manes placare. Servius in Fragmentis: *Crematio cadaveris, buſtum: locus, uſtrina dicitur: operis conſtructio, ſepulcrum. Buſtum*, inquit Feſtus, *proprie locus in quo mortuus eſt combuſtus & ſepultus, quaſi bene uſtus*. P.

v. 22. ABSTRAHAT A NOSTRO PULVERE] Avellat a noſtro cinere & oſſibus. ut Elegia 17. ſupra, *extremo pulvere*. & Ovidius lib. 5. Faſt.

Litus ad Inachium pulvis inanis eam.

Horatius Ode 7. lib. 4. *Pulvis & umbra ſumus*. *Abſtrahere*, avellere. Virgilius 11. Æneid. *Semuſtaque ſervant Buſta, nec avelli poſſunt*. Pass.

ibid. INIQUUS AMOR] Vel adverſus mihi & infenſus: vel amor alterius non æquus & par meo amori: vel injuſtus, quia te non ſinet juſta mortuo perſolvere. Pass.

v. 23. LACRIMAS SICCARE] Ovidius 3. Faſt.

Occupat amplexu, lacrimaſque per oſcula ſiccat.

Quintilianus lib. 11. Inſt. Orat. cap. 1. *Nec jocis lacrimas, ubi opus erit miſeratione, ſiccabimus*. Pasi.

ibid. L. CADENTES] Ut Ovidius lib. 3. Triſt. Eleg. 3. *Dominæ lacrimis in noſtra cadentibus ora*. & Eleg. 4.

Noſtra tuas vidi lacrimas ſuper ora cadentes.

Sabinus pariter Epiſt. Ulixis:

Vidi, nec lacrimas oculi tenuere cadentes. P.

v. 24. FLECTITUR ASSIDUIS CERTA PUELLA MINIS] Aſſiduitas omnia ſuperat. ideo Eleg. 8. ſupra: *Aſſiduas non tulit illa preces*. & Eleg. 9. *Aſſiduas o fuge blanditias*. *Certa*, conſtans. Vide Eleg. 13. ſupra v. 6. Pass.

ibid. MINIS] Intellige minas lacrimis, promiſſis, precibus mixtas, quales eſſe ſolent amatorum. Horatius Ode 8. L. 2.

Pubes tibi creſcit omnis,
Servitus creſcit nova: nec priores
Impiæ tectum dominæ relinquunt,
Sæpe minati. Broukh.

v. 25. QUARE] Sic Eleg. 5. hujus libri:
Quare, quid poſſit mea Cynthia, deſine, Galle,
Quærere. Vulp.

ibid. DUM LICET] Eleg. 15. lib. 2. eadem formula:

Tu modo, dum licet, hunc fructum ne deſere vitæ.

Lentulus Marcellinus Conſul, apud Valerium Max. lib. 6. Memorabil. cap. 2. *Acclamate, acclamate*, inquit, *Quirites, dum licet*. Horatius Ode 12. lib. 4.

Nigrorumque memor, dum licet, ignium
Miſce ſtultitiam conſiliis brevem.

Par locutio, *dum fata ſinunt*. Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

Interea, dum fata ſinunt, jungamus amores.

Noſter Eleg. 15. lib. 2.

Dum nos fata ſinunt, oculos ſatiemus amore.

Variavit Horatius Ode 11. lib. 4.

Dum res, & ætas, & ſororum
Fila trium patiuntur atra. Pasi.

ibid. INTER NOS LÆTEMUR AMANTES] *Vivamus, atque amemus*, inquit Catullus. *Inter nos*, invicem, μετ' ἀλλήλων. Plautus Captivis 2, 3. *Videor corde amare inter ſe*. Ibidem: *Inter nos fuiſſe ingenio haud diſſociabili*. Terentius Adelphis: *Inter ſe amare*; quod Donatus *invicem* exponit. Pass.

v. 26. NON SATIS EST ULLO TEMPORE LONGUS AMOR] Sine fine amandum eſt. Ita Eleg. 15. lib. 2.

Errat, qui finem veſani quærit amoris:
Verus amor nullum novit habere modum.
Pass.

Nullus amor umquam ſatis eſt diuturnus; itaque, dum per brevem lucis uſuram licebit, carpamus fugitiva gaudia, nec reditura. Broukh. Hæc veriſſima explicatio. Illud Lucretii ſimillimum ex lib. 3. v. 925.

Hoc etiam faciunt, ubi diſcubuere, tenentque

Po-

Pocula sæpe homines, & inumbrant ora coronis,
Ex animo ut dicant, Brevis hic est fructus homullis:
Jam fuerit, neque post umquam revocare licebit.

Sententiæ hujusmodi, e schola, seu potius hara, Epicuri ab Ethnicis, futuri sæculi vitam desperantibus, promi consueverunt. VULP.

ELEGIA XX.

HOc pro continuo te, Galle, monemus amore,
Id tibi ne vacuo defluat ex animo.
Sæpe imprudenti fortuna occurrit amanti.
Crudelis Minyis dixerit Ascanius.

Est

ARGUMENTUM ELEGIÆ XX. LIBRI I.] Gallum, sodalem suum, proposito exemplo Herculis & Hylæ, admonet, ut formosum puerum ab ipso adamatum, caute ac diligenter custodiat. VULP.

Non puto ullam exstare Elegiam vexatiorem in toto Latio: cui tamen, post omnes alios, feliciter suppetias latum ivit eruditissimus Gronovius L. 3. Observat. C. 3. Ejus dactum secuti pauca de nostro addemus, quæ ipse, utpote levia, negligere visus est. BROUKH.

v. 1. HOC PRO CONTINUO TE, GALLE, MONEMUS AMORE] Ut nostra vetus necessitudo & numquam intermissa postulat. Cicero sæpe ita loquitur, præsertim in Epistolis. Noster Eleg. ult. hujus libri: *Pro nostra semper-amicitia.* Amicum eum vocat Eleg. 10. & 13. supra. PASS. *Hoc te monemus.* Loquendi formula solennis. Cicero de Haruspic. Resp. *Sed eos hoc moneo, desinant furere.* Idem Epist. 3. lib. 1. ad Atticum: *Illud me Paducæus, ut ad te scriberem, admonuit.* VULP.

v. 2. ID TIBI NE VACUO DEFLUAT EX ANIMO] Utrumque translatum a vasis, & *defluat*, & *vacuo*. quum enim liquor quem continebant effluxit, vacua fiunt. Memoriâ autem res continentur, unde & *Thesaurus rerum* dicitur Ciceroni. Sic Tibullus Eleg. 1. lib. 3.

Illa mihi referet, si nostri mutua cura est,
An minor: an toto pectore deciderim.

Et prior Catullus Carm. 64.

Ne mea dicta vagis nequidquam credita ventis
Effluxisse meo forte putes animo.

Ita locuti Terentius Eunucho 1, 2. & Lucretius lib. 3. *Animo*, pro memoria. Virgilius Ecl. 9. *Omnia fert ætas, animum quoque -- Nunc oblita mihi tot carmina. Vacuas mentes* alio sensu dixit idem Virgilius Georg. 3. v. 3. nimirum otiosas:

Cetera quæ vacuas tenuissent carmina mentes.
PASS.

v. 3. SÆPE IMPRUDENTI FORTUNA OCCURRIT AMANTI] Adversa venit, & nocet nihil tale cogitanti & incauto. Quæ sequitur fortuna, secunda est: quæ occurrit, adversa est & infesta. Virgilius 4. Æneid.

Si modo, quod memorat, fatum fortuna sequatur.

Cicero in Bruto: *Transversa in te incurrit fortuna reipublicæ.* Sic Horatius Epodo 5. *Nocturnus occurram furor.* Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Nec sinit occurrat quisquam qui corpora ferro
Vulneret.

Et Virgilius Ecl. 9.

Occursare capro (cornu ferit ille) caveto. PASS.

Fortuna: Itali dicimus *disavventura*. Cæsar lib. 2. de Bello Civili cap. 14. *Nostri repentina fortuna permoti, arma, quæ possunt, arripiunt.* ubi de perfidia Massiliensium, qui pactis induciis opera Cæsaris igni consumserant. Cicero Epist. 11. lib. 2. ad Famil. *Videmur eam famam consecuti, ut non tam accessio quærenda, quam fortuna metuenda sit.* Virgilius 9. Æneid. 40.

Namque ita discedens præceperat optimus armis
Æneas, si qua interea fortuna fuisset,
Neu struere auderent aciem, neu credere campo.

Fortuna occurrit: Cicero lib. 2. de Finibus: *Ita fit beata vita domina fortuna, quam Epicurus ait exiguam intervenire sapienti.* Et Seneca de Constantia Sapientis cap. 15. *Raro, inquit (Epicurus) sapienti intervenit fortuna.* Idem Epist. 37. *Minus sæpe in nos*

 in-

Est tibi non infra speciem, non nomine dispar
Thiodamanteo proximus ardor Hylæ.

Huic

incurrit fortuna , quam nos in illam . Propterea Plinius Panegyr. cap. 25. dixit, *intercedere casibus , occursare fortunæ .* Quod Latini, *occurrere*, nos Itali, *farsi all' incontro .* Franciscus Petrarcha (*nel Sonetto* 274.)

Morte ebbe invidia al mio felice stato ;
Anzi alla speme ; e fecesi all' incontro
A mezza via , come nemico armato . V.

v. 4. CRUDELIS MINYIS DIXERIT ASCANIUS] *Crudelis* cum tertio casu . ut Eleg. 26. lib. 2.

Sed non Neptunus tanto crudelis amori .

Minyæ , inquit Festus, *dicti Argonautæ , quod plerique eorum ex filiis Minyæ fuerint orti .* Ovidius initio lib. 7. Metam.

Jamque fretum Minyæ Pagasæa puppe secabant .

Apud Pausaniam in Corinthiacis Minyæ dicti omnes populi Orchomeniis & Locris finitimi. Apud Strabonem lib. 9. Minyæ Iolcon, patriam Jasonis , coloniam deduxere. De posteris Minyarum Herodotus in Melpomene. Testatur Apollodorus lib. 3. Minyan regem , avum Atalantæ fuisse . Crudelis vero Minyis dicitur Ascanius , quia ex eo sive lacu sive flumine fuisse videntur Nymphæ quæ Hylan rapuerant : quo raptu Hercules ipse ademtus Argonautis . Vide Valerium Flaccum lib. 3. PASS. Mirum sane, quantum hic versus torserit ingenia eruditorum . Vulgati codices habebant *duxerit*, quod a Volsci , Critici audacissimi , officina profectum, falso defendendam suscepit Hadrianus Turnebus lib. 11. Adversar. cap. 15. Id mendum Chironia manu feliciter sustulit Josephus Scaliger , & reposuit *dixerit* , id est , testis fuerit , & quasi voce sua confirmaverit , sententiam illam veram esse :

Sæpe imprudenti fortuna occurrit amanti .

Dixerit , pro *dicet* , vel *dicat* . Catullus pariter Carm. 66.

Dixerit hic aliquis, Qui tu istæc, Janue, nosti?

Tibullus quoque Eleg ult. lib. 3.

Fulserit hic niveis Delius alitibus .

pro *fulgeat* , vel *fulgebit* . Idem vero regiones & maria testes producit stipendiorum quæ sub Messalæ imperio ipse miles fecisset, Eleg. 7. lib. 1.

Non sine me est tibi partus honos . Tarbella Pyrene
Testis , & Oceani litora Santonici .

Et Catullus pariter Carm. 4. phaselum laudans , utitur testimonio urbium ac montium :

Amastri Pontica , & Cytore buxifer ,
Tibi hæc fuisse & esse cognitissima ,
Ait phaselus .

Porro Janus Rutgersius lib. 3. Var. Lect. cap. 8. conjungit τὸ *crudelis* cum præcedenti versiculo , idque epitheton *fortunæ* tribuit . minus recte tamen . Ego Ascanio fluvio adjungo , qui *crudelis* vocetur ob raptum a Nymphis apud se Hylan , delicias Herculis . Juvat ipse Propertius , qui mox appellabit *indomitum* . Legendus Valerius Flaccus lib. 3. ubi dolentes Argonautas hoc infortunio inducit . VULP.

ibid. DIXERIT ASCANIUS] εἴποι ἂν Ἀσκάνιος . Eleg. 33. lib. 2.

Quamvis Ida Parin pastorem dicat amasse .

Et Eleg. 8. lib. 4.

Appia, dic quæso , quantum te teste triumphum
Egerit , effusis per tua saxa rotis .

Male Muretus , *Æsonius* legendum putat , pro *Ascanius* . nam juxta flumen Ascanium raptum Hylan fuisse , scribit Hyginus Fab. 14. Et Strabo lib. 12. Ascanium lacum in Bithynia esse ait , non procul ab eo loco ubi raptus Hylas fuisse dicitur . Plinius quoque cap. ult. lib. 5. H. N. Ascanium Bithyniæ lacum commemorat . & cap. 10. lib. 3. Ascanii lacus summas aquas dulces esse ait , quum reliquæ amaræ sint . Servius in lib. 3. Georg. affirmat , a Virgilio usurpatum fuisse *Ascanium* pro quovis flumine , quum ait :

Illas ducit amor trans Gargara , transque sonantem
Ascanium . PASS.

Eadem fere tradunt de loco ubi raptus Hylas , Probus in 3. Georg. & Antoninus Liberalis Cap. 26. Metamorph. BROUKH.

v. 5. NON INFRA SPECIEM] Formâ non inferior . τὸ *infra* servit comparationi dignitatis . Horatius Sat. 1. lib. 2. *Infra Lucilli censum , ingeniumque* . Terentius Eunucho :

Tace tu , quem esse infra omnes infimos puto .

Spe-

Huic tu, sive leges umbrosæ flumina silvæ,
Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes:

Sive

Species, pro forma. Ovidius lib. 5. Fast.

Et monet, ætatis specie, dum floreat, uti. P. Vulgatum illud: εἶδος Πριάμου ἄξιον τυραννίδος. *Species Priami digna imperio*. VULP.

ibid. NON NOMINA DISPAR] Hylan histrionem fortasse intelligit, de quo Macrobius cap. 7. lib. 2. Saturnal. PASS. Et sane tempora conveniunt. Neque abhorrebant histriones a suspicione impudicitiæ, mollem scilicet artem, delicatam & voluptariam professi. Hos etiam κιναίδους appellabant, ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὰ αἰδοῖα, dum videlicet saltarent & gesticularentur. Juvenalis Sat. 6.

Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo,
Tuscia vesicæ non imperat, Appula gannit,
Sicut in amplexu.

Hoc genus, mulierum simul & marium libidinem excitabat, præsertim si formosi essent, ut hic Galli. VULP.

v. 6. THIODAMANTEO PROXIMUS ARDOR HYLÆ] Amor proxime accedens ad Hylan; id est puer Hyla non inferior. *Ardor* pro amore Eleg. 7. supra v. 24. De Hyla & ejus raptu Apollodorus lib. 1. Theocritus Idyllio 13. Hyginus Fab. 14. & Fab. 271. Apollonius Rhodius lib. 1. Argonaut. Virgilius Eclog. 6. Petronius Arbiter in Satyrico, Valerius Flaccus lib. 3. Argonaut. *Et cui non dictus Hylas? Thiodamanteo*, nempe Thiodamantis filio, ex Menodice Nympha. Vide Apollodorum, Hyginum, & Interpretem Theocriti. PASS. Ceycis filius dicitur Antonino Liberali. ceteri fere Thiodamantem ei patrem dant, Dryopum (ut Probus ait) regem. ita & Apollonius Rhodius L. 1. Argonaut. vide tamen Hadrianum Junium L. 4. Animadv. C. 2. BROUKH. Elegiam de Hercule & Hyla pulcherrimam scripsit quoque proavorum temporibus M. Antonius Flaminius, qua Propertium non imitari solum, sed etiam æmulari voluisse videtur. VULP.

ibid. PROXIMUS] Vix concedens. Tibullus Eleg. 5. lib. 3. de aqua calida nescio qua:

Nunc autem sacris Baiarum proxima lymphis.

non loco nimirum, sed excellentia. VULP.

ibid. ARDOR] Puer delicatus. τὰ παιδικά. Obscœnos istos magni Herculis amores jure quidem, sed aperte nimis, & ἐκ πάσης αἰσχρολογίας exagitat Prudentius lib. 1. contra Symmachum v. 116.

Herculeus mollis pueri famosus amore
Ardor, & in transtris jactata efferbuit Argo.
Nec maris erubuit Nemea sub pelle fovere
Concubitus, & Hylan pereuntem quærere cælebs.

Vide sis tamen caput 12. libelli nostri de Satyra Latina, ubi caussas nonnullas hujus παρρησίας veterum scriptorum, etiam Christianorum & divinorum, attulimus. V.

v. 7. HUIC TU] Scripti fere *Hunc tu*. Joannes Auratus emendabat *Huic tu*. recte. ita & Gronovius: & jam olim Livinejus. quem observasse videbis id quod Gronovius a nemine observatum miratur. BROUKH. Ita legebat & Justus Lipsius, cui & ego adolescens assentiebar: deinde quinto ab hinc versu:

Nympharum semper cupidas defende rapinas.

Ut illud notissimum: *Solstitium pecori defendite*. Veteres Editiones, *Nunc tu*. V.

ibid. SIVE LEGES UMBROSÆ FLUMINA SILVÆ] *Legere* verbum nauticum est. *Legere flumen*, oram, litus, freta, est cursim prætervehi remis & velis; ut oculis percurrere litteras & picturam, legere est. vel ut dicitur carpere iter & viam. Ipse Eleg. 22. lib. 3.

Peliacaque trabis totum iter ipse leges.

Virgilius 1. Georg. *Primi lege litoris oram*. Idem poeta dixit legere *pontum*, & *freta*. Per *flumina silvæ umbrosæ*, Clitumnum designari admonet Scaliger; de quo Eleg. 19. lib. 2.

Qua formosa suo Clitumnus flumina luco
Integit.

Sed & alia flumina per silvas labuntur. Sic Æneid. 6.

Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis. P.

v. 8. SIVE ANIENA TUOS TINXERIT UNDA PEDES] *Amerina* legit Scaliger ex vet. lib. & lacum Vadimonis intelligit. Sed Anienæ undæ meminit Noster Eleg. 14. lib. 3.

Et cadit in patulos lympha Aniena lacus.

Virgilius 4. Georg.

Unde pater Tiberinus, & unde Aniena
fluenta.

Pro-

Sive Gigantea ſpatiabere litoris ora,
Sive ubicumque vago fluminis hoſpitio:
Nympharum ſemper cupidas defende rapinas.
Non minor Auſoniis eſt amor ah Dryaſin.

Ne

Propertius ipſe Eleg. 7. lib. 4. deum Anienum commemorat:

Acceſſit ripa laus, Aniene, tua.

Anienem & Clitumnum conjungit etiam Eleg. 20. lib. 3.

Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Umbro
Tramite, & æternum Marcius humor opus.

Horatius pariter Ode 7. lib. 1. *Et præceps Anio, & Tiburni lucus. Tinxerit pedes*: leviter alluerit, ut quum pede tentatur flumen. Catullus Carm. 64.

Namque mei nuper Lethæo gurgite fratris
Pallidulum manans alluit unda pedem.

Ovidius 4. Metam.

Et in alludentibus undis
Summa pedum, taloque tenus veſtigia tingit. P.

v. 9. SIVE GIGANTEA SPATIABERE LITORIS ORA] Id eſt inambulabis voluptatis aut valetudinis cauſsâ. *Orâ Giganteâ*, maritima regione juxta Cumas. ibi enim Phlegræus campus; & ibi Gigantes habitaſſe dicuntur, & cum diis pugnaſſe, a quibus victi Herculis auxilio. Strabo lib. 5. Plinius lib. 3. H.N. cap. 5. Diodorus Siculus, & Apollodorus lib. 1. PASS. Hanc fabulam commemorat etiam Silius Italicus lib. 12. Punic. v. 143. poſtquam regionem illam deſcripſit:

Tradunt Herculea proſtratos mole Gigantas
Tellurem injectam quatere, & ſpiramine anhelo
Torreri late campos, quotieſque minantur
Rumpere compagem impoſitam, expalleſcere cælum.
Apparet Prochyte ſævum ſortita Mimanta:
Apparet procul Inarime, quæ turbine nigro
Fumantem premit Iapetum, flammaſque rebelli
Ore ejectantem, &, ſi quando evadere detur,
Bella Jovi rurſus ſuperiſque iterare volentem.
VULP.

ibid. SPATIABERE LITORIS ORA] *Spatiari*, eſt lente ingredi. Eleg. 2. lib. 2.

Aut quum Dulichias Pallas ſpatiatur ad aras.

& Eleg. 32. lib. ejuſdem:

Hoc utinam ſpatiere loco quodcumque vocabis.

Eſt & *ſpatiari*, errare. Cato apud Feſtum *ſpatiatorem* pro errone dixit. *Ora*, inquit Servius, *extrema pars cujuſque rei*. Virgilius 1. Georg. *Primi lege litoris oram*. PASS. *Spatiari*, Italice *paſſeggiare*. VULP.

v. 10. SIVE UBICUMQUE VAGO FLUMINIS HOSPITIO] *Vagi*, editiones antiquæ. Sive te vagum aliquod flumen, quaſi hoſpitem accipiet, vel aquis ſuis innatantem, vel navicula vehentem. *Vagum flumen*, exercitum curſu. Horatius Ode 34. lib. 1. *Bruta tellus, & vaga flumina*. Noſter Eleg. 19. lib. 2.

Nec vaga muſcoſis flumina fuſa jugis.

Hoſpitium fluminis, ut Eleg. 19. lib. 3.

Ergo ego nunc rudis Hadriaci vehar æquoris hoſpes. PASS.

Vaga hoſpitia, elegantius omnino, quam *vagi fluminis*; flumen enim vagari, nihil mirum: hæc illius natura eſt: ſed hoſpitium ipſum eſſe vagum & inſtabile, id vero præter ſolitum. Aliàs dixit Virgilius Æneid. 1. v. 540. *Hoſpitio prohibemur arenæ*. Et Florus lib. 1. cap. 4. loquens de Anco Marcio: *Oſtiamque in ipſo maris fluminiſque confinio coloniam poſuit: jam tum videlicet præſagiens animo, futurum ut totius mundi opes & commeatus illo, velut maritimo Urbis hoſpitio, reciperentur*. VULP.

v. 11. NYMPHARUM SEMPER CUPIDAS DEFENDE RAPINAS] Quia, ut Ovidius lib. 2. Artis Amat.

Naiadumque tener crimine raptus Hylas.

Vide Martialis Epigramma 68. lib. 6. ejuſdem argumenti. *Defende*, arce, prohibe. Horatius Ode 17. lib. 1. *Defendit æſtatem capellis*. Ennius Achille apud Nonium: *Serva cives, defende hoſtes*. Porro *ſemper-cupidas rapinas Nympharum*, dictum eſt per hypallagen, pro *ſemper-cupidarum Nympharum*. *cupidus* vero pro amante. ut Eleg. 2. ſupra, *cupido Phœbo*. & Eleg. 21. lib. 2.

Altera me cupidis teneat, foveatque lacertis. P.

Editiones vulgares, *cupidâ rapinâ*. præter editionem principem anni 1472. in qua diſerte, *cupidas rapinas*. VULP.

v. 12. NON MINOR AUSONIIS EST AMOR AH DRYASIN] Subaudi, quam fuerit in Bithynicis Nymphis, a quibus alter Hylas ra-

Ne tibi sit duros montes, & frigida saxa,
Galle, neque expertos semper adire lacus:
Quæ miser ignotis error perpessus in oris
Herculis indomito fleverat Ascanio.

Nam-

raptus est. VULP. Libri veteres hoc loco variant. Alii siquidem:

Non minor Ausoniis est amor in Dryadis.

quæ lectio falsa, & adversus Latini sermonis consuetudinem. Latine enim *Dryadibus* dicendum. Alii:

Non minor Ausonias urit amor Dryadas.

Alii:

Non minor Ausonias est amor & Dryadas.

ubi τὸ *est*, valet, *edit*, cruciat & absumit. Alii denique codices:

Non minor Ausoniis est amor Adriacis.

unde Lipsius cap. 4. lib. 1. Antiqu. Lect. ἐν δρυάσιν. Scaliger *ab Dryasin*. Sic infra hic: *Thyniasin* & *Hamadryasin*. Catullus Carm. 63.

Minyasin linquens Doris celebranda choreis.

Ita e Plinio scribit Charisius lib. 1. Varronem sic loqui solitum, ut non *schematis*, sed *schemasin* diceret. Varro Parmenone, apud Nonium in *Poscere*: *In argumentis Cæcilius poscit palmam: in ethesin Terentius: in sermonibus Plautus.* PASS.

v. 13. NE TIBI SIT DUROS M. ADIRE] Si *durum* legas, mens est, *Ne tibi sit grave adire*, &c. Si *duros*; Ne liceat adire, ne velis adire, ne adeas duros, id est, asperos saxis & confragosos montes, ubi degunt Oreades. *Ne tibi sit*, μὴ γένοιτο, μὴ ἔςω, μὴ ἐνδέχοιτο. Tibullus pariter Eleg. 6. lib. 1.

Nec tibi sit duros acuisse in prælia dentes.

Virgilius etiam Ecl. 10.

Tu procul a patria (nec sit mihi credere) tantum.

Idem in Voto pro Æneide:

Si mihi susceptum fuerit decurrere munus.

Subaudiendum *potestas*, *facultas*, *voluntas*, *fas*, vel simile aliud. PASS.

ibid. MONTES ET FRIGIDA SAXA] Sic *frigida rupes* Eleg. 18. supra. Liber Mureti *turbida*; Vaticanus *tumbida*. unde *tabida* legit Lipsius lib. 5. Antiqu. Lect. cap. 4. *montes & saxa*, ἓν διὰ δυοῖν, montes saxosos. PASS. Gronovius refingit *torrida*, nempe gelu perusta. BROUKH.

v. 14. EXPERTOS LACUS] παθητικῶς. Quos videlicet noxios, & Nympharum insidiis plenos experti semper sunt amantes. VULP. Ut Eleg. 3. supra *experta sævitia*; & Eleg. 3. lib. 3. *experta bella prora*. *Lacus*: Servius in illud 8. Æneid.

Quo te cumque lacus miserantem incommoda nostra
Fonte tenet;

Lacus, inquit, *est quoddam latentis adhuc aquæ receptaculum, dictus quasi lacuna, unde erumpens aqua efficit fontem, qui cum fluere cœpit, alveum facit.* Ulpianus L. unica D. *Ut in flumine publico navigare liceat*, lacum a stagno ita secernit; quod lacus perpetuam habeat aquam, stagnum temporalem ibidem stagnantem. PASS.

v. 15. QUÆ MISER] τλήμων, exercitus, laboriosus, atque etiam amans. Ita Plautus Menæchmis in fine: *Quem ego multis miserisque laboribus usque adhuc quæsivi*. Theocritus in Hyla:

Σχέτλιοι οἱ φιλέοντες, ἀλώμενος ὅσσ' ἐμόγησεν Οὔρεα & δρυμώς.

Miseri amantes! errabundus quantum laboravit per montes & saltus! PASS.

ibid. IGNOTIS IN ORIS] Ut Eleg. 17. supra v. 17. PASS.

ibid. ERROR HERCULIS PERPESSUS] Hercules errans pertulit. ut Eleg. 13. supra. *Amor Herculis*, pro Hercule amante. Ovidius lib. 13. Metam.

Quod tibi si populi donaverit error Achivi.

id est, populus errans, & prava ductus opinione. De erroribus Herculis Virgilius 6. Æneid.

Nec vero Alcides tantum telluris obivit. P.

v. 16. INDOMITO FLEVERAT ASCANIO] Apud Ascanium lacum crudelem de eo ipso conquestus erat. inquit enim supra:

Crudelis Minyis dixerit Ascanius.

Indomitus, ferus, sævus. Catullus Carm. 101.

Deinde esto quamvis sævus & indomitus.

Tibullus Eleg. 5. lib. 2.

Prodigia indomitis merge sub æquoribus.

Flere cum tertio casu. ut Eleg. 12. supra v. 15.

Felix

Namque ferunt olim Pagafæ navalibus Argo
Egreffam longe Phafidos iffe viam;
Et jam præteritis labentem Athamantidos undis
Myforum fcopulis adplicuiffe ratem.

Hic

Felix qui potuit præfenti flere puellæ. P.

v. 17. NAMQUE FERUNT] Aptum fabulæ narrandæ verbum ; & inde inchoare folent. PASS. Rem ab ovo exorditur. V.

ibid. PAGASÆ NAVALIBUS ARGO EGRESSAM] Pagafæ, urbis Pherarum emporium in Theffalia : ita dictæ quod ibi compacta fuerit navis Argo, ut fcribit Hyginus lib. 2. in Fabula, Argo. hoc eft *ἀπὸ τῦ παγᾶσαι*, quod eft *compactum effe* : vel propter vicinas *πηγὰς*, id eft fontes. hinc *Argo Pagafæa* dicitur Ovidio. & *Pagafæa carina*, pro Argo, eidem. Vide Strabonem lib. 9. PASS. Pomponius Mela lib. 2. cap. 3. *Ille* (Pagafæus finus) *urbem Pagafam amplexus, amnem Sperchion accipit : & quia Minyæ Colchida petentes inde Argo navem folvêre.* Hinc & Jafon *Pagafæus*, & Argonautæ *juventus Pagafæa* dicuntur poetis. BROUKH.

ibid. NAVALIBUS) *Navalia*, inquit Servius ad 4. Æneid. *Loca ubi ftant naves.* & in 11. Æneid. *Navalia, loca ubi naves funt.* Ariftophani *τὰ νεώρια* : *Arcenal* : ubi fiunt, vel ftant naves. *ναύςαθμος* Suidæ. Virgilius : *Statio malefida carinis.* PASS.

ibid. ARGO] De Argo navi vide Catullum Carm. 63. PASS.

v. 18. LONGE PHASIDOS ISSE VIAM] Sat celebratus Phafis Colchidis fluvius ab Apollonio, Catullo, Ovidio, Valerio Flacco. *Longe-viam*, inquit Scaliger, *τὴν πόῤῥω ὁδὸν*. ut Eleg. 1. lib. 4.

Hic ubi Fidenas longe erat ire via,

Martialis Epigr. 104. lib. 5.

Rus hoc vocari debet? an domus longe?

ὁ πόῤῥω οἶκος. Alludit autem ad proverbium : *Εἰς Φᾶσιν ἔνθα ναῦσιν ἔσχατος δρόμος.* *Ad Phafin ufque navibus eft extremus & ultimus curfus.* Strabo lib. 11. Theocritus Idyllio 13. *ἐς Φᾶσιν ἵκετο Φᾶσιν.* Pindarus Ifthmiis Ode 2. *ἐπόρευ ποτὶ μὰν Φᾶσιν* : *tranfibat ufque ad Phafin.* Vide Proverbium apud Erafmum : *Ad Phafin ufque navigavit.* PASS. Recte. nam credebant antiquiffimi, Colchos & Pontum Euxinum, terrarum omnium & marium terminos effe ad orientem. notatum multis. tu Ifaaco Voffio contentus efto : quem videre debes Obferv. ad Catullum p. 14. Tetigerat & nofter Erafmus in Adagio : *Ad Phafin ufque navigavit.* BROUKH. *Iffe viam*, etiam editio princeps anni 1472. aliæ, *effe viam.* VULP.

v. 19. ET JAM PRÆTERITIS LABENTEM ATHAMANTIDOS UNDIS] Prætervectam Hellefpontum. *Tò labentem* per fe ftat, neque jungitur cum *præteritis undis*. Hoc fibi vult poeta : Quùm jam præteritæ effent undæ Athamantidos, labens Argo Myfiam adpulit. *Labi*, natare. Sic Eleg. 6. lib. 4. *Invita labitur illa mari.* nempe *claffis*. Ennius Annal. *Labitur uncta carina.* *Athamantis, idos*, Helle, Athamantis & Nepheles filia, ut tradit Apollodorus lib. 1. Hæc in fretum decidit, quum trajiceret ; unde Hellefpontus. Nofter Eleg. 22. lib. 3.

Si te forte juvant Helles Athamantidos urbes.

De Athamante Ovidius 4. Metam. & in Epift. Leandri :

Fluctibus immodicis Athamantidos æquora canent.

& vers. feqq. ubi tota fabula. PASS.

v. 20. MYSORUM SCOPULIS] Myfia regio Afiæ, finitima Phrygiæ & Bithyniæ ; ut tradit Strabo lib. 12. Apollonius lib. 1. ad Argonthoneum montem & oftia Cii fluminis tum eos appuliffe fcribit. unde hic *fcopulos* dixit, quia inter fcopulos portus. Virgilius 1. Æneid.

Geminique minantur In cælum fcopuli.

de portu. Scopulos etiam pro monte Parnaffo dixit Ennius apud Ciceronem in Bruto :

Quum neque Mufarum fcopulos quifquam fuperarat.

Alioqui fcopulis applicare navem periculofiffimum eft. Cicero pro C. Rabirio : *Numquam ad eos fcopulos rationes tuas appuliffes, ad quos Sex. Titii afflictam navim, & in quibus fortunarum naufragium videres.* P.

ibid. ADPLICUISSE RATEM] Ovidius lib. 3. Trift. Eleg. 9.

Impia defertum fugiens Medea parentem,
Dicitur his remos adplicuiffe vadis.

Vir-

Hic manus heroum placitis ut conſtitit oris,
Mollia compoſita litora fronde tegit.
At comes invicti juvenis proceſſerat ultra
Raram ſepoſiti quærere fontis aquam.

Hunc

Virgilius 1. Æneid. *Quæ vis immanibus adplicat oris?* Donatus in illud Andriæ 5, 4. *Forte adplicat ad Chryſidis patrem ſe: Proprio*, inquit, *de naufrago & egenti*. P.

v. 21. MANUS HEROUM] Collecta multitudo, & ad pugnam inſtructa. Virgilius 6. Æneid. *Juvenum manus emicat ardens Litus in Heſperium*. Cicero pro Cæcina: *Qui manum fecerit, copias paraverit, multitudinem hominum coegerit, armarit, inſtruxerit*. ubi ter idem dixit. Utuntur ſæpe Juriſconſulti in ea notione hoc verbo, & M. Tullius ad Atticum. PASS.

ibid. PLACITIS UT CONSTITIT ORIS] Quæ illis placuerant. Ovidius lib. 1. Metam.

Donec arenoſi placitum Ladonis ad amnem
Venerit.

Valerius Flaccus lib. 5. Argonaut.

Jam prora fretum commoverat, & jam
Puppe ſedens placitas dimiſerat anchora terras.

Auctor Herculis Oetæi v. 684.

Medium cæli dum ſulcat iter,
Tenuit placitas Dædalus oras,
Nullique dedit nomina ponto.

facilis lapſus librariorum a *placitis* in *placidis*, & cujus multa exempla ad Naſonem ſuum notavit Nicolaus Heinſius. BROUKH. *Placidis ut conſtitit oris*. conquievit, *conſedit*. ut loquitur Eleg. 8. ſupra v. 25. *placidis oris*, tranquillo portu, pacatis regionibus, tacito litore, ut eſt Elegia 11. ſupra v. 14. PASS.

v. 22. MOLLIA COMPOSITA LITORA FRONDE TEGIT] *Mollia litora*, vel gramine tenero veſtita; vel mollia futura ſubſtratis frondibus; vel eſt hypallage, pro molli fronde. ut Virgilius 4. Æneid. *Mollique fluentem Fronde premit crinem*. Imitatus eſt Propertius Apollonium lib. 1. ut notat Scaliger:

τοὶ δὲ λεχαίην
Φυλλάδα λειμώνων φέρον ἄσπετον ἀμήσαντες
Στόρνυσθαι.

Sic & Theocritus in Hyla:

πολλοὶ δὲ μίαν στορέσαντο χαμεύναν.
Λειμὼν γάρ σφιν ἔκειτο μέγας στιβάδεσσιν ὄνειαρ.

hic ergo tori periphraſis ab herbis & floribus intortis, ut apud Virgil. Ecl. 1.

Hic tamen hanc mecum poteris requieſcere noctem
Fronde ſuper viridi.

Vide & Homerum in calce libri 5. Odyſſeæ. PASS. Ita & Ovidius Epiſt. Oenones 9

Mixtaque cum foliis præbuit herba torum.

Virgilius quoque lib. 5. Æneid. 388.

Proximus ut viridante toro conſederat herba.

Tibullus item Eleg. 5. lib. 2.

At ſibi quiſque dapes, & feſtas extruet alte
Ceſpitibus menſas, ceſpitibuſque torum.

Noſter denique lib. 3. Eleg. 13.

Altaque nativo creverat herba toro. VULP.

v. 23. AT COMES INVICTI JUVENIS] Hylas Herculis miniſter & armiger. Apollonius lib. 1.

Ἐσθλὸς ὀπάων
Πρωθήβης, ἰῶντε φορεύς, φυλάκτωρ τε βιοῖο.

Sic comes Æneæ Achates ſpicula ejus & arcum geſtat. PASS. Illud Tibulli ſimile Eleg. 6. lib. 2.

Caſtra Macer ſequitur. tenero quid fiet Amori?
Sit comes, & collo fortiter arma gerat. V.

ibid. INVICTI JUVENIS] Invictus juvenis, Ἡρακλῆς ἀδάμαστος, qui erat unus Argonautarum. Unde Horatius Ode 4. lib. 4.

Non hydra ſecto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem.

Dolebat nimirum vinci, quod antea ſolitus fuerat ſemper vincere. Cognominatur & χαλκεοκάρδιος, æneo ſeu ferreo corde. Varro quoque apud Gyraldum *invictum* Herculem dictum ait, quod omne animalium & monſtrorum genus vicerit. In Inſcriptione apud Aldum de Ortographia p. 38. legitur, *Herculi invicto*. Juvenis dicitur, ut apud Virgilium 1. Æneid. Æneas & Achates vocantur: & apud Catullum Carm. 63. *lecti juvenes* Argonautæ omnes dicuntur, id eſt fortes, & florenti ætate: *turpe* enim *ſenex miles*. Ovidius quoque lib. 5. Faſt.

Excipit hoſpitio juvenem Phylireïus heros.

id eſt, Chiron Herculem. PASS. *Herculis* in-

Hunc duo sectati fratres Aquilonia proles.
Hunc super & Zethes, hunc super & Calaïs
Oscula suspensis instabant carpere palmis,
Oscula & alterna ferre supina fuga.

Ille

invicti plurima memoria est in lapidibus litteratis apud Gruterum, & semel apud Reinesium. BROUKH.

ibid. PROCESSERAT ULTRA QUÆRERE] ἐλλειπισμός. ut Eleg. 1. supra v. 12. *Ibat videre*. *Quærere aquam*, ut Eleg. 9. supra v. 16. PASS. *Processerat ultra*. Valerius Flaccus III. 530.

E quibus Herculeo Dryope percussa fragore,
Quum fugerent jam tela feræ, processerat ultra
Turbatum visura nemus. BROUKH.

v. 24. RARAM AQUAM] An quia siticulosa & arida Mysia & Bithynia? an *raram*, ob ejus bonitatem? ut *Cynthia rara*, Eleg. 8. supra; & *rara puella* Eleg. 17. supra. Apollonius lib. 1. sacram vocat:

Τόφρα δ' ὕλας χαλκῇ σὺν κάλπιδι νόσφιν ὁμίλου.
Δίζητο κρήνης ἱερὸν ῥόον. PASS.

ibid. SEPOSITI FONTIS] In secessu abditi. unde Apollonius loco memorato: νόσφιν ὁμίλου. Cicero 2. de Oratore: *Illuc enim rapiam ubi non seclusa aquula teneatur, sed unde universum flumen erumpat*. ubi *aquula*, rara aqua; *seclusa*, sepositi fontis. Noster Eleg. 9. lib. 4.

hæc lympha puellis
Avia secreti limitis una fluit.

Tibullus Eleg. 5. lib. 2. *Nunc indue vestem Sepositam*. PASS.

v. 25. HUNC DUO SECTATI FRATRES] Et gemelli quidem. Plautus Pseudolo 1, 2. de Zetho & Amphione: *duo gnati Jovis*. Ovidius Epist. Hermiones:

Et duo quum vivant, orba duobus eram.

id est, parentes ambo. Virgilius Ecl. 2.

Præterea duo nec tuta mihi valle reperti
Capreoli,

ubi *duo* numero multitudinis, genere masculino, posteriore correpta. PASS.

ibid. SECTATI] Verbum stupri, ut & *sequi*. Donatus in Phormionem: *Sectari proprie est ut taurus buculam, aries ovem*. Plautus Casina 2, 8.

Hodie, hercle, opinor, is conturbabit pedes.
Solet hic barbatos sane sectari senex.

Idem Milite Glor. 4, 2.

Scitus admissarius, qui consectare qua mares,
qua feminas.

Et ibid. 2, 1.

Ait se se ultro omnes mulieres sectarier.

Hinc Festo *adsectata femina* in utramque partem. PASS. Horatius pariter Sat. 2. lib. 1. *Desine matronas sectarier*. VULP.

ibid. AQUILONIA PROLES] Boreæ sive Aquilonis liberi ex Orithyia, Erechthei regis Athenarum filia, Pandionis nepte, quam ipse Boreas patri eripuerat. Naso vocat *genus Orithyiæ*. Sic Virgilius 7. Æneid. *Messapus Neptunia proles*. & 4. Æneid. *Cyllenia proles*, Mercurius. *Proles*, a porro & olescendo opinor: unde & *proletarii*. sic *suboles*. PASS.

v. 26. HUNC SUPER ET ZETHES, HUNC SUPER ET CALAÏS] Huic uterque supervolando imminebat. Ovidius lib. 6. Metam. sub finem:

Barbaque dum rutilis aberat submissa capillis,
Implumes Calaisque puer, Zethesque, fuerunt.
Mox pariter ritu pennæ cœpere volucrum
Cingere utrumque latus; pariter flavescere malæ.

Apollodorus lib. 1. Οἱ Βορέου παῖδες, Ζήτης καὶ Κάλαϊς ὄντες πτερωτοί. Meminit Pausanias in Laconicis & Eliacis. Apollonius lib. 1.

Ζήτης αὖ Κάλαΐς τε Βορήϊοι υἷες ἵκοντο,
Οὕς ποτ' Ἐρεχθηῒς Βορέῃ τέκεν Ὠρείθυια. P.

Versus hic Propertii antiquam illam & venustam redolet simplicitatem a Græcorum fontibus petitam. Sic Eleg. 3. lib. 2.

Uret & Eoos, uret & Hesperios.

& Eleg. 9. libri ejusdem:

Sive ea caussa gravis, sive ea caussa levis. V.

v. 27. OSCULA SUSPENSIS INSTABANT CARPERE PALMIS] Conabantur osculari, idque propere urgebant. Catullus Carm. 65.

Et qui principio sub terra quærere venas
Institit, & ferri frangere duritiem.

Virgilius 10. Æneid.

Interea Rutuli portis circum omnibus instant
Sternere cæde viros.

Carpere oscula, ut Virgilius, *libare oscula*.

An

Ille sub extrema pendens secluditur ala,
Et volucres ramo submovet insidias.

Jam

An eripere, & furtim sumere? ut Eleg. ult. lib. 2.

Alexin
Agricolæ domini carpere delicias.

Catullus Carm. 67.

Oscula mordenti semper decerpere rostro.

de columbis. *Suspensis palmis*, libratis, seque in aere sustinentibus. Virgilius 4. Georg.

Ante
Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo.

Ibidem:

In foribus laxos suspendit aranea casses.

Ad brachia vero illis erant pennæ. Ovidius 6. Metam. de hac re:

Mox pariter pennæ ritu cœpere volucrum
Cingere utrumque latus. PASS.

Assentior Livinejo *plumis* legenti. *suspensis plumis* est, alis in aere libratis. sic statim Boreadarum sectationem vocat *insidias volucres*: & *extremam alam* addit. Posses etiam *pennis* reponere e Papinio L. 5. Thebaid.

Ismarios Aquilonis pignora fratres,
Utraque queis rutilâ stridebant tempora pennâ,
Cernimus.

Sed illud melius: & minus abit a ductu litterarum. BROUKH. *Palmis*, omnino præferendum; sonorum enim magis est: quum *plumis* exile sit. Deinde palmæ rectius dicuntur suspensæ, quam plumæ; quum harum ope non palmæ solæ, sed corpus totum suspendatur. Præterea palmis seu manibus, non plumis carpuntur oscula. V.

v. 28. OSCULA ET ALTERNA FERRE SUPINA FUGA] Modo hoc, modo illo fugiente rapto osculo. *Fert osculum* qui alteri offert & dat, vel qui eripit & aufert: ut apud Virgilium Ecl. 9. *Omnia fert ætas.* Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Tu ne aliis demens oscula ferre mea?

Et Noster Eleg. 6. lib. 2.

Oscula nec desunt qui tibi jure ferant.

Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 7. notione posteriore:

Optabam certe recipi: sum nempe receptus.
Oscula ferre: tuli. proximus esse: fui.

Supina oscula, superne inversa, quia cælum aspiciens Hylas supino erat vultu, & ipsi fratres e cælo venientes supino erant ore. Livius lib 30. *E rostratis vana pleraque, utpote supino jactu, tela in superiorem locum mittebant.* Lucretius lib. 4.

Quæ demersa liquore obeunt, refracta videntur
Omnia converti, sursumque supina reverti.

Ibidem:

Prava, cubantia, prona, supina atque absona tecta.

Os & vultum supinum reddit intuenti liquida & immota aqua. PASS.

v. 29. ILLE SUB EXTREMA PENDENS SECLUDITUR ALA] Extremæ alæ innitens in aere secluditur. penicillo melius quam verbis id exprimatur. finge devolantem ad Hylæ osculum: dum caput demittit sub ala pendet, quæ altior in aere sustinet eum. *Secludere*, inquit Servius ad illud 1. Æneid. *Secludite curas: idem quod excludere; sed a additur propter suavitatem, vel ad hiatum vitandum.* Inde *seclusa sacra*, Festo mysteria arcana. Plautus Rudente:

Quid mihi melius est, quam ut corpore vitam secludam?

id est, secernam, separem. Quod ait *ala*, constat volucres fuisse ex Ovidio 6. Metam. ut notatum supra. Apollonius lib. 1.

Τὼ μὲν ἀπ' ἀκροτάτοισι ποδῶν ἑκάτερθεν ἐρεμνὰς
Σεῖον ἀειρομένω πτέρυγας, μέγα θάμβος ἰδέσθαι. PASS.

Hic versus ad Hylam omnino pertinet, non ad fratres alatos. Libenter manus darem Passeratio, si pentametro versu qui statim sequitur, legeretur:

Hic volucres ramo submovet insidias.

verum quum legatur *Et*, non est locus disjunctioni. Sic igitur ipse interpretor: Dum Hylas Boreadum lasciviâ in altum attollitur, osculum detrectans caput abdit inter alam & cubitum attollentis: tum etiam frondeo ramo oculos & labra procacis impedit, ne propositum perficere queat. VULP.

v. 30. ET VOLUCRES RAMO SUBMOVET INSIDIAS] Arcet atque abigit insidias sibi a volucribus & alatis juvenibus factas. *Insidias* nonnumquam vocant Latini conatum corrumpendi formosos. Catullus Carm. 15.

Ut nostrum insidiis caput lacessas. PASS.

Jam Pandioniæ cessat genus Orithyiæ:
Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin.
Hic erat Arganthi Pege sub vertice montis
Grata domus Nymphis humida Thyniasin.
Quam supra nullæ pendebant debita curæ
Roscida desertis poma sub arboribus,

Et

v. 31. Jam Pandioniæ cessat genus Orithyiæ] Passeratius legit *cesset*; atque ita explicat: Desinant sectari Hylam Zethes & Calaïs, proles Orithyiæ neptis Pandionis. Pandion rex Athenarum, Erichthonii filius, pater Erechthei, cujus filia Orithyia; unde Erechtheis dicitur Apollonio lib. 1. De ejus raptu dicetur suo loco. *Genus*, de liberis. Virgilius 6. Æneid.

Hic genus antiquum Terræ, Titania proles. P. Rectius Gronovius, *cessas*, ex vetustis libris. Broukh. Huic versui similis est ille Valerii Flacci 1. Argonaut. 468.

Quin & Cecropiæ proles vacat Orithyiæ. V.

v. 32. Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin] Dryadas vocat supra. *Est amor in Dryasin*. & infra:

Cujus ut accensæ Dryades candore puellæ.

Apollonio fuerunt Oreades. Hamadryades dictæ ἀπὸ τῦ ἅμα ϗ̓ τῆς δρυὸς: quod simul cum quercubus nasci & interire crederentur. Servius in Ecl. 10. Virgilius, & Plutarchus de Oraculorum defectu. *Hylas ibat dolor Hamadryasin*. id est, doloris & amoris caussa futurus. ut Eleg. ult. hujus libri:

Sit mihi præcipue pulvis Etrusca dolor.

Vel *ibat Hamadryasin*; pro ad Hamadryadas. Ita Eleg. 15. supra:

Ut formosa novo quæ parat ire viro. P.

Hæc vera explicatio. Ceterum *Ah dolor*, nihil aliud est quam exclamatio; & sumendum ἁπλῶς. Respicitur nempe ad casum Hylæ qui jam jam a Nymphis rapiendus, & in fonte submergendus erat. Vulp.

v. 33. Hic erat Arganthi Pege sua vertice montis] Muretus putat legendum:

Hic erat Arganthonei sub vertice montis.

quia Ἀργανθώνειον ὄρος vocat Apollonius lib. 1. Sed idem ex Orphei Argonauticis Arganthum illum montem dictum ostendit. Et Strabo lib. 12. ad Arganthonium montem raptum fuisse Hylam scribit. Hadrianus autem Turnebus lib. 11. Adversar. cap. 15. primus docuit, *Pege* hic legendum ex Apollonii lib. 1.

Αἶψα δ' ὅγε κρήνην μετενίαθεν, ἣν καλέουσι
Πηγὰς ἀγχίγυοι περιναιέται.

Sub vertice montis, in radicibus ipsis. ut Eleg. 2. lib. 3. *Sub Ætna*. Pass. Non in radicibus ipsis, verum paullo infra verticem: ibi enim solent fontes erumpere, πηγὴ porro Græcis *fons*. Neque huic explicationi adversatur, quod infra fit prati mentio: nam & in editis montibus identidem modicæ planities occurrunt; quæ prata vocari possunt. Vulp.

v. 34. Grata domus Nymphis humida Thyniasin] Ubi Nymphæ Bithynicæ libenter habitabant. Sic Ovidius 4. Fast. de Sicilia: *Grata domus Cereri*. Fontes autem & flumina sunt domus humidæ Naïadum. Virgilius 4. Georg. de Aristæo:

Jamque domos mirans genitricis, & humida regna.

& 1. Æneid.

Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum:
Intus aquæ dulces, vivoque sedilia saxo,
Nympharum domus.

Homerus Odysseæ 12. & 13. in descriptione portus: Ἔνθα δ' ἔσαν Νυμφέων καλοὶ χοροί, ἠδὲ θῶκοι. *Thyniasin* dixit declinatione Græca, ut Δρυάσιν, & Ἁμαδρυάσιν. supra. *Thyniades Nymphæ*, pro Bithynicæ: nam ea regio Thynia dicta a Thyno Aganthones Nymphæ filio, ut Arrianus scribit. quamvis Plinius Thyniam a Bithynia separet; ut & Catullus Carm. 31.

Vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos
Liquisse campos. Pass.

Grata domus Nymphis humida; qualem describit Leonidas Tarentinus Anthologiæ lib. 1. cap. 3. Epigr. 4. Vulp.

v. 35. Quam supra] Anastrophe. pro supra quam. ut Eleg. 6. lib. 2.

Quæ numquam supra pes inimicus eat.
ibid.

Et circumriguo surgebant lilia prato
Candida purpureis mixta papaveribus.

Quæ

ibid. NULLÆ PENDEBANT DEBITA CURÆ POMA] Hic bono Passeratio, ut fas est opere in longo, somnus obrepsit. Ejus explicatio falsa & contorta. Putavit enim, poma nulli debita curæ, illa esse quæ antiqui cultores patiebantur in arbore pendere, quod essent amori promissa & dicata, scilicet puellæ alicui formosæ, vel juveni amanti: quod genus a poetis vocetur *cura*. Sed Propertius significare voluit, & satis quidem aperte significavit, poma silvestria, quæ nascuntur in arboribus sponte natis, & nihil debentibus curæ seu cultui agricolarum: ut optime interpretatus fuerat Beroaldus. Eodem modo locutus Ovidius initio lib. 14. Metam.

Jamque giganteis injectam faucibus Ætnam,
Arvaque Cyclopum, quid rastra, quid usus aratri
Nescia, nec quidquam junctis debentia bubus,
Liquerat Euboicus tumidarum cultor aquarum.
VULP.

ibid. NULLÆ CURÆ] ἀρχαϊκῶς. pro *nulli*. Plautus Mil. Glor. 3, 1, 207.

Qui, nisi adulterio, studiosus rei nullæ aliæ est improbus.

Dicebant etiam veteres, *illæ*, pro *illi* vel *illius*; *totæ*, pro *toti*; *unæ*, pro *unius*; *alteræ*, pro *alteri*; *alterutræ*, pro *alterutri*; *solæ*, pro *soli*. Lucretius lib. 4. 1052.

Hinc illæ primum Veneris dulcedinis in cor
Stillavit gutta.

Cato de R. R. cap. 153. *Fiscinas olearias campanicas duas illæ rei habeto*. & cap. 154. *Labrum culleare illæ rei facito*. Lucretius lib. 2.

Ut sæpe ex aliis formis, variisque figuris
Efficitur quiddam quadratum, unæque figuræ.

Plautus in quodam Comœdiæ fragmento:

Oggannuis odiosus omni totæ familiæ.

Terentius Heautont. 2, 3, 30. *Hoc, ipsa in itinere alteræ Dum narrat, forte audivi*. Idem Eunucho 5, 7, 3. *Mihi solæ ridiculo fuit*. Denique priscorum imitator A. Gellius lib. 2. N. A. cap. 12. *Qui in eo tempore, in eoque casu civilis discordiæ, non alterutræ parti se se adjunxerit*. VULP.

v. 36. ROSCIDA POMA] Id est, velut rore educata, tenera, fragrantia, recentia. Theocritus initio Epigrammatum: τὰ ῥόδα τὰ δροσόεντα. Virgilius Ecl. 8, 37.

Sepibus in nostris parvam te roscida mala
(Dux ego vester eram) vidi cum matre legentem. PASS.

ibid. SUB ARBORIBUS] Sub foliis arborum; quæ a natura instituta sunt non ad ornatum solum, sed ad id vel maxime, ut fructum & semen protegant a nimio Solis ardore: aliter enim non coqueretur, sed exureretur. Catullus Carm. 19.

Uva pampineâ rubens educata sub umbra. V.

v. 37. CIRCUMRIGUO PRATO] Ita Scaliger ex veteri libro. id est, περιῤῥύτῳ. sed legendum *circum irriguo*: τὸ *circum*, vel per se stat, vel jungitur cum *irriguo*, ut sit ὕφεν. Sic Eleg. 15. lib. 2. *circum-oppugnant*. ἀμφιῤῥύτῳ λειμῶνι. ut Horatio Epodo 16. *Oceanus circum-vagus*. *Irrigua prata* Virgilius 6. Æneid. vocat *prata recentia rivis*. *Irriguum* autem non tantum quod irrigatur, sed etiam quod irrigat. Virgilius 4. Georg. *Irriguumque bibant violaria fontem*. Tibullus Eleg. 1. lib. 2.

Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas. P.

Ut Noster *circumriguo prato*, sic Horatius Sat. 4. lib. 2.

Irriguo nihil est elutius horto. VULP.

ibid. SURGEBANT] Crescebant. Aptum verbum herbis, plantis & arboribus proceris; ut dictum ad Eleg. 2. supra:

Surgat & in solis formosius arbutus antris. PASS.

Crescentia lilia, dixit Auctor Liberi Carminis Epigram. 65. VULP.

ibid. LILIA CANDIDA PURPUREIS MIXTA PAPAVERIBUS] Theocritus in Hyla, neque lilia, neque papavera commemorat; sed adiantum, apium & agrostin. Color autem candidus purpureo mixtus gratissimus oculis. *Lilia candida*. ut Eleg. 4. lib. 4.

Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis.

Theocritus Idyllio 11.

Ἔφερον δέ τοι, ἢ κρίνα λευκὰ,
Ἢ μάκων' ἁπαλὰν ἐρυθρὰ πλαταγώνι' ἔχοισαν.

Plinius lib. 19. H. N. cap. 8. papaver fuisse apud Romanos, docet ex facto Tarquinii Superbi, qui summa papavera in horto virgâ decussit. PASS.

v. 39.

Quæ modo decerpens tenero pueriliter ungui,
Proposito florem prætulit officio.
Et modo formosis incumbens nescius undis
Errorem blandis tardat imaginibus.

Tan-

v. 39. QUÆ M. DECERPENS TENERO PUERILITER UNGUI] Id est, mollicello pollice, digito, manu, legens lilia & papavera. Sic Ovidius 4. Fast.

Illa papavereas subsecat ungue comas.

Tenero ungui; ut apud Catullum Carm. 61. de flore:

Idem quum tenui carptus defloruit ungui.

unde proverbium Græcorum, ἀπὸ τῶν ἀπαλῶν ὀνύχων. id est *a teneris unguibus*, vel *unguiculis*, ut vertit Cicero. Horatius Ode 6. lib. 3. *Incestos amores De tenero meditatur ungui*. Teneri ungues teneræ ætatis indicium: nam cum ætate durescunt. *Pueriliter*; ut pueri, pueræque solent. Virgilius Ecl. 3.

Qui legitis flores, & humi nascentia fraga,
Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

Horatius vero de Europa puella, Ode 27. lib. 3. *Nuper in pratis studiosa florum*, &c. PASS.

ibid. UNGUI] Dicebant *ungue* & *ungui*; quod tradit Priscianus lib. 7. hoc tamen præferre videtur Charisius lib. 1. *Ungui*. *Licinius Calvus in poemate*, *Vaga candida Nympha quod secet ungui*. fragmentum id est carminis Glyconici, ita fortasse reponendum; siquidem primam vocem desideramus;

Lilium, *vaga candido*
Nympha quod secet ungui.

Sic *civi*, pro *cive* sæpius apud Ciceronem. vide & Servium in L. 9. Æn. v. 474. & magnum Vossium L. 2. de Analog. C. 12. BROUKH.

v. 40. PROPOSITO FLOREM PRÆTULIT OFFICIO] Anteposuit suscepto muneri hauriendæ aquæ curam legendi floris. Enallage numerorum, *florem*, pro flores. ut Eleg. 3. lib. 4. *Flore sacella tego*. *Prætulit*; ut Eleg. 12. lib. 3. *Fide prætulit arma toro*. *Propositum*, id quod susceptum est. ut Eleg. 30. lib. 2.

Nos modo propositum, vita, teramus iter.

Officium ab efficiendo. quod quis efficere debet. ita Cicero. Missus autem erat Hylas, ut ait Apollonius lib. 1. ut hauriret ὕδωρ ποτιδόρπιον, id est aquam cœnaticam; & alia curaret quæ ad cœnam parari oportet. PASS.

v. 41. ET M. FORMOSIS INCUMBENS NESCIUS UNDIS] Pronus in undas intuens ignarus periculi & casus futuri. *Formosis undis*; an quia Hylæ ipsius formam referrent in fonte expressam; an amœnis & liquidis & arridentibus? Sic Eleg. 19. lib. 2.

Qua formosa suo Clitumnus flumina luco
Integit.

Et Virgilius 8. Æneid. de Tiberi: *Quocumque solo pulcherrimus exis*. Euripides in Hecuba:

Ἔνθα τῶν καλλίστων ὑδάτων πατέρα φασὶ
Ἀπίδανον πεδία λιπαίνειν.

Petronius Arbiter Satyrico: *Quid aquis dici formosius potest? in publico tamen manant*. *Nescius*; ut *fati nescia* Dido apud Virgilium. PASS. *Incumbens nescius undis*: puerili simplicitate admiratus in fonte imaginem suam. Virgilius 2. Æneid. ludicrum puerorum describens:

-- *Stupet inscia turba,*
Impubesque manus; mirata volubile buxum.

Hæc nos, reficiendi animi & stili exercendi gratia, ita secuti sumus in Bucolico quodam poematio:

Tum canerem liquidi pendentem e margine fontis
Narcissum, gelida quum se miser arsit in unda:
Ut frustra incumbens labiis, & brachia tendens,
Perderet amplexum, & vanæ daret oscula formæ.
Ah, ne te similis tangat, Charideme, cupido,
I procul a ripis. formosas fascinat amnis.

Vel nescius periculi, & fati imminentis. ut Virgilius 10. Æneid. 502.

Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ.

Tibullus quoque Eleg. 8. lib. 1.

Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes,
Nescius ultorem post caput esse deum. V.

v. 42. ERROREM BLANDIS TARDAT IMAGINIBUS] Errorem suum longiorem reddit, blan-

Tandem haurire parat demiſſis flumina palmis
Innixus dextro plena trahens humero.
Cujus ut accenſæ Dryades candore puellæ
Miratæ ſolitos deſtituere choros,

Pro-

blanda & arridentia ſibi ſimulacra in fonte ſpectando. Ovidius 3. Metamorph. in Fabula Narciſſi dixit: *Tenet error amantem*, ut hic *tardat errorem*: & *imaginem* ac *ſimulacra* vocat, ut hic *imagines*:

Dumque bibit, viſæ correptus imagine formæ,
Spem ſine corpore amat: corpus putat eſſe, quod umbra eſt.

& infra v. 432.

Credule, quid fruſtra ſimulacra fugacia captas?
Iſta repercuſſæ, quam cernis, imaginis umbra eſt.

An errorem dixit, unde errones, qui ſine cauſſa vagantur, & tempore in rebus nugatoriis conſumto, ſerius domum redeunt? PASS.

v. 43. TANDEM] Demum poſt longam moram; quia præceſſit, *tardat*. PASS.

ibid. HAURIRE FLUMINA PLENA] *Flumina* dixit, pro, aquas fontanas. ut Eleg. 10. lib. 4. quum dixiſſet: *Fontis egens erro*, id eſt aquæ; ſubjecit:

Et cava ſuſcepto flumine palma ſat eſt.

Ipſe Eleg. 3. lib. 3. *Quid tibi cum tali, demens, eſt flumine?* de fonte. *Haurire flumina*, ut Virgilius 4. Georg. *Et flumina libant Summa leves*. Sic Hebrum & Tanaïn bibere, poetæ dicunt. *Flumina plena*, aquam multam & copioſam; ἄσπετον ὕδωρ, Apollonio. Virgilius 3. Georg.

Saltibus in vacuis paſcunt, & plena ſecundum Flumina.

& 8. Æneid. *Ego ſum, pleno quem flumine cernis, Cæruleus Tibris*. Si urnam nominaſſet, videri poſſet hypallage: ſed neque nominavit, & verbum *haurire* adverſatur. PASS.

ibid. PARAT HAURIRE] Aggreditur, incipit. Sic Eleg. 15. ſupra:

Ut formoſa novo quæ parat ire viro. PASS.

ibid. DEMISSIS PALMIS] παλάμῃ, palma manus, & manus ipſa. PASS. Ovidius pariter de aquæ hauſtu lib. 3. Metam. v. 36. *Demiſſaque in undas Urna dedit ſonitum*. V.

v. 44. INNIXUS DEXTRO HUMERO] Geſtum hunc trahentis & haurientis expreſſit Apollonius lib. 1.

Αὐτὰρ ὅγ' ὡς τὰ πρῶτα ῥόῳ ἔνι κάλπιν ἔρεισε,
Λέχρις ἐπιχριμφθεὶς, περὶ δ' ἄσπετον ἔβραχεν ὕδωρ
Χαλκὸν ἐς ἠχήεντα φορεύμενον.

Innixus humero, id eſt, adducto brachio conatus extrahere plenam urnam. Aliter Virgilius & Ovidius *Obniti & niti humeris* dixerunt, trudendo, ſcilicet, non attrahendo. Virgilius 4. Æneid. *Pars grandia trudunt Obnixæ frumenta humeris*. Ovidius 1. Faſt. in Fabula Caci:

Nititur hic humeris (cælum quoque ſederat illis:)
Et vaſtum motu collabefactat onus. PASS.

Nicolaus Heinſius & Broukhuſius legere malunt, *Nixus*, & *exſerto*; quod apud veteres auctores haud raro occurrat *exſerere humeros, brachia, latus*. Sed utrum ea lectio fulta ſit veterum codicum auctoritate, an conjectura tantum, incertum eſt. Id vero exploratum, nihil mutandum eſſe in ſcriptis antiquorum, libris non addicentibus. VULP.

v. 45. CUJUS UT ACCENSÆ D. C. P.] Alii libri: *Cujus & accenſæ*. *Cujus inaccenſæ*, &c. vide Lipſium lib. 5. Antiqu. Lect. cap. 4. *Ut*, poſtquam. *Accenſæ*; ut Virgilius Æneid. *Incenſum animum inflammavit amore*. PASS.

ibid. DRYADES PUELLÆ] Pro Najadibus, ut ſupra. *Puellæ*, κόραι, Nymphæ. Virgilius 1. Georg.

Ferte ſimul Faunique pedem, Dryadeſque puellæ.

Noſter Eleg. 5. lib. 3.

O centum æquoreæ Nereo genitore puellæ.

Et Eleg. 26. lib. 2.

Eſſes Ionii facta puella maris.

Apollonius, Nymphas quæ vertices montium & antra incolunt, conveniſſe ad ſpectandum Hylam, narrat. PASS.

ibid. CANDORE] Pulchritudine; quia forma candida in primis laudatur. unde Catullus Carm. 13. *Non ſine candida puella*. & Tibullus, *Candidus puer*. PASS.

v. 46. MIRATÆ SOLITOS DESTITUERE CHO-

Prolapsum leviter facili traxere liquore.
Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat responsa: sed illi
Nomen ab extremis fontibus aura refert.

His,

CHOROS] ὕστερον πρότερον in sententia. nam prius est mirari, id est cum admiratione spectare: posterius accendi. *Destituere choros*, deseruere. Ovidius Eleg. de morte Tibulli: *Nec soles destituere roges*. Destituere, est relinquere rem caram. unde Suetonius destitutum Neronem dixit, id est relictum ab amicis. Amant autem choros Nymphæ. Virgilius 1. Georg.

At chorus æqualis Dryadum clamore supremos
Implerunt montes.

Horatius Ode 1. lib. 1.

Nympharumque leves cum Satyris chori.

Et Ode 7. lib. 4.

Gratia cum Nymphis, geminisque sororibus audet
Ducere nuda choros.

Vide Apollonium Rhodium lib. 1. & Theocritum in Hyla. PASS. *Destituere* contrarium est τοῦ *statuere*: vel particulâ *de* intendit simplicis verbi significationem; ut sit quasi ponere, figere, positumque ac fixum relinquere in eodem loco. VULP.

v. 47. PROLAPSUM LEVITER FACILI TRAXERE LIQUORE] Ad se leviter traxere quum prolapsus esset, facili ad eum lapsum aqua, quia lubricum reddit locum. *Prolapsum traxere*; ut Eleg. 3. supra, *lapsam sopor impulit*. *Facilis liquor*; ut Eleg. 11. supra:

Alterna facilis cedere lympha manu.

Apud Apollonium Nympha Ephydatia lævâ manu Hylæ cervicem amplectitur, ut exosculetur: dextrâ ejus cubitum trahit, & præcipitem agit in fontem. Valerius Flaccus vocat Dryopen Nympham a qua raptus Hylas, lib. 3. v. 529. Theocritus, tres simul Nymphas manibus haurientis aquam, ait, inhæsisse. Statius lib. 3. Silvar. in Coma Earini:

Te cærula Naïs
Mallet, & apprensâ traxisset fortius urnâ.

Sunt qui legant *texêre*: quod si retinemus, erit *mersêre*, ut nihil extra aquam esset. Sic Eleg. 7. lib. 3.

Quum moribunda niger clauderet ora liquor.

PASS.

Verum ibi *clauderet ora*, est *suffocaret*, spiritu intercluso. VULP.

ibid. PROLAPSUM LEVITER F. T. L.] Elegantissime Valerius Flaccus lib. 3. Argon. v. 560.

— Nil umbra, comæque,
Turbavitque sonus surgentis ad oscula Nymphæ.
Illa avidas injecta manus, heu sera cientem
Auxilia, & magni referentem nomen amici,
Detrahit: adjutæ prono nam pondere vires. V.

v. 48. TUM SONITUM RAPTO CORPORE FECIT HYLAS] Ipse Hylas a Nymphis raptus, dum mergeretur dedit sonitum. Juvenalis Sat. 1.

Aut multum quæsitus Hylas, urnamque secutus.

Fecit sonitum; ut Virgilius 4. Georg. *Concurritur æthere in alto, Fit sonitus*. *Rapto corpore*; ipse raptus. Euripides: Ἀλλ' ἀσορῶ γὰρ τόδε διαπρέπον δέμας Ἀγαμέμνονος. Et Virgilius Æneid. 7. *Excepta Laurentis corpore Turni*. PASS. *Sonitum fecit*. sic *sonitum dare*. Ovidius lib. 3. Metam. 36. *Demissaque in undas Urna dedit sonitum*. Virgilius 2. Æneid. 243. *Utero sonitum quater arma dedere*. VULP.

v. 49. CUI PROCUL ALCIDES ITERAT RESPONSA] Contra Theocritus in Hyla de Hercule:

Παρεὼν δὲ μάλα σχεδὸν εἴδετο πόῤῥω.

Ibidem:

Τρὶς μὲν Ὕλαν ἄυσεν, ὅσον βαθὺς ἤρυγε λαιμός,
Τρὶς δ' ἄρ' ὁ παῖς ὑπάκουσεν, ἀραιὰ δ' ἵκετο φωνὰ
Ἐξ ὕδατος.

Apollonius lib. 1. solum Polyphemum ait exaudisse vocem Hylæ, & postea nuntiasse Herculi. Valerius Flaccus lib. 3. Argon.

Rursus Hylan, & rursus Hylan per longa reclamat
Avia. responsant silvæ, & vaga certat imago.

Virgilius Ecl. 6.

His adjungit, Hylam nautæ quo fonte relictum
Clamassent, ut litus Hyla, Hyla omne sonaret.

Alcides, inquit Apollodorus lib. 1. Bibliothecæ

His, o Galle, tuos monitis servabis amores,
Formosum Nymphis credere tutus Hylan.

ELE-

thecæ, primum nomen ei deo fuit: sed a Pythia Hercules postea vocatus. *Iterare*, est iterum vel sæpius quid facere, aut dicere. Horatius Epist. 18. lib. 1.

Sic iterat voces, sic verba cadentia tollit.

Hinc *iterata lana* apud eumdem Epodo 12. iterum tincta, διβαφοι ἔσοι. & *iterare æquor* Ode 7. lib. 1. rursus navigare. In re rustica, *arare*, *iterare*, *tertiare*. PASS.

ibid. SED ILLI] Illi autem. *Sed*, pro autem; ut αὐτὰρ Callimacho. Ipse Eleg. 17. l. 2.

Jam deus amplexu votum persolvit: at illæ
Aurea divinas urna refudit aquas.

Et Eleg. 7. lib. 4.

Spirantesque animos & vocem misit: at illæ
Pollicibus fragiles increpuere manus.

Vide *ast*, apud Festum. PASS.

v. 50. NOMEN AB EXTREMIS FONTIBUS AURA REFERT] *Aura*, pro Echo aeris filia. Echo ipsa ad pictorem, apud Ausonium: *Aeris & linguæ sum filia*. Euripides tamen in Hecuba: Ἀχὼ πέτρας ὀρείας παῖς. *Echo rupis montanæ filia*. *Referre nomen*, reddere. Virgilius Ecl. 6. *Ille canit, pulsæ referunt ad sidera valles*. Idem 4. Georg.

Eurydicen toto referebant flumine ripæ. P.

Nomen Hylæ, quod Hercules inclamabat. *Aura* est Echo. etenim metuentes Nymphæ ne Hercules absconditum apud se Hylam inveniret, puerum in Echonem commutarunt. auctor Nicander apud Antoninum Liberalem. Multa in hac Elegia transposuit, multa aliter distinxit, legitque aliter, vir magnus Janus Rutgersius L. 3. Var. Lect. C. 8. quem consulere potes. BROUKH. *Nomen aura refert*. A Propertio Valerius Flaccus lib. 3. *Magni referentem nomen amici*. Sed ibi nomen Herculis significatur, ab ipso Hyla, dum raperetur a Nymphis, inclamatum. V.

ibid. AB EXTREMIS FONTIBUS] Supra dixit, *raram aquam sepositi fontis*. & *fontibus* quum dicit, adludit ad nomen *Pegæ*. P. Ab *extremis fontibus*, ab imo fontium. V.

v. 51. HIS, O GALLE, TUOS MONITIS SERVABIS AMORES] *Monitis*, præceptis & exemplis; ut Eleg. 1. supra vers. pænult. *Servabis tuos amores*: defendes a rapinis Nympharum delicias tuas, sive tuum ardorem, ut ait supra. Sic Tullius Epist. 21. lib. 4. ad Famil. *Tu me diliges & valebis*. Legunt alii:

His, o Galle, tuos monitus servabis amores.

Si hæc placet lectio, τὸ *His* septimus casus erit, & per se stabit. ut Eleg. 2. supra:

His tu semper eris nostræ gratissima vitæ. P.

Hæc monita, si recte servaveris, efficient ut etiam tuos amores servare possis. VULP. *Monitis*. forte *monitus*. BROUKH.

v. 52. FORMOSUM NYMPHIS CREDERE TUTUS HYLAN] Ita Scaliger ex veteri libro. *tutus*, id est ἀσφαλιζόμενος, φυλαττόμενος. Sed mihi alia lectio magis placet, *credere visus*. est enim proverbium simile illi Terentiano in Eunucho: *Scelesta, ovem lupo commisisti*: nam ut lupi, sic & Nymphæ rapaces. Virgilius pariter Ecl. 2.

floribus Austrum
Perditus, & liquidis immisi fontibus apros.

Credere, committere. ut 6. Æneid. *Ausus se credere cœlo*. Noster Eleg. ult. lib. 2.

Cur quisquam faciem dominæ jam credat amico?

Et Eleg. 8. lib. 4.

Quum temere anguino creditur ore manus.
PASS.

Credere tutus. Nihil omnino sollicitus, nil veritus committere, summa animi securitate. VULP.



ELEGIA XXI.

TU, qui consortem properas evadere casum,
  Miles ab Etruscis saucius aggeribus:
Quid nostro gemitu turgentia lumina torques?
  Pars ego sum vestræ proxima militiæ.

Sic

ARGUMENTUM ELEGIÆ XXI. LIBRI I.] Galli Bello Perusino interfecti ad viatorem Prosopopœja. VULP.

v. 1. TU QUI] Sic exorditur Eleg. 14. supra, & alias nonnullas. PASS.

ibid. CONSORTEM PROPERAS EVADERE CASUM] Mihi tecum communem effugere conaris cladem. *Evadere casum.* Virgilius 4. Georg.

Jamque pedem referens casus evaserat omnes.

Consors, a sorte. Festus: *Sors patrimonium dicitur, unde consors.* Melius Varro lib. 5. de L. L. *Consortes, ad quos eadem sors pertinet.* Ego, *consortes*, ad quos aliquid sorte dividendum; unde consortes, heredes. Græci, συγκληρονόμους, Latini, *particulones* vocant. Tibullus Eleg. 5. lib. 2.

Mœnia consorti non habitanda Remo.

Apud Horatium Ode 24. lib. 3. male legitur: *Consortem socium fallat, & hospitem.* Legendum: *Consortem, socium, fallat, & hospitem.* PASS.

v. 2. MILES AB ETRUSCIS SAUCIUS AGGERIBUS] Beroaldus munitiones & opera intelligit, quibus ab Augusto circumvallata Perusia. qua de re Appianus. An muris ipsis Perusinis? ut Eleg. 14. lib. 2.

Gallicus Iliacis miles in aggeribus.

& Virgilius 10. Æneid.

Quin intra portas, atque ipsis prœlia miscent
Aggeribus murorum.

Varro 4. de L. L. *Quod exaggerabant, aggeres dicti: & quod aggerem contineret, murus.* Aggeres etiam, pro montium verticibus. ut 6. Æneid. *Aggeribus socer Alpinis.* *Etruscis*; Tuscis, Tyrrhenis. *Etruria*, inquit Servius in illud 11. Æneid. *Etruscique duces: dicta quod ejus fines erant usque ad ripam Tiberis, quasi ἑτερουρία, & per syncopen Ἑτρουρία: nam ἕτερος est alter, & ὅρος finis vocatur.* *Saucius*, graviter vulneratus. ut Eleg. 1. supra versu 14. & Eleg. 16. versu 5. PASS.

v. 3. NOSTRO GEMITU] Pro, nostri gemitu, seu dolore ob mortem nostram suscepto. Sic Virgilius 4. Æneid.

Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido.

Noster Eleg. 8. supra: *Nec te mea cura moratur.* id est, mei. Ibid.

Quam tua sub nostro mutetur pectore cura.

Et Eleg. 3. lib. 4.

E desiderio sit color iste meo.

Et Eleg. 20. lib. 3.

Et desiderio, Tulle, movere meo.

Sententia est; Quid me ingemiscis mortuum? Cur ita ingemiscis & illacrimas morti nostræ, ut oculi inde tibi tumescant? PASS.

ibid. TURGENTIA LUMINA TORQUES] Oculos tumentes flectis & volvis huc & illuc. *Turgent oculi* fletu. ut Tibullus Elegia 8. lib. 1.

Desistas lacrimare, puer: non flectitur illa,
Et tua jam fletu lumina fessa tument.

Suetonius in Tiberio, cap. 7. *Contentis & tumentibus oculis eam prosecutus est.* Quia dolebat Tiberius sibi ereptam Agrippinam. quem Suetonii locum ne doctissimus quidem Turnebus recte exposuit lib. 14. Advers. cap. 17. *Torquere lumina*, est aciem oculorum flectere. Virgilius 12. Æneid.

Ardentes oculorum orbes ad mœnia torsit.

Idem 1. Æneid.

Huc geminas nunc flecte acies. PASS.

v. 4. PARS EGO SUM VESTRÆ PROXIMA MILITIÆ] Unus eram nuper e militum & ducum numero. *Pars militiæ*, ut Eleg. 6. supra: *Pars eris imperii.* *Proxima*, pro proxime, nomen pro adverbio. ut Eleg. 3. supra;

Nunc

Sic te ſervato poſſint gaudere parentes,
Hæc ſoror Acca tuis ſentiat e lacrimis,
Gallum per medios ereptum Cæſaris enſes
Effugere ignotas non potuiſſe manus.

Et

Nunc furtiva cavis poma dabam manibus.

Et Eleg. ult. hujus libri:

Proxima ſuppoſito contingens Umbria campo.

id eſt proxime. PASS. Utimur hoc adverbio ad ſignificandum locum ac tempus. Multa exempla occurrunt vel in libris M. Tullii. VULP.

v. 5. SIC TE SERVATO POSSINT GAUDERE PARENTES] Ita parentes tui inſperata ſalutis tuæ lætitia perfundantur. Tò *ſic* eſt veluti remunerantis & rependentis beneficium quod petitur, rem gratam alteri optando. Catullus Carm. 17.

Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat.

Tibullus Eleg. 4. lib. 1.

Sic umbroſa tibi contingant tecta, Priape.

Et millies in libris poetarum. *Servata:* ſunt qui legant *ſervatum*. Sed *gaudere* jungitur ſæpius cum ſexto caſu. PASS. Magna eſt parentum caritas adverſus liberos: & iccirco veteres, cui bene vellent, incolumes filios & ſuperſtites maxime optabant. Penelope Ovidiana in Epiſt. de Telemacho filio:

Dii precor hoc jubeant, ut, euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Quintilianus Proœmio lib. 6. Inſt. Orat. ubi luget mortem unici: *Filio ..... hunc optimam partem relicturus hereditatis videbar: ut ſi me, quod æquum & optabile fuit, fata intercepiſſent, præceptore tamen patre uteretur.* atque inde ortum vocabulum *ſuperſtitio*, ſi Tullio credimus lib. 2. de Nat. Deor. apud Lactantium lib. 4. Divin. Inſt. cap. 28. *Qui totos dies precabantur, & immolabant, ut ſui ſibi liberi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati.* VULP.

v. 6. HÆC SOROR ACCA TUIS SENTIAT E LACRIMIS] *Acca* legit Scaliger, pro *acta*, quod plures libri præferunt. Scio, *Acca* nomen Romanum eſſe: ſed Galli ſoror, Cornelia, non Acca diceretur. Præterea, *acta*, ſunt mandata morientis. Eleg. 13. l. 2.

Accipe quæ ſerves funeris acta mei.

Tuis ſentiat e lacrimis. Ovidius lib. 1. Triſt. Eleg. 1.

Neve liturarum pudeat. qui viderit illas,
De lacrimis factas ſentiat eſſe meis.

Sententia eſt: Rem ita geſtam intelligat, quaſi manu tangat, aut cernat oculis: lacrimæ enim fidem faciunt. PASS. Acca fortaſſe non Galli ſoror fuerit, ſed certi cujuſdam militis, quem alloquens Gallus inducitur, nam hoc loco *acta* durum, & minus elegans mihi videtur. VULP.

v. 7. GALLUM] Plures Galli eodem tempore fuerunt. Hic Cornelius Gallus, Propertii noſtri propinquus, ut apparet ex Elegia quæ proxime ſequitur; cujus meminit ſupra Eleg. 5. 10. 13. & 20. hic vero eum periiſſe Bello Peruſino ſignificat, Elegia etiam proxime ſequenti, & Eleg. ult. lib. 2.

Et modo formoſâ quam multo Lycoride Gallus
Mortuus inferuâ vulnera lavit aquâ.

Virgilius hunc dilexit, & ejus in laudem ſcripſit ultimam Eclogam; ubi vide Servium, & Auctorem Vitæ Virgilii. Servius ſcribit occiſum eſſe, quum veniſſet in ſuſpicionem conjurationis. Fuit & alter Cornelius Gallus, Ægypti præfectus, amicus Auguſti, qui quum ab eo deſciviſſet, damnatus a Senatu, & ad necem compulſus eſt. Suetonius in Auguſto, cap. 66. & Euſebius in Chronicis. Tertium Gallum Luperci fratrem commemorat Noſter Elegia 1. lib. 4.

Gallus at in caſtris, dum credita ſigna tuetur,
Concidit ante aquilæ ſigna cruento ſua.

Denique Plinius H. N. lib. 7. cap. 53. Cornelium quemdam Gallum in Venere ſcribit obiiſſe. PASS. *Gallum* &c. ſtetit igitur ab Antonianis partibus in bello Peruſino. de eo bello Florus IV. 5. incidit autem in A. V. 711. a latronibus occiſum fuiſſe, licet ſuſpicari. BROUKH.

Gallus, poetæ noſtri propinquus, Bello Peruſino a latronibus trucidatus: Gallus, Arriæ filius, frater Luperci, aquilifer in exercitu Romanorum, ab hoſtibus occiſus: denique Cornelius Gallus, Ægypti præfectus; quos Gallos Propertius commemorat; non temere confundendi, ſed accurate diſ-

tinguendi sunt. Passeratius tamen Gallum Propertio cognatione junctum, cum Cornelio Gallo poeta, Lycoridis amatore, male confundit: ac rursus Gallum poetam a Gallo Ægypti præfecto male distinguit, qui unus atque idem est. Recte Petrus Burmannus, vir doctissimus, animadvertit ad Elegiam 9. lib. 3. Amorum Ovidii, Gallum a Propertio sæpe nominatum, virum fuisse nobilem, quum id appareat ex libro 1. Poetæ Umbri Eleg. 5. v. 23.

Nec tibi nobilitas poteris succurrere amanti.
Nescit Amor priscis cedere imaginibus.

Gallus vero præfectus Ægypti ex humili loco ab Augusto ad honores est provectus; teste Suetonio in Augusto cap. *66.* Neque tamen accesserim alteri ejusdem Burmanni sententiæ, quam sic ibidem explicavit: *Quod vero hæc Poetæ* (Ovidii) *verba*,

Tu quoque (si falsum est temerati crimen amici)
Sanguinis atque animæ prodige Galle tuæ;

capiant de Augusto, quem amici temerati *nomine Poeta designaret, non persuadent. neque tam familiari appellatione Nasonem designasse Augustum credibile est. sed recte aliquid inimicitiarum inter Gallum & Tibullum intercessisse suspicatur Scaliger ad Eusebii Chron. n.* DCCCCXC. *quem recte cepisse putamus. quod si crimen falsum est, tum, Naso dicit, eum etiam inter Poetarum umbras Tibullo occursurum. si verò verum sit crimen, eum removeri vult a Tibulli aspectu.* Mihi certum est, *temerati amici* nomine, Principem ipsum ab Ovidio significari. Gallum enim Augustus in amicissimus olim numeraverat: eoque demum *accusatorum denuntiationibus & senatusconsultis ad necem compulso, laudavit quidem pietatem tantopere pro se indignantium: ceterum & illacrimavit, & vicem suam conquestus est, quod sibi soli non liceret* AMICIS, *quatenus vellet, irasci.* Verba sunt Suetonii in Aug. cap. *66.* Cornelius Gallus Forojuliensis, equestri loco natus, Ægypti præfectus, ille est dubio procul, qui Cytheridem libertam Volumnii, meretriculam, dilexit, & quatuor Amorum libris, qui perierunt, celebravit, Lycoridem appellans. Hæc autem eo spreto Antonium secuta est in castra. Amicus fuit Virgilii summus; & ipsius nomine Eclogam 10. inscripsit Mantuanus poeta. Nescias autem quare Servius ad eamdem Eclogam illum vocet Cajum Asinium Gallum, tradatque, Asinii Pollionis filium fuisse; quæ sane mira, & excusationis indigna est hallucinatio. Gallus Asinius, Pollionis Asinii oratoris & historici, & M. Agrippæ nepos, Drusi Tiberii filii; cujus matrem Agrippinam a Tiberio dimissam duxit Asinius Gallus; frater uterinus, insidiatus est Claudio Principi: neque tamen morte, sed exsilio multatus; Dione Cassio teste. De Cornelio Gallo poeta sic Ammianus Marcellinus lib. 17. cap. 4. *Cornelius Gallus, Octaviano res tenente Romanas, Ægypti procurator, exhausit civitatem* (Thebas ἑκατομπύλας) *plurimis interceptis: reversusque quum furtorum arcesseretur, & populatæ provinciæ, metu Nobilitatis acriter indignatæ, cui negotium spectandum dederat Imperator, stricto incubuit ferro. Is est, si recte existimo, Gallus poeta, quem flens quodammodo in postrema Bucolicorum parte Virgilius carmine leni decantat.* Dio Cassius lib. 53. scribit, hunc Gallum ob multa in Ægypti procuratione insolenter gesta, a Largo amico delatum, & Senatus judicio infamia notatum, bonisque multatum; quæ in ærarium Augusti redacta sunt. Quum autem Gallus hæc ferre non posset, mortem sibi ipse conscivit. De caussis damnationis Cornelii Galli consule Suetonium loco memorato. Propter linguæ petulantiam, qua & Augustum lædere non dubitabat, periisse indicat Ovidius lib. 2. Trist. v. 223.

Nec fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo;
Sed linguam nimio non tenuisse mero.

Fatale autem fuit etiam doctissimis Criticorum, quum agerent de viris eo cognomine præditis, in pudendos errores incidere. Isaacus Casaubonus ad Strabonis librum 16. & ad Suetonium in Augusto, duos Gallos confundit. Quum enim verè scripsisset, Cornelium Gallum fuisse primum Ægypti ὕπαρχον, eum tamen ab Ælio Gallo non distinguit Strabonis amico, de quo Strabo lib. 2. pag. 118. Sed Ælius Gallus, qui primus Romanorum in Arabiam signa intulit, tertius fuit Ægypti præfectus, quum Petronius fuisset secundus. Vide Strabonem lib. 17. pag. 819. qui manifeste distinguit; item Josephum Antiquit. Judaic. lib. 15. cap. 9. Plinium H. N. lib. 6. capp. 28. & 29. Galenum lib. 2. de Antidotis. *Ægyptus per Octavianum Augustum Imperio Romano adjecta est, præpositusque ejus factus est Cnæus Cornelius Gallus. Hunc primum Ægyptus Romanum judicem habuit.* Ita Eu-

Et quæcumque fuper difperfa invenerit offa
Montibus Etrufcis, hæc fciat effe mea.

El-

Eutropius lib. 7. cap. 7. Porro Gerardos Joannes Voffius lib. 2. de Hift. Græcis perperam Cafaubono affentitur. Ælius Gallus fortaffe is fuerit Jurifcoofultus quem A. Gellius commemorat lib. 16. N. A. cap. 5. qui libros exaraverat De Verborum Significatione, uti teftatur Pompejus Feftus in *poftliminium*, & in *tribunicia*; oec non Lex 57. D. de Verb. Significat. Ex hac familia prodiiffe videtur Ælia Galla, de qua Nofter Eleg. 12. lib. 3. Illud incertum relinquitur, an Gallus Propertii fodalis, ad amores & voluptates propenfior, cujus mentio fit Eleg. 5. 10. 13. & 20. hujus libri, idem fuerit ac ille propinquitatis vioculis cum Propertio conjunctus, qui bello Perufino interemtus eft, an alius ab illo plane diverfus. VULP.

ibid. PER MEDIOS EREPTUM CÆSARIS ENSES] Servatum ex mediis armis Augufti. fignificat autem *τὸ ereptum*, non tam fua virtute, quam aliena ope. Virgilius 6. Æneid.

Illum ego per flammas & mille fequentia tela
Eripui his humeris, medioque ex hofte recepi.

Ibidem: *Nate Iliacis erepte periclis*. PASS. Hic igitur Gallus diverfarum partium fuerat, & arma tulerat adverfus Auguftum. VULP.

v. 8. EFFUGERE IGNOTAS NON POTUISSE MANUS] Commiferatio ab eventu infperato. & *ignotæ manus*, latronum ignotorum, qui io mootibus Etrufcis vagabantur. *Effugere manus*: ut Cicero, de Republica, in Somnio Scipionis: *Si impias propinquorum manus effugeris*. Sic *evadere manus*. Virgilius 9. Æneid. *Noftrafne evadere, demens, Sperafti te poffe manus?* Idem 6. Æneid. paullo aliter:

Ter fruftra comprenfa manus effugit imago. PASS.

v. 9. ET QUÆCUMQUE SUPER DISPERSA INVENERIT OSSA M. E.] Acca foror fciat hic me jacere, & qoæcumque fuper Tufcis montibos offa difperfa invenerit, mea intelligat effe, ac legat, fepeliatque. Legunt nonnulli: *Ut quæcumque fuper*: at fenteotia eodem redit. Vulgati libri: *Et quicumque fuper*. nempe, quicumque e commilitonibus fuperftes. *τὸ fuper* enim hoc fignificat. Virgilius 3. Æneid.

O mihi fola mei fuper Aftyanactis imago.

Valerius Flaccus: *Nec fpes ulla fuper*. Statius lib. 11. Thebaid. *Quid enim mifero fuper unicus Hæmon?* PASS. *Quæcumque*, etiam Donza legendum pronuntiavit, Schediafm. fuccidan. p. 65. Hunc ego Gallum, qui fuerit, nondum invenire potui. neque poteft idem effe ille, cujus jam ante facta eft mentio: quom hic Perufino bello perierit, ille autem prior floruerit jam conftitutâ ab Augufto republica. ita certe nos credere jubet totus hic liber primus. Vid. Pafferatius p. 241. BROUKH. Callimachus in Lavacra Palladis, v. 115.

Τὰ δ' υἱέος ὀστία μάτηρ
Δέξεται, δρυμὼς πάντας ἐπερχομένα.
At filii offa mater
Recipiet, filvis omnibus pererratis. VULP.

v. 10. MONTIBUS ETRUSCIS] Apennini juga videtur fignificare: nam iis munita Etruria. Vide Salluftium in Catilina fub finem, ubi oftendit, eam regionem montofam effe, & per montes afperos iter quæfitum a Catilina io Galliam; fed prohibitum. PASS.

ibid. HÆC SCIAT ESSE MEA] Hæc omnia inculcat Gallos commilitoni, ne intumulatus jaceat, cogaturque centum aonos errare, antequam cymba Charontis ad ulteriorem Erebi ripam tranfvehatur; quod vel pueri norunt ex lib. 6. Æneidos. Quamobrem Iliados χ. Hector precatur Achillem victorem:

Σῶμα δὲ οἴκαδ' ἐμὸν δόμεναι πάλιν, ὄφρα πυρός με
Τρῶες καὶ Τρώων ἄλοχοι λελάχωσι θανόντα.
Corpus autem domum meum reddite, ut rogi me
Trojani & Trojanorum uxores participem faciant mortuum.

ad quem Homeri locum adludit Virgilius 12. Æneid.

Et me, feu corpus fpoliatum lumine mavis,
Redde meis.

Præcipue vero cupiebant in patria fepeliri, quod votom frequentiffimum fuit Ovidio in Sarmatia exfulanti. Illum videfis. V.

Ar-

ELEGIA XXII.

QUalis, & unde genus, qui sint mihi, Tulle, penates,
Quæris pro nostra semper amicitia.

Si

ARGUMENTUM ELEGIÆ XXII. LIBRI I.] Ad Tullum, de patria sua. VULP.

A Tullo exorsus hunc librum in eodem definit, ut ei dicatus videatur liber, quem unicum scribere constituerat, & qui propterea *monobiblos* in veteri codice inscribitur. Sic Horatius claudit librum primum Epistolarum, quem singularem esse voluerat; ubi quis, qualis sit, & quo natus patre, quaque ætate, docet. PASS.

v. 1. QUALIS, ET UNDE GENUS] Quo sim patre, quaque patria. Videtur *qualis* positum, pro quis: ut contra quæ, pro qualis in eo versu:

Ultima talis eris quæ mea prima fides.

Plautus Aulul. 2, 4. *Ego te & tu me qualis sis scis.* id est qui sis. Horatius pariter Epodo 5. *Quale non perfectius;* pro quali, id est quo. An *qualis genus*, pro quali genere? ut Virgil. 8. Æneid. *Qui genus? unde domo?* Vetus poeta in Moreto: *Afra genus. Unde genus*, per anastrophen *genus unde*. Virgilius 1. Æneid. *Genus unde Latinum.* & lib. 8. *Laurentes Nymphæ, genus amnibus unde est.* Genus autem ostendit commemorando propinquum Gallum. PASS. Illud Horatii simile Epist. 7. lib. 1.

Abi, quære, & refer: Unde domo, quis,
Cujus fortunæ, quo sit patre, quove patrono.

Sic & Virgilius 8. Æneid. 114.

Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis,
an arma?

Princeps autem Homerus lib. 19. Odysseæ 105.

Τίς; πόθεν εἰς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις,
ἠδὲ τοκῆες;

Hæc interrogatio apud Nostrum amici hominis est & curiosi: aliàs contemtum quemdam significat; ut recte animadvertit vir harum litterarum scientissimus Petrus Burmannus ad illa verba Phyllidis Ovidianæ

Hei mihi, si quæ sim Phyllis, & unde, rogas. VULP.

Ita solebant scriptores libris a se emissis addere patriam suam, genus, ætatem, fortunas, &c. V. Horatius 1. Epist. 20. v. 20. Virgilius 4. Georg. 559. Ovidius II. & III. Art. Amat. Lucius Septimius L. 5. C. 17. Sabinus ipso fine Cæsar. Germanicor. Vid. Cerda in Virgil. T. 1. p. 563. seq. BROUKH.

ibid. QUI SINT MIHI, TULLE, PENATES] Quæ domus, familia, lares patrii. Penates alii publici sunt, alii privati. inde κατὰ μεταφορὰν modo penates pro patria sumuntur, ut 8. Æneid.

Hic tibi certa domus, certi, ne absiste, penates;

modo, pro domo cujusque. Idem ibidem:

Ingredere, & nostris succede penatibus, hospes.
PASS.

v. 2. QUÆRIS] Scire cupis. Delectatur Noster hoc initio; ut Eleg. 1. & 31. lib. 2. & 12. lib. 3. PASS. Huc pertinet illud Ciceronis ad M. Brutum Epist. 11. lib. 13. ad Famil. *Quia semper animadverti, studiose te operam dare, ut nequid meorum tibi esset ignotum, propterea non dubito quin scias non solum cujus municipii sim, sed etiam quam diligenter soleam meos municipes Arpinates tueri.* VULP.

ibid. PRO NOSTRA SEMPER AMICITIA] Ut perpetua nostra postulat amicitia. Sic Eleg. 20. supra:

Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore. P.

Ita & Sallustius B. Jugurth. cap. 9. *Tibi quidem pro nostra amicitia gratulor.* VULP.

ibid. SEMPER AMICITIA] Juncto verbo, ut apud Nostrum haud raro: *Semperamore, semperamantis, semperamicus, semperfuror, sempercupidus.* Terentius Andria 1, 2. *Heri semper-lenitas Mirabar quorsum evaderet.* Lucretius lib. 1. *semper-florentis Homeri.* Ovidius 4. Fast.

Sospes eas semperque parens: mihi filia rapta est.

Virgilius Ecl. 1. *Namque erit ille mihi semper-deus.* Ita Græcis ἀείλαλος, ἀειλαμπής, ἀειμνηστος, ἀείρροος, ἀείφυλλος. Et Dio Cassius ἀειπαρθένους Ἑστιάδας, vocat Vestales perpetuo-

vir-

Si Perufina tibi patriæ funt nota fepultæ
  Italiæ duris funera temporibus,
Quum Romana fuos egit difcordia cives:
  (Sis mihi præcipue pulvis Etrufca dolor.
Tu projecta mei perpeffa es membra propinqui,
  Tu nullo miferi contegis offa folo:)

Pro-

virgines. Illud celeberrimum Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται. *Cretenfes femper-mendaces*. PASS. Virgilius quoque 1. Æneid. *O focii, neque enim ignari fumus ante-malorum*. Et Plautus Amphitr. 2, 2, 138. *Tu, Theffala, intus-pateram proferto foras*. id eft, pateram quæ fervatur intus. Idem Pœnulo 3, 4, 15. *Rem adverfus populi fæpe-leges*. Et Perfa 3, 1, 57. *Nunc-hominum mores*; id eft, hominum qui nunc vivunt. VULP.

v. 3. SI PERUSINA TIBI PATRIÆ SUNT NOTA SEPULTÆ I. D. F. T.] Si nofti Perufiam, & meminifti Perufinum bellum, quo patria mea exftincta eft. De Perufino bello adverfus L. Antonium Triumvirum, & Perufia fame coacta ad deditionem & incenfa, legi poffunt Appianus lib. 5. Bell. Civil. Suetonius in Augufto cap. 14. & 15. & Dio lib. 48. Nofter Eleg. 1. lib. 2.

Everfofque focos antiquæ gentis Etrufcæ.

Sepultæ, legit Scaliger ex conjectura, quæ lectio eft in veteri libro Memmii. ordo autem fyntaxeos eft: Si nota tibi funt funera Perufina patriæ fepultæ duris temporibus Italiæ. *Sepulta patria*; ut Virgilius 2. Æneid. *Urbem vino, fomnoque fepultam*. & Catullus Carm. 67.

Tecum una tota eft noftra fepulta domus. PASS.

Idem eodem Carmine:

Troja (nefas) commune fepulcrum Afiæ Europæque.

Legunt alii: *patriæ funt nota fepulcra*. VULP. *Patriæ fepultæ funera*. Romam fortaffe fignificat, patriam Tulli. De illa certe Eleg. 22. l. 3.

Hæc tibi, Tulle, parens, hæc eft pulcherrima fedes:
Hic tibi pro digna gente petendus honos.

Plurimi enim Romani cives, & iccirco patriæ Tulli magna pars, Perufino bello interfecti fuerant. Eodem pacto dixit Eleg. 1. lib. 2. *civilia bufta Philippos*. VULP.

v. 4. ITALIÆ DURIS FUNERA TEMPORIBUS] Id eft, peftiferæ clades. *Trojæ funera* dixerunt Lucretius & Horatius: Nofter vero Eleg. 7. lib. 2.

His Trojana vides funera principiis.

Cicero pro Domo fua, *funere elatam rempublicam*. *Duris temporibus*, afperis, difficillimis. ut *ætatis tempora dura*, Eleg. 7. fupra: Ovidius lib. 3. Trift. Eleg. 4.

O mihi care quidem femper, fed tempore duro
Cognite, res poftquam procubuere meæ. P.

Italiæ funera. Eodem pacto Cicero Orat. de Provinciis Confularibus: *Mihi ipfi omnino perhonorificum, difceffum meum funus dici reipublicæ*. Duris temporibus. Cicero pro Balbo: *Duris quondam temporibus reipublicæ noftræ*. V.

v. 5. QUUM ROMANA SUOS EGIT DISCORDIA CIVES] Seditio, five civilis Enyo, incitavit & impulit in mutuam perniciem. *Agere*, vexare, ftimulare. ut Eleg. 13. fupra, *Te tuus ardor aget*. vide illic adnotata. Horatius de hujufmodi difcordiis Epodo 7.

Sic eft, acerba fata Romanos agunt.

Virgilius Ecl. 1. *En quo difcordia cives Produxit miferos!* PASS.

v. 6. SIS MIHI DOLOR] Effe debeas. P.

ibid. MIHI PRÆCIPUE] Quum aliis multis, tum mihi maxime. PASS.

ibid. PULVIS ETRUSCA] Averfio fermonis ad ipfam Etruriam terram, de qua conqueritur, & miferatio ab allocutione rei mutæ; ut Eleg. 18. fupra; *Divini fontes, & frigida rupes*. *Pulvis* genere feminino, ut Eleg. 14. lib. 2. *Qui nunc jacet arida pulvis*. Ennius apud Nonium: *Pulvis fulva volat*. *Pulvis*, terra, præfertim aridior. Horatius Ode 6. lib. 4. *Pofuitque collum in pulvere Teucro*. Ira Græcis κονίασαλος. *Dolor*, doloris cauffa. ut dictum Eleg. 14. fupra v. 18. PASS. Talis illa Catulli parenthefis Carm. 64.

Namque mei nuper Lesbeo gurgite fratris, &c.

propiufque ad rem præfentem, Carm. 67.

Quamet & id noftro letum miferabile fratri
Adtulit. VULP.

v. 7. TU PROJECTA MEI PERPESSA ES MEMBRA

Proxima ſuppoſito contingens Umbria campo
Me genuit, terris fertilis uberibus.

bra propinqui] Siviſti jacere diſperſos & inſepultos artus Galli. *Tu perpeſſa es*. quid faceret? dicat aliquis. tegat mortuum ſponte ſua. ut Eleg. 5. lib. 3.

Reddite corpus humo: poſitaque in gurgite vita,
Patum ſponte ſua, vilis arena, tegat.

& *perpeſſa*, dictum ut Eleg. 19. ſupra: *Tellus hoc ita juſta ſinat*. An *perpeſſa es*, ut Eleg. 8. hujus libri:

Nec me deſerum vacua patiaris arena.

pro, ſis in cauſſa? *Projecta membra*, tamquam vilia & inviſa. Virgilius Ecl. *Projectâ vilior algâ*. Cicero lib. 1. de Divinat. *Simonides ignotum quemdam projectum mortuum quum vidiſſet, inhumavit*. Et ibidem rurſus: *Is* (Alcibiades) *quum eſſet projectus inhumatus, amica corpus ejus texit ſuo pallio*: Idem 1. Tuſcul. *Diogenes projici ſe juſſit inhumatum*. Propinqui autem ſunt, qui propius quodam cognationis gradu ſe contingunt. Pass. Catullus Carm. 41. *Propinqui quibus eſt puella curæ*. Vulp. *Tu projecta* &c. quod erat miſerrimum: debitum tamen illi, qui arma contra patriam tuliſſet. Cicero Philipp. 14. C. 13. *Gauderentque potius, quum multa & varia impenderent hominibus genera mortis, id genus, quod eſſet pulcherrimum, ſuis obtigiſſe, eoſque nec inhumatos eſſe, nec deſertos, quod tamen ipſum pro patria non miſerandum putatur*. aliter hic ſe habuiſſe res videtur. Broukh.

v. 8. Tu nullo miseri contegis ossa solo] Ne exigua quidem humo, vel pulveris particula operis, vel, ut ait Cicero, operimento terræ obducis. *Miseri*, mortui acerba morte, occiſi a latronibus, deinde projecti ſine ſepulcri honore. Nam & felices aliquando mortuos vocamus. *Contegis oſſa ſolo*; periphraſis inhumationis: nam humatus proprie humo tectus. *Pulvis ſolo. διὰ τὸ ὑλῶς*. P.

v. 9. Proxima supposito contingens Umbria campo] Si *contingens*, pro, contigua, ut pertingens dicitur, nomen erit, & *proxima*, pro proxime, ut adnotatum ad Eleg. ſuperiorem v. 4. Si *contingens* jungitur cum *proxima*, ut ſit quartus caſus numeri multitudinis, neutro genere, participium erit; eodem tamen ſenſu. Umbria, inquit, proxima Peruſiæ ruinis, quæ jacet in campo ſubjecto Ameriæ, ubi Mevania me genuit. Eleg. 1. lib. 4.

Qua nebuloſa cavo rorat Mevania campo.

Ibi *cavus campus*, hic *ſuppoſitus*. Ibidem:

Scandentes ſi quis cernat de vallibus arces,
Ingenio muros æſtimet ille meo. Pass.

ibid. Umbria me genuit] Idem teſtatur Eleg. 1. lib. 4.

Ut noſtris tumefacta ſuperbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.

Plinius lib. 3. H. N. cap. 14. Umbriam locat in ſexta regione Italiæ: & Umbrorum gentem Italiæ antiquiſſimam exiſtimatam ait; Umbroſque dictos quaſi ὀμβρίους, quia inundatione terrarum imbribus ſuperfuiſſent. Strabo lib. 3. Umbros ſitos eſſe ſcribit in medio Sabinorum & Tuſcorum. Patria autem parens eſt antiquior, unde etiam gignere nos dicitur. Cicero lib. 2. de Legibus: *Dulcis es* (patria) *quæ genuit, non minus quam illa quæ excepit*. Virgilius in Catalectis: *Mantua me genuit*. Pass. Vide quæ afferimus de Vita Propertii, in Prolegomenis. V.

v. 10. Terris fertilis uberibus] Pingui ſolo, fecundoque. Umbria regio fertilis, unde *homines Umbri*, pingues. Catullus Carm. 39.

Aut porcus Umber, aut obeſus Etruſcus.

Plautus in Milite ſuam hanc patriam ſic irridet:

Poſtea ſum Ephesi natus, non ſum natus in Umbria.

id eſt, non ſum ſenex mucoſus ac ſordidus. *Uberes terræ*, pingues, fecundæ. Servius in 1. Æneid. *Uber*, inquit, *proprie eſt fecunditas*. Virgilius 7. Æneid. *Divitis uber agri*, pro fertilitas. Hinc dicta *ubera* mulierum, & aliarum animantium a fecunditate & copia lactis. & *ubertim*, affatim, copioſe. *Fertilis uberibus terris*; ut Virgilius 2. Georg.

Quique frequens herbis, & fertilis ubere campus. Pass.

SEX. AURELII PROPERTII

LIBER SECUNDUS.

ELEGIA PRIMA.

QUæritis unde mihi toties ſcribantur amores?
Unde meus veniat mollis in ora liber?
Non hæc Calliope, non hæc mihi cantat Apollo.
Ingenium nobis ipſa puella facit.

ARGUMENTUM ELEGIÆ I. LIBRI II.] Ad Mæcenatem: Se Cynthiæ amoribus irretitum levia tantum argumenta & nugacia Elegis perſequi poſſe, Heroico autem carmini ſcribendo minime parem eſſe. VULP.

v. 1. QUÆRITIS] Scire vultis. Eodem plane modo exorſus eſt Ovidius librum 5. Faſtorum:

Quæritis unde putem Maje data nomina menſi?
Non ſatis eſt liquide cognita cauſſa mihi.

Noſter ſupra Eleg.ult. lib.1.Catullus Carm.7.

Quæris quot mihi baſiationes
Tuæ, Lesbia, ſint ſatis ſuperque? PASS.

Hunc Propertii locum preſſius imitatur Sulmonenſis poeta lib. 5. Triſt. Eleg. 1.

Si tamen e vobis aliquis tam multa requiret
Unde dolenda canam: multa dolenda tuli.
Non hæc ingenio, non hæc componimus arte.
Materia eſt propriis ingenioſa malis.

Propertius vero a ſe ipſo non abit Eleg. 13. lib. 3.

Quæritis unde avidis nox ſit pretioſa puellis,
Et Venere exhauſtæ damna querantur opes?

Neque Eleg. 22. lib. hujus:

Quæris, Demophoon, cur ſim tam mollis in omnes?

Vide & Epigramma 8. Liberi Carminis. V. ibid. UNDE MIHI TOTIES SCRIBANTUR AMORES] A me canantur & componantur verſus amatorii. *Toties*. ut Eleg. 3. hujus libri:

Vix unum potes infelix requieſcere menſem;
Et turpis de te jam liber alter erit.

Sive *Scribantur*. ut Eleg. 10. infra:

Bella canam, quando ſcripta puella mea eſt.

Donatus in Prologum Andriæ: *Scribit proprie, qui verba adhibet tantum: facit, qui etiam argumentum componit. Ita, ſcribit Terentius; facit Menander.* Ideo hic ſubjicit, *facit ingenium*, quia argumentum præbet. PASS.

v. 2. UNDE MEUS VENIAT MOLLIS IN ORA LIBER?] Legatur & canatur ab omnibus, vulgo circumferatur, ſit in manibus. Ipſe Eleg. 1. lib. 3.

Majus ab exſequiis nomen in ora venit.

& Eleg. 8. lib. ejuſdem: *Venies tu quoque in ora virûm.* Horatius Epiſt. 3. lib. 1.

Quid Titius, Romana brevi venturus in ora?

Catullus quoque Carm. 40.

Anne ut pervenias in ora vulgi?

Idem eſt Virgilio & Ennio: *Virûm volitare per ora.* *Mollis liber*, tener, laſcivus, infractis numeris. Ovidius lib. 2. Triſt.

Sic ego delicias & mollia carmina feci.

Cicero lib. 1. de Divinat. *O poema tenerum, moratum, atque molle!* Contra Eleg. ult. hujus libri v. 44. Epicus poeta *durus* dicitur. PASS.

v. 3. NON HÆC CALLIOPE, NON HÆC MIHI CANTAT APOLLO] παλιλογία. ut Ovidius lib. 5. Triſt. Eleg. 1.

Non hæc ingenio, non hæc componimus arte.

καλλιέω, venuſto, &c. unde Calliope dicta, ut ait Phurnutus, quod ſuavi voce ac ſermone ſit. Noſter Eleg. 3. lib. 3. fingit,

Sive togis illam fulgentem incedere Cois,
Hoc totum e Coa veste volumen erit:

Seu

git, Calliopen ipsum hortari ad amores scribendos; ubi sic Elegiam claudit:

Talia Calliope; lymphisque e fonte petitis
Ora Philetea nostra rigavit aqua.

De Apolline autem Eleg. 1. lib. 4.

Tum tibi pauco suo de carmine dictat Apollo.

Tibullus quoque Carm. 1. lib. 4.

Ipse mihi non si præscribat carmina Phœbus.

ubi *præscribat*, ut hic *cantet*, id est, cantando præcipit, & præit canenti. PASS.

v. 4. INGENIUM NOBIS IPSA PUELLA FACIT] Amica Cynthia ingeniosum me reddit; mihi varia suggerit argumenta scribendi. Martialis Epigr. 4. lib. 12.

Tu facis ingenium; tu, si quid posse videmur.

& Epigr. 72. lib. 8.

Ingenium Galli pulchra Lycoris erat.

Ovidius Epist. Acontii:

Sollertem tu me sola puella facis.

Vide, si lubet, Agathonis verba de hac re in Symposio Platonis, prope finem. PASS. Huc pertinet Idyllium 4. Bionis Zmyrnæi, quod ita concluditur:

Ἦν δ' αὖτ' ἐς τὸν Ἔρωτα καὶ ἐς Λυκίδαν τι μελίσδω,
Καὶ τόκα μοι χαίροισα διὰ στόματος ῥέεν ὠδά.
Rursum quum in Amorem vel in Lycidam aliquid modulor,
Tunc mihi lætum ore carmen profluit. VULP.

v. 5. SIVE TOGIS ILLAM FULGENTEM INCEDERE COIS] Ita Ovidius lib. 2. A. A.

Sive erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus:
Sive erit in Cois, Coa decere puta.

nempe vestimenta Coa. *Fulgentem incedere*, cum fulgore purpuræ per vias ingredi. Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 2.

Hic qui Sidonio fulget sublimis in ostro.

Vide τηλαυγὴς in Veteri Glossario. Incessus autem, gravitatis est & ostentationis; ut Eleg. 13. lib. 3.

Matrona incedit census induta nepotum.

adnotatum ad Eleg. 2. lib. 1. v. 1. Toga, meretricum fuit. Vide Martialem Epigr. 39. lib. 2. Tibullus Carm. 10. lib. 4.

Sit tibi cura togæ potior, pressumque quasillo
Scortum, quam Servi filia Sulpicia.

Et Porphyrio, vetus Interpres Horatii, deprehensas in adulterio matronas scribit induere togam. *Coæ vestes*, famosarum mulierum, ut notat Scaliger. Noster Elegia 2. lib. 4.

Indue me Cois; fiam non dura puella.

hoc est, non tetrica, non difficilis, verum parata & exposita. PASS. Cave ne auscultes, mi lector, Jano Broukhusio legenti:

Sive illam Cois fulgentem incedere totis;

quod se ex vetustis codicibus eruere profitetur. Apage versum tam absurdum & Propertio indignum. At solæ meretrices & mœchæ damnatæ gerebant togam. Damus id libenter: verum Cynthia, quamvis claro genere nata, meretricio tamen vitæ genere & quæstu delectabatur. Manifestum vel ex Elegia 6. hujus libri:

Non ita complebant Ephyreæ Laïdos ædes,
Ad cujus jacuit Græcia tota fores.

Deinde Cynthiam ipsis Thaïdi & Phrynæ, scortis famosis, nequitia & numero scortatorum ventitantium, præponit. Dixerat superius Eleg. 5.

Hoc verum est tota te ferri, Cynthia, Roma,
Et non ignota vivere nequitia?

ubi τὸ *verum* significat æquum, justum, decens; ut apud Horatium lib. 1. Epist. 7.

Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.

Avaritiam, meretricum propriam, objicit eidem Cynthiæ Eleg. 16. ejusdem libri:

Cynthia non sequitur fasces, non quærit honores:
Semper amatorum ponderat illa sinus.

Quid mirum igitur si puella impudica & famosa togam sumat, vestem huic generi convenientem? *Fulgentem* dixit, quod vestes Coæ interdum purpureæ, semper pellucidæ essent. Purpura Tyria late splendebat, præsertim Solis radiis objecta. Noster Eleg. 3. lib. 4. *Quo Parnis tibi purpura fulgeat ostris.* Ovidius pariter Epist. Oenones v. 65. *In summa fulsit mihi purpura prora.* Vide quæ attulimus ad Catullum Carm. 63. v. 49. *Coæ purpuras* memorat Venusinus poeta Ode 13. lib. 4. nempe vestes purpureas:

Nec Coæ referunt jam tibi purpuræ,
Nec cari lapides tempora.

Immerito igitur Broukhusius Passeratium verbis acerbioribus hoc loco perstringit:

Bel-

Seu vidi ad frontem ſparſos errare capillos,
　Gaudet laudatis ire ſuperba comis:
Sive lyræ carmen digitis percuſſit eburnis,
　Miramur, faciles ut premat arte manus.

Seu

Belliſſimum iſtud fulgentem *Pſſeratius ſatis inepte ad purpuram traxit*. Nolim tamen pernegare, vocem illam *referri poſſe ad ipſum corpus Cynthiæ, candidum, ſolidum, ac ſucci plenum*; quod cenſet idem Broukhuſius. Sane Martialis Epigr. 68. lib. 8.

Femineum lucet ſic per bombycina corpus:
Calculus in nitido ſic numeratur aqua.

Et Plinius lib. 6. H. N. cap 17. *Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, ut in publico matrona tranſluceat*. Verum & ipſa veſtis Coa, quamvis purpurea non ſemper eſſet, lucebat propter ſericum, ſeu fila bombycis, ex quibus eam contexebant. Noſter iccirco Eleg. 3. hujus libri:

Nec ſi qua Arabio lucet bombyce puella. VULP.

v. 6. HOC TOTUM E COA VESTE VOLUMEN ERIT] Totum librum implebo laudibus Coæ veſtis. & eſt ἐνάρωσις & ἐναλλαγὴ numerorum in *veſte*, quia præceſſit, *tegis*. PASS.

v. 7. SEU VIDI AD FRONTEM SPARSOS ERRARE CAPILLOS] Paſſos circa frontem crines vagari. Noſter Eleg. 23. infra:

Sive vagi crines puris in frontibus errant,
Indica quos medio vertice gemma tenet.

& Eleg. 3. infra:

Nec de more comæ per lævia colla fluentes.

Appulejus lib. 5. Aſini: *Antependulos crines* vocat. ubi dormientem pingit Cupidinem. Feſtus: *Antiæ, muliebres capilli demiſſi in frontem*. PASS.

v. 8. GAUDET LAUDATIS IRE SUPERBA COMIS] Geſtit conſpici, magnifice incedit, ſuperbiens ob comas meo carmine celebratas. Adludit ad pavonis naturam, qui laudatus ſuperbit, & gemmantes alas explicat. unde Ovidius lib. 13. Metam. in fabula Polyphemi: *Laudato pavone ſuperbior*. & in libello De Medicamine Faciei:

Laudatas homini volucris Junonia pennas
Explicat, & formâ muta ſuperbit avis.

Eodem adludit & Ovidius in Epiſt. Cydippes:

Hæc nobis formæ te laudatore ſuperbæ
Contingit merces. PASS.

Ire ſuperba. Dantes Alighetius Inferni Cantu 9. hoc dixit de vento vehementius flante:

Dinanzi polveroſo va ſuperbo.

Laudatis comis. Gaudent adeo mulieres comas laudari ſuas, ut Stratonice Seleuci regis uxor, quamquam ex morbo calva erat, talentum poetis mercedem propoſuerit, quo donandus eſſet qui comam ejus eleganti præ aliis carmine celebraviſſet. neque defuerunt qui conditionem acciperent. Id refert Lucianus ὑπὲρ τῶν εἰκόνων. VULP.

v. 9. SIVE LYRÆ CARMEN DIGITIS PERCUSSIT EBURNIS] Laus propria Cynthiæ; ut Eleg. 2. lib. 1.

Quum tibi præcipue Phœbus ſua carmina donet,
Aoniamque libens Calliopea lyram.

Et Eleg. 3. hujus libri:

Et quantum Æolio quum tentat carmina plectro
Par Aganippeæ ludere docta lyræ.

Lyra autem vel digitis, vel pectine ſeu plectro pulſatur. digitis, ut Eleg. ult. infra:

Tale facis carmen docta teſtudine, quale
Cynthius impoſitis temperat articulis.

plectro, ut Eleg. 3. infra, *Tentat carmina plectro*. Virgilius 6. Æneid. de Orpheo:

Jamque eadem digitis, jam pectine pulſat eburno.

ubi, *eadem pulſat*, valet eadem canit, ut hic, *percuſſit carmen*, id eſt percuſſis fidibus cecinit. Sic Ovidius lib. 4. Triſt. Eleg. ult.

Et tenuit noſtras numeroſus Horatius aures
Dum ferit Auſoniâ carmina culta lyrâ.

T. Calpurnius pariter Ecloga 4.

Seu cantare juvat, ſeu ter pede læta ferire
Carmina.

Et ad lyram carmina componuntur. Fabius Quintil. lib. 1. Inſtit. Orat. cap. 17. *Lyræ carmen*, hoc eſt lyricum. ut Eleg. 3. lib. 1. *Orpheæ carmine feſſa lyræ*. & Eleg. 6. l. 4.

Aut teſtudineæ carmen inerme lyræ. P.

Lyræ carmen digitis percuſſit eburnis. Horatius quoque Ode 6. lib. 4. *Lesbium ſervate pedem, meique Pollicis ictum*. Pedo Albinovanus Eleg. in obitum Mæcenatis:

Bb 2　　Actius

Seu quum poſcentes ſomnum declinat ocellos,
Invenio cauſſas mille poeta novas.

Seu

Actius ipſe lyram plectro percuſſit eburno,
Poſtquam victrices conticuere tubæ.

Valerius Flaccus lib. 5. Argonaut.

Carmina quin etiam viſos placantia manes
Odryſius dum vite movet, mixtoque ſonantem
Percutit ore lyram.

quod poſtremum quaſi expoſitio eſt noſtri poetæ, Cynthiam ſimul voce canere, ſimul digitis fides carpere innuentis. BROUKH. *Lyræ carmen percuſſit*. nimirum lyræ chordis percutiendis carmen effecit. Similis huic eſt locutio illa, frequens in libris hiſtoricorum, *Fœdus icere;* quod ſcilicet ſancirent fœdus icto ſeu percuſſo porco ſaxo ſilice. Fuit quum ſuſpicarer, in hoc verſu Propertii *carmen* eſſe plectrum ipſum, ſive pectinem, quo pulſabantur fides. Vocabant enim *carmen* inſtrumentum etiam illud quo lanam purgabant, a carendo, ſeu putando, quaſi *carimen;* idemque dicebant *pectinem*. Lucretius lib. 4. v. 376. *Quaſi carmine lana trahatur*. Inde *carminare*, pectere; & *carminatio*. Exiſtimo autem hanc fuiſſe primam hujus vocabuli ſignificationem; quod poſtea, ob quamdam ſimilitudinem, translatum fuerit ad ſignificandum lyræ pectinem, ac verſum ipſum lyricum & cantionem. Propterea Sidonius Epiſt. 9. lib. 1. *Eſſeras*, inquit, *veterem Muſam, votivum quippiam vel tumultariis fidibus carminantem*. Hanc explicationem ſi accipimus, ita dictum fuerit, *lyræ carmen*, ſive plectrum, *percuſſit*, ut apud Horatium Sat. 10. lib. 1. 42. *Pollio regum Facta canit pede ter percuſſo:* καθ' ὑπαλλαγὴν: pes enim proprie terram percutit, non ipſe percutitur a canente, ſeu cantum alienum moderante. Verum de hac re tota judicium relinquo doctioribus. VULP.

v. 10. MIRAMUR] Admirationem ſcilicet noſtram carmine aliquo compoſito profitemur. VULP.

ibid. FACILES UT PREMAT ARTE MANUS] An contrahat inflectendo, ut ſint quaſi uncæ manus carpendis fidibus? Sic apud Plinium, *premere pollicem*, in favendo. & Virgilius, *premere habenas*, contrahere lora. An *premat faciles*. id eſt, leviter tangat, & incumbat digitis? ut Eleg. 10. lib. 3.

Et nitidas preſſo pollice finge comas.

Faciles manus, habiles. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 4.

Hæc querulas habili percurrit pollice chordas.

vulgo *ſouples*. Appulejus lib. 8. Aſini: *Ipſam beſtiam facili manu tranſadiit, quo faciebat quæ vellet*. Virgilius 8. Æneid.

Miratur, facileſque oculos fert omnia circum.

id eſt, *mobiles*, inquit Servius. PASS. *Faciles manus*. peritas, & quæ longa exercitatione artem ac facultatem pulſandi lyram ſibi comparavere. Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

Ipſe feram teneras maturo tempore vites
Ruſticus, & facili grandia poma manu.

V. *Premere manus*, Aſconio Pediano eſt *chordas carpere*. in 1. Verrin. *Quum canunt citharistæ, utriuſque manus funguntur officio. dextra plectro utitur: & hoc eſt, foris canere. ſiniſtra digitis chordas carpit: & hoc eſt, intus canere*. BROUKH.

v. 11. POSCENTES SOMNUM DECLINAT OCELLOS] Ita reſtituit Scaliger ex veteri libro; quum antea legeretur *ſomnus*. ut Eleg. 10. lib. 1.

Quamvis labentes premeret mihi ſomnus ocellos.

Poſcentes ocellos. permutatio ſignificationis. nam annuere, innuere & connivere pro poſcere, & *poſcere*, pro connivere & innuere. Appulejus lib. 10. A. A. *Ciliis alterna conniveus bibere flagitarem*. & 3. Floridorum. Calvus apud Priſcianum lib. 9.

Quum gravis ingenti connivere pupula ſomno.

Noſter Eleg. 10. lib. 3.

Surge, & poſcentes juſta precare deos.

Declinat ocellos. inflectit ad quietem, claudit paullatim. PASS. Ipſa puella *declinat ocellos*, non ſomnus. Ita Virgilius 4. Æneid. *Nec dulci declinat lumina ſomno*. VULP.

v. 12. INVENIO CAUSSAS MILLE POETA NOVAS] Plurima ſe mihi offerunt argumenta ſcribendi. *Invenio poeta*. Poetarum enim, etiam magis quam Rhetorum, eſt invenire. unde Plautus Aſinaria: *Tu poeta es ad eam rem unicus*. id eſt, εὑρέτης, inventor fingendis dolis. PASS.

v. 13.

Seu nuda erepto mecum luctatur amictu,
  Tunc vero longas condimus Iliadas.
Seu quidquid fecit, sive est quodcumque locuta,
  Maxima de nihilo nascitur historia.
Quod mihi si tantum, Mæcenas, fata dedissent,
  Ut possem heroas ducere in arma manus:

Non

v. 13. NUDA MECUM LUCTATUR] Certat in Veneris palæstra, *ubi dammis desudascitur*, inquit Plautus Bacchid. 1, 1. Sic Eleg. 15. hujus libri: *Nudatis mecum est luctata papillis*. Appulejus lib. 9. A. A. dixit *Venereis colluctationibus operari*. PASS.

ibid. EREPTO AMICTU] Veste, tunica. Ovidius 1. Amor. Eleg. 5.

Deripui tunicam; nec multum rara nocebat.

Amictus, inquit Varro 4. de L. L. *a circumjiciendo*. Unde Noster Eleg. 29. lib. 2.

Atque ita me injecto duxerunt rursus amictu. PASS.

v. 14. TUNC VERO LONGAS CONDIMUS ILIADAS] Tum maxime scribimus & componimus opus longum, & XXIV. voluminum, cujusmodi est Ilias Homeri. Proverbium est apud Pollucem μακρότερα τῆς Ἰλιάδος λαλῶν. prolixiora Iliade loquens. Citat Erasmus in proverbio: *Prolixior Iliade*; sed hujus loci Propertiani non meminit. PASS. *Tunc vero*. Italice, *Oh allora sì*. *Longas Iliadas*. Homeri majus poema, Iliadem videlicet, Horatius *opus longum* appellare non dubitavit in Epistola ad Pisones v. 360.

Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.

Verum opere in longo fas est obrepere somnum.

Philemon Comicus multo aliter senserat; cujus de Homero judicium probatur mirifice Andreæ Dacerio, viro eximio, in Commentario Gallico ad Horatium, tomo X. pag. 348. Existimavit enim vetus ille scriptor, duas etiam syllabas tantum ab homine fatuo & inepto prolatas, longas dici posse: prudentis autem viri sermonem, tametsi diutius continuatum, prolixum dici non posse. quod confirmat Homeri exemplo. Is enim quum versuum multa millia conscripserit, a nemine reprehensus est, quod nimius esset ac prolixus in opere suo. Ipsa verba Philemonis afferam:

Τιμμιέστων δὲ τῶδε τὸν Ὅμηρον λάβε.
Οὗτος γὰρ ἡμῖν μυριάδας ἐπῶν γράφει,
Ἀλλ' οὐδεὶς Ὅμηρον εἴρηκεν μακρόν. VULP.

v. 15. SEU QUIDQUID FECIT, SIVE EST QUODCUMQUE LOCUTA] Si quid fecit, vel dixit. *Quidquid* est quid, aliquid. Cicero pro Cæcina: *Spectandum omnibus non quidquid verbis actum sit*. Et *quodcumque*, pro quidquid. Eleg. 18. lib. 1.

Et quodcumque meæ possunt narrare querelæ.

Cicero lib. 3. de Legibus: *Et quodcumque Senatus jusserit, agunto*. Similis est autem locus Tibulli lib. 4. Elegia de Sulpicia. PASS.

v. 16. MAXIMA DE NIHILO NASCITUR HISTORIA] Ex re aut verbo minimo. nam de nihilo nihil nasci ajunt Physici. Elegia 3. hujus libri:

Non sum de nihilo blandus amator ego.

& Eleg. 17. infra:

Nec sic de nihilo fulminis ira cadit.

Nasci historiam ait, ut Eleg. ult. infra:

Nescio quid majus nascitur Iliade.

Historia quævis narratio, etiam fabulosa. Ovidius in Ibin:

Utque illi, historiis involvam carmina cæcis.

Vide adnotata ad versum 14. Eleg. 15. lib. 1. PASS. *De nihilo*. Plautus Curcul. 4, 1, 17.

Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam.

Nihil, vel *nil* dicitur etiam de re minimi pretii, de angusto & exili patrimonio. Juvenalis Sat. 3. 208.

Nil habuit Codrus. quis enim negat? & tamen illud

Perdidit infelix totum nihil.

quæ ὀξυμώρου species est. *Maximam de nihilo historiam* protulit Britannus ille vates copiosus & elegans, qui ante paucos annos τὴν τοῦ βοστρύχου ἁρπαγὴν patria lingua ingeniose admodum celebravit. VULP.

v. 17. QUOD MIHI SI TANTUM, MÆCENAS, FATA DEDISSENT] Tmesis. quod si tan-

Non ego Titanas canerem, non Offan Olympo
Impofitum, ut cælo Pelion effet iter:
Non veteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri,
Xerxis & imperio bina coiffe vada:

Re-

tantum ingenii mihi tribuiffent Apollo & Parcæ. Sic Eleg. 15. infra:

Quod mihi fi fecum tales concedere noctes
Illa velit.

& Eleg. 26. hujus libri:

Quod mihi fi ponenda tuo fit corpore vita.

Vide adnotata de fato ad Eleg. 7. lib. 1. v. 4. PASS.

ibid. MÆCENAS] Vivebat Propertius in clientela & contubernio C. Cilnii Mæcenatis, Equitis Romani clariffimi, magni poetarum patroni. Vide quæ fcripfimus de Vita noftri poetæ, ac Indicem omnium verborum. VULP.

v. 18. UT POSSEM HEROAS DUCERE IN ARMA MANUS] Copias heroum ad bellum deducere verfibus meis. *Manus*, pro copiis; ut dictum ad Eleg. 20. lib. 1. v. 21. *Herous*, *a*, *um*; ut Eleg. 3. lib. 3. *Carmen heroum*. *Ducere in arma* heroas dicuntur poetæ, μεταφορικῶς. Unde Ovidius lib. 2. Trift.

Et tamen ille tuæ felix Æneidos auctor
Contulit in Tyrios arma virumque toros.

Ibidem:

Is quoque Phafiacas Argo qui duxit in undas.

nempe Varro Atacinus, qui ante Valerium Flaccum, fcripferat Argonautica. Et lib. 2. Amor. Eleg. 18.

Carmen ad iratum dum tu perducis Achillem,
Primaque juratis induis arma viris.

Sic dicitur Antimachus Thebaidos fcriptor quartum & vigefimum volumen impleviffe, antequam duces Thebas perduxiffet. Diomedes autem lib. 3. Grammaticæ: *Togatas tabernarias*, inquit, *in fcenam ductaverunt præcipue duo*, *Afranius & Titinnius*. PASS.

v. 19. NON EGO TITANAS CANEREM] Non fcriberem Titanum cum diis bellum, feu Γιγαντομαχίαν. Hefiodus in Theogonia & Apollodorus lib. 1. Cæli & Terræ primos filios fuiffe fcribit Briareum, Gyan & Cœum ἑκατόγχειρας, quos pater in tartarum dejecit: deinde procreaffe Oceanum, Cœum, Hyperionem & Iäpetum cognomento Titanas, ac noviffime Saturnum. Hos Tellus mater in Cœlum patrem incitavit, cui e regno pulfo Saturnum fuffecerunt. Is tamen eos compeditos in tartarum detrufit. Diodorus lib. 6. Lactantius lib. 1. Divin. Inftit. Virgilius 6. Æneid. Erafmus in proverbiis: *Titanicus afpectus*; *Titanibus & Crono antiquiores*; & *Titanas imploras*. PASS.

ibid. NON OSSAN OLYMPO IMPOSITUM, UT CÆLO PELION ESSET ITER] Homerus Iliados λ.

Ὄσσαν ἐπ' Οὐλύμπῳ μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ' Ὄσσῃ
Πήλιον εἰνοσίφυλλον, ἵν' οὐρανὸς ἄμβατος εἴη.

Vide Apollodorum lib. 1. Bibliothecæ. Ovidius lib. 5. Faftorum:

Exftruere hi montes ad fidera fumma parabant,
Et magnum bello follicitare Jovem.

Et lib. 3. Amor. Eleg. 1.

Quum male fe Tellus ulta eft; ingeftaque Olympo
Ardua devexum Pelion Offa tulit.

Item lib. 1. Faftorum:

Sic petitur cœlum: non ut ferat Offan Olympus,
Summaque Peliacus fidera tangat apex. P.

Inverfo tamen ordine hanc montium ftruem defcribit poeta princeps lib. 1. Georgicon. VULP.

v. 20. UT CÆLO PELION ESSET ITER] Ovidius ita locutus lib. 2. Artis Amat.

Reftat iter cælo: cælo tentabimus ire.

Virgilius 4. Georg.

Victorque volentes
Per populos dat jura, viamque affectat Olympo.

BROUKH. Locus Ovidii a Broukhufio allatus non ad rem facit. Ibi enim *cælo* eft *per cælum*, non *ad cælum*. loquitur enim Ovidius de Dædalo e Cretenfi labyrintho evolare parante. De fingulis hifce Theffaliæ montibus confule Indicem noftrum. V.

v. 21. NON VETERES THEBAS] Non canerem bellum Thebanum. *veteres*, aut re vera antiquas, & a Cadmo olim conditas in Bœotia, ut dictum Eleg. 7. lib. 1. & fic Lucretius Bello Thebano nullum antiquius litteris mandatum ait. aut *veteres*, nobi-

les.

Regnave prima Remi, aut animos Carthaginis altæ,
Cimbrorumque minas, & benefacta Marî.

Bel-

les. Dixi ad Eleg. *6.* lib. 1. v. 14. An de Ægyptiis Thebis? Ovidius lib. 15. Metam.

Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.

Sed Bœotias intelligit, quia conjungit, *Pergama*. PASS.

ibid. NEC PERGAMA NOMEN HOMERI] Nec bellum Trojanum canerem, unde Homero fama ingenii quæsita est. *Pergama*, inquit Servius, ad illud 2. Æneidos, *Trojæ sub mœnibus altis*, significat quæ altissima fuerunt; unde ut ait Æschylus, alta omnia ædificia *Pergama* dicuntur. Idem Servius alibi *Pergama* arcem ipsam interpretatur. & in librum 2. *Pergama arces Trojana, unde κατ' ἐξοχὴν omnes arces Pergama. Nomen*, pro fama & nominis celebritate; ut adnotatum Eleg. 4. lib. 1. v. 8. PASS.

V. 22. XERXIS ET IMPERIO BINA COISSE VADA] Regis Persarum nutu juncta ponte duo litora Hellesponti. Legendus Herodotus in Polymnia & Urania, Plutarchus & Cornelius Nepos in Themistocle, & Justinus lib. 2. Meminit & Lucretius lib. 2.

Ille quoque ipse viam qui quondam per mare magnum
Stravit, iterque dedit legionibus ire per altum,
At pedibus salsas docuit superare lacunas,
Ossa dedit terræ.

Lucanus quoque lib. 2. Pharsaliæ:

Tales fama canit tumidum super æquora Xerxem
Construxisse vias, multum quum pontibus ausus,
Europamque Asiæ, Sestonque admovit Abydo.

In Asia enim Abydos, in Europa Sestos. Inter utrumque oppidum spatium septem stadiorum; quod is ponte conjunxit. *Bina*, pro duo etiam disparia. Virgilius Ecl. 5.

Pocula bina novo spumantia lacte.

Plautus Milite Glor.

Cui bini custodes semper totis horis accubant.

Bina autem *vada*, duo sunt litora, Asiaticum, & Europeum, μεταφορικῶς. Ita Noster Eleg. 3. lib. 1. *Concidit in Apidano*, pro in ripa Apidani. *Coisse*, ut infra hac Elegia: *In mari membra coisse ferunt*. & Statius 1. Achilleidos:

Fervent coeuntia Phryxi Litora. PASS.

De hoc immani Xerxis facinore nescio quis Petronius Antigenides in Catalectis poetarum:

Idem commisit longo duo litora ponte
Perset, & fecit per mare miles iter.
Quale fuit regnum, mundo nova ponere jura!
Hoc terra fiat: hoc mare, dixit, eat.

Vide & Juvenalem Sat. 10. VULP.

V. 23. REGNAVE PRIMA REMI] Originem scilicet urbis Romæ. Videtur poeta Remum pro fratre posuisse, ut alibi:

Potaque Pollucis lympha salubris equo.

pro Castoris. & Eleg. *6.* lib. 4.

Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua.

item Eleg. 1. ejusdem libri: *Quo gradibus domus ista Remi se sustulit.* Statius in Genethliaco Lucani: *Dicet culminibus Remi vagantes Infandos domini nocentis ignes.* Sed Romulus & Remus pariter initio regnaverunt. Noster Eleg. *9.* lib. 3.

Eductosque pares silvestri ex ubere reget.

Virgilius etiam 1. Æneid. *Remo cum fratre Quirinus Jura dabunt.* PASS. Accedit Prudentius Hymno 2. περὶ στεφάνων v. 416. *En omne sub regnum Remi Mortale concessit genus.* Dixerat multo ante Catullus Carm. 58. *Glubit magnanimos Remi nepotes.* ad quem tamen locum vide Commentarium nostrum. VULP.

ibid. ANIMOS CARTHAGINIS ALTÆ] Ingentes spiritus Carthaginiensium, id est bella Punica (ut postea Silius Italicus) non canerem. *Alta Carthago*; ut Virgilius 4. Æneid. *Tu nunc Carthaginis altæ Fundamenta locas.* Horatius Ode 5. lib. 3. *O magna Carthago probrosis Altior Italiæ ruinis.* Idem Epodo 7. *Non ut superbas invidæ Carthaginis Romanus arces ureret.* Ennius olim dixerat:

Hic pernas succidit iniqua superbia Pœni. P.

Animos; hoc est arrogantiam & superbiam. Ovid. Epist. Briseidos:

Vince animos iramque tuam, qui cetera vincis. VULP.

V. 24. CIMBRORUMQUE MINAS] Vide Plutarchum in Mario, Strabonem lib. 7. Juvenalem Sat. 8. Ita vocantur latrones Germanorum lingua, inquit Plutarchus, & Græcis Cimmerii. PASS. Ea re dicit, quod populi essent truces, & nulla præditi humanitate. Vide Florum lib. 3. cap. 3.

De-

Bellaque, resque tui memorarem Cæsaris: & tu
Cæsare sub magno cura secunda fores.
Nam quoties Mutinam, aut civilia busta Philippos,
Aut canerem Siculæ classica bella fugæ:

Ever-

Delendi autem Romani imperii, gentis, urbis, memoriæ, spem animo præsumserant. Pulchre Cicero lib. 1. Officiorum: *Cum Celeiberis, cum Cimbris bellum ut cum inimicis gerebatur, uter esset, non uter imperaret: cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho de imperio dimicabatur*. Vulp.

ibid. et benefacta Mari] Res a C. Mario præclare gestas, quas *egregia in rempublicam merita* Marius ipse vocat apud Sallustium B. Jugurth. Horatius Ode 8. lib. 4. *Neque si chartæ sileant, quod bene feceris Mercedem tuleris*. Ovidius Epist. Dejaniræ vocat *merita*:

Implesti meritis Solis utrumque domum.

Cicero pro C. Rabirio: *C. Marius Pater Patriæ*. Et pro Sextio: *Ad salutem imperii Romani natus*. Dictus & *tertius Romæ conditor*. Pass. Ita loquitur ipse Marius apud Sallustium B. Jugurth. cap. 85. *Illud intellego, Quirites, omnium ora in me conversa esse, æquos bonosque favere: quippe benefacta mea reipublicæ procedunt, - - - - - mihi, qui omnem ætatem in optumis artibus consumsi, benefacere jam ex consuetudine in naturam vertit*. *Benefacta canere*, legitur apud Auctorem Dialogi de Oratoribus cap. 12. Broukh. Mictio princeps Chalcidensium, apud Livium lib. 43. *senatui Romano exponit civitatis primum sua benefacta*. Etiam *beneficia* res præclare gestas, & cum patriæ utilitate nonnumquam significant. Auctor ad Herennium lib. 1. *Quod si hoc fecisset, tamen ei pro pristinis beneficiis ignosci conveniret*. Vulp.

v. 25. Bellaque resque tui memorarem Cæsaris] Sic & Horatius Ode 12. lib. 2. *Tuque pedestribus Dices historiis prælia Cæsaris, Mæcenas, melius*. Pass. *Tui Cæsaris*. quem unice diligis & carum habes. Fuit enim summus Augusti amicus Mæcenas: quem etiam ad principatum retinendum hortatus est. Vide Dionem Cassium lib. 52. Vulp.

ibid. Et tu] Servit apostrophæ, ut adnotatur ad Eleg. 1. lib. 3. v. 31. Pass.

v. 26. Cæsare sub magno cura secunda fores] Proxima mihi cura esset res tuas canendi, postquam satis cecinissem præclara Augusti facinora. τὸ *sub* notat alienum imperium. Virgilius 7. Æneid.

Aureaque, ut perhibent, illo sub rege fuerunt
Sæcula.

& 3. Æneid.

Nos tumidum sub te permensi classibus æquor.

Ovidius 1. Metam. *Sub Jove mundus erat*. *Magnus*, epitheton summæ laudis. Horatius Ode 12. lib. 1. *Tibi cura magni Cæsaris fatis data*. Noster Eleg. 7. infra: *At magnus Cæsar*. Catullus de Cæsare patre Carm. 11. *Cæsaris visens monumenta magni*. *Cura secunda*. ut Eleg. 7. lib. 3. ad Mæcenatem:

Cæsaris & famæ vestigia juncta tenebit. P.

Altum etiam, *invictum*, *immensum* Augustum Cæsarem dixerunt scriptores. Vulp.

v. 27. Mutinam] Bellum Mutinense, de quo Ovidius 4. Fast.

Sit licet & fuerit, tamen hac Mutinensia Cæsar
Grandine militia contudit arma sua.

Vide Ciceronem in Philippicis, & Suetonium in Augusto cap. 10. Pass. *Mutinam*, &c. *Bella civilia quinque* memorat Propertius *ab Augusto gesta*: Mutinense *videlicet*, *Philippense*, *Perusinum*, *Siculum*, *Actiacum*. *Ex quibus primum ac novissimum adversus M. Antonium: secundum adversum Brutum & Cassium: tertium adversum L. Antonium triumviri fratrem: quartum adversus Sex. Pompejum Cn. filium*. ut ait Suetonius in ejus Vita cap. 9. Vulp.

ibid. civilia busta Philippos] Ad Philippos urbem Thessaliæ bis pugnatum. semel a Cæsare & Pompejo: iterum a Cæsare Juniore contra Brutum & Cassium. Plutarchus in Antonio & Bruto. Virgilius 1. Georg.

Ergo inter se se paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi.

Vide Dionem lib. 47. & Suetonium in Augusto cap. 13. *Civilia busta*; ut Eleg. ult. lib. 1.

Si

Everſoſque focos antiquæ gentis Etruſcæ,
Et Ptolemææ litora capta Phari:
Aut canerem Ægyptum,& Nilum,quum tractus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis:

Aut

Si Peruſina tibi patriæ ſunt nota ſepulta Funera.

Servius in Fragmentis: *Crematio cadaveris, buſtum; locus, uſtrina dicitur; operis conſtructio, ſepulcrum.* Feſtus: *Buſtum proprie dicitur locus in quo quis combuſtus eſt, & ſepultus. & Buſtum, quaſi bene uſtum.* P.

v. 28. AUT CANEREM SICULÆ CLASSICA BELLA FUGÆ] *Claſſis* proprie navis, unde *claſſica bella*, navalia. Sic *claſſicum certamen* Vellejo. Siculum autem bellum adverſus Sex. Pompejum, de quo Suetonius in Auguſto cap. 16. & Dio lib. 49. De hac fuga Sex. Pompeji Horatius Epodo 9.

Ut nuper actus quum freto Neptunius
Dux fugit uſtis navibus.

Antea tamen rem Auguſtus male geſſerat: unde vulgati in eum verſus apud Suetonium cap. 71.

Poſtquam bis claſſe victus naves perdidit;
Aliquando ut vincat, ludit aſſidue aleam. P.

v. 29. EVERSOSQUE FOCOS ANTIQUÆ GENTIS ETRUSCÆ] Exciſam & æquatam ſolo Peruſiam. *Foci*, penates, ædes & urbs. Virgilius 11. Æneid. *verſoſque penates Idomenei*. quia in focis Penates coluntur. Noſter Eleg. 2. lib. 4. *Volſinos deſeruiſſe focos*. De bello Peruſino vide adnotata ad illud Eleg. ult. lib. 1.

Si Peruſina tibi patriæ ſunt nota ſepulta Funera.

Antiqua gens Etruſca, quia orta Sardibus ex Lydia: Feſtus in, *Sardi venales*. PASS. *Everſos focos a. gentis Etruſcæ*; quod ſcilicet Peruſia, in Etruſcis urbibus numeraretur. Eam certe Τυρσηνίδα πόλιν appellat Dio Caſſius lib. 48. *Everſos* autem *focos* dicit poeta, fortaſſe quia, ut narrat Appianus Bellorum Civilium lib. 5. ſtatuerat Cæſar Peruſiam dare militi diripiendam. Sed quidam oppidanorum non ſatis ſanæ mentis, nomine Ceſtius, incendit ædes ſuas, & ſe in ignem conjecit. Ventis porro flammam diſſlantibus per totam Peruſiam, cremata ſunt omnia, fano Vulcani tantum excepto. *Everſos focos*. Ita Euripides Hecuba v. 22. Πατρῷα δ' ἑστία κατεσκάφη. *Et paternus focus everſus eſt.* VULP.

v. 30. ET PTOLEMÆÆ LITORA CAPTA PHARI] Bellum Alexandrinum, de quo Suetonius in Auguſto cap. 17. Dio Caſſius lib. 51. Plutarchus in Antonio. *Phari Ptolemææ*. Reges Ægypti dicti Ptolemæi; quorum primus fuit Ptolemæus Lagi filius, & ultimus Cleopatræ frater. unde epitheton *Ptolemæeus*. *Phari* autem deſcriptio eſt apud Cæſarem lib. 3. de Bello Civili. Ea inſula a Cæſare ponte conjuncta eſt Alexandriæ. Vide Auctorem de Bello Alexandrino. Lucanus alicubi: *Pharos inſula quondam In medio ſtetis illa mari.* PASS.

v. 31. AUT CANEREM ÆGYPTUM] Poſt Actiacam victoriam, Cæſar Auguſtus Ægypto univerſa potitus eſt, eamque in provinciæ formam redegit. Suetonius in Auguſto cap. 18. Strabo Geograph. lib. 17. V.

ibid. ET NILUM QUUM TRACTUS IN URBEM DEBILIS IBAT] Coactus venire una cum captivis in triumphum, fractus fluebat. Ut enim oppidorum & regionum, ſic & fluviorum ſimulacra portabantur in triumphum, fingebanturque ut fracti & victi lentius fluere. Ovidius lib. 1. A. A.

Hic (in triumpho) *erit Euphrates præcinctus arundine frontem:*
Cui coma dependet cærula, Tigris erit.

Virgilius 8. Æneid. *Euphrates ibat jam mollior undis*. Ibidem:

Contra autem magno mœrentem corpore Nilum.

Horatius Ode 4. lib. 2.

Medumque flumen gentibus additum
Victis minores volvere vortices.

Petronius Arbiter de Pompejo:

Quem fracto gurgite Pontus,
Et veneratus erat ſubmiſſo Boſporus unda.

In fragmentis arcus marmorei Romæ Druſo exſtructi F. Petrarcha ait ſe legiſſe hos verſus:

Ad divortia Rheni
Perveni, hoſtiles depopulatus agros.
Dum tibi, Roma, decus, æternaque ſudo tropæa,
Hiſter pacatis lenior ibit aquis. PASS.

Aut regum auratis circumdata colla catenis,
Actiaque in Sacra currere rostra Via:

Te

Debilis; infirmo & quassato corpore, aut luxatis artubus, aut mutilatus. Mæcenas apud Senecam: *Debilem facita manu, Debilem pede, coxa........ Vita dum superest, bene est*. Italice, *storpia*, *sciancata*. Hinc *debilitare*, Italice, *storpiare*. Arrius Menander J. C. lib. 1. de Re Militari, allatus Digest. lib. 49. tit. 16. lege 4. *Eum qui filium debilitavit delectu per bellum indicto, ut inhabilis militia sit, præceptum Divi Trajani deportavit*. Nonnumquam enim patres filiis pollices amputabant, caussâ detrectandi sacramenti, ut ait Suetonius in Augusto cap. 24. VULP.

v. 32. SEPTEM AQUIS] Septem ostia Nili significat, de quibus Eleg. 21. lib. 3. v. 8.

Et qua septenas temperat unda vias.

unde Nilus Græcis ἑπτάπορος. Ovidius lib. 15. Metam.

Perque papyriferi septemflua flumina Nili
Victrices egisse rates.

Propterea Catullus Carm. 11. & Virgilius 6. Æneidos vocant Nilum *septemgeminum*. Plinius lib. 5. H. N. cap. 10. undecim facit Nili ostia, quorum septem celeberrima, eaque enumerat. Vide & Strabonem lib. 17. & Ovidium lib. 2. Amor. Eleg. 13. & lib. 3. Eleg. 5. Ita *septemplex Hister*: Idem poeta lib. 2. Tristium. PASS.

ibid. CAPTIVIS AQUIS] Res etiam mutæ & sensu carentes captivæ dicuntur. Virgilius 2. Æneid.

Crateresque auro solidi, captivaque vestis.

Et lib. 3. *Captivi pendent currus*. Ovidius 3. Fast.

Cinnama tu primus, captivaque tura dedisti. P.

v. 33. AUT REGUM AURATIS CIRCUMDATA COLLA CATENIS] Eorum scilicet qui Antonio, Bruto, Sex. Pompejo & aliis hostibus Augusti faverant. Sic Horatius Ode 12. lib. 2. *Ductaque per vias Regum colla minantium*. Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 2.

Vinclaque captivâ reges cervice ferentes.

Et lib. 1. A. A.

Ibunt ante duces aurati colla catenis.

Noster Eleg. 10 lib. 2.

India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho.

unde *collare* Lucillio & Plauto. *Auratis catenis* vincti reges ad discrimen ceterorum, qui vincti catenis ferreis. Sic Crœsum Cyrus apud Herodotum in aureis compedibus habuit. Ausonius in Ludo Septem Sapientum: *Vinctumque pedicis aureis secum trahit*. Apud Appianum in Mithridatico, Mithridates ipse filium, a quo structæ sibi insidiæ, vinxit catenis aureis. Et ita apud Valerium Maximum lib. 6. cap. 2. *Duorum regum Syphacis & Persæ ante triumphales currus catenatæ cervices*. PASS. Crudele ludibrium; & tamen verum; more apud Orientem nato. Justinus L. 5. C. 11. *Occulte* (Cyrus) *adversus fratrem bellum parabat. quod quum nuntiatum Artaxerxi esset, arcessitum ad se fratrem, & innocentiam dissimulatione belli simulantem, compedibus aureis vinxit*. honori id datum in summa calamitate. Sic Garmus Babyloniorum rex Sinonin, amorem ejus aspernantem, in aureis catenis habuit captivam, referente ex Jamblichi Babylonicis Photio Cod. 94. Inde fluxit ad Romanos. neque enim hæc temere Noster jacit. Silius L. 17.

Securus sceptri repetit per cærula Romam,
Et patria invehitur sublimi tecta triumpho.
Ante Syphax feretro residens captiva premebat
Lumina, & auratæ servabant colla catenæ.

Vellejus L. 2. C. 82. *Tertia æstate reversus* (Antonius) *in Armeniam, regem ejus Artavasden, fraude deceptum, catenis, sed, ne quid honori deesset, aureis vinxit*. plura ad Silium Dausquejus, hoc simul versu illustrato; Demsterus ad Rosini Antiquitates; Jac. Schegkius & Ger. Vossius ad Vellejum; ad Curtium Freinshemius. BROUKH. *Auratis catenis*. pro *aureis* puto usurpatum. VULP.

v. 34. ACTIA ROSTRA] Rostra navium captarum in pugna ad Actium Epiri promontorium, de qua Noster Eleg. 6. lib. 4. Virgilius 8. Æneid. Strabo lib. 7. & 10. Plutarchus in Antonio. Navalis victoriæ insignia, rostra navium hostilium: vel templis fixa, unde Rostra Romæ; vel domibus triumphalibus. Cicero Philipp. 5. & Virgilius 7. Æneid. Horatius Epodo 9. hac de re:

Hostiliumque navium portu latent
Puppes sinistrorsum citæ.

Idem

Te mea Musa illis semper contexeret armis,
Et sumta, & posita pace fidele caput.
Theseus infernis, superis testatur Achilles,
Hic Ixioniden, ille Menœtiaden.

Sed

Idem de navibus in triumpho Epist. 1. lib. 2. PASS. Quid essent rostra navium, dixi ad Tibullum Eleg. 3. lib. 2. v. 40. V.

ibid. SACRA-VIA] Una λέξις Charisio lib. 1. Varro lib. 4. de L. L. *Sacra via*, inquit, *Romæ, qua sacra feruntur in arcem quotquot mensibus*. unde dicti *sacravienses*. Ovidius Eleg. 1. lib. 3. Trist.

Hæc est a sacris qua via nomen habet.

Festus ait, quibusdam ita dictam videri, quia in ea fœdus sit ictum inter Romulum & Tatium. Per eam vehebantur triumphales in Capitolium, ut docet Porphyrio ad Horatium Ode 2. lib. 4. Tres autem ternis diebus Augusti triumphi. Primus de Dalmatis & Pannoniis: alter de Actiaca pugna adversus Antonium & Cleopatram: postremus de subacta Ægypto. Dio lib. 51. Suetonius in Augusto cap. 22. Virgilius autem 8. Æneid.

Et Cæsar triplici invectus Romana triumpho
Mœnia. PASS.

ibid. CURRERE ROSTRA] Rostra dicuntur Propertio currere, quia curribus imposita celeriter veherentur. PASS.

v. 35. MEA MUSA] Ego vates. Cicero: *Musæ Varronis silent*. Sic Eleg. 10. infra:

Nondum etiam Ascræos norunt mea carmina fontes. PASS.

ibid. TE ILLIS SEMPER CONTEXERET ARMIS] Apte conjungeret te, o Mæcenas, illis bellis. Cicero pro Cœlio: *Longius mihi hoc carmen liceret contexere*. Idem Epist. 12. lib. 5. ad Famil. *Ordiri & contexere*, de historia Lucceji, cui res suas admisceri cupit. PASS.

v. 36. ET SUMTA ET POSITA PACE] Utroque tempore pacis & belli. Quia sumi bellum dicitur, etiam sumi pacem & poni dixit. Sic Publius Syrus:

Amor animi arbitrio sumitur, non ponitur.

Ovidius lib. 5. Trist. Eleg. 1.

At mala sunt; fateor. quis te mala sumere cogit?
Aut quis deceptum ponere sumta vetat?

Livius: *Utrumlibet sumite*, bellum vel pacem. Et Cicero 3. Offic. *Sumere otium*. & in Vatinium: *Sumere inimicitias*. PASS. Ita Horatius quoque Ode 2. lib. 3. *Nec sumit aut ponit secures Arbitrio popularis auræ*. Idem Epist. 6. lib. 1.

Quo tibi, Tulle,
Sumere depositum clavum, fierique tribuno?

VULP.

ibid. FIDELE CAPUT] ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον. ut Eleg. 17. lib. 3.

Atque hoc sollicitum vince sopore caput.

Et Eleg. ult. lib. 4.

Nec te dulce caput, mater Scribonia, læsi.

Horatius Ode 24. lib. 1.

Quis desiderio sit pudor, aut modus
Tam cari capitis?

Plautus & Terentius: *Lepidum caput*, & *Perjurum caput*. Fidem tamen & taciturnitatem in Mæcenate desideravit Augustus, quod is de comperta Murenæ conjuratione arcanum uxori Terentiæ prodidisset. Suetonius in Augusto cap. 66. PASS. *Et sumta & posita pace fidele caput*. Vellejus Paterculus lib. 2. cap. 88. narrat, *Mæcenatem urbis custodiis præpositum, post Actiacam Augusti victoriam, Lepidum juvenem, Triumviri filium, novas res molientem, & Cæsari insidias parantem, per summam quietem & dissimulationem, mira celeritate oppressisse*. Memorabile tamen est quod scribit Tacitus Annalium lib. 3. *Secreta imperatorum cui inniterentur, præcipuus* quondam fuit Mæcenas: sed *ætate provecta speciem magis in amicitia principis, quam vim tenuit*. Si Dionem Cassium audimus lib. 54. Augusti & Mæcenatis amicitia refrixit, quod Terentia Mæcenatis uxor cum principe soleret. VULP.

v. 37. THESEUS INFERNIS, SUPERIS TESTATUR ACHILLES &c.] Videntur hæc hiulca esse atque ἀκατάλληλα, quemadmodum & illa Elegiæ 15. lib. 3.

Testis erit Dirce tam vero crimine sæva
Nycteos Antiopen accubuisse Lyco.

Vide, lector, &, si vacat, considera. For-

Sed neque Phlegræos Jovis, Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus:

Nec

tasse post hoc distichon aliqua desiderantur. VULP.

Ibid. THESEUS INFERNIS] Scilicet locis. pro apud inferos. Sic Eleg. 28. hujus libri:

Sunt apud infernos tot millia formosarum:
Pulchra sit in superis, si licet, una locis.

Infernis, vel quia ad inferos amici caussa Theseus descendere non recusavit, vel quia ad inferos rediit, ubi *sedet infelix, æternumque sedebit*. Virgilius 6. Æneid. P.

ibid. SUPERIS TESTATUR ACHILLES] Apud superos testem ejusmodi fidei Patroclum Achilles laudat. Te, inquit, Patrocle, testor, amicos fideles etiamnum apud soperos esse. Ecce enim præter nos Augustus & Mæcenas. Atqui Homerus lib. 11. Odysseæ apud inferos Achillem ponit, dicentem, se malle in superis regionibus vel bubulco servire, quam inferis universis dominari. Sed Phædrus in Symposio Platonis, deos ait Achillem *εἰς μακάρων νήσους* transtulisse, quod juvenis mori maluerit ultus amicum, quam diu in florenti fortuna vivere. An *testatur*, alloquitur? Lucanus lib. 3.

probibetusque rapina
Victorem clara testatur voce tribunus. PASS.

Superis. non quidem *τοῖς οὐρανίοις*, at potius *τοῖς ἐπιχθονίοις*, sive *ἀνθρώποις*. ut opponatur *infernis*; quod poeta de Theseo dixit. Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis cap. 3. *Falsa esse insomnia nec Maro tacuit*,

Sed falsa ad cælum mittunt insomnia manes,

Cælum hic vivorum regionem vocant: quia sicut dii nobis, ita nos defunctis superi habemur. Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. v. 791.

Tuque excite parens umbris, ut nostra videres
Funera, & oblitas superûm paterere dolores. V.

v. 38. HIC IXIONIDEN, ILLE MENŒTIADEN] Contra grammaticos canones; ut Eleg. 14. lib. 3.

Qualis & Eurotæ Pollux & Castor arenis,
Hic victor pugnis, ille futurus equis.

Rectum enim fuisset, Ille, nempe Pollux quem prius nominaverat, victor pugnis futurus, Hic, nimirum Castor, equis. Ovidius pariter 1. Metam.

Ut canis in vacuo leporem quum Gallicus arvo
Vidit, & hic prædam pedibus petit, ille salutem.

Ixionides, Pirithous. Ovidius lib. 12. Metam.

Duxerat Hippodamen audaci Ixione natus.

Apollodorus lib. 1. & Hyginus Fab. 257. sed idem in Fab. 155. Pirithoum Jovis filium facit ex Dia Œnei filia. *Menœtiades*, Patroclus Menœtii filius, qui frater Peleï fuit. Apollodorus lib. 3. *Πάτροκλος Μενοιτίου*. Ovidius Epist. Penelopes:

Sive Menœtiaden falsis cecidisse sub armis

Et Epist. Briseidos:

Ipse Menœtiades tunc quum tradebar, in aurem,
Quid fles? hic parvo tempore, dixit, eris. P.

Fortasse hæc verissima fuerit subobscuri hujus loci explicatio: Te, Mæcenas, fidele caput Augusto, cujus amicitia flores, Ixioniden alterum Theseus testatur infernis, nempe illis qui inferos incolunt: Achilles vero superis, mortalibus videlicet, Menœtiaden alterum. Fuerunt autem Theseus & Pirithous, Achilles & Patroclus duo clarissima amicorum paria. V.

v. 39 PHLEGRÆOS JOVIS, ENCELADIQUE TUMULTUS] Phlegræus campus fuit juxta Cumas, ubi fabulantur victos gigantes a diis. Est & alter in Thessalia, ut scribit Solinus, de quo Apollodorus lib. 1. & Noster Eleg. 11. lib. 3. Pompejum Magnum allocutus:

Issent Phlegræo melius tibi funera campo.

Euripides in Hercule Furente *φλεγραῖον πεδίον* nominat. De Encelado Virgilius 3. & 4. Æneid. & Horatius Ode 4. lib. 3. Victum scribit Apollodorus a Minerva, quum ei fugienti Siciliam insulam objecisset. Ovidius Eleg. 11. lib. 3. Amorum:

Fecimus Enceladum jaculantem mille lacertis. PASS.

Tumultus; bellum periculosum, & regno Jovis proximum excidium intentans. Quid proprie *tumultus* Romanis fuerit, dicetur ad Eleg. 27. hujus libri v. 7. VULP.

v. 40. INTONET] Magna, forti horrendaque voce ac strepitu canat. Cicero pro

Mu-

Nec mea conveniunt duro præcordia versu
Cæsaris in Phrygios condere nomen avos.

Na-

Murena : *Hesterno concione intonuit vox perniciosa tribuni plebis*. Virgilius 6. Æneid.

Exsurgitque facem attollens, atque intonat ore.

Noster Eleg. 17. lib. 3.

Qualis Pindarico spiritus ore tonat.

Statius 1. Silvar. in Genethliaco Lucani :

Et Pharsalica bella detonaris.

Aristophanes apud Plinium lib. 1. Epist. Ἤστραπτε, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα. *Fulguravit, tonuit, permiscuit Græciam*. P.

ibid. ANGUSTO PECTORE] Quibus angustius pectus est, his vox & spiritus exilior. Noster Eleg. 1. lib. 4.

Heu mihi quam nostro parvus in ore sonus!
Sed tamen exiguo quodcumque e pectore rivi
Fluxerit, hoc patriæ serviet omne meæ.

Hinc Ovidius lib. 2. Trist. v. 562.

Aspicies quantum dederit mihi pectoris ipse,
Quove favore animi teque tuosque canam.

De Callimacho Noster Eleg. ult. hujus libri :

Et non inflati somnia Callimachi.

Ovidius pariter in Remed. Amor.

Callimachi numeris non est dicendus Achilles.

Se autem cum Callimacho hic comparat. quamobrem Eleg. 1. lib. 4.

Umbria Romani patria Callimachi. PASS.

Consule Indicem nostrum verbo *Callimachus*. VULP.

v. 41. CONVENIUNT CONDERE NOMEN] Ἑλληνισμός. pro conveniunt condendo nomini. *Conveniunt* dixit, ut Eleg. 9. lib. 3.

Non sunt apta meæ grandia vela rati.

Et Eleg. 3. libri ejusdem :

Non est ingenii cymba gravanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas.

PASS.

ibid. DURO VERSU] Durus versus opponitur molli, & tenero & tenui. ut dictum ad Eleg. 7. lib. 1. Noster Eleg. ult. hujus libri, de Epico poeta :

Incipe jam angusto versus includere torno,
Inque tuos ignes, dure poeta, veni.

Sic & *dura corona* Epicorum Eleg. 1. lib. 3. PASS. Ita *fortis pes*, heroicus numerus est Domitio Marso in Epitaphio Tibulli :

Ne foret aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

Horatius Sat. 10. lib. 1.

Forte epos, acer,
Ut, nemo, Varius, ducit : molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ.

BROUKH.

ibid. PRÆCORDIA MEA] Respondet illi quod dixerat pentametro superiori, *angusto pectore*. *Præcordia* hic sunt αἱ πνεύμονες; ut apud Horatium Epodo 17. *Neque est levare tenta spiritu præcordia*. VULP.

v. 42. CÆSARIS IN PHRYGIOS CONDERE NOMEN AVOS] Pro reponere & recondere & referre in numerum heroum, Assaraci, Æneæ, Juli, unde gens Julia. Festus : *Condere, dare in interiorem locum ad custodiam faciliorem; & scribere*. Utrumque huic loco convenit : quia scriptor mandat posteritati, & tradit servandam gloriam. Horatius Ode 13. lib. 4. *Tempora notis condita fastis*. *Condere in avos*, dictum ut Ciceroni 1. de Nat. Deor. *Homines morte deletos reponere in deos*. Ovidius pariter 4. Fast. *In Phrygios Roma refertur avos*. *Nomen Cæsaris*, an famam? ut supra, *Pergama nomen Homeri*. & Eleg. 7. lib. 3.

Cæsaris & famæ vestigia juncta tenebis.

Virgilius 3. Georg.

Cæsaris & nomen famâ tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abest ab origine Cæsar.

Avos; ut Eleg. 6. lib. 4.

Auguste Hectoreis cognite maior avis.

Ita Ovidius dixit, de domo Augusti loquens, *avos Teucros*, *Julæos*, *Julææ nobilitatis*. PASS. *Condere*. Verbum hoc de principio atque origine ultima rei alicujus haud raro usurpatur. Manilius 1. Astron. 119.

Et venit in terras fatorum conditus ordo.

Lucanus lib. 7. 131.

Advenisse diem, qui fatum rebus in ævum
Conderet humanis.

Monuit vir doctissimus Petrus Burmannus ad illud Valerii Flacci 1. Argon. v. 531.

Vetera hæc nobis & condita pergunt
Ordine cuncta suo, rerumque a principe cursu
Fixa manent.

Cæsaris nomen. Broukhusius legit *numen*; quod Augustus, etiam vivens, deus habitus & appellatus fuerit. Non tamen persuadet : neque enim deceret miscere deum Cæsarem avis mortalibus. Præterea *condere* *no-*

Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, paſtor oves.
Nos contra anguſto verſamus prœlia lecto.
Qua pote quiſque, in ea conterat arte diem.

Laus

nomen locutio eſt uſitata & ſolennis. Silius Italicus lib. 3. Punic. 69.

Spes o Karthaginis altæ,
Nato, nec Æneadum levior metus, amplior, oro
Sis patrio decore, & factis tibi nomina condat,
Queis ſuperet bellator avum.

Idem lib. 4. 36.

Juvat ire periclis
Ad decus, & dextra memorandum condere nomen.

Salluſtius 1. Hiſtor. citatus a Servio: *Apud Lethe oppidum, cui nomen oblivionis condiderunt.* Vulp.

v. 43. Navita de ventis narrat] De re quiſque ſua loquitur. παροιμιακῶς. *Ventis*, tempeſtatibus. ut Eleg. 11. lib. 3.

Venturam melius præſagit navita noctem. P.

ibid. De tauris narrat arator] Donatus fallitur, qui narrare nos ait aliena, & non neceſſaria. *Narrare de*, ut Cicero Epiſt. 8. lib. 16. ad Attic. *Male narras de Nepotis filio.* Et Epiſt. 15. lib. 3. ad eumd. *Narraſſe tibi eum ais de mea ſollicitudine.* Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 13.

Tithono vellem de te narrare liceret.

Noſter Eleg. 2. lib. 4.

De ſe narranti tu modo crede deo. Pass.

v. 44. Enumerat miles vulnera] Recenſet quot vulnera adverſa acceperit. Vide Militem Glorioſum Plauti. Auguſtus militi vulnera adverſa oſtentanti: *Ne fugiens reſpexeris.* Tibullus Eleg. ult. lib. 1.

Ut mihi potanti poſſit ſua dicere facta
Miles, & in menſa pingere caſtra mero. P.

Seneca pariter libro de Vita Beata: *Omnem temporum difficultatem ſciet Sapiens legem eſſe naturæ. Et, ut bonus miles, feret vulnera, enumerabit cicatrices &c.* Vulp.

ibid. Pastor oves] Virgilius Ecl. 3.

Biſque die numerant ambo pecus, alter & hædos.

& Ecl. 6.

Cogere donec oves ſtabulis, numerumque referre
Juſſit, & invito proceſſit Veſper Olympo.

Ovidius lib. 13. Metam. *Pauperis eſt numerare pecus.* Pass.

v. 45. Contra] Etiam, pariter, viciſſim. Plautus Pſeudolo 2, 1. *Illa illum contra (amat).* Sæpe apud Terentium Donatus exponit *contra, viciſſim.* Pass.

ibid. Angusto lecto] Dictum ad Elegiam 8. lib. 1. v. 33. Pass. Dixerat paullo ante, *anguſto pectore.* Latini ſcriptores proximas earumdem vocum repetitiones non adeo refugerunt; quod innumeris exemplis poſſemus oſtendere, ſi operæ pretium eſſet. Impetum ſcilicet animi ſequebantur in ſcribendo, qui rerum minutarum fuga, & nimia etiam cura frangitur & retardatur. Eorum æmulari malim negligentiam, potius quam recentiorum obſcuram diligentiam. Vulp.

ibid. Versamus prœlia] Verſare prœlia, miſcere; & prœliari ſe huc & illuc vertendo. Aut verſare, exercere? ut Elegia 14. lib. 1.

Et miſerum toto juvenem verſare cubili.

De prœliis & militia Veneris diximus ad Elegiam 3. lib. 1. v. 16. Pass. *Prœlia.* τὰς μάχας τῆς ἀφροδισίας. Petronius Satyrico: *Et præcincti certe altius eramus: immo ego ſic jam paria compoſueram, ut ſi depugnandum foret, ipſe cum Quartilla conſiſterem, Aſcyltos cum ancilla, Giton cum virgine.* Horatius Ode 6. lib. 1. commemorat *prœlia virginum Sectis in juvenes unguibus acrium.* hoc enim genus ita prœliari ſolet, ut vinci malit, quam vincere. Vulp.

v. 46. Qua pote quisque, in ea conterat arte diem] Cicero 1. Tuſc. *Bene Græcorum proverbio dicitur: Quam quiſque norit artem, in hac ſe exerceat.* quod repetit Epiſt. 10. lib. 5. ad Atticum. Ariſtophanes in Veſpis: Ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην. Horatius Epiſt. 14. lib. 1.

Quam ſcit, uterque libens cenſebo exerceat artem.

Pote, pro *poteſt.* Catullus Carm. 75.

Hoc facies, ſive id non pote, ſive pote.

Cicero in Bruto: *Theophraſtus quum percunctaretur ex anicula, quanti aliquid venderet, & reſpondiſſet, atque addidiſſet, Hoſpes, non pote minoris: tuliſſe eum moleſte, &c. Conterat;* ut Eleg. 7. lib. 2. *Hic mihi conteritur*

vita

Laus in amore mori: laus altera, si datur uno
Posse frui. fruar o solus amore meo.
Si memini, solet illa leves culpare puellas:
Et totam ex Helena non probat Iliada.

Seu

vitæ modus. PASS. Huc pertinet vetus adagium: *Ne sutor ultra crepidam, ne faber ultra malleum*. VULP.

v. 47. LAUS IN AMORE MORI] Digna homine nequam sententia. ut Eleg. 6. lib. 1.

Multi longinquo periere in amore libenter:
In quorum numero me quoque terra tegat.

ubi vide adnotata. Fortius & honestius loquitur Eleg. 20. lib. 3.

Seu moriar, fato, non turpi fractus amore.
Atque erit illa mihi mortis honesta dies. P.

ibid. LAUS ALTERA, SI DATUR UNO POSSE FRUI] Uno scilicet amore; quod amatoris constantis est. vel *uno* pro *uni* ἀρχαϊκῶς. Ita Gellius lib. 3. N. A. cap. 7. *Una negatio alligari*, pro *uni*. Noster Elegia 20. lib. 1. *Nulla cura debita poma*. Lectio hæc & explicatio verissima est. Si licet alicui soli frui amore suo, nempe rivalem arcere, quod ingeniosi & experientis hominis argumentum; o utinam & ego solus meo fruar, & mihi etiam hæc laus contingat. PASS. *Uno*. Catullus Carm. 45.

Huic uno domino usque serviamus. VULP.

v. 48. FRUAR O SOLUS AMORE MEO] Hoc loco adverbium, sive interjectio *O* non vocantis, sed optantis est. Virgilius 2. Georg. *O qui me gelidis in vallibus Hæmi Sistat*. & 6. Æneid. *Este duces, o si qua via est*. Servius in illud ejusdem libri:

Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat;

Si & *O per se pro utinam; & conjunctim O si*. *Solus*, sine rivali, ut Eleg. 7. infra:

Tu mihi sola places, placeam tibi, Cynthia, solus. PASS.

Post hoc distichum incipiunt flagitia Josephi Scaligeri, qui, ut sibi principatum in litteris & dictaturam sumserat, putavit sibi licere, nullis libris auctoribus, Propertii versus ex una in aliam Elegiam revocare, nimirum obscuritatem caussatus, & minus aptam sententiæ continuationem. Id autem quum fit a Criticis, confidenter nimium fit & pessimo exemplo. Satius est in libris veterum quædam esse subobscura & minus intelligi, quam perverti atque corrumpi. Inter hoc igitur & sequens distichum posuit Scaliger hos versus ad Elegiam tertiam pertinentes:

His saltem ut tenear jam finibus: aut, mihi si quis
Veneris alter amor, acrius ut moriar.

Quæ μετάθεσις, præter hominis audaciam, indicat, eum verba illa, *Si datur uno Posse frui*, minus intellexisse. VULP.

v. 49. SI MEMINI] Addubitatio pro confirmatione. & ἰδιωτισμός, pro credo, scio. Martialis Epigr. 20. lib. 1.

Si memini, fuerant tibi quattuor, Ælia, dentes.

Ovidius lib. 5. Fast.

Albula, si memini, tunc mihi nomen erat. P.

Quia dixerat, laudem esse amare posse ac frui amore sine rivali, sperat se hujus laudis compotem futurum, quod animadverterit, leves & inconstantes puellas Cynthiæ suæ displicere. VULP.

ibid. SOLET ILLA LEVES CULPARE PUELLAS] τὸ *illa*, Cynthia. ut Eleg. 12. lib. 1.

Tam multa illa meo divisa est millia lecto.

ubi vide adnotata. solet inconstantes vituperare, quum tamen ei vitio affinis sit. ut Eleg. 24. infra:

Tam te formosam non pudet esse levem.

Sic avari culpant avaritiam. *Culpare*, improbare, damnare, ut culpæ affines. Virgilius Æneid. lib. 2.

Non tibi Tyndaridos facies invisa Lacænæ,
Culpatusve Paris.

Horatius Epist. ad Pisones:

Vir bonus & prudens versus reprehendet inertes,
Culpabit duros. PASS.

v. 50. ET TOTAM EX HELENA NON PROBAT ILIADA] Ob Helenam culpat totam Iliada. Cæsar lib. 3. de Bello Civili: *Ex metu signa dimittere*. Plautus Amphitr.

Lacrimantem ex abitu concinnas uxorem tuam.

Non probat; quod non judicet probam & pudicam Helenam, ideo nec poema illud probum censet. offenditur ipso Iliados argumento. Ovidius lib. 2. Trist.

Iliat

Seu mihi ſint tangenda novercæ pocula Phædræ,
Pocula privigno non nocitura ſuo:
Seu mihi Circæo pereundum gramine, ſive
Colchis Iolciacis urat aëna focis:

Una

Iliat ipſa quid eſt, niſi turpis adultera, de qua
Inter amatorem pugna virumque fuit?

Vide Eleg. 3. infra de Helena Belli Trojani cauſſa. PASS.

v. 51. SEU MIHI SINT TANGENDA NOVERCÆ POCULA PHÆDRÆ] *Tangere poculum* pro guſtare & haurire. Horatius Ode 19. lib. 3. *Tres prohibet ſupra Rixarum metuens tangere Gratia cyathos*. Et *Tangenda* cum periculo. ut libro 1. Eleg. 9. *Vere nec tangeris igni*. Nota fabula ex Euripidis & Senecæ Hippolyto, & Ovidiana Phædræ ad Hippolytum Epiſtola, & Plutarchi Theſeo. *Noverca*, inquit Feſtus, *quam quis ſublatis liberis, novam uxorem ducit arcendæ familiæ gratia*. PASS.

ibid. POCULA] Vel philtra ſignificat, vel aconita. PASS. Oſtendit hic locus, Hippolytum a noverca philtro fuiſſe tentatum; quod opinor hodie nuſquam legitur, amiſſis qui tradiderant ſcriptoribus Græcis, BROUKH.

v. 52. PRIVIGNO NON NOCITURA SUO] Mentem Hippolyti non immutatura. quia illum aliud fatum manebat. *Suo* pro ejus. Plautus Aſinaria: *Si moriatur mater ſua*. & Amphitr. *Aſtutum ſufferet ſuas ſervus pœnas*. *Privignus*, inquit Feſtus, *dictus, qui antequam mater ſecunda nuberet eſt primogenitus, a pri pro præ*. ego a prius genendo. PASS. Significat poeta, nullum φίλτρον, ſive amoris poculum, ab alia muliere oblatum, ſibi nocere poſſe, quominus Cynthiam ſolam amare pergat. VULP.

v. 53. SEU MIHI CIRCÆO PEREUNDUM GRAMINE] Herbis & veneficiis quibus Circe famoſa potenſque fuit, ut aliàs dictum. PASS. Plinius lib. 25. H. N. cap. 2. *Certe quid non replevere fabulis Colchis Medea, aliaque, in primis Itala Circe, diis etiam adſcripta? unde arbitror natum, ut Æſchylus e vetuſtiſſimis in Poetica, refertam Italiam herbarum potentia proderet, multique Circeïos, ubi habitavit illa, magno argumento etiamnum durante in Marſis a filio ejus orta gente, quos eſſe domitores ſerpentium conſtat*. Theophraſtus lib. 9. Hiſt. Plant. c. 15. interprete Theodoro Gaza: *Tractus medicamentorum fertiles potiſſimum tradunt, extra Græciam Etruriam & Latinum agrum, qua Circen habitaſſe affirmant. --- Æſchylus enim, in Elegis, copiam medicaminum venenorumque Etruriæ tribuit,*

Gens Tyrrhena ſuis clara veneficiis. BROUKH. Hoc ſibi vult Propertius: Etiamſi herbis & medicaminibus Circes muter in feram belluam, tamen ſub ferina ſpecie humanum ſenſum ac mentem geram, neque ab amore Cynthiæ umquam abſterrebor. *Pereundum*. ſubaudi *ſit*. VULP.

v. 54. COLCHIS IOLCIACIS URAT AENA FOCIS] Medea ahenea vaſa calefaciat igne ſuppoſito coquendis herbis & venenis. ut apud Ovidium lib. 7. Metam.

Interea calido poſitum medicamen aëno
Fervet & exſultat, ſpumiſque tumentibus albet.

Sic dixit Horatius Ode 4. lib. 1.

Vulcanus ardens urit officinas.

& fornax coqui dicitur Feſto in *Salinum*. & *Urite tædas* Eleg. 19. lib. 3. *Colchis*, patria Medeæ, unde & ipſa *Colchis* dicitur Eleg. 21. & 34. hujus libri; & Eleg. 9. lib. 3. *Colchis* pro quacumque venefica. *Iolciacis*, ab Iolco Theſſaliæ oppido. Ovidius lib. 7. Metam.

Victor Iolciacos tetigit cum conjuge portus.

Horatius Epodo 5. *Herbaſque quas Iolcos atque Hiberia Mittit venenorum ferax*. PASS. Virgilius in Ceiri:

Pergit, Amyclæo ſpargens altaria thallo,
Regis Iolciacis animum defigere votis.

Adi ſis notas Nic. Heinſii ad lib. 7. Metamorph. v. 159. De Theſſaliæ veneficiis ubertim Lucanus, atque Appulejus in Metamorphoſeos libris. BROUKH. Pleræque editiones *Colchiacis*. minus recte. Adludit enim poeta ad Æſonem, Jaſonis patrem, pharmacis Medeæ, recoctum, & ex decrepito ſene juvenem rurſus effectum. Id autem contigit Iolci in Theſſalia, non in Colchide. Hæc igitur eſt poetæ ſententia: Si ope

Me-

Una meos quoniam prædata eſt femina ſenſus,
Ex hac ducentur funera noſtra domo.
Omnes humanos ſanat medicina dolores:
Solus Amor morbi non amat artificem.
Tarda Philoctetæ ſanavit crura Machaon,
Phœnicis Chiron lumina Phillyrides.

Et

Medeæ recoquar, ut Æſon, & repuerafcam, iterum tamen Cynthiam unice ac perdite amabo. Nova erit vita, ſed vetus amor. *Urat aëno*, cacabos & lebetes igne calefaciat. ſubaudi *mihi ἀπὸ κοινοῦ*. ad me ſcilicet recoquendum & renovandum. V.

v. 55. UNA MEOS Q. PRÆDATA EST FEMINA SENSUS] Quandoquidem Cynthia & prima & ſola rapuit mihi mentem. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 3. *Quæ me nuper prædata puella eſt*. Horatius Ode 13. lib. 4. *Quæ me ſurpuerat mihi*. *Senſus* pro mente. ut Eleg. 3. lib. 1. *ſenſus deperditus omnes*. Tibullus Carm. 8. lib. 4.

Hic animum ſenſuſque meos abducta relinquo.
PASS.

Noſter Eleg. 12. hujus libri:

Is primum vidit ſine ſenſu vivere amantes.
VULP.

v. 56. EX HAC DUCENTUR FUNERA NOSTRA DOMO] Ego mortuus e Cynthiæ domo ad ſepulturam efferar. Servius in illud 4. Georg. *Et triſtia funera ducunt*. *Ducere & duci proprium funeris quum exſequialis pompa ſequitur: unde Perſius, Nerio jam tertia ducitur uxor*. Cicero pro Quintio: *Vivo & videnti funus ducitur*. Addidit *ex hac domo*, ut Eleg. 15. infra:

Veſtibulum jaceam mortuus ante tuum.

& Eleg. 5. lib. 3.

Ante fores dominæ condar oportet iners. PASS.

v. 57. OMNES HUMANOS SANAT MEDICINA DOLORES] Arte medendi curantur omnes morbi, quicumque in hominem cadunt. Sic *humanos dolores* dixit Eleg. 16. lib. 2. *Dolores*, pro morbis. ut Horatius Ode 1. lib. 3. *Quod ſi dolentem nec Phrygius lapis, Nec purpurarum ſidere clarior Delenit uſus*. PASS. Idem poeta Venuſinus Sat. 1. lib. 1.

Panis ematur, olus, vini ſextarius: adde
Queis humana ſibi doleat natura negatis.

Deficiat nimirum, in morbum incidat.

Ovidius tamen affirmat Eleg. 3. lib. 1. Pontic. eſſe morbos quos profligare nequeat medicina; & verius quidem. Sed Propertius argumento ſervit, ut oſtendat, ſolum amoris morbum inſanabilem eſſe. VULP.

v. 58. SOLUS AMOR MORBI NON AMAT ARTIFICEM] Medicum odit, & medicinam aſpernatur. Sic Eleg. 2. lib. 2.

Crede mihi, non ulla tua medicina figura eſt.
Nudus Amor formæ non amat artificem.

Si Crateti credimus apud Laërtium, amorem ſedat fames; ſin minus, tempus. quod ſi hæc non proficiunt, laqueus. P. Non perſtringit medicos poeta, quaſi eorum arte augeantur, foveanturque morbi: ſed *artificem morbi* dicit locutione ſingulari, quod ars medica occupata ſit circa morbos tollendos, & ægrotos ab iis liberandos. VULP.

v. 59. TARDA PHILOCTETÆ SANAVIT CRURA MACHAON] Quum Philoctetes acceptas ab Hercule ſagittas tractaret, delapſa una eum pedem vulneravit quo in tumulum Herculis indicarat. Itaque relictus a Græcis in Lemnu inſula incredibiles dolores pertulit. Ovidius 13. Metam. Idem lib. 5. Triſt. Eleg. 2.

Pene decem totis aluit Pœantius annis
Peſtiferum tumido vulnus ab angue datum.

Fabulam narrat Servius ad illud 3. Æneid.

Parva Philoctetæ ſubnixa Petilia muro.

Sophocles in Trachiniis, & Homerus Iliad. 2. At Hyginus Fab. 102. a colubro appetitum ait ejus pedem in Lemno; quod innuit Ovidius in verſibus ante allatis, Pauſanias in Arcadicis, & Cicero 2. Tuſc. ex Attii Philocteta. PASS. *Tarda crura*. vulnere debilia, & ad incedendum minus apta. Virgilius 2. Æneid. 435.

Iphitus & Pelias mecum: quorum Iphitus ævo
Jam gravior, Pelias & vulnere tardus Ulixi.
VULP.

ibid. MACHAON] Æſculapii filius, Poda-

Et deus exstinctum Cressis Epidaurius herbis
Restituit patriis Androgeona focis.
Mysus & Hæmonia juvenis qua cuspide vulnus
Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.

Hoc

dalirii frater, medicus insignis, qui cum reliquis Græcorum primoribus ad bellum Trojanum profectus est, & ab Eurypylo tandem interfectus. VULP.

v. 60. PHŒNICIS CHIRON LUMINA PHILLYRIDES] Chiron Saturni & Phillyræ filius sanavit cæcitatem oculorum Phœnicis. *Phœnix* Amyntoris filius, de quo Homerus Iliad. 9. & Achillis magister. Apollodorus lib. 3. scribit, a patre Amyntore oculorum luce privatum, quod eum incesti noverca insimulasset. Pelea vero ad Chironem deduxisse, sanatumque esse, ac regem Dolopum constitutum. Ovidius in Ibin: *Id quod Amyntorides, videas*. De Chirone Servius in illud 4. Æneid. *Phillyrides Chiron*. & in 3. Georg. Ovidius 6. Metam.

Ut Saturnus equo geminum Chirona crearit.

Idem & Apollonius lib. 2. Argonaut. Callimachus Hymno in Jovem v. 36. & in Delon v. 118. & Scholiastes. PASS.

v. 61. DEUS EPIDAURIUS] Periphrasis Æsculapii. ut *Deus Tænarius*, periphrasis Neptuni Eleg. 13. lib. 1. Epidauri autem, quod oppidum est Achajæ, colebatur Æsculapius, quod ibi natus & educatus, & quod dracones innoxios ea tellus alat. Pausanias in Corinthiacis, Strabo lib. 8. Plinius lib. 4. H. N. cap. 5. PASS. De Æsculapio vide & Ovidium lib. 2. & 15. Metam. Apollinis filius fuit ex Coronide, medicina insignis, Græcis Ἀσκληπιός. VULP.

ibid. CRESSIS HERBIS] A Cres fit Cressa. Virgilius 5. Æneid. *Cressa genus Pholoe*. Noster Eleg. 7. lib. 4.

Altera Cressa
Portat mentita lignea monstra bovis.

& *Cressis herbis*, quia in Ida monte Cretæ herbæ salutares, ut dictamnus; & quia Cretensis erat Androgeos. PASS. A Cres non fit Cressus, sed Cressa femininum; sicut a Thrax vel Threx Thressa, a Libs Libyssa, a Phœnix Phœnissa, a Cilix Cilissa. Invenitur tamen Cressius. Virgilius 4. Æneid. 70. *nemora inter Cressia*. V. In Creta omnes frutices omnesque herbas efficaciores nasci ac salubriores quam usquam alibi, statuebant veteres, teste Theophrasto L. 9. Hist. Plant. C. 16. & Servio in L. 12. Æneid. v. 412. Etiam in hac fabella alios Noster auctores habuit, ac nos hodie habemus. BROUKH.

v. 62. RESTITUIT] Quasi in integrum a mortis postliminio. Horatius Ode 7. lib. 4. *Non te facundia, non te Restituet pietas*. PASS. *Restituere* est iterum statuere, lapsam & jacentem excitare. translatum ab ædificiis. VULP.

ibid. PATRIIS FOCIS] Diis Penatibus. id est patriæ & patri Minoi. PASS.

ibid. ANDROGEONA EXSTINCTUM] Androgeos Minois filius, vel a Marathonio tauro, vel ab athletis Atheniensibus, regis Ægei insidiis, per invidiam interfectus, ut scribit Apollodorus lib. 3. Sed Hyginus Fab. 41. eum scribit cecidisse in pugna Cretensium adversus Athenienses. Non memini autem legere me ab Æsculapio excitatum ab inferis. Ovidius certe & Virgilius Æsculapii operâ revixisse Hippolytum tradunt. Ovidius 6. Fast.

Gramina continuo loculis depromit eburnis:
Profuerant Glauci manibus illa prius.

Ergo vel Androgeos pro Glauco, frater pro fratre, vel idem Androgeos qui & Glaucus: nam uterque Minois filius. Tradit enim Hyginus Fab. 49. ab Æsculapio Glaucum Minois filium, sive Hippolytum, ad vitam revocatum, mira confusione nominis. Idem Fab. 136. eumdem Glaucum puerum Minoi patri restitutum ait draconis operâ a Polyido augure. PASS.

v. 63. MYSUS ET HÆMONIA JUVENIS, &c.] Periphrasis Telephi. ut Eleg. 20. lib. 1. *Comes invicti juvenis*, pro Hylas armiger Herculis. Telephus autem rex Mysorum ab Achille in pugna vulneratus Chironis hasta, oraculi monitu ab eadem remedium quæsivit. Hyginus Fab. 100. & 101. Apollodorus lib. 2. & 3. Dictus a θήλη, id est mamma, & ἔλαφος, cerva, quod cervæ mamma educatus fuerit ille Herculis

Hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus
Tantaleæ poterit tradere poma manu.
Dolia virgineis idem ille repleverit urnis,
Ne tenera assidua colla graventur aqua.

Idem

lis & Auges filius. Ovidius lib. 1. A. A.

Vulnus Achilleo quæ quondam fecerat hosti,
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.

Idem in Ibin:

Nec levius doleas quam qui bibit ubera cervæ,
Armatique tulit vulnus, inermis opem. P.

Nihil magis celebre apud poetas. *Mysus juvenis.* Mysia regio minoris Asiæ. tribuitur in majorem & minorem. Major circa Caïcum & Pergamum, quam Olympenen vocat Strabo lib. 12. In hac Telephus imperavit: fluvius enim Caïcus vocatur ab Ovidio lib. 2. Metam. *Teuthranteus*, a *Teuthrantia* oppido & regione. Idem vero poeta lib. 2. Trist. Eleg. 1. Telephum ita περιφράζει:

Scilicet ut quondam Teuthrantia regna tenenti,
Sic mihi res eadem vulnus, opemque tulit.

Minorem Mysiam Ptolemæus Hellespontiam vocat; quæ sita fuit ad Propontidem, inde in mediterranea procurrens. V. ibid. HÆMONIA CUSPIDE] Hastâ Thessalâ & Achilleâ. quæ *Pelias hasta* dicitur. Apollodorus lib. 3. ait, dono datam illam hastam Peleo a Chirone. *Hæmonius*, Thessalus. ut dictum ad Eleg. 13. lib. 1. *Cuspis*, pro hasta. ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον. Virgilius 10. Æneid. *Levique patens in pectore vulnus Cuspidis Ausoniæ.* Servius in illud 10. Æneid.

Vibranti cuspis medium transverberat ictu:

Cuspis, inquit, *abusive pro hastæ mucrone.* Isidorus lib. 18. Originum, cap. 7. *Cuspis hastile amentatum: sed proprie posterior pars hastæ.* PASS.

v. 64. HAC IPSA CUSPIDE SENSIT OPEM] Aliis tamen placet, Telephum herbis sanatum ab Achille, herbarum peritissimo. Vide Plinium lib. 25. H. N. cap. 5. ubi legas, ab Achille æruginem primum inventam, utilissimam emplastris. ideoque pingi solitum decutientem illam ex cuspide in vulnus Telephi. alios tamen tradere utroque usum medicamento, nimirum & ærugine & herbis. Vide etiam Acronem ad Epod. 17. Horatii, Appulejum, seu quisquis tandem ille est, de Herbarum Viribus, L. Septimium, quem vulgo dicunt Dictyn Cretensem, lib. 2. Belli Trojani, cap. 6. Hæc debemus præstantissimo Broukhusio. VULP.

v. 65. HOC SI QUIS VITIUM POTERIT MIHI DEMERE] Amorem, qui animum vitiat, ex animo avellere. Ut supra *morbum* dixit, sic & hic *vitium*. & Eleg. 23. infra:

Unicuique dedit vitium natura creato:
Mi fortuna aliquid semper amare dedit.

item Eleg. 15. lib. 3.

Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo.

Demere ab *de* & *emere*, quasi *deemere*. id est sumere & auferre. vel quia qui emit, rem aufert soluto pretio. Dicitur de re molesta. Horatius Epist. 2. lib. 1. *Quæ lædunt oculos festinas demere.* PASS.

v. 66. TANTALEÆ POTERIT TRADERE POMA MANU] Tantalo poma porrigere, ita ut ille accipiat. Tantali nota fabula. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 2.

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus. hoc illi garrula lingua dedit.

Noster Eleg. 17. infra:

Vel tu Tantalea moveare ad flumina sorte.

De illo Homerus lib. 11. Odysseæ, Pindarus in Olympiis, Euripides in Oreste, Lucretius lib. 3. Cicero 1. Tusc. qui saxum ei impendere scribit. PASS. *Manu*, pro *manui*. Terentius Adelphis: *Vestitu nimio indulges.* id est vestitui. VULP. A. Gellius lib. 4. N. A. cap. 16. *Non omnes*, inquit, *concedunt in dativo casu* senatui *magis dicendum quam* senatu. *sicut Lucillius in eodem casu*, victu *&* anu *dicit*, *non* victui *&* anui, *in hisce versibus*,

Quod sumtum atque epulas victu præponis honesto.

& alio in loco, anu noceo, *inquit*. BROUKH.

v. 67. DOLIA VIRGINEIS IDEM ILLE REPLEVERIT URNIS] Danaidum implebit dolium, licet pertusum. Hujus fabulæ meminit Eleg. ult. lib. 4.

-- Si fallo, pœna sororum
Infelix humeros urgeat urna meos.

 Ovi-

Idem Caucasea solvet de rupe Promethei
Brachia, & a medio pectore pellet avem.
Quandocumque igitur vitam mea fata reposcent,
Et breve in exiguo marmore nomen ero:

Ma-

Ovidius in Ibin :

Quaque gerunt humeris perituras Belides undas,
Exsulis Ægypti turba cruenta nurus.

Narratur ab Horatio Ode 11. lib. 3. explicatur a Lucretio lib. 3. Vide Hyginum Fab. 170. Bion apud Laertium : Ἔλεγε τοὺς ἐν ᾅδη μᾶλλον ἂν κολάζεσθαι εἰ ὁλοκλήροις ἢ μὴ τετρημένοις ἀγγείοις ὑδροφόρουν. *Dicebat, eos qui essent apud inferos, magis profecto cruciandos, si integris, quam si perforatis vasis aquam ferrent.* Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Et Danai proles, Veneris quæ numina læsit,
In cava Lethæas dolia portat aquas. PASS.

Et hoc οὐδὲς ἀδικεῖν. ut & Tantalo poma in manus tradere, & aquilam a Promethei pectore abigere ; quum vetent leges Jovis. VULP.

v. 68. NE TENERA ASSIDUA COLLA GRAVENTUR AQUA] Ne teneræ virginum cervices urgeantur & premantur aqua perpetuo aggerunda. Ovidius in Ibin, imitatus Propertium :

Quaque parare suis letum patruelibus ausæ
Belides, assiduâ colla premuntur aquâ.

Huc allusit Plautus Pseudolo : *In pertusum ingerimus dicta dolium, operam ludimus.* P. *Colla graventur.* Ne scilicet Danaïdes graventur colla. ἑλληνισμός. Et sic accipi oportere, suadent versus Ovidii in Ibin, a Passeratio allati. Nos quoque hanc fabulam attigimus Elegia quadam :

Quid memorem sparsos nulla mercede labores?
Ut Danai proles improba perdit aquam. V.

v. 69. IDEM CAUCASEA SOLVET DE RUPE PROMETHEI BRACHIA] Herculis ille vires & robur habebit, quem, aquilâ sagittis transfixâ, redeuntem Colcho solvisse Prometheum, scribunt Interpretes Apollonii lib. 2. & Valerius Flaccus lib. 4. & Pausanias in Eliacis. Vulgatissima fabula ; de qua dictum ad Eleg. 12. lib. 1. De ea Apollodorus lib. 1. Horatius Ode 3. lib. 1. Hesiodus in Theogonia, & ἐν Ἔργοις, Æschylus & Attius in Prometheo ; Plato denique in Protagora. Servius Prometheum ait suos astrologiam docuisse, quam ex Caucaso monte didicisset assidue sidera contemplando : unde cælestem ignem furatus fingitur. Cicero 5. Tusc. cælestium divinam cognitionem nomine Promethei ait ad errorem fabulæ traductam. Phurnutus Promethei nomine divinam providentiam intelligit. Meminit & Pausanias in Corinthiacis. PASS. *Solvet Promethei Brachia.* Æschylus olim Tragœdias tres conscripserat nomine Promethei, scilicet Προμηθέα πυρφόρον, seu πυρὸς κλέπτην, Προμηθέα δεσμώτην, quæ hodie exstat, & Προμηθέα λυόμενον. Prima & tertia perierunt. V.

v. 70. ET A MEDIO PECTORE PELLET AVEM] Amovebit aquilam a tondendo jocinore. *Avis* pro aquila. ut Eleg. 30. infra : *Ut ad Troja tecta volarit avis.* & Eleg. 25.

Caucaseas etiam si pateremur aves.

Et apud Ciceronem in Arateis. De hac aquila Apollodorus lib. 1. Καθ' ἑκάστην δὲ ἡμέραν ἀετὸς ἐφιπτάμενος αὐτῷ τοὺς λοβοὺς ἐνέμετο τοῦ ἥπατος αὐξανομένου διὰ νυκτός. Hesiodi Interpres fluvium ait fuisse ἀετὸν nomine. Fingit vero Propertius adhuc vinctum Promethea, ut & Horatius Epodo 17.

Optat (quietem) *Prometheus obligatus aliti.* P.

A medio pectore pellet avem. Catullus Carm. 67. in re simili usus est verbo magis efficaci :

Suscitat a cano volturium capite.

Inter hoc distichum & quod proxime sequitur, inseruit Scaliger octo versus, translatos ex Eleg. 4. hujus libri : qui tamen illic rectius leguntur ubi eos collocavit Propertius. Nam post ἀδύνατα quæ hic memoravit poeta, debuit statim sequi mentio de fato ac morte, quæ ipsi ventura tandem sit ob amorem obstinatum, & desperata remedia. VULP.

v. 71. QUANDOCUMQUE IGITUR VITAM MEA FATA REPOSCENT] Formula testandi videtur ; ut Eleg. 13. infra :

Quandocumque igitur nostros mors claudet ocellos.

Seneca de Vita Beata cap. 20. *Quandocumque*

Mæcenas noſtræ ſpes invidioſa juventæ,
Et vitæ & morti gloria juſta meæ:

Si

qui autem natura ſpiritum repetet. Mea fata, quæ mihi naſcenti Parcæ neverunt. Cicero Philipp. 13. *Fatum meum eſt, ſine republica nec vinci poſſe, nec vincere.* Et *mea* etiamſi adverſa. Virgilius 6. Æneid.

Sed me fata mea & ſcelus exitiale Lacænæ
His merſere malis.

Sic Terentius: *Meus carnifex, & Dea irata mea*. Poteſt eſſe hypallage, pro meam vitam. *Repoſcent* dixit translatione a creditoribus. Ita Lucretius lib. 3. v. 984.

Vitaque mancupio nulli datur, omnibus uſu.

Unde *animam reddere* Eleg. 6. lib. 1. Cicero 1. Tuſc. *Natura vitæ uſuram omnibus dedit, tamquam pecuniæ, nulla præſtituta die.* Albinovanus Conſolat. ad Liviam:

Vita data eſt utenda, data eſt ſine fœnore nobis
Mutua; nec certâ perſolvenda die.

Petronius Satyrico: *Si antequam fata poſcant, indemnatum ſpiritum effuderis.* PASS. *Vitam mea fata repoſcent*. Livinejus malebat, *vitam me fata repoſcent*. non male. ſed nec vulgatam rejicias: eſt enim *mea fata* idem quod *mea Parcæ*. Juvenalis Sat. 9. eam locutionem ſic extulit:

Hæc exempla para felicibus, at mea Clotho
Et Lacheſis gaudent, ſi &c. BROUKH.

v. 72. ET BREVE IN EXIGUO MARMORE NOMEN ERO] Nihil de me ſupererit præter nomen paucis litteris inſculptam. Laberius apud Macrobium lib. 2. Saturnal. cap. 7.

Sepulcris ſimilis nil niſi nomen retineo.

Auſonius in Parentalibus:

Gaudent compoſiti cineres ſua nomina dici,
Frontibus & ſcriptis hoc monimenta jubent.

Noſter Eleg. 16. lib. 3.

Non juvat in media nomen habere via.

id eſt ſepeliri; quia urnæ cum cineribus mortuorum tumulari ſolebant prope celebres vias. Lege Tibullum Eleg. 3. lib. 1. qui & fata & marmor & nomen complectitur. *In exiguo marmore*, in parvo tumulo. ſic *exiguum buſtum* dixit Eleg. 13. infra. ut hic *marmor*, ſic *marmorea domus* pro ſepulcro Tibullo Eleg. 2. lib. 3. PASS. Quid hic ſit nomen, erudite exponit Andreas Schottus Lib. 3. Obſervat. Hum. cap. 20. hoc ſimul loco commode illuſtrato. BROUKH. *Breve nomen in exiguo marmore*, nihil aliud eſt quam *lapis ſcriptus notis*, nimirum cippus ſive columella ſita ſuper tumulum, ſive aggeſtam terram quæ urnam cum cineribus tegebat. In eo cippo plerumque erat brevis aliqua inſcriptio. VULP.

v. 73. MÆCENAS NOSTRÆ SPES INVIDIOSA JUVENTÆ] Ovidius imitatur Propertium lib. 4. Metam.

Multorumque fuit ſpes invidioſa procorum.

[qui verſus repetitur lib. 9. Metam. v. 10. de Dejanira] *Invidioſus*, inquit Gellius N. A. lib. 9. cap. 12. *& cui invidetur*. Hic *ſpes invidioſa* eſt clara, nobilis, & eximia; quia non niſi florenti fortunæ invidetur. Eleg. 33. infra:

Quæ ſequitur, certe eſt invidioſa minus.

id eſt minus obnoxia invidiæ. [At ibi *invidioſa*, eſt ob flagitium notata, famoſa] Contra Eleg. 29. infra:

--- Illa peræque
Præ ſe formoſis invidioſa dea eſt.

id eſt, invida. Laboraſſe invidia Mæcenatem, conſtat ex ejus Epicedio. *Noſtræ juventæ*, ut Eleg. 3. infra:

Hac ego non mirer ſi flagret noſtra juventus.

[Eo tamen loco *juventus* eſt multitudo juvenum, non ætas ipſa] Tibullus Eleg. 3. lib. 3.

Inque tuo caderet noſtra ſenecta ſinu. PASS.

Significat poeta, ſe magnam ſpem dignitatis & fortunarum ſuarum jampridem collocaviſſe in præſidio, patrocinio, benevolentia, familiaritate Mæcenatis. Juvenum autem præcipue ſpes eſt. Ariſtoteles contra lib. 2. Rhetoric. dixit, ſenes memoria magis vivere, quam ſpe. *Invidioſus*. ζηλωτός, ἐπίφθονος. VULP.

v. 74. ET VITÆ ET MORTI GLORIA JUSTA MEÆ] Vel decus ingens mihi & vivo & mortuo; ut ſit *juſta*, magna, ingens. Sic Horatius Sat. 7. lib. 1. *Juſta chiragra Contudit articulos*. & Livius lib. 6. *Juſta cæde conficere hoſtem*: vel quo patrono jure gloriabor & vivus & mortuus. *Mea vita*, ego vivus, ut dictum Eleg. 2. lib. 1. ad illud:

His tu ſemper eris noſtræ gratiſſima vitæ.

& *mors mea*, ego mortuus, ut Eleg. 13. infra:

Nec

Si te forte meo ducet via proxima busto,
Esseda cælatis siste Britanna jugis.

Ta-

Nec sit in Attalica more mea nixa toro. PASS.

ibid. ET VITÆ AT MORTI GLORIA JUSTA MEÆ] Dum enim vivo, te patrono gaudeo: postquam fato cessero, dicar tecum familiariter versatus, quod mihi gloriosum futurum est. Augustus Imperator in quadam Epistola Horatium sic increpat: *Iratum me tibi scito, quod non in plerisque hujusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris ne apud posteros infame tibi sit, quod videaris familiaris nobis esse?* Legunt alii, in quibus Lævinus Torrentius ad Horatium: *Ut vitæ, & morti.* VULP.

v. 75. SI TE FORTE MEO DUCET VIA PROXIMA BUSTO] Si forte viam eam sequéris quæ vicina erit tumulo meo. *ἰδιωτικῶς ducet via.* Virgilius Ecl. 9.

Quo te, Mæri, pedes? an, quo via ducit, in urbem?

Juxta viam autem sepulcra; unde viatores alloquuntur sæpe epitaphia. Varro in *Monimentum*, & Juvenalis Sat. 1. vide Elegiam 16. lib. 3. in fine. PASS. *Si te ducet via.* Noster Eleg. 32. hujus libri:

Appia cur toties te via ducit anum? VULP.

Noli hinc colligere, poetam nostrum voluisse sepeliri juxta viam publicam: sed potius expone, Si forte iter facies haud procul eo rusculo in quo ego mihi sepulturam elegero. Ipse ita jubet lib. 3. Elegia 14. [16.]

Dii faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
Qua facit assiduo tramite vulgus iter.

vide quæ istic sequuntur. nec monuissem, nisi Passeratius hæc perperam intellexisset. BROUKH.

v. 76. ESSEDA CÆLATIS SISTE BRITANNA JUGIS] *Esseda*, sunt Britannorum vehicula. Cæsar L. 4. Belli Gallici C. 24. *Barbari, consilio Romanorum cognito, præmisso equitatu & essedariis, quo plerumque genere in præliis uti consuerunt, reliquis copiis subsecuti, nostros navibus egredi prohibebant.* Rationem pugnandi ex essedis tradit paullo post C. 33. quam fuisse fallacem ostendit & Cicero Epist. 7. lib. 7. ad famil. *Tu qui ceteris cavere didicisti, in Britannia ne ab essedariis decipiaris caveto.* Hinc jocus in Trebatium Epist. proxime sequente: *In Britannia nihil esse audio neque auri neque argenti. id si ita est, essedum aliquod suadeo capias, & ad nos quam primum recurras.* Transierunt brevi hæc vehicula in usus Romanos: credo ob agilitatem & flexuræ commoditatem: usique iis quam maxime homines delicati. Virgilius Lib. 3. Georg. v. 204.

Belgica vel molli melius feret esseda collo.

Philargyrius: MOLLI, *mobili dixit, ut 2 Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.* erant autem adeo levia, ut & puellæ aurigarentur solæ. Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 16.

Parvaque quamprimum rapientibus esseda mannis
Ipsa per admissas concute lora jubas.

Cicero lib. 6. ad Attic. Epist. 1. *Hic Vedius venit mihi obviam cum duobus essedis, & rheda equis juncta, & lectica, & familia magna - - - - erat præterea cynocephalus in essedo: nec deerant onagri.* Deinde magis ac magis invaluit demens luxus. Suetonius Claudio cap. 16. *Fuerunt & illa in censura ejus notabilia, quod essedum argenteum, sumtuose fabricatum, ac venale ad sigillaria, redimi, concidique coram imperavit; &c.* BROUKH. Virgilius 3. Georg. *Belgica esseda* pro Britannis dixit. ut Propertius Elegia 19. lib. 2. quum dixisset:

Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,

subjicit:

Turpis Romano Belgicus ore color.

& *Britanna* pro Britannica; ut *Partha tropæa*, *Romula tellus*. PASS.

ibid. CÆLATIS JUGIS] Cælaturis ornari solita vehicula, monet Plinius lib. 33. H. N. cap. 11. Pingebantur etiam: unde Eleg. 3. lib. 4.

Hibernique Getæ, pictoque Britannia curru.

Juga & in curru, ubi aurigæ sedebant, & in navi, ubi remiges & vectores. Virgilius 6. Æneid. *Ipse rotis saliens juga deseris.* Idem lib. 12. *Dum trahitur, pendetque jugis.* Ovidius lib. 2. Metam. *Solitaque jugum gravitate carebat.* id est, leviorem Phaëtontem equi sentiebant, quam Solem patrem. PASS. Cælata vehicula memorat Seneca Epist. 87. VULP.

v. 77.

Taliaque inlacrimans mutæ jace verba favillæ:
Huic misero fatum dura puella fuit.

v. 77. TALIAQUE INLACRIMANS MUTÆ JACE VERBA FAVILLÆ] Sic affare cinerem & manes amici non responsuros. & *illacrimans favillæ*, & *jace favillæ*. Cicero: *Socratis morti illacrimare soleo*. *Jace verba*. at Eleg. ult. lib. 4.

Ut responsura singula verba jace.

& Eleg. 10. ejusd. libri:

Et jacit ante fores verba minora deo.

Muta favilla. Sic Tibullus Eleg. 6. lib. 2.

Et mea cum muto fata querar cinere.

Catullus quoque Carm. 99.

Et mutum nequicquam alloquerer cinerem.

Noster Eleg. 13. infra:

Sed frustra mutos revocabis, Cynthia, manes. P.

v. 78. HUIC MISERO FATUM DURA PUELLA FUIT] Id est, fati mortisque caussa. ut Eleg. 14. lib. 1.

Illa etiam duris mentibus esse dolor.

Sic Eleg. 13. lib. 3.

Sola Parin patriæ fatum componere, &c.

id est, caussam interitus. *Huic misero*, nempe olim amanti. ut initio libri 1.

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis.

& nunc mortuo. nam miseri censebantur mortui, teste Cicerone 1. Tusc. Tibullus Eleg. 2. lib. 3.

Lygdamus hic situs est. dolor huic & cura Neæra
Conjugis erepta caussa perire fuit.

Incidebatur autem sepulcro caussa mortis. Ovidius Epist. Didûs:

Præbuit Æneas & caussam mortis & ensem.

Albinovanus ad Liviam:

Caussaque dicemur nos tibi, Druse, necis. PASS.

ELEGIA II.

LIber eram, & vacuo meditabar vivere lecto:
At me composita pace fefellit Amor.

Cur

ARGUMENTUM ELEGIÆ II. LIBRI II.] Se amori nuntiam remittere frustra voluisse: cujus inconstantiæ suæ culpam confert in Cynthiæ pulchritudinem, quam describit & admiratur. VULP.

v. 1. LIBER ERAM] Solutus amore mihi videbar. Eleg. 21. infra: *Aspice, cantat liber*. Cicero Epist. 8. lib. 14. ad Attic. *A ducenda uxore sic abhorret, ut quicquam libero lectulo neget esse jucundius*. *Liber*, ferox. vide adnotata ad illud Eleg. 10. lib. 1.

Qui numquam vacuo pectore liber erit.

Sic fere exorsus est Tibullus Eleg. 5. lib. 1.

Asper eram, & bene discidium me ferre loquebar:
At mihi nunc longe gloria fortis abest. P.

Contra, qui amant, servitutem serviunt. Noster Eleg. 23. lib. hujus:

Libertas quoniam nulli jam restat amanti,
Nullus liber erit, si quis amare volet. V.

ibid. ET VACUO MEDITABAR VIVERE LECTO] Nempe solo, cælibe, deserto. vide notata ad Eleg. 15. lib. 1. v. 28. & *vivere*, inquit, quia sine libertate vita nulla. P. *Meditabar*. Exercebam ipse me ad vitæ duritiem ac temperantiam. interdum enim Latinis *meditari*, est parare, ante cogitare. Cicero lib. 1. de Oratore: *Quæ in foro agenda sunt, exercitatione quasi ludicra prædiscere & meditari*. Juvenalis Sat. 4. 111.

Et, qui vulturibus servabat viscera Dacis,
Fuscus, marmorea meditatus prælia villa.

Plautus in Sticho 2, 1, 34. *Ad cursum meditabor me*. Pro quo Mostell. 4, 1, 5. dixit: *Exercent se se ad cursuram*. Ita Valerius Maximus lib. 2. cap. 3. *Armorum tractandorum meditatio a P. Rutilio consule militibus est tradita*. *Meditari* Græcis *μελετᾶν*. Hesychius in Lexico: Μελετᾷ, ἀσκεῖ, ἐπιμελεῖται, γυμνάζεται· μελέτη γὰρ ἄσκησις, καὶ τὸ μελετηθῆναι, γυμνασθῆναι, ἐπιμεληθῆναι, καὶ τὰ ὅμοια. Male Broukhusius, *quærebam*, pro *meditabar*, invitis membranis, quod ipse non diffitetur. VULP.

v. 2. AT ME COMPOSITA PACE FEFELLIT AMOR] Facta pace rursus me dolo

ag-

Cur hæc in terris facies humana moratur?
Juppiter, ignoro pristina furta tua.

Ful-

aggressus est. Virgilius 7. Æneid.

Disjice compositam pacem, sere crimina belli.

Fefellit Amor. ut idem Virgilius 4. Æneid.

Una dolo divûm si femina victa duorum.

Sic Euripides:

Κύπεις δολιόφρων, δολοφρονέντα ἢ πανῦργος. PASS.

Hic *composita pax* est conficta, simulata, in qua nihil veri; uti recte Schoppius exposuit L. 4. Verisimil. C. 12. Cicero Accus. a. in Verrem C. 22. *Rem occulte instituunt: ad Verrem per ejus interpretes deferunt: ita caussa componitur, ut item palæstritæ Bidenses peterent ab Epicrato hereditatem, quemadmodum palæstritæ Syracusani ab Heraclio petissent.* Auctor Dialogi de Oratoribus C. 12. *Vel si hæc fabulosa nimis & composita videntur, illud certe mihi concedis, Aper,* &c. Ausonius Epist. 24.

Nec quæ compositis malesuadæ credula caussæ
Concinnat verisimilis suspicio culpæ. BROUKH.

Certe, *componere* verbum insidiarum. Propertius ipse Eleg. 32. hujus libri:

Nil agis: insidias in me componis inanes:
Tendis iners docto retia nota mihi.

Livius lib. 25. ab U. C. *Et quum jam composita omnia ad proditionem essent.* Hinc adverbium *composito*. Virgilius 2. Æneid. 129.

Composito rumpit vocem, & me destinat aræ.

Porro hanc Elegiam misere distraxit Scaliger ac laceravit, susque deque omnia permiscens. NIHIL enim vetat, esse homines doctrina excellentes, in quibus sit mirabilis quædam vis cognitionis & scientiæ, eosdem tamen poeticæ rationis & venustatis non satis peritos. Hi omnia distingere atque interpolare conantur quæ ipsorum palato non sapiunt. VULP.

v. 3. CUR HÆC IN TERRIS FACIES HUMANA MORATUR?] Cur hæc muliebris forma digna cælo, manet in solo? Sic Petronius Arbiter:

Quid factum est, quod tu projectis Juppiter armis
Inter cælicolas fabula muta taces?
Nunc erat a tenera submittere cornua fronte,
Nunc pluma canos dissimulare tuos. &c.

Morari in terris, pro esse inter homines & vivere. Cicero 6. de Republ. *Quid moror in terris? quin ad vos venire propero?* Horatius Ode 20. lib. 2. *Nec in terris morabor amplius.* Inde jocus Neronis apud Suetonium in Nerone cap. 33. *Desiisse Claudium inter homines morari.* PASS. *Cur hæc in terris facies humana moratur?* Pulcherrimus hic locus est, si quis alius in Propertio. Dixerat, se ab Amore deceptum simulatione falsæ pacis. Ut ignominiam effugiat, excusationem affert, Jovemque interrogat, cur in terris adhuc Cynthiam morari sinat, quæ non solum se homuncionem, sed etiam deum qui templa cæli summa sonitu concutit, pellicere atque in sui amorem pertrahere possit. *Facies humana*, inquit; quæ divina fieri meretur jampridem, & cum diis superis recumbens ore purpureo nectar bibere. *In terris*. A. Sabinus Epist. Paridis:

Non foret in terris tanto miranda decore
Tyndaris.

Aliquando, *in terris* est apud inferos, intra terræ viscera. Noster infra Eleg. 6.

Ah gemat in terris, ista qui protulit arte
Jurgia sub tacita condita lætitia. VULP.

v. 4. JUPPITER, IGNORO PRISTINA FURTA TUA] *Ignosco*. Alii libri *ignoro*. quod Janus Gulielmus cap. 6. Amphitr. exponit, nescire me simulo, & nihili facio: & eam vim verbi multis exemplis confirmat. sed retinendum est, *ignosco*. id est, non agnosco, nec credo & repudio. Ausonius:

Ignoscenda istæc an cognoscenda rearis.

Catullus Epigr. 36. *Ignosco tibi, Sapphicâ puella Musâ doctior.* & sane est propria ejus verbi notio; illa tralatitia, pro veniam dare; fingunt enim se nescire admissa qui volunt iis dare veniam. Contra Catullus Carm. 67.

Sæpe etiam Juno maxima cælicolûm
Conjugis in culpa flagravit quottidiana,
Noscens omnivoli plurima furta Jovis.

Ubi noscit furta, quæ deprehendit adulteria, & ob ea succenset. Plautus Amphitr. 1, 1. *Orant ignoscamus peccatum suum.* De furtis Jovis omnia vulgata. Ovidius Epist. Paridis:

Juppiter his gaudet, gaudet Venus aurea furtis.
Hæc tibi nempe patrem furta dedere Jovem. P.

Igno-

Fulva coma est, longæque manus, & maxima toto
Corpore: & incedit vel Jove digna soror:

Aut

Ignoro habent octo libri MSS. cum editionibus primis. BROUKH. Præter tamen omnium principem A. 1472. in qua est *ignosco*. Sed sive *ignosco*, sive *ignoro* legere malis, eodem recidit sententia. Plautus Asin. 5, 2, 18.

Eadem nunc, quam est melius, me, cujus opera est, ignorat, mala.

Asconius Pedianus Commentario in Orationem Ciceronis De Toga Candida, cujus pauca tantum fragmenta exstant: *Huic Orationi Ciceronis & Catilina & Antonius contumeliose responderunt: quod solum poterant, invecti in novitatem ejus. Feruntur quoque Orationes nomine illorum editæ, non ab ipsis scriptæ, sed a Ciceronis obtrectatoribus; quas nescio an satius sit ignorare.* Virgilius 7. Æneid. 202.

Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos
Saturni gentem.

Contra Cicero pro Archia poeta: *Omnes qui aliquid de ingeniis poterant judicare, cognitione, atque hospitio dignum existimarunt.* Vide Vossium Inst. Orat. lib. 4. pag. 162. VULP.

v. 5. FULVA COMA EST] Græcis ξανθόθριξ, ξανθοκόμης, ξανθοκάρηνος. Cato in Originibus apud Charisium in *Cinerarius*: *Mulieres nostræ capillum cinere ungitabant, ut rutilus esset crinis.* Virgilius 8. Æneid. de Gallis:

Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis.

[ubi *vestis*, barba]. PASS.

ibid. LONGÆQUE MANUS] Pars formæ manus longæ, longique digiti. Appulejus initio lib. 2. Florid. *Manus teneræ, procerulæ.* P. Ludovicus Areostus Cantu 7. Rolandi Furentis, strophe 15.

E la candida man spesso si vede
Lunghetta alquanto, e di larghezza angusta,
Dove nè nodo appar, nè vena eccede.

Quod autem unus ex Persarum regibus Ἀρταξέρξης μακρόχειρ, Artaxerxes Longimanus, vocatus fuerit, datum ei vitio id crediderim. Alioqui regibus omnibus longæ manus: verum συμβολικῶς. VULP.

ibid. ET MAXIMA TOTO CORPORE] Longissima. Catullus Carm. 85.

Quintia formosa est multis: mihi candida, longa,
Recta est. hæc ego sic singula confiteor.

Auget autem vim boni, magnitudo. Aristoteles in Rhetoricis: θηλειῶν δὲ ἀρετὴ, σώματος μὲν, κάλλος καὶ μέγεθος. unde Sappho: Ὅτι σμικρά μοι πεῖ ἔμμεναι φαίνει., κ ἀλκεες. PASS. Homerus lib. 15. Odysseæ 417. de uxore Ctesii: καλή τε μεγάλη τε. Idem Iliados lib. 21.

Οὐχ ὁρᾷας, οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε.

Quod Domitianus de se ipso usurpavit, teste Suetonio in ejus Vita cap. 18. Suffragatur Aristoteles lib. 4. Ethic. cap. 3. Τὸ κάλλος, inquit, ἐν μεγάλῳ σώματι· οἱ μικροὶ δ' ἀστεῖοι καὶ σύμμετροι, καλοὶ δ' οὔ. *Pulchritudo in magno corpore. parvi autem urbani & concinni, pulchri non item.* Tacitus iccirco lib. 12. Annal. cap. 44. *Erat Pharasmani filius nomine Rhadamistus, decora proceritate.* Hesiodus pariter in Scuto Herculis v. 4. de Alcmena:

Ἥ ῥα γυναικῶν φῦλον ἐκαίνυτο θηλυτεράων
Εἴδει τε μεγέθει τε.

Audiendus tamen Hippocrates Aphorismo 54. Sect. 2. Μεγέθει δὲ σώματος ἐννεάσαι μὲν, ἐλευθέριον καὶ οὐκ ἀηδές· ἐγγηρᾶσαι δὲ, δύσχρηστον, καὶ χεῖρον τῶν ἐλασσόνων. h. e. *In procero corpore juventutem exigere, liberale est, nec indecorum: eidem vero insenescere, incommodum, & deterius brevitate.* Andromache, uxor Hectoris Trojani, ob nimiam proceritatem notabatur: sed maritus id vitium verbis extenuabat. Ovidius A. A. lib. 2. v. 645.

Omnibus Andromache visa est spatiosior æquo:
Unus qui modicam diceret, Hector erat. V.

ibid. TOTO CORPORE] Contra Eleg. 5. lib. 2.

Aut cur sim toto corpore nullus ego. PASS.

v. 6. ET INCEDIT VEL JOVE DIGNA SOROR] Vel ipsi Junoni sorori Jovis incessu magnifico & decoris pleno comparari posse. Homerus Hymno in Venerem v. 41. ait, virtute Veneris fieri ut Juppiter mortalibus mulieribus misceatur, oblitus Junonis sororis & conjugis, quæ ingenti specie pulcherrima est inter deos immortales. V. Laudatur incessus Junonius. Ipsa Juno apud Virgilium 1. Æneid.

Aut quum Dulichias Pallas ſpatiatur ad aras,
Gorgonis anguiferæ pectus operta comis.
Qualis & Iſchomache Lapithæ genus heroinæ
Centauris medio grata rapina mero:

Mer-

Aſt ego quæ divûm incedo regina, Joviſque
Et ſoror & conjux.

ubi Servius: *Incedere eſt nobilium perſonarum*. Ovidius lib. 3. A. A.

Eſt & in inceſſu pars non temnenda decoris.

Apud Athenæum: Ἡραῖον βαδίζει. Fingitur autem Juno ſoror & conjux Jovis propter aeris & ætheris cognationem. Pass.

v. 7. Aut quum Dulichias Pallas spatiatur ad aras] Incedit motu quodam gravi & matronali. unde Horatius A. P.

Ut feſtis matrona moveri juſſa diebus.

ad aras enim movebantur faculas tenentes matronæ feſtis diebus. Servius. Propterea Virgilius 4. Æneid.

Aut ante ora deûm pingues ſpatiatur ad aras.

Pro *Dulichias* quidam legunt, *Munichias*, id eſt, Athenienſes; quod a Munichia tumulo, a quo murus XL. ſtadiorum Athenarum urbem cum Pyræo, duobuſque aliis portubus connectebat. Ovidius lib. 2. Metam.

Munichioſque volans agros, gratamque Minervæ
Deſpectabat humum.

Sed credibile eſt, Dulichii cultam Minervam Ulixi cariſſimam. Virgilius Ecl. 6. *Dulichias vexaſſe rates: Inſula*, inquit Servius, *ubi mons Ithacus, Ulixis patria*. Straboni lib. 3. *Dulichium eſt una Echinadum*. Noſter Eleg. 4. infra, *Dulichiam* vocat. dicitur & *Dolicha* Straboni lib. 10. Vide & Callimachum Hymno in Dianam v. 3. ex quo intelligimus, Dolicheu fuiſſe cariſſimam inſularum Dianæ. Pass. *Spatiari ad aras*, dixit etiam Virgilius lib. 4. Æneid. quod indocte & ſtolide reprehendit lymphatus Auctor Pſeudo-Virgilii. Donatus, vel quiſquis eſt ſcriptor, in προλεγομένοις ad Terentium: *Comœdia fere vetus, ut ipſa quoque olim Tragœdia, ſimplex carmen fuit: quod chorus circa aras fumantes nunc ſpatiatus, nunc conſiſtens, nunc revolvens gyros cum tibicine concinebat*. στροφὴ, στάσις, ἀντιστροφὴ chori canentis ac tripudiantis hæc verba ſignificant. Vulp.

v. 8. Gorgonis anguiferæ pectus operta comis] Crinibus anguineis Meduſæ tecta & munita. Ægida ſignificat, ut Elegia 10. lib. 4.

Fortis dum poſitâ Gorgone membra lavat.

& Eleg. 25. hujus libri:

Gorgonis & ſatius fuit obdureſcere vultu.

Gorgonea tres, Euryale, Stheno, Meduſa, quæ ſola mortalis, & cujus caput reciſum a Perſeo datum fuit Minervæ, ut ſcribit Apollodorus lib. 2. Erant autem Meduſæ *crinita draconibus ora*, ut ait Ovidius in fine lib. 7. Metam. ubi Minerva Gorgoneum crinem, quo ea placuerat Neptuno, *turpes mutavit in hydros*: eademque dea

Pectore in adverſo, quos fecit, ſuſtinet angues.

Videndi Servius in 6. Æneid. & Hyginus lib. 2. in Fabula Perſei & Heniochi. Scaliger errat legens *Pectine operta comas*. id eſt, pexa colubria. Eſt autem ſynecdoche poetica; ut Eleg. 3. lib. 1. *Nixa caput manibus*. Pass. In ægide ſive in thorace ferreo, habuiſſe Minervam Gorgonis caput, recte monet elegantiſſimus Broukhuſius: affert vero teſtimonia Ovidii lib. 4. Metam. Virgilii lib. 8. Æneid. Papinii lib. 12. Thebaid. & lib. 1. Achilleid. Fulgentii lib. 2. Mythologiæ cap. 2. Martiani Capellæ ipſo initio lib. 6. Servii ad lib. 2. Æneid. v. 615. Martialis Epigr. 1. & 2. lib. 7. Neque tamen diffitetur, in ſcuto quoque Palladis caput Gorgonis fuiſſe incluſum. nempe hoc diſerte teſtantur Heliodorus lib. 3. Æthiop. Albricus lib. de Imaginibus Deor. cap. 8. Angelus Politianus Miſcellan. cap. 47. denique Martianus Capella lib. 6. Hoc tamen Propertii loco thorax Minervæ, quem peculiari nomine vocabant ægida, omnino ſignificatur, non clypeus. *Gorgonis anguiferæ*. Ovidius 4. Metam. 698. *Gorgonis anguicomæ Perſeus ſuperator*. Vulp.

v. 9. Qualis et Ischomache] *Callimachus*, inquit Beroaldus, *Iſchomachen vocat uxorem Pirithoi*; quam ita dictam putat, παρὰ τὸ ἴσχειν τὴν μάχην. id eſt, cohibendâ pugnâ. ego ἀπὸ τῆς ἴσχων, a ra-

mis

Mercurio & sanctis fertur Bœbeidos undis
Virgineum Brimo composuisse latus.

Ce-

mis arborum, quibus tunc dimicatum est in tumultu illo. Hæc Ovidio *Hippodame*, sive *Hippodamia* dicitur 12. Metam. & Hygino Fab. 33. Plutarchus in Theseo *Deidamiam* vocat. Ovidius Epist. Helenæ:

An fera Centauris indicere bella coegit
Atracis Hæmonios Hippodamia viros?

Et lib. 1. Amor. Eleg. 4.

Desine mirari, posita quod candida vina
Atracis ambiguos traxit in arma viros. P.

ibid. LAPITHÆ GENUS HEROINÆ] Cui mater fuit Heroina e Lapitharum gente. Amasti filiam facit Hyginus Fab. 33. Atracii filiam Plutarchus in Theseo. Lapithæ autem populi Thessaliæ, quorum sedes Pindus & Othrys, inquit Plinius lib. 4. H. N. cap. 8. *Genus Heroinæ*, id est, filia; ut Horatio Ode 3. lib. 1. *Iapeti genus*. P. Nescio unde acceperit Passeratius, Heroinam, proprio nomine sic appellatam, Ischomaches matrem fuisse: nullum enim testem producit. Fuit quum suspicarer ita legendum, *Ischomache Lapithæ genus heroine*; scilicet, Ischomache heroine, sive heroina, genus Lapithæ, nempe filia cujusdam e Lapithis; ut nulla fiat matris mentio, sed patris tantum. considerent acutiores. VULP.

v. 10. CENTAURIS MEDIO GRATA RAPINA MERO] Quam libenter & cupide rapuerunt Centauri inter pocula. *Ischomache rapina*, ut Eleg. ult. lib. 4.

Nec mea de sterili facta rapina domo.

Ovidius Epist. Hermionæ:

Tantalides matres apta rapina sumus.

Ita *thorus heroinæ*, *Eveni filia discordia Phœbo*. Donatus in Adelphos: *Raptio proprie ad personam refertur; rapina ad rem; raptus ad stuprum*. De Lapitharum & Centaurorum pugna Homerus lib. 21. Odysseæ, Cicero in Pisonem, Ovidius 12. Metam. Horatius Ode 13. lib. 1. Palæphatus fabulam refert ad historiam, quod Centauri equos primi domuerint. κεντεῖν & κεντῶ, stimulo & pungo. PASS. *Media mero*. quum maxime potaretur in convivio nuptiali. Sic Ovidius lib. 1. A. A. 113.

In medio plausu (plausus tunc arte carebat)
Rex populo prædæ signa petenda dedit.

Catullus Carm. 12. dixit, *In joco atque vino*. VULP.

v. 11. MERCURIO ET SANCTIS FERTUR BŒBEIDOS UNDIS V. B. c. L.] Beroaldus legit, *Mercurioque Saïs fertur Bœbeidos undis Virgineum primo composuisse latus*. verum quæ de urbe Saï, & Saïtide Minerva comminiscitur, ἀπροσδιόνυσα sunt. nam cum Pallade jam poeta noster Cynthiam comparavit. quare ad aliam comparationem transit. veteres libri, *satis*, *saris*, *sanctis*; unde legendum:

Mercurioque sacris fertur Bœbeidos undis.

sacram enim esse Bœbeida paludem, intelligimus ex Aspide Hesiodi, & Strabone lib. 9.

Νίψατο Βοιβιάδος λίμνης πόδα παρθένος ἀδμής.

Virgo invicta (Pallas) *pedem lavit Bœbeidos undis.*

Lucanus lib. 7.

Ire per Ossæam rapidus Bœbeida sanguis. PASS.

Egregie hos versus restituit Scaliger; uti & Turnebus lib. 11. cap. 16. Adversar. Si quis autem dubitat de τῷ *sanctis*, is sciat ita diserte legi in duobus Regiis, in altero Colbertino, & in utroque nostro. Passeratius malebat, *Mercurioque sacris*: sed, ut vides, reclamantibus membranis. Mureti quoque liber habebat *sanctis*. BROUKH. De Bœbeide Thessaliæ palude vide Homerum in Bœotia v. 218. & sequ. Limosam valde fuisse indicat Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. v. 449. ubi de Apolline Admeto Thessaliæ regi serviente:

Ah quoties famulo notis soror obvia silvis
Flevit, ubi Ossææ captaret frigora quercus,
Perderet & pingui miseros Bœbeide crines!

Sunt qui pro *sanctis* legant, *Saïs*, & in pentametro, *primo* pro *Brimo*. Ægyptios Saitas memorat Cicero lib. 3. de Nat. Deor. quo loco plures Veneres enumerat. VULP.

v. 11. VIRGINEUM BRIMO COMPOSUISSE LATUS] Ita emendavit Turnebus lib. 11. Advers. cap. 16. Βριμώ, inquit Interpres Apollonii, ἡ Περσεφόνη. φασὶ δὲ Ἑρμῆν ἐρασθέντα ἐπὶ κυνηγεσίαν ἐξιοῦσαν θελῆσαι βιαίως μιχθῆναι· ἡ δὲ ἐνεβριμήσατο αὐτῷ, ὁ δὲ

Cedite jam, divæ, quas pastor viderat olim
Idæis tunicam ponere verticibus.

Hanc

φοβηθεὶς ἀπετράπη. hoc est : *Brimo*, *Proserpina*. *Ferunt autem*, *Mercurium ejus amore correptum*, *ipsi in venationem prodeunti per vim commisceri voluisse*. *Puella vero adversus illum infremuit* : *quapropter is ab interpta deterritus recessit*. Ait idem Interpres sic dictam Proserpinam, quod ab ea immitti terrores nocturnos credebant. Statius lib. 2. Silvar. Carm. in Arborem Atedii : *Omnia questus*, *Immitem Brimo*, *stagna invida* : sic enim correxit Scaliger. *Composuisse latus*, concubuisse. Lucillius apud Nonium in *Componere*, conjungere :

Tum compone latus lateri, & *cum pectore pectus*.

Tibullus Elegia 5. lib. 1.

Per Venerem quæso, *compositumque caput*.

Noster Eleg. 14. infra :

Mecum habuit positum lenta puella caput.

Sic Plautus Bacchid. & Mercat. *Limare caput cum aliquo*. PASS. Arnobius lib. 5. contra Gentes, loco plane memorabili, Cereri a Jove filio (*nam genitrix hæc Jovis regionis ejus ab accolis traditur*) incesta fraude violatæ nomen hoc tribuit, non Proserpinæ. Verba ipsa scriptoris afferam : *Agit incestius res suas*, & *prodita per libidinem fraude*, *intellectus* & *cognitus evolat*. *Ardescit furiis atque indignationibus mater*, *spumat*, *anhelat*, *exæstuat*, *nec fremitum continere tempestatemque irarum valens*, *ex continua passione Brimo deinceps ut appelletur*, *assumsit* : *neque alia cordi est res ei*, *quam ut audaciam filii pœnis quibus petit est*, *persequatur*. Ceterum ex hoc disticho Propertii manifestum est, Proserpinam vel roganti Mercurio numquam negavisse, vel quum primo repugnasset, assiduis postea blanditiis labefactatam a proposito decidisse. VULP.

v. 13. CEDITE JAM, DIVÆ] Nolite de forma contendere cum Cynthia, Juno, Minerva, Venus. Ita Eleg. ult. hujus libri :

Cedite Romani scriptores, *cedite Graji*.

Jam, ut Eleg. 15. lib. 1.

Desine jam revocare tuis perjuria verbis.

& Virgilius 12. Æneid. *Parcite jam*, *Rutuli*. Similis huic Propertiano locus est apud Petronium Arbitrum. PASS.

ibid. QUAS PASTOR VIDERAT OLIM] Sic Ovidius de Paride Epist. Oenones :

At quum pauper eras, *armentaque pastor agebas*.

Idem vocatus fuit *Paris pastor*, *pastor Idæus*, *pastor Phrygius*. Noster Eleg. 32. infra :

Quamvis Ida Parim pastorem dicat amasse.

Cicero lib. 1. ad Attic. Epist. 16. *Pastor Idæus*. Horatius Ode 15. lib. 1.

Pastor quum traheret per freta navibus
Idæis Helenam perfidus hospitam.

Virgilius 7. Æneid.

At non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor.

Ab Euripide in Iphigenia in Aulide, *βουκόλος* dicitur, id est *bubulcus*, Paris, & apud armenta educatus, ubi de hoc judicio Paridis : & in Andromacha. Lucianus item *ἐν θεῶν κρίσει*, Ovidius in Epist. Paridis ad Helenam, & Appulejus lib. 10. A. A. hanc rem depingunt. PASS.

v. 14. IDÆIS VERTICIBUS] In jugis montis Idæ. Ovidius tamen id accidisse scribit in vallibus Idæis, Epist. Helenæ :

In alta vallibus Idæ
Tres tibi se nudas exhibuere deæ.

Et lib. 1. Artis Amat. *Colle sub Idæo*. Præterea lib. 6. Fast. *In aquosæ vallibus Idæ*. P. Ea pars montis Idæ, in qua de trium dearum pulchritudine judicium tulit bubulcus Paris, Alexandrea vocabatur, oppido Antandro imminens ; quousque procurrit mons Ida. Strabo lib. 13. Εἶτα δὲ ἡ Ἀντανδρός ἐστιν, ὑπερκείμενον ἔχουσα ὄρος, ὃ καλοῦσιν Ἀλεξάνδρειαν, ὅπου τὰς θεὰς κριθῆναί φασιν ὑπὸ τοῦ Πάριδος. VULP.

ibid. TUNICAM PONERE] Interiorem vestem exuere, ut nudæ conspicerentur. Tunica vestis interior. hinc Plautinum proverbium : *Tunica propior pallio*. [Italice : *Preme più la camicia che 'l giuppone*.] Vetus liber Scaligeri habet, *tunicas*. ut Catullus Carm. 86. *Abjectis pervigilat tunicis*. Sic & Plautus Persa : *Dum ponit tunicas*. & Juvenalis Sat. 6. 475. *Ponunt Cosmetæ tunicas*. Nudas fuisse tres deas significat Venus apud Ausonium :

Quæ quo te vidi tempore nuda fui.

Ovidius Epist. Helenæ :

Tres

Hanc utinam faciem nolit mutare senectus,
Etsi Cumææ sæcula vatis aget.

Tres tibi se nudas exhibuere deæ.

Et rursus Ausonius Epist. ad Paulinum: *Sensit hoc Venus, de pulchritudinis palma diu ambigua ampliata judicio. Pudenter enim, ut apud patrem, velata certaverat: neque deterebat ornatus æqualis. At postquam in posteris examen deducta est lis dearum, qualis emerserat e mari, aut cum Marte convenerat, & consternavit arbitrum, & contendentium certamen oppressit.* PASS. *Tunicam ponere.* Italice: *trarsi la camicia.* M. Tullius Tuscul. 5. Dionysius Siciliæ tyrannus, *quum pila ludere vellet, tunicamque poneret, adolescentulo quem amabat tradidisse gladium dicitur.* Herodotus in Clio, ubi de Candaule & Gyge: Ἅμα δὲ κιθῶνι ἐκδυομένῳ συνεκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή. *Mulier exuta tunica & verecundiam pariter exuit.* Dubito an verum sit quod tradit Hesychius: Χιτὼν, ἐσθὴς, θώραξ, ἱμάτιον ἀνδρεῖον. Subucula tamen, sive interula, intima erat omnium vestis, ac tunicæ suberat; quam Samuel Pitiscus ad Suetonium pag. 335. col. 2. ait fuisse lineam. Sed ex Horatii verbis Epist. 1. lib. 1. 95. *Si forte subucula pexæ Trita subest tunicæ*, laneam fuisse colligo. *pexum* enim ac *tritum* laneo vestimento conveniunt, non lineo. Editio princeps A. 1472. habet, *tunicas*. VULP.

v. 15. HANC UTINAM FACIEM NOLIT MUTARE SENECTUS] Eleg. 10. lib. 3.

Et pete, qua polles, ut sit tibi forma perennis.

Faciem, formam tam insignem, ut supra hac Eleg. v. 3. & Eleg. 15. lib. 1.

Et longa faciem quærere desidia.

Nolit mutare, blandius dictum, quam, ne mutet. Sic Eleg. 28. lib. hujus:

--- *Nec tu*
Persephones conjux, sævior esse velis.

Senectute mutari faciem, docet Noster Eleg. ult. lib. 3. & Eleg. 18. hujus libri. & Horatius Ode 10. lib. 4. PASS. Votum elegantissimum, & amatori conveniens: irritum tamen atque inutile. Statius a Propertio, ut videtur, Carm. 2. lib. 1. Silv. in Epithalamio Stellæ ac Violantillæ, sub finem:

--- *Sic damna decoris*
Nulla tibi, longa viridi sic flore juventa
Perdurent vultus, tardeque hæc forma senescat.

Nec illud Senecæ dissimile in Hippolyto v. 817.

Raris forma viris (sæcula prospice)
Impunita fuit. te melior deus
Tutum prætereat, formaque nobilis
Deformis senii limina transeat. VULP.

v. 16. ETSI CUMÆÆ SÆCULA VATIS AGET] Sibyllæ Deïphobes longissimam ætatem exiget. Ovidius 3. Metam.

Ecquem, quum vestræ tot agantur sæcula vitæ,
Qui sic tabuerit, longo meministis in ævo?

Sed & ipsa Sibylla de ætate sua loquens apud Ovidium lib. 14. Metam.

Nam jam mihi sæcula septem
Acta vides: superest, numeros ut pulveris æquem,
Tercentum messes, tercentum musta videre.

Noster Eleg. 24. lib. 2.

At me non ætas mutabit tota Sibyllæ.

In Carmine Libero, Epigr. 12.

Cumææ soror, ut puto, Sibyllæ.

Ausonius Epigr. 18.

Vincas Cumanam tu quoque Deïphoben.
PASS.



ELEGIA III.

QUi nullam tibi dicebas jam posse nocere,
Hæsisti: cecidit spiritus ille tuus.

Vix

ARGUMENTUM ELEGIÆ III. LIBRI II.] Levitatem suam excusat, quod amores jam dimissos revocaverit: Cynthiæ mira pulchritudine, rarisque corporis atque animi ornamentis id factum autumans. VULP.

v. 1. QUI NULLAM TIBI DICEBAS JAM POSSE NOCERE] Ex his haud temere conjicere possumus, priorem librum a Propertio scriptum & editum eo animo, ne ulterius pergeret, utque amatorii carminis finem faceret 1. sed ipsum postea mutato consilio in eamdem arenam descendisse. Porro illud Theocriti non dissimile Idyllio 1. v. 97.

Τὺ θὴν τὸν ἔρωτα κατεύχεο Δάφνι λυγιξεῖν·
Ἆρ' οὐκ αὐτὸς ἔρωτος ὑπ' ἀργαλέω ἐλυγίχθης;
Tu sane, Daphni, gloriabaris te amorem flexurum:
Nonne vero nunc ipse ab amore gravi superatus es? VULP.

In omnibus libris est, *Qui nullum tibi*. lege *nullam*; quod firmant sequentia. *Nulla* sic absolute dicitur, ut *nemo*. Ovidius Remed. Amor.

Cur nemo est, Hecalen; nulla est, quæ ceperit Iron?

Noster lib. 2. Eleg. pænult.

Nulla tamen lecto recipit se sola libenter.

Plautus Aulul. 3, 5.

Nulla igitur dicat: Equidem dotem ad te attuli
Majorem multo, quam tibi erat pecunia.
BROUKH.

ibid. QUI NULLUM TIBI DICEBAS JAM POSSE NOCERE] Qui te jactabas extra omne periculum. Sui ipsius allocutio, ut Eleg. 8. infra:

Sic igitur prima moriere ætate, Properti?

Catullus quoque Carm. 8.

Miser Catulle, desinas ineptire.

Alludit autem ad versus illos Eleg. 8. lib. 1.

Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis:
Sive dies, seu nox venerit, illa mea est.
Nec mihi rivalis certos subducet amores.

Scaliger legendum putat: *Qui nihilum tibi*, &c. PASS.

v. 2. HÆSISTI] Captus es, ire viam assuetam nequisti. translatum a luto, salebris, visco, laqueis. Ovidius 2. Metam.

Dum redit itque frequens, in virgine Nonacrina
Hæsit.

[Idem Remed. Amor. v. 311.

Hæserat in quadam nuper mea cura puella.]

Et lib. 3. A. A.

Sed facile hæremus, validoque perurimur æstu.

id est, poetæ facile capiuntur. Cicero 5. de Finibus: *Hæret in salebra*. & 13. Philipp. *Mouseris, hærebis*. & Orat. pro Cælio: *Hæsit ad metas*. Noster Eleg. ult. infra, de tauro:

Cornua quam validis hæserit in laqueis. P.

ibid. CECIDIT SPIRITUS ILLE TUUS] Decidit, fractus est & abjectus. Livius lib. 6. *Haud irritæ minæ cecidere*. Sic Eleg. 5. l. 1. *Tibi singultu fortia verba cadent*. *Spiritus ille tuus*. ingentes illi animi, ferocia illa tua antiqua. Cicero 2. in Rullum: *Campano supercilio ac regio spiritu*. & Epist. 2. lib. 1. ad Q. Fratrem: *Quem hominem? qua ira? quo spiritu?* Albinovanus ad Liviam 277.

Spiritus ille minax, & Drusi morte superbus.
PASS.

Sonum versiculi hujus expressit Ovidius lib. 7. Metam. 819.

meoque
Spiritus iste tuus semper captatur ab ore.

Optimi scriptores pro superbia & arrogantia *spiritus*, numero multitudinis, plerumque usurpant. Cicero Frumentar. in C. Verrem, de Apronio, decumanorum Siciliensium principe: *Adspicite, judices, vultum hominis & adspectum: & ex ea contumacia quam hic in perditis rebus retinet, illos ejus spiritus Siciliensis quos fuisse putetis, cogitate ac recordamini*. Idem pro Lege Manilia: *Quæ civitas est in Asia quæ non modo*

animis

Vix unum potes, infelix, requiescere mensem,
Et turpis de te jam liber alter erit.
Quærebam sicca si posset piscis arena,
Nec solitus ponto vivere torvus aper;
Aut ego si possem studiis vigilare severis.
Differtur, numquam tollitur ullus amor.

Nec

unius imperatoris, aut legati, sed unius tribuni militum animos ac spiritus capere possit? Cæsar lib. 1. Belli Gallici cap. 33. *Ipse autem Ariovistus tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumserat; ut ferendus non videretur.* Cornelius Nepos Dione: *Nam Dion his ipsis qui sub adversarii fuerant potestate, regios spiritus repressit.* Livius lib. 1. Hist. de Tullo Hostilio ægrotante: *Tunc....., fracti simul cum corpore sunt spiritus illi feroces.* *Flatus* appellat Silius Italicus lib. 2. Punic. 288.

Ingenitum nascens virus, flatusque paternos,

Numero singulari Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 1.

Nunc habeam per te Romana Tragœdia nomen.
Implebit leges spiritus iste meas.

Propterea, *cecidit*, detumuit, subsedit. V.

v. 3. VIX UNUM POTES, INFELIX, REQUIESCERE MENSEM] Noster Eleg. 9. infra:

At tu non una potuisti nocte vacare,
Impia, non unum sola manere diem.

Infelix, aliquando est objurgantis, pro *scelesta*. hic miserantis, ut Eleg. 5. lib. 1.

Infelix! properas ultima nosse mala.

Requiescere. ut Eleg. 16. lib. 1.

Illo meos numquam patitur requiescere postes. PASS.

v. 4. ET TURPIS DE TE JAM LIBER ALTER ERIT] Unum enim tantum scribere instituerat, ut adnotatum ad Eleg. ult. lib. 1. [cui libro titulum fecit, CYNTHIA, & μονόβιβλος] Ipse Eleg. 24. infra:

Tu loqueris, quum sit jam nota fabula libro,
Et tua sit tota CYNTHIA lecta foro?

Turpis liber, [quod vulgatus & perlectus infamet scriptorem: viros enim Romanos lascivia & muliercula amor dedecebat] ut Eleg. 16. lib. 1. *turpes cerellæ*. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 17.

Si quis erit qui turpe putet servire puellæ,
Illo convincar judice turpis ego. PASS.

ibid. JAM] Paucis diebus, mox, non ita multo post. Lucretius lib. 3.

Brevis est hic fructus homullis.
Jam fuerit, neque post umquam revocare licebit. VULP.

v. 5. QUÆREBAM SICCA SI POSSET PISCIS ARENA VIVERE] Tentabam ea quæ fieri nullo modo possunt. VULP. *Si*, pro an, ut sæpe Plautus, Terentius, Cicero. est autem ἀδύνατον. Virgilius Ecl. 1.

Et freta destituent nudos in litore pisces.

τὸ *sicca* conveniens epitheton τοῦ *arena*, quum ab arendo deducant. unde & arena, pro quavis terra arida, ut notat Servius in illud lib. 1. Georgicon:

Et sola in sicca secum spatiatur arena.

Noster Eleg. 15. infra:

Aridus & sicco gurgite piscis erit. PASS.

v. 6. NEC SOLITUS PONTO VIVERE TORVUS APER] διλογία, ubi *ponto* iterandum & tertio & sexto casu. *Solitus* cum tertio casu, ut Eleg. 7. lib. 4..

Et solitum digito beryllon adederat ignis.

Τὸ *nec* dissolvi debet, & *non*. ut Eleg. 15. infra:

Nox tibi longa venit, nec reditura dies.

nimirum, & dies reditura non est. Aprum jungit cum pisce, ut absurda. nam *juga mentis aper, fluvios amat piscis*, ait Virgilius. Ita Horatius Epist. ad Pisones:

Delphinum silvis adpingit, fluctibus aprum.

Torvus aper, ferus, trux, ab aspectu torvo. ut Eleg. 16. lib. 3.

Scandenda est torvi publica cymba senis.

Virgilius Ecl. 2. *Torva leæna lupum sequitur*. Ovidius lib. 2. A. A.

Sæpe fera torvos cuspide fixit apros. PASS.

Syntaxis ita ordinanda: *Et quærebam si aper torvus non solitus ponto, posset vivere ponto*. VULP.

v. 7. AUT EGO SI POSSEM STUDIIS VIGILARE SEVERIS] An possem dare operam seriis studiis, & gravioribus disciplinis, de quibus Eleg. 21. lib. 3.

Illic

Nec me tam facies, quamvis ſit candida, cepit:
  Lilia non domina ſint magis alba mea:
Ut Mæotica nix minio ſi certet Hibero,
  Utque roſæ puro lacte natant folia:
Nec de more comæ per levia colla fluentes,
  Non oculi geminæ ſidera noſtra faces:

Nec

Illic aut ſtudiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis.

Vigilare, cum tertio caſu; ut *Non omnibus dormio*; vel pro invigilare, ut Eleg. 4. l. 4.

Decrevit pænis invigilare tuis. PASS.

Eodem modo Tibullus Eleg. 5. lib. 2.

Nec tædebit avum parvo advigilare nepoti.

Studiis ſeveris. gravibus, triſtioribus. Ovidius lib. 1. Triſtium, Eleg. 9.

Utque tibi proſunt artes, facunde, ſevera;
Diſſimiles illis ſic nocuere mihi.

Horatius Ode 1. lib. 2. *Paullum ſeveræ Muſa Tragœdiæ Deſit theatris*. VULP.

v. 8. DIFFERTUR, NUMQUAM TOLLITUR ULLUS AMOR] Mora quædam & friguſculum intervenit: ſed numquam omnino evellitur ex animo. Quamobrem alibi:

Traiicit & fati litora magnus amor.

ubi plura. PASS.

v. 9. NEC ME TAM FACIES, QUAMVIS SIT CANDIDA, C.] Oris ipſe color, & forma. Vetus Gloſſarium: *Candidus*, λευκομέτωπος, cui frons candida. Virgilius Ecl. 2.

Quamvis ille niger, quamvis tu candidus eſſes.
PASS.

ibid. CEPIT] *Prædata eſt meos ſenſus*, Eleg. 1. ſupra. vide notata ad v. 1. Eleg. 1. lib. 1. PASS.

v. 10. LILIA NON DOMINA SINT MAGIS ALBA MEA] Id eſt, eſſe poſſint. ut Elegia 13. lib. 1.

Illa ſit Inachiis & blandior heroinis.

& *magis* cum ſexto caſu. ut Eleg. 1. lib. 1.

Et facite illa meo palleat ore magis.

De liliis albis vide ad Eleg. 20. lib. 1. v. 37. notata. PASS. Interdum *albus*, pallidus. Martialis Epigr. 12. lib. 10.

Et venies albis non agnoſcendus amicis.

nimirum in umbra educatis, & iccirco pallentibus. Horatius Epodo 7.

Tacent: & albus ora pallor inficit. VULP.

v. 11. UT MÆOTICA NIX MINIO SI CERTET HIBERO] Mæotis, palus Scythiæ [ultimus receſſus mediterranei maris] in quam influit Tanaïs. unde Mæoticus, Scythicus. Sic dicitur Virgilio & Horatio, *Sithonia nix*. & Ovidio

Brachia Sithonia candidiora nive.

Homerus: λευκότεροι χιόνος. PASS.

ibid. MINIO SI CERTET HIBERO] Si cum minio componatur & conjungatur, ut contendat de præſtantia coloris: quodammodo enim committuntur colores proximi. nam certare æmulationis eſt. ut Eleg. 6. lib. 4.

Cera Philetæis certet Romana corymbis.

Horatius Epodo 2.

Certantem & uvam purpuræ.

De minio, pigmenti rubri genere, quod vulgo *Rouge d'Heſpaigne*, quia in Hiſpania naſcatur, Plinius lib. 33. H. N. cap. 7. Juſtinus Epitome 44. Hiſt. Trogi, non longe ab initio: *Minii nulla feracior terra (quam Hiſpania.)* Hinc *miniandum Jovem locare*, Plinio: & Ciceroni, *miniatula cera*. PASS.

v. 12. UTQUE ROSÆ PURO LACTE NATANT FOLIA] *Folia roſæ*, id eſt folia rubra quæ ipſum roſæ florem componunt, non viridia plantæ quæ roſam producit. Sic Ovidius lib. 13. Metam.

Candidior folio nivei Galatea liguſtri.

Plinius quoque lib. 14. N. H. cap. 16. *Ex roſæ foliis tuſis in linteolo in muſtum colatis cum ponduſculo, ut ſidat*. &c. VULP.

Ut Auſonius in Idyllio de Roſis:

Jam meditans foliis ſe numerare ſuis.

Natant folia lacte. in lacte fluitant. ſic Eleg. 15. infra:

Ac veluti folia arentes liquere corollas,
Quæ paſſim calathis ſtrata natare vides.

Imitatio autem eſt Anacreontis, ut indicavit Lipſius lib. 1. Antiqu. Lect. cap. 10. Γράφε ῥῖνα καὶ παρειάς, Ῥόδα τῷ γάλακτι μίξας. PASS. Ennius tale quid dixerat Annal. L. 11.

Et ſimul erubuit ceu lacte & purpura mixta.
BROUKH.

v. 13. DE MORE COMÆ PER LEVIA COL-

LA

Nec si qua Arabio lucet bombyce puella:
(Non sum de nihilo blandus amator ego)
Quantum quod posito formose saltat Iaccho,
Egit ut evantes dux Ariadna choros.

Et

LA FLUENTES] Ut assolet, crines vagi & per marmoream cervicem errantes. Sic Eleg. 1. supra:

Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos.

Virgilius 3. Æneid.

Et circum Iliades crinem de more solutæ.

Tibullus Eleg. 4. lib. 3.

Intonsi crines longa cervice fluebant.

Levia colla, ut Eleg. 15. lib. 3.

Levis odorata cervix manabit olivo.

[*Leve*, primâ longâ, politum, contrarium aspero & scabro] Virgilius 4. Georg. *Marmorea caput a cervice revulsum.* PASS.

v. 14. OCULI GEMINÆ SIDERA NOSTRA FACES] Duplex appositio. Primum, *Oculi faces*. Sic Tibullus Carm. 2. lib. 4.

Illius ex oculis, quum vult exurere divos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.

Deinde, *Oculi sidera*. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 16.

Per me, perque oculos sidera nostra tuos.

Scilicet jurabat. Seneca Hippolyto: *Heu me quo tuus fugit decor, Oculique nostrum sidus?* sidera oculi sunt mundi, ut contra *stellatus Argus* Ovidio, ob centum oculos. PASS.

v. 15. NEC SI QUA ARABIO LUCET BOMBYCE PUELLA] *Arabium bombycem* pro Serico videtur dixisse; ut Eleg. 9. lib. 1. *Armenias tigres* pro Hyrcanis, & alibi, *Belgicus color* pro Britanno. *Lucet*, conspicua est. Eleg. 1. supra:

Sive togit illam fulgentem incedere Cois.

Martialis Epigr. 67. lib. 8.

Femineum lucet sic per bombycina corpus.

Vetus Glossarium: *Pellucida* (*vestimenta*) διαφανῆ. Tibullus Carm. 6. lib. 4.

Adnue, purpureaque veni pellucida pallâ.

Vide quæ adnotavi de veste Coa, & Senecam in Consolat. ad Helviam cap. 16. *Bombyx μεταξωματικός*, pro veste bombycina & serica. Lini etiam genere commendatur Arabia, de quo dicetur ad Eleg. 3. lib. 4.

Raptaque odorate carbasa lina duci. PASS.

Nec si quà puella. pro quæ. Ita Cicero in Academ. Quæst. ad M. Varronem: *Iis rebus si quas dignas laude gessimus, hoc in primis consentaneum.* Martialis Epigr. 35. lib. 1.

Nec sunt grata tibi gaudia si qua latent.

Dignum porro animadversione, Propertium hoc loco a Cynthia describenda ad quamlibet puellam transire. *Arabio.* Plautus Pœnulo 5, 4, 6. *Arabius murrhinusque omnis odor complebat.* *Arabe* dixit Ovidius Epist. Sapphûs v. 76.

Non Arabe noster rore capillus olet.

ad quem locum vide quid attulerit doctissimus Burmannus. *Arabio bombyce.* Bombycem genere masculo extulit etiam Martialis Epigr. 33. lib. 8.

Tam leve nec bombyx pendulus urget opus.

Mirum cur Hieronymus Vida, tantus poeta, in Carmine de Bombycibus, femineo genere semper efferat: nisi forte subandiendum *tinea*; ut sit *tinea bombyx*; quomodo *Comœdia Eunuchus*. *Lucet*, hic usurpatum pro nitet. Tibullus Eleg. 1. lib. 2.

Molle gerit tergo lucida vellus ovis. VULP.

v. 16. NON SUM DE NIHILO BLANDUS AMATOR EGO] Id est, levissima & minima de caussa. ut Eleg. 1. supra v. 16. & Elegia 16. infra v. 52. & *frustra*, Eleg. 22. infra v. 3. *Blandus*, gratus, paratus ad obsequium, & ad permulcendum. dictum ad illud Eleg. 20. lib. 1.

Errorem blandis tardat imaginibus. PASS.

De nihilo. Livius lib. 30. Histor. *Maxime hostis fiducia, quæ non de nihilo profecto concepta est, perculsus.* Blandi erant Græculi illi apud Juvenalem Sat. 3. qui omnia divitum Romanorum dicta factaque promiscue laudabant. Consule, si lubet, Theophrastum in charactere *Blandi*. VULP.

v. 17. QUANTUM QUOD] ἀνακόλουθον. *Tam*, quod præcessit v. 9. & *quantum*. vide adnotata ad Eleg. 12. lib. 1.

Tam multa illa meo divisa est millia lecto,
Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano. P.

ibid. POSITO IACCHO] Apposito mero. ut Eleg. 24. lib. 3.

Risus eram positis inter convivia mensis.

Ovidius pariter lib. 3. A. A. 349.

Quis dubitet, quin scire velim saltare puellam,
Ut moveat posito brachia jussa mero?

Idem 3. Fast.

Et ducunt posito duras cratere choreas.

id est, post vina. PASS. Bene poti saltare solent. Homerus lib. 14. Odysseæ v. 463. Οἶνος γὰρ ἀνώγει Ἠλεός, ὅς τ' ἐφέηκε πολύφρονά περ μάλ' ἀεῖσαι, καί θ' ἁπαλὸν γελάσαι, καί τ' ὀρχήσασθαι ἀνῆκεν. *Vinum enim jubet Stultus efficitur, quod sapientem ut saltet adigit.* Anacreon Ode 48. Μεθύων ὅπως χορεύσω. Tibullus Eleg. 7. lib. 1. de vino:

Illa liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit & ad certos nescia membra modos.

Propterea Theophrastus in Charactere hominis inepti hæc scribit: Καὶ ὀρχεῖσθαι ἅψασθαι ἑτέρου μηδέπω μεθύοντος. *ut saltaturus, socium manu prehendat, qui nondum vino sit madidus.* *Positum*, aliquando significat appositum, ut hoc loco: aliquando sepositum, ut apud Horatium Sat. 1. lib. 2.

Juppiter, ut pereat positum rubigine telum.
VULP.

ibid. FORMOSE SALTAT] *Elegantius saltare*, Sallustio: *Diserte saltare*, Auctori de Caussis corruptæ eloquentiæ. Appulejus lib. 6. A. A. *Venus suavi musicæ superingressa formose* (vulgo *formosa*) *saltavit*. PASS. Cornelius Nepos Vitarum Præfatione: *In ejus* (Epaminondæ) *virtutibus commemorari saltasse eum commode*. Magnum libidinis incitamentum saltatio, & quo nullum potentius ad castos etiam animos labefactandos. Hinc Horatius Ode 6. lib. 3.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, & fingitur artubus
Jam nunc, & incestos amores
De tenero meditatur ungui.

Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 4.

Illa placet gestu, numerosaque brachia ducit,
Et tenerum molli torquet ab arte latus:
Ut taceam de me, qui caussa tangor ab omni,
Illic Hippolytum pone, Priapus erit.

Idem, quamvis magister nequitiarum, fateri non dubitavit in Remed. Amor. v. 753.

Enervant animos citharæ, cantusque, lyraque,
Et vox, & numeris brachia mota suis.
Illic assidue ficti saltantur amantes,
Quid caveas, actor, quid juvet, arte docet.

Carmen liberum Epigram. 26. *Cymbala cum crotalis, pruriginis arma.* Ad horum autem organorum pulsum saltavisse meretrices, testis est Vetus Poeta:

Copa Syrisca, caput Graja redimita mitella,
Crispum sub crotalo docta movere latus.

His adde Juvenalem Sat. 6. v. 63.

Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo
Tuscia vesicæ non imperat, Appula gannit,
Sicut in amplexu.

Quapropter non immerito Romanis turpe habitum saltare, ut refert Cornelius Nepos in Epaminonda, & Sallustius Bello Catilin. Sed Ciceronem audiamus pro Murena: *Nemo enim*, ait, *fere saltat sobrius, nisi forte insanit, neque in solitudine, neque in convivio moderato atque honesto. Intempestivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio. Tu mihi arripis id quod necesse est omnium vitiorum esse postremum: relinquis illa quibus remotis hoc vitium omnino esse non potest. nullum turpe convivium, non amor, non comessatio, non libido, non sumtus ostenditur.* Verum hæc de illiberali & lasciva saltatione intelligenda sunt, quæ histrionum, pantomimorum, scortillorum propria erat. Fuit autem saltatio alia non indecora, quam sacris omnibus & pompis adhibebant, & qua Salii, pueri & virgines nobiles, matronæ quoque ipsæ statis temporibus utebantur. Horatius Epist. ad Pisones, v. 232.

Ut festis matrona moveri jussa diebus,
Intererit Satyris paullum pudibunda protervis.

Vide Jo. Georgium Grævium ad lib. 1. Officior. Ciceronis cap. 42. Græci Romanis molliores artem saltandi in liberalibus numerabant. vide Lucianum περὶ ὀρχήσεως. TU igitur juventus Christiana, pie, probe ac pudice educata, quæ hos Commentarios evolvis, ex his tibi Mythologiæ, Romanorumque Antiquitatum cognitionem strenue para, disce Latini sermonis proprietatem, hauri poeticam elegantiam, eamque haustam in usus meliores, ad Dei cultum, & virtutis amorem transfer: ceterum perditos Ethnicorum mores, ut par est, aspernare, quibus tamquam suibus anima pro sale fuit; qui, tametsi voluptatibus dediti, corruptelas hujusmodi in scriptis suis libere damnant, neque dedecoris expertem censent, qui hoc libidinum pabulo familiariter utatur. Nos certe (quod semel profiteri satis fuerit) horum poetarum explicationem ideo suscepimus, ut ex eorum carminibus aliquid bonæ frugis eliceremus, quod lectores juvare posset, non corrumpere. VULP.

ibid.

Et quantum, Æolio quum tentat carmina plectro,
  Par Aganippeæ ludere docta lyræ.
Et sua quum antiquæ committit scripta Corinnæ,
  Carminaque æquævis non putat esse suis.

Num

ibid. IACCHO] Ἴακχος, Bacchus. παρὰ τὴν ἰαχὴν, πλεονασμῷ τοῦ κ. a clamore & fremitu potantium & bacchantium. VULP.

v. 18. EGIT UT EVANTES DUX ARIADNA CHOROS] Agere choros, χορεύειν: & dux agens choreas, sive præsul, χορηγός. Virgilius 6. Æneid.

Ipsa chorum simulans evantes orgia circum
Ducebat Phrygias.

ubi vide Servium. De Ariadna & Baccho & choris evantium lege Catullum in Carm. de Nuptiis Pelei, Nostrum Eleg. 15. lib. 3. & Homerum 11. Odysseæ. Pausanias in Bœoticis memorat chorum Ariadnæ. PASS. Cynthia, ut videtur, formose saltabat Ariadnam, saltationem peculiarem ita dictam, multi laboris opus. Legendus Homerus L. 18. Iliad. v. 590. Lydarum mulierum choros Bacchicos multa cum laude celebrat Dionysius Periegetes, v. 839. BROUKH. *Evantes*, bacchantes, quod Evantis seu Bacchi nomen recinerent atque iterarent. De Ariadna vide Indicem nostrum, & quæ attulimus ad Catullum Carm. 63. VULP.

v. 19. ET QUANTUM ÆOLIO QUUM TENTAT CARMINA PLECTRO] Lesbio scilicet, Alcaico & Sapphico. nam Lesbos insula Æolicarum urbium princeps. Horatius Ode 13. lib. 2. *Æoliis fidibus querentem Sappho.* & Ode ult. lib. 3. *Æolium carmen.* & Ode 9. lib. 4. *Vivuntque commissi calores Æoliæ fidibus puellæ.* denique Ode 3. ejusdem libri: *Fingent Æolio carmine nobilem.* *Plectro*, pectine. Græcum est παρὰ τοῦ πλήττειν. id est a percutiendis fidibus. Celtice *archet*, quod exigui arcus formâ. *Tentat carmina*, ad canendum aggreditur, seque accingit; experitur an canere possit. An quia sæpe tenet & tractat fides? Horatius Ode 11. lib. 1. *Nec Babylonios Tentaris numeros.* Et est contentio minorum. Si quum tentat solum, par est, quid quum serio canit? PASS. *Æolio plectro.* De Sappho poetria celeberrima, Æoliæ lyræ principe, vide Indicem nostrum. *Tentare carmina*, est cantillare, Græcis ἠρέμα ᾄδειν, ἢ μινυρίζειν, Italis nostris *Far delle ricercate.* VULP.

v. 20. PAR AGANIPPEÆ LUDERE DOCTA LYRÆ] Quæ canere didicit quod lyram Musarum æquet. *Ludere*, canere. Horatius Ode 9. lib. 4. *Nec si quid olim lusit Anacreon, delevit ætas.* Sic dicitur par vel minus canere. Tibullus Carm. 1. lib. 4. 25.

Seu tibi par poterunt, (sed quod spes abnuit ultro)
Sive minus, certeque canent minus.

Aganippea lyra, dicitur *Aonia* Eleg. 2. lib. 1. ad quem locum vide adnotata. PASS. *Aganippe*, fons est Bœotiæ, quæ & Aonia dicitur, ut docet Servius ad Ecl. 10. Interpres Juvenalis ad illud Satyræ 7. *Desertis Aganippes Vallibus: Locus in Bœotia*, inquit, *Musis sacer.* Teste Pausania in Bœoticis, in Helicone, qua iter ad Musarum lucum, ad lævam fons est Aganippe. Filiam Tecmessi Aganippen fuisse, docet Plinius lib. 4. H. N. cap. 5. Callimachus dicit esse fontem Permessi fluminis. *Idem Pass. ad Catulli Carmen 60.*

v. 21. ET SUA QUUM ANTIQUÆ COMMITTIT SCRIPTA CORINNÆ] Si τὸ *cum*, est adverbium temporis, τὸ *antiquæ*, erit casus tertius: si est præpositio, secundus; & subaudiendum τὸ *scriptis*. ut Eleg. 8. infra:

Et sua cum miseræ permiscuit ossa puellæ.

An *antiqua*, quæ quondam fuit? an celebris & nobilis? Sic Eleg. 1. supra:

Eversosque focos antiquæ gentis Etruscæ.

Committit, contendit, componit, comparat, verbum theatri & arenæ. *Corinna*. Tanagræa fuit Corinna puella formosissima, quæ Thebis carmine Pindarum vicerit, quod Dorica lingua usus Pindarus minus intelligeretur. Auctor Pausanias in Bœoticis. Dicitur & altera fuisse Corinna Thespia, & ipsa poetria. vide Ælianum lib. 13. Var. Hist. Suidam in *Corinna*, Plutarchum in libello de Musica, & Carmina novem poetriarum edita a Fulvio Ursino. PASS.

v. 22. CARMINAQ. ÆQUÆVIS NON PUTAT ESSE SUIS] Id est, non existimat ea esse car-

Num tibi nascenti primis, mea vita, diebus
Aridus argutum sternuit omen Amor?

Hæc

carmina quæ æquales suæ faciunt. PASS. Hæc est Scaligeri correctio, qua nihil certius. *Carmina quæ quivis*, legitur in nostris duobus; Borrichiano; utroque Regio; uno Colbertino. neque aliter in suis invenerant Beroaldus ac Volscus. eadem præfert Vaticanus Livinejo inspectus; & duo Palatini Gebhardo. BROUKH. *Carminaque Erinnes non putat æqua suis*. Ita corrupit hunc versum Antonius Volscus, quem temere secutus est Beroaldus. VULP. Ceterum *Erinna poetria* (inquit Eusebius in Chronicis) *vixit quo tempore Dion Syracusis cæsus est*. Teniam patria fuisse scribit Stephanus περὶ πόλεων. Eustathius vero in lib. 2. Iliad. Lesbiam, aut Teïam, aut Teliam, aut Rhodiam. vide & Suidam in Ἤριννα, a quo dicitur ἑταίρα Σαπφοῦς καὶ ὁμόχρονος. PASS.

v. 23. NUM TIBI NASCENTI] Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 25. *Ægyptii*, inquit, *deos Præstites homini nascenti adesse narrant quatuor* δαίμονα, τύχην, ἔρωτα, ἀνάγκην. Sic & Horatius Ode 3. lib. 4. *Quem tu, Melpomene, semel Nascentem placido lumine videris*. PASS.

ibid. PRIMIS DIEBUS] Sic ait, quia, ut scribit Terentianus, per totam hebdomada Junoni mensa ponitur: ultimâ die fata scribenda advocantur. PASS.

v. 24. ARIDUS AMOR] *Fervidus*, inquit Beroaldus. Horatius certe id Amori tribuit epitheton Ode 30. lib. 1. *Fervidus tecum puer*. An ita dicitur quod aridos, exsuccos & exsangues amantes reddat? ut Virg. 3. Georg. *Atque artus depascitur arida febris*. An aridus ob sonum quem edidit sternuendo, qualem edunt arida dum franguntur? Virgilius 1. Georg. *Atque aridus altis Montibus audiri fragor*. id est *nimius*, inquit Servius. An ad calorem, unde sternutamentum excitatur, alludit? Quid *aridus* proprie, docet Festus in *Aridum*. In vet. lib. legitur: *Candidus*; & Macrobius de Differentia Græci & Latini sermonis ex Propertio legit:

Candidus Augustæ sternuit omen Amor.

forte: *Candidus Augustum*, &c. Sic apud Catullum Carm. 67. Amor

Fulgebat crocina candidus in tunica. P.

Mera mapalia hic faciunt interpretes. in τῷ *Aridus* latet vera lectio; quæ est *Aureus*, proprium ac tantum non perpetuum Cupidinis epithetum. Ovidius Remed. Amor. ipso fere initio:

Hæc ego. movit Amor gemmatas aureus alas.

& L. 2. Amor. Eleg. 18.

Nec tibi (qua tutum vati, Macer, arma canenti)
Aureus in medio Marte tacetur Amor.

& ejusd. operis L. 1. Eleg. 2. ad Cupidinem:

Tu, pennas gemmâ, gemmâ variante capillos,
Ibis in auratis aureus ipse rotis. BROUKH.

Parum abest quin adsentiar viro elegantis judicii; τὸ enim *Aridus*, insolens epitheton, durum, & a corrupta scriptura profectum mihi videtur. VULP.

ibid. ARGUTUM OMEN] Sonorum, clarum, acutum. ut Eleg. 16. lib. 1.

Argutâ referent carmina blanditiâ. PASS.

Metaphora pariter ab arboribus tracta. Virgilius initio Ecl. 7.

Forte sub arguta consederat ilice Daphnis. V.

ibid. STERNUIT OMEN] Sternuendo dedit omen. De auspicio ejusmodi per sternutationem ipsius Amoris, vide Theocritum Idyllio 7. & 16. & Catullum Carm. 47. Eustathius in lib. 7. Iliad. dextram sternutationem felicem ait fuisse habitam. & lib. 17. Odysseæ Penelope e sternutatione Telemachi gaudio perfunditur. ubi multa idem Eustathius. Aristoteles lib. 1. de Animalium Natura, sternutamentum rem sacram, & vim augurii habentem spiritum vocat. Idem in Problematis Quæst. 20. quærit, Cur in sternutatione salutemus. Plinius autem lib. 28. H. N. cap. 2. & 6. sternutamento revocari mensam, ferculumve, ait, quod si non postea gustetur aliquid, inter diras haberi. PASS. Etiam Apollini divinationis præsidi hoc augurium tribuit Nonnus Panopolites lib. 13. Dionysiacon v. 82.

Τοῖσι μὲν ἐρχομένοισιν ἑῷον ἐς κλίμα γαίης
Ἀκταῖων πρόμος ἦεν· ἐπ' ἠϊθέοιο δὲ νίκῃ
Πατρονοάτωρ δαφναῖος ἐπέπταρε μάντις Ἀπόλλων.

Quibus quidem venientibus matutinum in clima terræ
Actæon princeps erat: in juvenis vero victoriam

Avus

Hæc tibi contulerunt cæleſtia munera divi,
Hæc tibi: ne matrem forte dediſſe putes.
Non, non humani ſunt partus talia dona:
Iſta decem menſes non peperere bona.

Glo-

Avus paternus laureus ſternutabat vates Apollo.
Neque lucernæ ipſi tribuere dubitavit Naſo Epiſt. Herûs v. 151.

Sternuit & lumen: (poſito nam ſcribimus illo.)
Sternuit; & nobis proſpera ſigna dedit.

Hoc puto eſt quod ait Virgilius 1. Georg. *Teſtâ quum ardente viderent Scintillare oleum*. id vero cum crepitu ſimili ſternutamenti fieri ſolet. VULP.

v. 25. HÆC TIBI CONTULERUNT CÆLESTIA MUNERA DIVI] Certatim in te congeſſerunt, ut in Pandoram Heſiodi. [*Contulerunt*, tertia brevi κατὰ συστολὴν] Sic Horatius Epiſt. 4. lib. 1. *Dii tibi divitias dederunt*. Virgilius quoque Ecl. 4.

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

Lucretius item lib. 3.

Tranſtulerunt proprio quantum res nomine egebat.

Cæleſtia munera. Homerus δῶρα θεῶν. Cicero, *deorum conceſſu ac munere*. Horatius Ode 10. lib. 4.

O crudelis adhuc, & Veneris muneribus potens.

[Ovidius lib. 3. A. A. *Forma, dei munus*.] Aliter Virgilius 4. Georg. *Aerii mellis cæleſtia dona*. *Munera* autem & *dona* confundit Noſter, licet Juriſconſulti ſeparent. PASS. Ab hac voce orditur Gratius Cynegeticon ſuum:

Dona cano divûm lætas venantibus artes
Auſpicio, Diana, tuo. VULP.

v. 26. HÆC TIBI] Efficax ἀναφορά. V.

ibid. NE MATREM FORTE DEDISSE PUTES] Matrem habebat adhuc Cynthia. Elegia 15. infra:

Oſtendes matri brachia læſa tuæ.

Et Eleg. 6. hujus libri:

Me lædit, ſi multa tibi dedit oſcula, mater. P.

v. 27. NON, NON HUMANI SUNT PARTUS TALIA DONA] Non mortalis tantas & tam egregias corporis & ingenii dotes peperit. *Humani*, muliebris; quia eſt & dearum partus, & virorum quoque. Attius: *Oenei partu edita*; [nempe Dejanira, Oenei filia.] Homerus Iliad. 3.

Αὐτὰρ Γλαῦκος ἔτικτεν ἀμύμονα Βελλεροφόντην.

Sic Tibullus Eleg. 4. lib. 3. *Humanum nec videt illud opus*. Geminatio autem vocis *Non, non*, acuit orationem. ut apud Terentium Phorm. 2, 1. *Non, non hoc ſic futurum eſt: non poteſt*. & Adelphis. 2, 3. *Non æquum dicis, non*. Varro lib. 3. R. R. cap. 2. *Non tibi decoquet, non, ornithon*. PASS. Eodem pacto Cicero Orat. de Haruſpicum reſponſis: *Non ignovit, mihi crede, non*. Et D. Joannes Chryſoſtomus Orat. 1. de Sacris Precibus: Οὐ γάρ ἐστι, οὐκ ἔστι τὸν αἰτοῦντας παρὰ τοῦ θεοῦ σωφροσύνην καὶ δικαιοσύνην, μὴ τυγχάνειν τῆς δίκης. VULP. Belliſſima repetitio ejuſdem particulæ. quam & Paſſeratius obſervavit. Addo ego, eſſe eo etiam concinniorem, quod in ipſo principio ponitur, nulla alia voce interjecta. quæ res mirifice animat orationem. Catullus Carm. 14.

Non, non hoc tibi, falſe, ſic abibit.

Virgilius lib. 9. Æneid.

Me, me; adſum qui feci, in me convertite ferrum,
O Rutuli.

Cicero Accuſ. 5. in Verrem cap. 48. *Adſpicite, adſpicite, judices, ſqualorem ſordeſque ſociorum*. Ibid. cap. 59. *Malo, malo mehercule id quod tu defendis, hic judicibus populoque Romano, quam id quod ego inſimulo, probari*. Pro M. Fontejo cap. 7. *Fuit, fuit illis judicibus divinum ac ſingulare, judices, conſilium*. Pro Cæcina cap. 29. *Nihil, nihil unquam aliud, judices, reperietis*. In media periodo poſuit Valerius Flaccus, magna cum vi, L. 7. Argonaut.

Quinquaginta Aſiam (pudet heu!) penetraris Iaſon
Exſuluibus? neque ante alios ſic ſpreverit una,
Una ratis, ſpolium ut vivo de rege reportes?

Juvenalis pariter Sat. 8.

Præter majorum cineres atque oſſa volucri
Carpento rapitur pinguis Damaſippus, & ipſe,
Ipſe rotam ſtringit multo ſufflamine Conſul.
BROUKH.

Quibus præivit Horatius Ode 13. lib. 4. *Quid habes illius, illius quæ ſpirabat amores?* VULP.

v. 28.

Gloria Romanis una es tu nata puellis.
Romana accumbes prima puella Jovi.

Nec

v. 28. ISTA DECEM MENSES NON PEPERERE BONA] Tempus quo infans in utero matris moratur, mensium decem veteres computabant. Censent aliqui, hos menses fuisse lunares & breviores: quorum tamen sententiam evertit Ovidius lib. 1. Fast. quum enim caussas enumeret quibus permotus Romulus in anno suo decem menses posuit, hanc etiam profert:

Quod satis est, utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.

quis autem dicat, menses Romuli fuisse lunares? Nonnulli ajunt, mares nasci decimo mense, feminas nono: sed perperam. Liquet enim eos errare, quum ex aliis auctoribus, tum ex hoc Propertii loco, qui loquitur de natali amicæ. Huic errori adstipulati sunt Servius ad illud Maronis Ecl. 4.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses;

& Macrobius in Somnium Scipionis lib. 1. cap. 6. Superest igitur ut dicamus, hanc scriptorum computationem accipi oportere de mense decimo inchoato. Favet Ovidius Epist. Canaces:

Jam noviens erat orta soror pulcherrima Phœbi,
Denaque luciferos Luna movebat equos.
Nescia quæ faceret subitos mihi caussa dolores,
Et rudis ad partus, & nova miles eram. &c.

Adstipulari etiam videtur Plautus Truculento 2, 4, 47. & seqq. Lege, si placet. Sed refragatur Sacer Scriptor Sapientiæ Salomonis cap. 7. Ἐν κοιλίᾳ, inquit, μητρὸς ἐγλύφθην σὰρξ δεκαμηνιαίῳ χρόνῳ. Cum quo facit Plautus Cistellar. 1, 3, 14. *Illa quam compresserat, decumo post mense exacto hic peperit filiam.* Item Seneca Thebaide v. 535. *Per decem mensium graves Uteri labores.* D. Hieronymus quoque in Epist. De Filio Prodigo ad Papam Damasum: *Quæ autem potest major esse clementia, quam ut filius Dei, hominis filius nasceretur, decem mensium fastidia sustineret, partus exspectaret adventum?* &c. Quid, quod Cicero & Seneca novem tantummodo mensium spatium commemorant? Alter lib. 2. de Nat. Deor. *Adhibetur autem, inquit, (Diana) ad partus, quod ii maturescunt aut septem nonnumquam, aut plerumque novem Lunæ cursibus: qui, quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur.* Alter vero Epist. 102. *Novem mensibus nos tenet maternus uterus.* Exploratum arbitror quod scribit A. Gellius lib. 3. N. A. cap. 16. *Antiquos autem Romanos Varro dicit non recepisse hujusmodi quasi monstruosas raritates; sed nono mense aut decimo, neque præter hos aliis partionem mulieris secundum naturam fieri existimasse: idcircoque eos nomina Parcis tribus fecisse a pariendo & a nono atque decumo mense. Nam Parca, inquit, immutata littera una a partu nominata: item Nona & Decima a partus tempestivi tempore.* Tertullianus consensit lib. de Anima cap. 37. *Hæc æstimando etiam superstitio Romana finxit Alemonam, alendi in utero fœtus. Et Nonam & Decimam a sollicitatoribus mensibus.* Vide ibi plura: præterea Plautum Amphitr. 1, 2, 19. Homerum Hymno in Mercurium v. 11. ejusque Scholiasten breviorem in Iliad. 2. v. 9. Moschum Idyllio Megaræ v. 84. ut aliorum loca innumera missa faciam. VULP.

ibid. DECEM MENSES] Legendus Ausonius de ratione puerperii humani. PASS.

ibid. BONA] Dotes. ut Eleg. 18. lib. 3.

Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.

Albinovanus ad Liviam:

Tot bona per partus quæ dedit una duos. P.

Duæ voces *dona* & *bona* efficiunt ὁμοιοτέλευτον in hoc disticho, quamvis minus perfectum; *o* enim longum est in *dona*, breve in *bona*. Illud Horatii perfectum Epist. ad Pisones:

Non satis est pulchra esse poemata: dulcia sunto,
Et quocumque volent, animum auditoris agunto.

Itemque aliud Sat. 1. lib. 2. 78.

Hoc juvat? horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

Silius Italicus pariter lib. 10. Punicor. v. 554.

Et tibi, Mars genitor, votorum haud surde meorum,
Arma electa dicat spirantum turba virorum.

Idem lib. 15. v. 13.

Si gentem petat infaustam, inter hasta fuerant
Decertandum hosti, qui fregerit arma duorum.

VULP.

v. 29. GLORIA ROMANIS UNA ES TU NATA PUELLIS] Dictum ut Eleg. 1. supra:

Et

Nec semper nobiscum humana cubilia vises:
Post Helenam hæc terris forma secunda redit.
Hac ego nunc mirer si flagret nostra juventus?
Pulcrius hac fuerat, Troja, perire tibi.

Olim

Et vitæ & morti gloria justa meæ.

Sic & Virgilius 11. Æneid. *O decus Italiæ virgo*. PASS. Omnes tam scripti quam antiquitus cusi libri habent magno consensu, *una es tu nata puellis*. Quomodo & L. 4. Eleg. ult.

Filia, tu specimen censuræ nata paternæ.

Porphyrio in L. 1. Horatii Ode 27. *Natis in usum lætitiæ scyphis*] *Natis, id est, ad hoc specialiter inventis & factis. Sic, Animal propter convivia natum. & Lucillius:*

Judicis Hortensi est ad eam rem nata palæstra.

recte grammaticus ille. Cicero Accus. 4. in Verrem C. 24. *Tum illa, ex patellis & thuribulis quæ evellerat, ita scite in aureis poculis illigabat, ut ea ad illam rem nata esse diceret*. Possis vulgatam lectionem *rara* eo versu defendere Eleg. 8. L. 1.

Sunt igitur Musæ, neque amanti tardus Apollo:
Queis ego fretus amo. Cynthia rara mea est.

& Eleg. 17. ejusdem libri:

Quamvis dura, tamen rara puella fuit.

Sed cur insuper habeas tot librorum fidem, & lectionem minime ineptam? BROUKH.

v. 30. ROMANA ACCUMBES PRIMA PUELLA JOVI] Ambigue de accubitu mensæ & tori. nam accubitu mensæ dii deæque fieri credebantur. Virgilius 1. Æneid. *Tu das epulis accumbere divûm*. Horatius Ode 8. lib. 4. *Sic Jovis interest Optatis epulis impiger Hercules*. Idem Ode 3. lib. 3. *Quos inter Augustus recumbens Purpureo bibit ore nectar*. De accubitu lecti nihil necesse dicere, quæ Venus novit. *Accumbes Jovi*, ut supra Eleg. 2. *Jove digna foret*. Sed vetus liber:

Romano accumbes prima puella loco.

ut sit hypallage: Romana puella primo loco accumbes; quod probat Scaliger pluribus. & primum locum cape non ordine accumbendi, sed dignitate; qui locus medius erat. Virgilius & Servius. PASS. Ego vero legere malo:

Romana accumbes prima puella Jovi.

quod videlicet multas Grajas, aliquot Barbaras, nullam Romanam ad eam diem rapuisset Juppiter. quamobrem ait poeta, Cynthiam primam futuram quæ in Jovis convivio accumbat; neque primam solum, sed & unam: idque ipsi valde gloriosum fore. VULP.

v. 31. NEC SEMPER NOBISCUM HUMANA CUBILIA VISES] Non semper ædibis hominum lectos & conscendes, ut meum lectum adire & conscendere soles. Scaliger legit:

Nec tantum mecum Romana cubilia vises. P.

v. 32. POST HELENAM HÆC TERRIS FORMA SECUNDA REDIT] *Post*, vel ordinis est temporis, vel dignitatis formæ. *Post Helenam*, ab Helenæ tempore, vel secundum Helenam. Horatius Ode 13. lib. 4. *Felix post Cynaram*. *Terris forma secunda redit*. in terras iterum e cælo mittitur. *terris*, ut Horatius Ode 2. lib. 1. *Jam satis terris nivis atque diræ Grandinis misit pater*. [& ad rem nostram propius Ode 2. lib. 4. de Augusto: *Quo nihil majus meliusve terris Fata donavere bonique divi*.] *Forma secunda*, ut Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 13. ad Auroram:

Aspice quot somnos juveni donarit amica
Luna: nec illius forma secunda tuæ est. P.

Broukhusius, adversus codicum fidem, pro *terris*, legit *Grajis*, & explicat satis ingeniose: nec mihi tamen probat. VULP.

v. 33. EGO NUNC MIRER] ἐιρωνεία. Vide Eleg. 2. lib. 3. v. 9. PASS. Sed rectius ponitur nota interrogationis in fine versus. VULP.

ibid. SI FLAGRET NOSTRA JUVENTUS] Hanc ardeat & depereat. vide notata ad Eleg. 13. lib. 1. v. 23. *Nostra juventus*. aut Romana pubes, aut ego ipse juvenis, ut Eleg. 1. supra, *Nostræ spes juventæ*. nam cur *juventus*, pro juventa non dicatur, quum sæpe Plautus *senectutem meam*, pro me senem dicat? Contra Martialis *juventam*, pro juventute posuit Epigr. 90. lib. 2.

Quintiliane, vagæ moderator summe juventæ.
PASS.

Illud Horatii simile Ode 4. lib. 1. *Nec tenerum Lycidam mirabere, quo calet juventus Nunc omnis*. VULP.

v. 34.

Olim mirabar, quod tanti ad Pergama belli
Europæ, atque Asiæ caussa puella fuit.
Nunc, Pari, tu sapiens, & tu, Menelae, fuisti:
Tu, quia poscebas: tu, quia lentus eras.

Di-

v. 34. PULCRIUS HAC FUERAT, TROJA, PERIRE TIBI] Honestius ob hanc diruta esses, quam ob Helenam. Sic *pulcra more*. Virgilius 4. Georg. & 2. Æneid. *Pulcrumque mori succurrit in armis*. PASS.

v. 35. OLIM MIRABAR] Insolens mihi videbatur. PASS.

ibid. QUOD TANTI AD PERGAMA BELLI] *Tantum bellum*, quia toto decennio ad Trojam gestum, & cum mille navibus. PASS. Melius in codice Groningano, *mirabar, cur tanti*. Horatius Epist. 8. lib. 1.

Fidis offendar medicis, irascar amicis,
Cur me funesto properent arcere veterno.

Cicero lib. 3. ad Attic. Epist. 13. *Me sæpe accusas, cur hunc meum casum tam graviter feram*. *Ad Pergama*. nam Asiæ populi pro Troja pugnabant, sed tamen ad Trojam, id est, apud ipsam urbem. Cicero ad Brutum: *Bellum ad Mutinam gerebatur*. BROUKH. Omnino legendum *quod*, non *cur*. Minus enim recte diceretur, *Mirabar, cur fuit*, pro mirabar, cur fuerit. Exempla sane a Broukhusio allata, particulæ *cur* apponunt subjunctivum. *Tanti ad Pergama belli*. Neque solum ad Trojam, sed perpetuarum quoque inimicitiarum in longum ævum. Testis Herodotus initio Historiæ: Ἕλληνας δὲ (λέγουσι Πέρσαι) Λακεδαιμονίης εἵνεκεν γυναικὸς, ϛόλον μέγαν συναγεῖραι, καὶ ἔπειτα ἐλθόντας ἐς τὴν Ἀσίην, τὴν Πριάμου δύναμιν κατελεῖν. ἀπὸ τούτου αἰεὶ ἡγήσασθαι τὸ Ἑλληνικὸν σφίσι εἶναι πολέμιον. τὴν γὰρ Ἀσίην καὶ τὰ ἐνοικέοντα ἔθνεα βάρβαρα οἰκηιεῦνται οἱ Πέρσαι, τὴν δὲ Εὐρώπην καὶ τὸ Ἑλληνικὸν ἥγηνται κεχωρίσθαι. h. e. *Græcos autem aiunt Persæ Lacedæmoniæ mulieris gratia ingentem collegisse classem, & mox in Asiam profectos, imperium Priami evertisse: ex eo tempore semper existimasse sibi hostes esse Græcos. Siquidem Asiam & barbaras gentes quæ incolunt, Persæ sibi junctas tenent, Europam vero & Græcos putant sejunctos*. *Ad Pergama*. Sic Noster Eleg. 4. lib. 3.

Arma deus Cæsar dites meditatur ad Indos. V.

v. 36. EUROPÆ, ATQUE ASIÆ] Virgilius 7. Æneid.

Quibus actus uterque
Europæ atque Asiæ fatis concurrerit orbis.

unde Catullus Carm. 67.

Troja (nefas) commune sepulcrum Europæ Asiæque. PASS.

Ita Fulgentius Planciades lib. 2. Mythologiæ cap. 16. *Sed ex hoc ovo generantur tres, Castor, Pollux, & Helena. Nihilominus seminarium scandali & discordiæ:*

Quæ geminum luctu concussit adultera mundum. VULP.

ibid. CAUSSA PUELLA FUIT] Caussa belli Trojani Helena rapta a Paride. prima tamen caussa belli Europæ & Asiæ fuit Medea, Jasonem secuta; ut ostendit Turnebus lib. 23. Advers. cap. 5. PASS.

v. 37. NUNC FUISTI] Locus poetæ nostri elegantissimus: mirum tamen loquendi genus; adverbium scilicet præsentis temporis junctum verbo substantivo temporis præteriti. Sed ἔλλειψις ita supplenda: Nunc amore Cynthiæ captus, quæ formæ præstantia vel superat Helenam, vel certe adæquat, contrariam prorsus de vobis, Pari & Menelae, sententiam pronuntio, ac mirari desino: Fuistis uterque sapientes. Eodem fere modo locutus & Cicero initio lib. 3. Tusc. Disput. *Nunc parvulos nobis* (natura) *dedit igniculos, quos celeriter .... restinguimus*. Catullus etiam Carmine 83. *Mirifice sperabat se esse locutum*. quum tamen spes non præteritorum sit, sed futurorum. Thucydides pariter Operis exordio: Θουκυδίδης Ἀθηναῖος ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων ..... ἐλπίσας μέγαν τε ἔσεσθαι καὶ ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων. *Thucydides Atheniensis bellum Peloponnesiorum Atheniensiumque conscripsit ...... sperans etiam fore quum magnum, tum superioribus longe memorabilius*. videlicet, sperans ostensurum se scriptione sua, bellum fuisse magnum, &c. Hi loquendi modi, quum occurrunt apud scriptores, negligendi non sunt. VULP.

ibid. NUNC, PARI, TU SAPIENS, ET TU, MENELAE, FUISTI] Sic Virgilius Ecl. 3. *Et vitula tu dignus, & hic*. de

sen-

Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles.
Vel Priamo belli caussa probanda fuit.
Si quis vult fama tabulas anteire vetustas,
Hic dominam exemplo ponat in arte meam.

Sive

sententia judicis qua neuter damnatur. Martialis alicubi:

Nubere vis Prisco; non miror, Paulla, sapisti:
Ducere te non vult Priscus; & ille sapit.

Sapiens, ad voluptatem & genium suum, non autem ad patriæ salutem, aut laudem. Plautus Amphitr. *Amat, sapit, recte facit*. Ovidius autem hunc Propertii locum imitatus est lib. 3. A. A.

Aut Helenæ, quam non stulte, Menelae, reposcis,
Tu quoque non stulte, Troïce raptor, habes.
PASS.

v. 38. TU, QUIA POSCERAS: TU, QUIA LENTUS ERAS] Utrumque translatum a creditoribus, & *poscebas*, id est res raptas repetebas, & *lentus eras*. nam lenti debitores, qui moram faciunt in solvendo, & pedem struere solent. Cicero Epist. 10. l. 1. ad Attic. *Teucris illa lentum negotium*. D. Brutus Epist. 20. lib. 11. ad Famil. *De nummis lente, ac ratione habita pecuniæ facias*. id est, de stipendiis solvendis militibus. Cicero Orat. 2. in Catil. *Non tam milites acres, quam inficiatores lentos*. Lucillius apud Nonium in *Lentum*:

Lucius' Cotta senex, Crassi pater hujus', Panæti,
Magnus trica fuit nummarius': solvere nulli
Lentus.

facilis, inquit Nonius. Immo, *solvere nulli*: id est, nulli solvebat, quia lentus erat. PASS.

v. 39. DIGNA QUIDEM FACIES, PRO QUA V. O. A.] Facies, forma v. 32. hujus Elegiæ. & *pro qua* dictum, ut *mori pro patria*. PASS. Sic Ovidius lib. 6. Metam. 458.

Digna quidem facies. sed & hunc innata libido
Exstimulat.

Neque abit Papinius lib. 1. Silv. Carm. 2. 38.

Digna quidem merces, & si tibi Juno labores
Herculeos, Stygiis & si concurrere monstris
Fata darent.

Quum Trojani possent Helena reddita, sine periculo ac metu terram suam retinere, Græci autem hanc illis habendam permittentes, omnibus illis difficultatibus quæ ex bello & expeditionibus oriuntur, liberari,

ὐκ ἠθελήσαντ ἀμφότεροι, ὀκ ἄν ποτε νομίσαντες ἀξιῶν ἀφορμὴν καλλίω πολέμου, περὶ ἧς ἀποθανῶνται. *neutri consulere sibi ipsi voluerunt, rati non aliam pulcriorem belli caussam, ob quam morerentur, invenire se posse*. Verba sunt Luciani in Charidemo, quæ mutuatus videtur ab Isocrate in Helenæ Laudatione. *Pro qua*. Ita Horatius Ode 9. lib. 4. *Non ferox Hector, vel acer Deiphobus graves Excepit ictus pro pudicis Conjugibus puerisque primus. Vel Achilles*. Ipse Achilles Græcorum præstantissimus. VULP. *Vel Achilles, vel Priamus*. Soluta pro conjunctis. ut Eleg. 8. infra:

Inferior multo quum sim vel Marte, vel armis.

id est, & Marte & armis. PASS. Sed ibi legendum, *vel matre*. VULP.

v. 40. VEL PRIAMO BELLI CAUSSA PROBANDA FUIT] Amplectimur ego & Broukhusius Nicolai Heinsii conjecturam Not. ad Epistolas Sabini. Contra, Diomedes apud Maronem lib. 11. Æneid.

infanda per orbem
Supplicia, & scelerum pœnas expendimus omnes,
Vel Priamo miseranda manus.

Lege, si placet, insignem locum Quintiliani lib. 8. Instit. Orat. cap. 4. allatum a Gebhardo & Broukhusio, qui locus unice firmat Heinsii lectionem. Volupe etiam fuerit conferre cum Fabio sermonem Achillis & Priami apud Lucium Septimium (sive Dictyn Cretensem) fine libri tertii. BROUKH. & VULP.

ibid. BELLI CAUSSA PROBANDA FUIT] Judicanda satis idonea belli tanti caussa tam formosæ puellæ raptus. A. Sabinus Epist. Paridis ad Œnonen:

Non vereor, belli ne non sit caussa probanda.
Est illi facies digna movere duces. PASS.

Vide Homerum 3. Iliados a versu 154. loco plane memorabili. VULP.

v. 41. SI QUIS VULT FAMA TABULAS ANTEIRE VETUSTAS] Commendatione operis superare tabulas veterum pictorum Zeuxis, Apellis, Parrhasii. κρᾶσις in *Anteire*, ut Eleg. 6. lib. 1. v. 19. PASS.

v. 42.

Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois,
Uret & Eoos, uret & Hesperios.
His saltem ut tenear jam finibus: aut, mihi si quis
Venerit alter amor, acrius ut moriar.

Ac

v. 42. HIC DOMINAM EXEMPLO PONAT IN ARTE MEAM] Libri fere omnes *inante*. Aut igitur *ante* vacat ; ut apud Cicer. Epist. 19. lib. . . . ad Attic. *Bibulus comitia in ante diem* XV. *Cal. Novembres distulit :* vel ὕστερον πρότερον in verbis , *Anteponat in exemplo* . id est, sibi proponat dominam meam pingendam . nam , ut Plinius scribit lib. 35. H. N. cap. 10. Zeuxis & Apelles nudas puellas inspiciebant . idem fere scribit & Cicero initio lib. 2. de Inventione . *Exempla* , tertio casu & καταχρηστικῶς , quia proprie exemplum est quod sequamur & vitemus , & animo æstimatur : exemplar , ex quo simile faciamus , & hoc oculis conspicitur . Cicero tamen confundit in Orat. pro Murena . Plautus Pœnulo : *O Apella , o Zeuxis , cur numero estis mortui , hinc exemplum ut pingeretis?* Vetus liber MS. habet *in arte* , ut Eleg. 3. lib. 3. *Mentem non vidit in arte* . Alii libri veteres *in arce* , quia in arcibus templa tabulis ornata . PASS. Hæc postrema lectio non nauci est . VULP. *Inante* est in septem libris scriptis , in duabus editionibus primis , in Aldina utraque , Colinæana , Plantiniana , &c. idque multis propugnat Gebhardus . Videri possunt super hac vocula Gifanius in Collectaneis Lucretianis , Rævardus L. 3. Varior. C. 3. & Bernartius in Papin. L. 1. Silv. 6. Sed intercedit pater Gronovius L. 1. Observ. C. 15. negans τὸ *inante* boni ævi Latio receptum fuisse ; & se alibi dicens ostendisse Scaligeri in eo peccatum , qui Propertio obtruserit . at vero Scaliger de ea vocula verbum fecit nullum ; & jam in Propertio legebatur ante Scaligerum natum . itaque hæc quidem calumnia est , & mera ærugo . Noster primus habet *in arte* , & liber Passeratii . Sic L. 3. Eleg. 3.

Corpora disponens , mentem non vidit in arte .
BROUKH.

Etiam editio princeps anni 1472. qua utor , *in arte* . VULP.

v. 43. SIVE ILLAM HESPERIIS , SIVE ILLAM OSTENDET EOIS] Imitatus Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. ult.

Gallus & Hesperiis & Gallus notus Eois .

Hesperiis , populis occidentis ; *Eois* , populis orientis . Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 9.

Ibit ad occasum , quidquid dicemus , ab ortu :
Testis & Hesperiæ vocis Eous erit .

Vide Junium Proverb. 5. Centur. 3. PASS. *Ostendet* . Sic legitur in editione omnium prima . Nonnulli codd. *Ostendat* . VULP.

v. 44. URET ET EOOS , URET ET HESPERIOS] Tibullus Carm. 1. lib. 4.

Urit , seu Tyria voluit procedere palla :
Urit , seu nivea candida veste venit .

vide notata ad Eleg. 13. lib. 1. versu antepænult. PASS. Versus antiquæ simplicitatis & plane aureæ. Ille Virgilii Æneid. 1. non dissimilis :

Multa super Priamo rogitans , super Hectore multa . VULP.

v. 45. HIS SALTEM UT TENEAR JAM FINIBUS] Saltem , si nihil aliud , at hoc mihi dumtaxat concedatur . Sermo in desperatis rebus . Donatus in Andriam , & Servius . *Ut* , pro utinam ; Priscianus lib. 15. Horatius Sat. 1. lib. 2. *Ut pereat positum rubigine telum* . Catullus Carm. 65. *Ut* χαλύβων *omne genus pereat* . Noster Eleg. 16. infra :

Rumpat ut assiduis membra libidinibus .

Teneri finibus , ἀλληγορικῶς , pro non vagari in amore , sed apud unam manere . Cicero Epist. 11. lib. 7. ad Attic. *Domesticis te finibus tenes* . Idem 1. Offic. *Finibus suorum rerum se continere* . PASS. Initio hujus Elegiæ dixerat poeta , se dimissos amores revocavisse , inductum & coactum forma Cynthiæ , quam postea describit . Nunc ait : Si mihi necessario amandum est , ac mala omnia fortiter perferenda quæ in amore sunt , hoc mihi saltem dii largiantur , ut unam tantummodo amare possim , ne videlicet si plures amare cœpero , amoris incommoda mihi duplicentur & augeantur . Vide Eleg. 22. hujus libri , qua cuidam Demophoonti se multarum formis delectari aperte fatetur . Scaliger hæc minus

fue-

Ac veluti primo taurus detrectat aratra,
Post venit adsueto mollis ad arva jugo:

fuerat affecutus; propterea transtulit in Elegiam primam. CAVE tibi, mi lector, ab iis qui poetas, Lyricos præsertim & Elegiacos, ad amussim dialecticam, vel geometricam, si diis placet, exigere volunt (qui morbus est hujus ætatis) & μέθοδον quamdam iis præscribunt, homines inepti: quum tamen hujusmodi poetarum vera & propria μέθοδος sit ἀμεθοδία. Nihil autem mirum, iis quibus ob amorem fluctuet animus, orationem præterea & sententiam fluctuare. Verum hæc intelligere non omnium est, sed eorum tantum qui Gratiis litaverunt. VULP.

v. 46. VENERIT ALTER AMOR] Ut Elegia 7. lib. 1.

Sæpe venit magno fœnore tardus Amor.

Alter amor, altera amica. ut Eleg. 18. lib. 3.

Atrida magna quum flerit alter amor. P.

ibid. ACRIUS UT MORIAR] An utinam peream acerbius, aut acrius venerit amor? Eleg. 9. lib. 1.

Acrius illa subit, Pontice, si qua tua est.

Mors pro cruciatu. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 7. *Alterius dicor amare mori.* Tibullus Eleg. 6. lib. 2. *Tunc morior curis.* Noster Eleg. 10. lib. 1.

Quum te complexa morientem, Galle, puella
Vidimus. PASS.

v. 47. AC VELUTI PRIMO TAURUS DETRECTAT ARATRA] Hac similitudine, & postea exemplo utitur poeta, ut ostendat se in amoris militia non tironem, sed veteranum, paratum scilicet ad aspera & dura quæque toleranda. VULP. *Ac veluti*. usitatus loquendi modus in similitudine & comparatione. ut Eleg. 15. infra, *Ac veluti folia*, &c. Virgilius pariter 1. Æneid. *At veluti magno in populo*, &c. & alias sæpe. PASS.

ibid. PRIMO TAURUS DETRECTAT ARATRA] Sic Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 2.

Verbera plura ferunt, quam quos juvat usus aratri,
Detrectant pressi dum juga prima boves.

[Et lib. 3. Pontic. Eleg. 7.

Ductus ab armento taurus detrectat aratrum,
Subtrahit & duro colla novella jugo.

Item Epist. Phædræ v. 21.

Scilicet ut teneros lædunt juga prima juvencos,
Frenaque vix patitur de grege captus equus:
Sic male vixque subis primos rude pectus amores.]

Jugum ferunt amantes. unde *per conjugium*. *Detrectare aratra*, quod Eleg. 25. infra:

Grandævique negant ducere aratra boves.

Virgilius 3. Georg.

Aut juga detrectans, interdumque aspera cornu.

Columella lib. 2. R. R. cap. 2. vocat *juvencum retractantem*. Tibullus Eleg. 6. lib. 1. *Detrecto non ego vincla pedum*. Festos: *Detrectare, est male tractare*. lego: *nolle tractare*. PASS. *Detractat* habet noster secundus, cum duobus Regiis ac Colbertino utroque: quæ est ipsissima vetustatis scriptura. Lactantius de Mortibus Persecutorum Cap. 9. *In tantos namque fastus post hanc victoriam elevatus est, ut jam detractaret Cæsaris nomen*. Sic *adtractare*, in vetustis Maronis ac Livii exemplaribus. sic *conjuge prærapta*, in membraneo codice Virgilii eximiæ bonitatis. sic *conspargere* in manuscripto Phædro invenit illustris Gudios, L. 2. Fab. 5. atque ita crebro Sallustius. Deinde *aratro* erat in nostro primo, ac Borrichiano: quod & in Comel. invenerat Gebhardos. sed vulgata non videtur temere tentanda. Tamen, ut verum fatear, istud *aratro* mihi nescio quo modo subblanditur: & propemodum inducor, ut credam latere ellipsin verbi *parere*, aut alicujus non dissimilis. Sane ad hanc faciem verbo *negare*, non multum abeunte a *detractandi* verbo, usus est Lucanus lib. 8. ipso initio:

Cornipedem exhaustum cursu, stimulisque negantem
Magnus agens.

Papinius vero L. 3. Silv. Carm. 1. dixit, *saxa negantia ferro*. Vide quæ in hanc rem notavit insignitæ vir eruditionis Joannes Frid. Gronovius Diatriboes Statianæ capite 45. BROUKH. Seneca libro de Providentia, cap. 4. *Marie urgent sæva inexpertos. Grave est feræ cervici jugum*. hoc est indomitæ. *Detrectare*, in equis est ἀφηνιάζειν. Ceterum ad hunc Propertii locum respexisse videtur Statius lib. 1. Thebaid. v. 131.

Sic primo juvenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti post hæc æqua, & iniqua ferunt.
Turpia perpessus vates est vincla Melampus,
Cognitus Iphicli subripuisse boves.

Quem

Sic ubi delectos per tertia armenta juvencos
Agricola imposito sociare affectat aratro :
Illi indignantes, queis nondum vomere multo
Ardua nodosos cervix descendit in armos,
In diversa trahunt, atque æquis vincula laxant
Viribus, & varia confundunt limite sulcos :
Haud secus indomitos præceps discordia fratres
Asperat. VULP.

v. 48. POST VENIT ADSUETO MOLLIS AD ARVA JUGO] An *venit mollis*, id est fit? *Il devient souple.* ut Horatius Ode 19. lib. 1. *Mactatâ veniet mollior hostiâ*; nam mollis ad rem dicitur; ut Cicero: *Mollissimus animus ad suscipiendam & deponendam injuriam. Mollis*, facilis, ut Eleg. 7. lib. 1. & Eleg. 5. lib. 4.

Doctа vel Hippolytum Veneri mollire negantem.

Virgilius 3. Georg.

Belgica vel molli melius feret esseda collo.

id est, domito. Varro apud Nonium in *Vapor: Sternitur juvencus quem labor mollem fecit.* contra, *duræ cervicis taurus. Arvum*, inquit Festus, *dicimus agrum necdum satum.* Varro lib. 4. de L. L. *Arvum & arationes ab arando. Assueto jugo*, ut Eleg. 1. lib. 1. *Assueto amore.* Virgilius hac de re 3. Georg. *Ubi libere colla Servitio assuerint.* PASS. *Mox*, pro *Post* legere mavult Broukhusius: at libris non addicentibus. VULP.

v. 49. SIC PRIMO JUVENES TREPIDANT IN AMORE FEROCES] An dictum, *trepidant feroces*, ut ab Horatio, *Palluit audax?* Sed trepidatio hic est turbationis & tumultus. Horatius Ode 27. lib. 3. *Sed vides quanto trepidet tumultu Pronus Orion. Feroces*, superbi & minaces; sævi & indomiti Catullo. Vide notata ad Eleg. 5. lib. 1. v. 12. P.

v. 50. DEHINC DOMITI POST HÆC ÆQUA ET INIQUA FERUNT] Subacti demum quidlibet patiuntur. *Domiti*, ut Catullus Carmine 67.

Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo
Quod divum domitum ferre jugum docuit.

Dehinc post hæc, δὶς τὸ αὐτὸ. ut dictum Elegia 9. lib. 1. v. 4. *Æque & inique ferunt.* ut Virgilius 12. Æneid. *Digna indigna pati.* Lucillius: *Durum molle voras.* Plautus: *Dulcia & amare eloqui.* Catullus: *Omnia fanda nefanda.* Vide Junium Prov. 20. Centur. 9. PASS. *Dehinc post hæc.* Plurimum gaudebant veteres hoc genere pleonasmi: sic dicebant *olim quondam*, *post deinde*, *deinde deinceps*, *repente subito*, *tandem denique*, & quæ sunt ad hanc formam alia longe plura. BROUKH.

v. 51. TURPIA PERPESSUS VATES EST VINCLA MELAMPUS] Turpi de caussa vinctus & in carcerem conjectus. *Turpia vincla*, quia furti caussa vinciri turpe, quum sit turpe judicium furti. Cicero pro Sex. & Q. Roscio. & Julianus J. C. L. 1. de his qui notantur infamia. Statius 1. Achilleid. *Turpi quærentem litora furto.* Nelei & Chloridis filiam Pero quum Bias frater Melampodis deperiret: nec pater eam ulli locare vellet nisi qui boves Iphicli surreptos sibi traderet; Melampus amori fratris obsecutus, tametsi, arte divinandi, quam egregie callebat, præsensisset se deprehensum iri, furari tamen conatus est. Ibi captus vinctusque & post annum emissus ab Iphiclo, & data Bianti uxor Pero. Homerus lib. 11. Odysseæ, Apollonius Rhodius lib. 1. Argon. Pausanias Messenicis, Apollodorus lib. 1. Theocritus in Comaste, & ejus Scholiastes; qui ita dictum Melampodem ait, quod expositus fuerit a matre in edito loco, reliquo corpore tecto, pedibus nudis, qui propterea sole exusti colorem nigrum traxissent. PASS.

v. 52. COGNITUS IPHICLI SUBRIPUISSE BOVES] Deprehensus dum surripere & furari vellet. ut Eleg. 4. lib. 1.

Mutatum domina cogis abire meo.

pro, cogere vis. & Eleg. 13. lib. 3. *Ille furor patriæ fuit utilis.* id est, esse voluit. Homerus autem & Apollonius, Iphicli fuisse boves illas scribunt: Apollodorus, Phylaci, qui pater Iphicli. PASS. *Cognitus subripuisse.* ἑλληνισμός, pro, cognito eum subripuisse. VULP.

v. 53.

Quem non lucra, magis Pero formoſa coegit,
Mox Amythaonia nupta futura domo.

v. 53. QUEM NON LUCRA, MAGIS PERO FORMOSA COEGIT] Quem non cupiditas pecuniæ & quæſtus, ſed Pero Nelei filia, cujus formam Bias Melampodis frater deperibat, impulit ad id furtum. *Lucrum* a luendo; quum quis plus exſolvit quam quanti eſſet emtum. Varro 5. de L. L. ſic enim lego: non, eſſet ceptum. PASS.

v. 54. MOX AMYTHAONIA NUPTA FUTURA DOMO] Quæ poſt annum Bianti Amythaonis filio nubere debebat. Apollodorus lib. 1. Ἀμυθάων Εἰδομένην γαμεῖ τὴν Φέρητος, καὶ γίνονται παῖδες αὐτῷ Βίας καὶ Μελάμπους. Vide notata ad illud Tibulli lib. 4. Carm. 1.

Queis Amythaonius nequeat certare Melampus.

PASS.

ELEGIA IV.

MUlta prius dominæ delicta queraris oportet:
Sæpe roges aliquid, ſæpe repulſus eas.
Et ſæpe immeritos corrumpas dentibus ungues,
Et crepitum dubio ſuſcitet ira pede.

Ne-

ARGUMENTUM ELEGIÆ IV. LIBRI II.] Amoris puellarum varia incommoda enumerat. Videtur autem poeta cuidam amicorum hac Elegia reſpondere, qui conſilio ipſius fuerit uſus, quemadmodum ſe gereret adverſus puellam cujus duritiam ægre ferret. VULP.

v. 1. MULTA PRIUS D. D. Q. O.] ἐλλείψις. ſubaudiendum, quam ejus lecti copia tibi fiat, & ea certa demum & fideli tuto frui poſſis. PASS.

ibid. DELICTA] Eleg. 16. lib. 1. *Vitia dominæ* vocat. *culpam* Eleg. 5. lib. 1. & *errata* Eleg. 9. ejuſdem libri. Plautus Amphitr. *Quid ego tibi deliqui, ſi, cui nupta ſum, tecum fui?* Feſtus: *Delinquere eſt prætermittere quod non oportet præteriri*. quaſi derelinquere. PASS.

ibid. QUERARIS OPORTET] Et neceſſe eſt, & decet & convenit. PASS.

v. 2. SÆPE ROGES ALIQUID] Petas a domina ſuavium, vel quid amplius. *Aliquid* non caſte. Eleg. 19. infra: *Tu quoties aliquid conabere, vita*. & Eleg. 22.

Quæ ſi forte aliquid vultu mihi dura negarat.

& Eleg. 33.

Eſt quiddam quod vos quærere cogat Amor.

Sic Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 2.

Riſit, & argutis quiddam promiſit ocellis.

Eodem pacto *quidlibet*, *cetera* accipi ſolent. P.

ibid. SÆPE REPULSUS EAS] Nihil impetres, abeas cum repulſa. Virgilius 11. Æneid. *Pone animos, & pulſus abi*. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 9.

Sæpe fruar domina, ſæpe repulſus eam. P.

Ire, interdum pertinet ad faſtum. Supra Eleg. 1.

Gaudet laudatis ire ſuperba comis.

interdum ad abjectionem & contemtum, ut hic, & Eleg. 4. lib. 1.

Inferior duro judice turpis eat.

item Eleg. 9.

I quæſo, & triſtes iſtos depone libellos.

infra vero Eleg. 14. *Demiſſis ſupplex cervicibus ibam*. VULP.

v. 3. ET SÆPE IMMERITOS CORRUMPAS DENTIBUS UNGUES] Id eſt, qui plectuntur innocentes. ut Eleg. 4. lib. 4.

Sæpe illa immeritæ cauſſata eſt omina Lunæ.

& Eleg. 5. ejuſd. libri:

Cornicum immeritas eruit ungue genas.

Horatius Sat. 3. lib. 2.

-- *Immeritusque laborat*
Iratis natus paries diis atque poetis.

& Ode 17. lib. 1. *Scindat immeritam veſtem*. *Corrumpere*, ſeu rodere ungues, iratorum geſtus. Sic Eleg. ult. lib. 3.

Ungue meam morſa ſæpe querére fidem.

Horatius Sat. ult. lib. 1. *In verſu faciendo*
Sæpe caput ſcaberet, vivos & roderet ungues.

Nam

Nequiquam perfusa meis unguenta capillis:
Ibat & expenso planta morata gradu.

Nun

Nam qui meditantur, & componunt carmina, irasci solent si quandu eis non succedit. PASS. Eodem pacto Joannes Casa (*nel Capitolo del Martello d' Amore*)

Redesi i guanti un quando egli ha martello,
Fermasi or sul piè manco, ed or sul destro. V.

v. 4. ET CREPITUM DUBIO SUSCITAT IRA PEDA] Ingentem sonum edat. *Crepitus* de ingenti sono, ut Eleg. 8. lib. 3.

Et manibus faustos ter crepuere sonos.

Virgilius 12. Æneid. *Nec fulmine tanti Dissultant crepitus*. Cicero in Bruto: *Nulla pedum supplosio*. Idem 1. de Oratore: *Pedem in illo judicio nemo supplosit*. quod Græci vocant πτερνοκοπεῖν, inquit Scaliger, πτέρναις κτυπεῖν, calcaneis strepitum muvere. Seneca lib. 1. de Ira cap. 1. *Complosa sæpius manus, & pulsata humus pedibus*. inter signa irascentium. *Dubia pede*. Ovidius 6. Fast. *Dubii stantque labantque pedes*. (ebriorum.) Huratius Epodo 11. *Ferebar incerto pede*. modu hoc, modu illo. PASS. *Suscitet ira*. excitet. Virgilius 12. Æneid.

Æneas acuit Martem, & se suscitat irâ.

& 5. Æneid.

Acrior ad pugnam redit, & vim suscitat irâ. V.

v. 5. NEQUIQUAM] Apud Festum hæc particula ita scribitur. recte, opinor. creditur enim a casu ablativo desumi, itidem ut *nequaquam*. videsis doctissimi Pierii Castigationes in L. 2. Æneid. v. 101. & Gifanium in Lucretianis, ac Dausqnium in Orthographia. BROUKH.

ibid. PERFUSA MEIS UNGUENTA CAPILLIS] Hypallage, pro perfusi capilli unguentis, ut Eleg. 2. lib. 1. *crines perfundere myrrha*; ubi plura. Frustra, inquit, unguentis delibuto capite incessi, ut munditiis & cultu corporis amicæ placerem, ejusque animum expugnarem. His enim levioribus aliquandu puellæ non capiuntur. PASS. & VULP.

v. 6. IBAT ET EXPENSO PLANTA MORATA GRADU] Sic *suspensum gradum ponere*, Seneca de Vita Beata cap. 25. *Expensa*, gravi ac lento; quia qui res expenduut, lentius & cunsideratius id faciunt. An *expenso*, pro numerato? ut dicimus, *expensum ferre*. *aller à pas contez*. *Ibat planta*. Sic Eleg. 12. infra: *Ut soleant molliter ire pedes*. PASS. *Expensa planta morata gradu*. Delicate nimis, & muliebri quadam segnitie. Huc pertinet admonitiu M. Tullii lib. 1. de Officiis cap. 36. *Cavendum est autem ne . . . tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur*. *Pomparum fercula*, erant thensæ quæ simulacra deorum sustinebant, & per Circum vehebantur ante quadrigarum certamen. Incessum hujusmodi notat Pullux lib. 3. Onomastici cap. 4. Παρὰ Θουκυδίδῃ, Μετὰ ῥυθμοῦ βαίνοιεν, ἀντὶ τοῦ βαδίζοιεν. *ad numeros statirent, pro incedebant*. Pulchre Boileavius, poeta Gallus insignis, Sat. 3. v. 151.

Un valet le portoit, marchant à pas comptez,
Comme un Recteur suivi de quatre facultez.

Idem Sat. 8. v. 21.

Qui marche en ses conseils à pas plus mesurez,
Qu'un Doïen au Palais ne monte les degrez.

Horatius fortasse has imagines Boileavio suppeditavit Sat. 8. lib. 2. v. 13.

- - - ut Attica virgo
Cum sacris Cereris, procedit fuscus Hydaspes
Cæcuba vina ferens.

Talem gressum Paridis nobis describit Coluthus libro de Raptu Helenæ v. 227.

Ὀλίγα φειδομένοισιν ἐπ' ἴχνεσιν ἴχνος ἐρείσας,
Μὴ πόδας ἱμερόεντας ὑποχραίνοιτο κονίῃ.
Ibat tardos ob gressus vestigium firmans,
Ne pedes venusti a pulvere polluerentur.

Vetus poeta Christianus apud Casparem Barthium lib. 44. Adversf. cap. 17.

Tu qui superbo te vehis celsum gradu,
Modo huc modo illuc caespitans vecordia,
Doctumque numero ponis enscripta pedem,
Animum vaga testatus incessu levem,
Cupidinemque & arrogantiam vibrans
Crispo capillo, floridisque vestibus. &c.

Plautus tamen Pœnulu 3, 1, 19.

Liberos homines per urbem modico magis par est
gradu
Ire: servuli esse duco festinantem currere.

Sardus ille Tigellius apud Horatium Sat. 3. lib. 1. modu festinus incedebat, modu lentissimus:

Nil æquale homini fuit illi: sæpe velut qui
Currebat fugiens hostem; persæpe velut qui
Junonis sacra ferret.

Purro

Non hic herba valet: non hic nocturna Cytæis:
  Non Perimedea gramina cocta manu.
Quippe ubi nec caussas, nec apertos cernimus ictus,
  Unde tamen veniant tot mala, cæca via est.

Non

Porro Seneca Rhetor Controvers. 1. lib. 2. ungueuta & mollem incessum conjungit, ut Noster hoc loco. *Madentem unguentis hesternis, convulneratum libidinibus, incedentem, ut feminis placeat, femina mollius, & cetera quæ morbi, non judicii sunt.* Has & similes amatorculorum delicias in aspero amore ac difficili vanas & inutiles esse fatetur etiam Tibullus Eleg. 8. lib. 1.

Frustra jam vestes, frustra mutantur amictus,
  Ansaque compressos colligit arta pedes. V. Illum *expensum* gradum pulcre tangit Petronius in Satyrico: *Quo incessus tute compositus, & ne vestigia quidem pedum extra mensuram aberrantia, nisi quod formam prostituis, ut vendas?* Julius Firmicus L. 8. Astron. C. 7. *Hi molliter ambulantes, vestigia sua cum delicata moderatione suspendunt.* BROUKH.

v. 7. NON HIC HERBA VALET] Vim nullam habet in amore. quia, ut Apollo apud Ovidium ait lib. 1. Metam. *Nullis Amor est medicabilis herbis;* & Tibullus Eleg. 3. l. 2.

Nec potuit curas sanare salubribus herbis.

An herba, τὸ φάρμακον ἢ φίλτρον; an quæ

Lecta Prometheis dividit herba jugis?

Eleg. 12. lib. 1. & Eleg. 7. lib. 4.

Si te non totum Chloridos herba tenet. P.

ibid. NOCTURNA CYTAIS] Quæ noctu sua sacra facit. ut Eleg. 16. lib. 1. *nocturnis rixis.* Noctu sacra magica sagæ faciunt ad Lunam. unde Horatius Epodo 5. *Nox & Diana, quæ silentium regis, Arcana quum fiunt sacra, Nunc, nunc adeste.* *Cytæis*, Medea, vel qualibet alia Pontica venefica. Dictum ad Eleg. 1. lib. 1. PASS. Tale sacrum nocturnum cum omni suo ornatu magnifice instruit Virgilius lib. 4. Æneid. haud longe a fine. fiebat autem post exactum noctis meridiem, quod luculente ostendit Apollonius Rhodius, loco bene longo, lib. 3. Argonaut. v. 1028. idque Luna plena, ut tanto foret efficacius. Vide Ovidium lib. 7. Metam. & Silium Italicum lib. 13. Punic. Quinimmo ut mensis esset desinens observabant. id testatur Philostratus lib. 7. de Vita Apollonii cap. 10. BROUKH. *Cytais.* Apollonius Rhodius alicubi mentionem facit ἠπείροιο Κυταΐδος, terræ, seu continentis Cytaidos. Stephanus vero Byzantius ἐν τῷ περὶ πόλεων: Κύταια, πόλις Κολχική, πατρὶς Μηδείας. ἔστι ἢ ἄλλη Σκυθίας. ὁ πολίτης Κυταιεύς. VULP.

v. 8. NON PERIMEDEA GRAMINA COCTA MANU] Sic vetus liber: & ita legerat Beroaldus. Perimedes nobilis veneficæ mentio apud Theocritum in Pharmaceutria, & ejus Scholiasten. *Agamede* vocatur ab Homero Iliad. 11. *Manu*, opera & arte. Alii libri: *Perimedeæ manus. Gramina.* id est, quæ Perimede legit & coquenda tradidit aënis. ut Eleg. 1. supra:

Colchis Iolciacis urat aena focis.

vide Ovidium 7. Metam. in Fabula Medeæ. PASS. Pro *cocta*, mallet Broukhusius *secta*, si per libros liceret, propter τὸ *manu*. neque enim nulla vis erat in ipsa sectione graminum, vel ad odium, vel ad amorem. idque ostendit allatis testimoniis Virgilii, Ovidii, Senecæ. Præterea *manu coquere* censet locutionem sic satis singularem. Idem in octo libris invenit: *Non per Medea gramina cocta manus.* quomodo & Gebhardus in suis invenerat. Sed Medeam in versu præcedenti memoravit poeta. nam sane *Cytæis* Medea est. VULP.

v. 9. QUIPPE UBI NEC CAUSSAS, NEC APERTOS CERNIMUS ICTUS] Ubi nec origo morbi, nec manifesta sunt vulnera, quia saucius est animus, non corpus. Sic Elegia 12. infra:

Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem. PASS.

Quippe ubi. elegans locutio, nec valde protrita. idem notat quod *nam*, vel *præsertim quum*, vel *nam quum*. Noster L. 1. Eleg. 9.

Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos,
  Nec vigilare alio nomine, cedat Amor?

Lucretius L. 1.

Quippe ubi non essent genitalia corpora cuique,
Qui posset mater rebus consistere certa?

Neque semel adhibuit poeta philosophus,

sed

Non eget hic medicis, non lectis mollibus æger:
Huic nullum cæli tempus, & aura nocet.
Ambulat, & subito mirantur funus amici.
Sic est incautum quidquid habetur amor.

Nam

sed aliquoties. Virgilius pariter in fine L. 1. Georg. *Quippe ubi fas versum atque nefas*. BROUKH.

v. 10. UNDE TAMEN VENIANT TOT MALA, CÆCA VIA EST] Qua ex parte sagittæ advolent. *tamen*, pro tandem, vel denique. Terentius Heautont. 4, 2. *Retraham hercle opinor ad me illud fugitivum argentum tamen*. Virgilius Ecl. 9.

Hic hædos depone. tamen veniemus in urbem.

Noster Eleg. sequenti:

Inveniam tamen e multis fallacibus unam
Quæ fieri nostro carmine nota velis.

Mala. vulnera. PASS. *Mali vulneris* dixit Propertius Eleg. 25. hujus libri:

Illaque plebejo, vel sit sandicis amictu:
Hæc atque illa mali vulneris una via est. V.

ibid. CÆCA VIA EST] Obscurissima, sed aliqua tamen. nihil enim exsistit sine sua caussa. *Occultum iter soporis* dixit Noster Eleg. 11. lib. 3. *Cæcum versat amator iter*. Eleg. 12. ejusd. libri. Virg. 4. Æneid. v. 2.

Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni. P. *Cæca via*. ἀόρατος, ἀδίατος. Cicero lib. 2. de Oratore, prope finem: *Ut res cæcas, & ab adspectus judicio remotas, conformatio quædam & imago & figura ita notaret, ut ea quæ cogitando complecti non possemus, intuendo teneremus*. Lucretius pariter lib. 1. ventos appellavit *corpora cæca*; sentiuntur enim, sed non videntur. Amor pestilens quidam morbus est: pestilentiæ vero semina occulta, & ab oculorum judicio remota. Homerus propterea Iliad. α. inducit Apollinem, qui sagittis clam emittendis in Græcorum exercitum sævissimæ pestilentiæ caussa sit, νυκτὶ ἐοικώς, nocti similem, caligine scilicet involutum, & qui videri non posset. VULP.

v. 11. NON EGET HIC MEDICIS, NON LECTIS MOLLIBUS ÆGER] Quia *morbi artificem Amor non amat*; Eleg. 1. supra. *Æger*, saucius Amoris sagitta. ut, *Medea animi ægra, amore sævo saucia*. PASS.

v. 12. HUIC NULLUM CÆLI TEMPUS, ET AURA NOCET] Huic nulla intemperies aëris morbi caussa est. Ovidius lib. 2. A. A. de autumni tempore:

Aëre non certo corpora languor habet.

Ibidem:

Et vitium cæli senserit ægra sui.

Noster Eleg. 28. infra:

Venit enim tempus quo torridus æstuat aër,
Incipit & sicco fervere terra Cane.
Sed neque tam ardoris culpa est, neque crimina cæli,
Quam toties sanctos non habuisse deos.

Ergo *cæli tempus* ad sidera; *aura* ad aëris constitutionem refertur. *Aura*, pro ventis noxiis, ut Eleg. 17. lib. 1.

Aspice quam sævas increpat aura minas.

An *hora cæli*, id est tempestas anni, ut autumnus præcipue? Horatius Ode 14. lib. 2. *Frustra per autumnos nocentem Corporibus metuemus Austrum*. PASS.

v. 13. AMBULAT, ET SUBITO MIRANTUR FUNUS AMICI] Vivit valetque. Indicium bonæ valetudinis ambulare, ut cubare morbi. unde Plautus: *Auferere, non abibis*. PASS. Sic Antiphanes Comicus in Philopatore apud Athenæum lib. 13.

Γεγάμηκεν δήπου. σὺ τί λέγεις; ἀληθινῶς
Γεγάμηκε; νῦν ἐγὼ ζῶντα, περιπατοῦντα κατέλιπον.

A. Uxorem hercle duxit. B. quid ais? verane prædicas?
A. Duxisse certum. B. at ego vivum & ambulantem reliqui modo. VULP.

ibid. AT SUBITO MIRANTUR FUNUS AMICI] Id est mortuum. vide Eleg. 1. supra v. 56. & jungi potest *subito-funus*. ut Eleg. 16. infra:

Et subito-felix nunc mea regna tenet.

Alludit ad amorem, qui dicitur pestis. P. *Subito*, Lucretius lib. 6. v. 99. de pestilentia:

Nec medii dirimunt morbi vitamque necemque,
Sed languor cum morte venit.

Mirantur funus amici. Hunc Propertii versiculum respexisse videtur Sanctorius, celeberrimus ille medicus & εὔλαεις, Sectione 3. Aphorismorum de Statica Medicina,

Apho-

Nam cui non ego ſum fallaci præmia vati?
Quæ mea non decies ſomnia verſat anus?

Aphoriſmo 73. *Si ſobrii , & in victu temperati præmature moriantur , amici mirantur novitatem , quia de perſpiratione inſenſibili nil ſciunt .* VULP.

v. 14. SIC EST INCAUTUM QUIDQUID HABETUR AMOR] Adeo caveri non poteſt id quod amorem perhibent . Amor duobus modis incautus . nam incautus , imprudens , temerarius , ſine conſilio ; & incautus , qui caveri non poteſt , ut invictus dicitur , qui vinci non poteſt . Virgilius 4. Georg.

Quum ſubita incautum dementia cepit amantem .

Quod ait : *Quidquid habetur* , ſignificat incertam Amoris naturam . Ennius Thyeſte apud Cicer. lib. 2. de Nat. Deor. *Cui , quod in me eſt , exſecrabor , id quod lucet , quidquid eſt* . nempe Jovem . PASS. Locutio ſimilis apud Horatium Ode 13. lib. 2. *Nunquam homini ſatis Cautum eſt in horas* . V.

v. 15. NAM CUI NON EGO SUM FALLACI PRÆMIA VATI ?] Poteſt eſſe anaſtrophe , pro quiſnam , ut Eleg. 14. lib. 1.

Nam quis divitiis adverſo gaudet amore ?

Eſſe præmia , pro ſpolia ex ſe dare . Sic Ovidius , de Actæone :

Præda fuit canibus non minus ille ſuis .

Et Noſter Eleg. 16. infra :

Prætor ab Illyricis venit modo, Cynthia, terris,
Maxima præda tibi , maxima cura mihi .

Rurſus Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 17.

Atque utinam dominæ miti quoque præda fuiſſem ,
Formoſæ quoniam præda futurus eram .

Præmia , pro præda , ut Eleg. 13. lib. 3.

Sive petas calamo præmia , ſive cane .

Tibullus Eleg. 2. lib. 1. *Rapta præmia veſte petat* . Hinc *præmiatores* Nonio , prædatores . *Fallaci vati* , haruſpici , auguri , conjectori , quos fallaces eſſe , ut & inanem rationem divinationis , docuimus ad illud Eleg. 1. lib. 1.

At vos deductæ quibus eſt fallacia Lunæ . P.

Huc pertinent illa Ciceronis lib. 1. de Divinat. *Atque etiam ante hos Amphiaraus & Tireſias , non humiles & obſcuri , neque eorum ſimiles , ut apud Ennium eſt ,*

Qui ſui quæſtus cauſſa fictas ſuſcitant ſententias . VULP.

v. 16. QUÆ MEA NON DECIES SOMNIA VERSAT ANUS ?] An *decies* , pro ſæpius , incertus numerus pro certo ? Horatius A. P. *Hæc decies repetita placebit* . Plautus Amphitr. *Dixi decies* . An ob præſtantiam denarii numeri ? Horatius A. P.

Perfectum decies non caſtigavit ad unguem .

Verſat ſomnia . an animo ſæpius volvit , per conjecturam explicatura ? Virgilius 4. Æneid.

Atque animum nunc huc celerem , nunc dividit illuc ,
In parteſque rapit varias, perque omnia verſat.

unde *verſuti* dicti Ciceroni . An quia ſortibus in urna verſatis utebantur aniculæ ? Horatius Sat. 9. lib. 1.

Quod puero cecinit divina mota anus urna .

Idem Ode 3. lib. 2. *Omnium Verſatur urnâ ſerius ocyus Sors exitura* . Et ſortes ſomniorum vertere ſe dicuntur veteri poetæ apud Cicer. 1. de Divinat.

Tum conjectorem poſtulat pacem petens ;
Ut ſe edoceret obſecrans Apollinem
Quo ſe ſe vertant tantæ ſortes ſomniûm .

Defert vero Eleg. 29. infra ad conjectorem ſomniaſſe ſe :

Ibat & in caſto narratum ſomnia veſta .

Anus , ſaga & venefica . Tibullus Eleg. 5. lib. 1.

Carmine quum magico præcinuiſſet anus .

Horatius Epodo 18.

Quid proderit dixiſſe Pelignas anus ?

Anus , quod ſit ſine ſenſu ; ἄνους : Feſtus . P. Theocriti interrogatio ſimillima Idyllio 2. v. 91.

Ἠ' ποίας ἔλειπον γραίας δῶμα , ἅτις ἐπᾷδεν ;
Aut cujus aniculæ demum prætermiſi , quæ incantaret ?

Inter divinandi peritos non ultimum locum obtinebant ſomniorum interpretes . Plautus Curcul. 2, 1, 31.

Potin' conjecturam facere , ſi narrem tibi ,
Hac nocte quod ego ſomniavi dormiens ?
PA. *Vah, ſolus hic homo eſt qui ſciat divinitus.*
Quin conjectores a me conſilium petunt :
Quod eis reſpondi , ea omnes ſtant ſententia .

Cicero lib. 2. de Divinat. *Inſani ſua viſa conjectori non narrant : narrant qui ſomniaverunt* . & inferius : *Utrum philoſophiæ dignius , ſagarum ſuperſtitione iſta interpretari , an expli-*

Hostis si quis erit nobis, amet ipse puellas:
Gaudeat in puero, si quis amicus erit.
Tranquillo tuta descendis flumine cymba:
Quid tibi tam parvi litoris unda nocet?

Al-

plicatione natura? Sed & lib. 1. plura occurrunt in hanc rem. Martialis lib. 7. Epigr. 53.

Semper mane mihi de me mera somnia narras,
Quæ moveant animum sollicitentque meum.
Jam prior ad facem, sed & hæc vindemia venit,
Exorat noctes dum mihi saga tuas.

hoc est dum expiat quæ noctu vidisti. Idem lib. 11. Epigr. 49.

Amphora nunc petitur nigri cariosa Falerni,
Expiet ut somnos garrula saga tuos.

Apud veteres fuerunt ὀνειροκρίτας, somniorum scilicet quæ quis ad eos detulisset conjectores & judices: fuerunt præterea ὀνειροπολούμενοι, qui per somnia quæ sibi apparuerant, futura prædicebant. Vide Scholiasten Homeri ad librum 1. Iliados, pag. 18. editum ab ANTONIO BONJOANNIO, viro docto, mihique amicissimo. Anus hæ Propertianæ erant ex primo interpretum genere. Conjectores tamen hujusmodi nihili habiti a prudentioribus. Audi Ennium Telamone:

Non habeo denique nauci Marsum augurem,
Non vicanos haruspices, non de Circo astrologos,
Non Isiacos conjectores, non interpretes somnium:
Non enim sunt ii aut scientia, aut arte divinei,
Sed superstitiosi vates, impudentesque hariolei, &c.

Habemus tamen in sacris litteris, Josephum Jacobi filium, non alia ratione ad summam Ægypti præfecturam pervenisse, quam interpretatione somniorum Pharaonis. At illa divino spiritu afflabatur: secus est de istis, quorum magistra sola fames. Vide & Tibullum Eleg. 4. lib. 3. V.

v. 17. HOSTIS SI QUIS ERIT NOBIS, AMET IPSE PUELLAS] Sic Horatius Ode 27, lib. 3. *Hostium uxores puerique cæcus Sentiant motus orientis Hædi*. Noster Eleg. 6. lib. 3.

Hostibus eveniat lenta puella meis.

Amet ipse puellas. cum damno suo scilicet; ut Eleg. 26. infra:

Una sit & cuivis femina multo mala,

& Eleg. 18. lib. 3.

Semper amet fructu semper amoris egens. P.

Eodem pacto Virgilius 3. Georg. v. 513.

Dii meliora piis, erroremque hostibus illum. VULP.

v. 18. GAUDEAT IN P. SI QUIS AMICUS ERIT] *Gaudere in* aliquo, ut Eleg. 9. lib. 4. *Cynthia gaudet in exuviis*. Ita Cicero Epist. 1. lib. 1. ad Atticum: *Puto te in hoc risisse, aut ingemuisse, ut frontem ferias*, τὸ in sæpe vacat apud Propertium. PASS. Videtur esse votum & concessio desperantis: nam ceteroqui scimus, Propertium fuisse γυναικομανῆ, non παιδομανῆ. Qui aliquid vituperare volunt, omnia illi præoptanda esse affirmant, etiam illa a quibus vehementer abhorrent. Juvenalis pariter. Sat. 6. v. 34. παιδεραστίαν laudare videtur, ne quidquam conjugio pejus aut mulierum consuetudine esse crederemus. VULP.

v. 19. TRANQUILLO TUTA DESCENDIS FLUMINE CYMBA] Per quietum flumen deorsum laberis tutâ naviculâ, & extra periculum naufragii. Apostrophe ad quemlibet, ut Eleg. 11. hujus libri:

Nonne putas miras hunc habuisse manus?

& Eleg. 17.

Nec, modo si sapias, quod minus esse velis.

Virgilius 4. Æneid. *Migrantes cernas*. & allegoria a re nautica, ut Eleg. 3. lib. 3.

Non est ingenii cymba gravanda tui.

Scilicet in altero illo amore, ut in tranquillo secundoque flumine versamur: in mulieris, ut in vasto mari & fluctibus agitato. Eadem allegoria Eleg. 9. lib. 3.

Non ego veliferâ tumidum mare findo carinâ:
Tuta sub exiguo flumine nostra mora est.

Descendere, secundo flumine labi. Virgilius 2. Georg.

Aut conjurato descendens Dacus ab Histro.

Horatius Ode 7. lib. 3. denatare dixit:

Nec quisquam citus æque Tusco denatat alveo. PASS.

v. 20. QUID TIBI TAM PARVI LITORIS UNDA NOCET?] Quid periculi tibi in tam exiguo fluvio natare juxta ripam? *Litoris unda*. aqua vicina litori, id est ripæ. *litus*

Alter sæpe uno mutat præcordia verbo,
Altera vix ipso sanguine mollis erit.

tus enim pro ripa, ut adnotavi ad illud Eleg. 2. lib. 1.

Eveni patriis filia litoribus. PASS.

Parvum litus est quod parvo flumini respondet: vel quod modico intervallo distat a litore opposito. Puerilem simplicitatem comparat ripæ leniter fluentis rivuli. Operæ pretium hic fuerit audire verba Lactantii adversus hos naturæ ac pietatis inimicos, Divin. Instit. lib. 6. cap. 23. *Quid enim potest esse sanctum iis qui ætatem imbecillam & præsidio indigentem, libidini suæ populandam fœdandamque substraverint? Non potest hæc res pro magnitudine sceleris enarrari. Nihil amplius istos appellare possum quam impios & parricidas*. VULP.

v. 21. ALTER SÆPE UNO MUTAT PRÆCORDIA VERBO] Puer flectit mentem, animum a sævitia ad lenitatem facillime traducit. *Mutare*, hic in melius. ut Elegia 15. lib. 2.

Quarum nulla tuos potuit convertere mores.

Præcordia, iram Beroaldus interpretatur, non pessime. nam Eleg. proxima Noster dicturus est:

Quam facile irati verba mutantur amantes.

Et de pueri natura Horatius Epist. ad Pisones:

Iram
Colligit & ponit temere, & mutatur in horas.

De præcordiis dictum Eleg. 1. supra v. 41.

Puellarum etiam animum facile converti dixit Tibullus Eleg. 4. lib. 3.

Sed flecti poterit. mens est mutabilis illis.

Uno verbo. minimo negotio; ut Elegia proxima:

Quam facile irati verbo mutantur amantes.

Cicero Epist. 4. lib. 15. ad Famil. *Uno verbo omnia consequi*. & Terentius Eun. 1, 2. *Labascit victus uno verbo*. PASS.

v. 22. ALTERA VIX IPSO SANGUINE MOLLIS ERIT] Puella vix morte ipsa amantis mitescet. *Sanguis*, pro cæde & nece. ut Eleg. 9. infra:

Sanguis erit vobis maxima palma meus.

Cicero pro Q. Ligario: *Scis vos non petere sanguinem*. *Ipsa* ἱμαρτικῶς, ut Eleg. 19. lib. 1.

Hic timor est ipsis durior exsequiis.

Virgilius 6. Æneid. *Cura non ipsa in morte relinquunt*. *Mollis*, facilis, placida; ut Eleg. superiore:

Post venit adsueto mollis ad arva jugo.

Alludit fortasse ad duritiem adamantis, quem sanguine tamen frangi ferunt, sed hircino. PASS. *Mitis erit*, legitur in codice Groningano. Horatius L. 3. Ode 10. utramque vocem junxit in eodem negotio:

Nec rigida mollior æsculo,
Nec Mauris animum mitior anguibus.

BROUKH.

ELEGIA V.

HOc verum est tota te ferri, Cynthia, Roma,
Et non ignota vivere nequitia?

Hæc

ARGUMENTUM ELEGIÆ V. LIBRI II.] Puellæ infideli minatur ultionem. VULP.

v. 1. HOC VERUM EST] Initium ab increpatione. ut Eleg. 11. lib. 3.

Postume, plorantem potuisti linquere Gallam?

& Eleg. 8. lib. 1. *Tune igitur demens?* Similis increpatio in Andria Terentii 5, 1. *Hoccine est humanum factum aut inceptum? hoccine est officium patris? Verum*, pro æquum, justum. Cicero pro Quintio: *Continuone verum fuit postulare, ut ex edicto possidere bona liceret?* Idem pro Murena: *Negat esse verum Cato benivolentiam illici cibo*. & alibi sæpe. Horatius Epist. 7. lib. 1.

Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.

Sic & τὸ ἀληθὲς Græcis æquum. PASS.

ibid. TOTA TE FERRI, CYNTHIA, ROMA] Differri & *infamem tradi per totam urbem*, ut loquitur Eleg. 24. infra. & Ele-

Hæc merui ſperare? dabis mihi, perfida, pœnas;
Et nobis Aquilo, Cynthia, ventus erit.

In-

gia 16. lib. 1. *Æternâ differor invidiâ.* Virgilius 1. Georg.

--- Ita turbine nigro
Ferret hiems culmumque levem, ſtipulaſque volantes.

id eſt, differret, diriperet. Noſter Eleg. 31. infra:

Nuper enim de te noſtras me læſit ad aures
Rumor, & in tota non bonus urbe fuit. P.

v. 2. ET NON IGNOTA VIVERE NEQUITIA] Aperte in ſtupris verſari & volutari. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 13.

An putat ignotam nequitiam eſſe ſuam?

Tolerabilior clandeſtinus amor. Tibullus Eleg. 2. lib. 1. *Celari vult ſua furta Venus.* Sed Cynthia pudorem ſolvit. Sic Eleg. 16. lib. 1.

Non tamen illa ſuæ revocatur parcere famæ,
Turpior & ſecli vivere luxuriâ.

Quid nequitia, dixi ad illud Eleg. 6. lib. 1.

Hanc animam extremæ reddere nequitiæ. P.

Vivere, pro eſſe, interdum uſurpant boni ſcriptores. Horatius Epiſt. ad Piſones v. 35.

Hunc ego me, ſi quid componere curem
Non magis eſſe velim; quam pravo vivere naſo,
Spectandum nigris oculis nigroque capillo.

Perſius quoque Satyra 2. v. 6.

Haud cuivis promtum eſt, murmurque humileſque ſuſurros
Tollere de templis, & aperta vivere vota. V.

v. 3. HÆC MERUI SPERARE?] Mea fides & patientia dignane fuit hoc præmio? An mihi metuenda fuit tua perfidia pro fide & conſtantia mea? Eleg. 6. lib. 3.

Hæc tu teſte mihi promiſſa eſt, Lygdame, merces?

Petronius: *Hoc de te merui, ut* &c Sperandi verbum ambiguum. Catullus Carm. 63.

Non hæc miſeram ſperare jubebas:
Sed connubia læta, ſed optatos hymenæos.

Virgilius Ecl. 8.

Mopſo Niſa datur. quid non ſperemus amantes?

Merui quoque, ambigue. ut Eleg. 18. lib. 1.

Quid tantum merui? quæ te mihi crimina mutant? PASS.

Sperare exſpectare eſt. exſpectamus vero quum læta, tum triſtia. Propterea Juvenalis Sat. 4. *Jam quartanam ſperantibus ægris.* V.

ibid. DABIS MIHI, PERFIDA, PŒNAS] Perſolves ſupplicium. ulciſcar te. Eleg. 6. lib. 4. *Dat femina pœnas.* Virgilius 4. Æneid. *Dabis, improbe, pœnas.* Catullus Carm. ultimo:

At fixus noſtris tu dabi' ſupplicium.

Pendere pœnas. Feſtus. Virgilius 9. Æneid. *Pœnas perſolvens amborum.* PASS. *Dabis mihi pœnas.* Cornelius Nepos Miltiade: *Qua exſtincta ipſos poteſtate expulſos civibus ſuis pœnas daturos.* Porro *dare, pendere, perſolvere pœnas* Latini dixerunt, quod qui deliquiſſent, pecunia ſæpius mulctarentur. Pecunia vero proprie dari dicitur, pendi, expendi, ſolvi, diſſolvi. Horatius Sat. 2. lib. 1. quum de ſuppliciis mœchorum loqueretur dixit:

Hic ſe præcipitem tecto dedit: ille flagellis
Ad mortem cæſus: dedit hic pro corpore nummos.

Eleganter Cicero 1. Tuſcul. *Ego vero illi maximam gratiam habeo, qui me ea pœna mulctaverit quam ſine mutatione & ſine verſura poſſem diſſolvere.* VULP.

v. 4. ET NOBIS AQUILO, CYNTHIA, VENTUS ERIT] Id eſt nobis etiam, non tantum tibi. Virgilius Ecl. 3.

Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit.

Scaliger ſic exponit proverbium allegoricum: & nobis erit ſuda tempeſtas. nam Boreas ſudificus. ut Tibullus Eleg. 6. lib. 3.

Venit poſt multos una ſerena dies.

Beroaldus adfert illud Ovidii lib. 1. Faſt.

Et tibi, crede mihi, tempora veris erunt.

Titius exponit: Et nos quoque ventis diſcerpendum trademus jusjurandum. Palmerius ait, poetam minitari diſceſſum; ut verſu ab hoc 9. infra, & vento ſe daturum vela. Turnebus lib. 17. Advers. cap. 11. Ut Aquilo, inquit, mare turbat & vertit; ſic noſtra mens, illo tamquam procelloſo vento inflata, mutabitur & vertetur, aliamque inveniam quam amem: unde ſubjicit:

Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus undæ &c.

Ego ſic explico: Fides tua, ut Aquilo ventus, res leviſſima & inconſtantiſſima: ſic & noſtra fides futura eſt. ita enim dixit Eleg. 6. lib. 1.

Oſcu-

Inveniam tamen e multis fallacibus unam,
Quæ fieri nostro carmine nota velit:

Osculaque opposito dicat sibi debita vento.
ubi ventus, pro fide inani & futili. Vel id ait: Nus ventos nihil aliud quam ventos putabimus, & verba tua, verba mera esse. Eleg. 28. infra:

Quidquid jurarunt, ventus & unda rapit.

Et est μεταβολὴ τῶν προσώπων in, *nobis*, quia præcessit, *mihi*. ut Eleg. 1. v. 3. & 4. supra. PASS. Locus perquam obscurus, quique multis viris doctis tenebras densas obfudit. eorum opiniones per saturam collegit Passeratius. Antiquam locutionem esse *Auster ventus*, *Aquilo ventus*, notavit Salmasius in Exercit. ad Solinum pag. 745. eique rei firmandæ hunc ipsum Propertii versiculum adducit, de cujus sensu nihil addit ulterius. Sane de locutione ambigit nemo, quæ obvia est apud optimum quemque scriptorem. Cicero lib. 9. ad Attic. Epist. 6. *Ex ea die fuere Septemtriones venti.* Cæsar L. 5. Belli Gallici cap. 7. *Corus ventus navigationem impediebat, qui magnam partem omnis temporis in his locis flare consuevit.* quem ad modum plus semel est locutus scriptor purissimus Corn. Nepos. quinimmo istud *ventus* etiam cum appellativo jungitur apud Plautum Curcul. 2, 2.

Postquam illo ventum est, jam ut me collocaverat,
Exoritur ventus turbo: spectaculo ibi ruunt.

Et Trinum. 4, 2.

Ita jam, quasi canes, haud secus, circumstabant navem turbines venti.

Verum hæc nihil ad Bacchum. mihi aqua hæret, nec pudet fateri. omnium minime displicet Passeratii expositio: Nos, o Cynthia, ventos nihil aliud quam ventos putabimus, & verba tua, verba mera esse. neque tamen vel sic adquiesco. si quis verius aliquid protulerit, ei gratas gratias agemus. BROUKH. Mihi pariter hæc explicatio præ ceteris arridet. Hoc eum sibi velle videtur Propertius: Rem unamquamque suo merito & pondere æstimare incipiam, quod præcipuum est sapientis officium. Ventus igitur nihil aliud quam ventos esse arbitrabor, nec a levissimis mulierculis virilem constantiam exigam. quod videbo periisse, perditum ducam, ineptire desinam. Huc pertinet monitum illud Epicteti cap. 8. Enchiridii. Ἂν χύτραν στέργῃς, μέμνησο ἐπιλέγειν ὅτι χύτραν στέργεις· κατεαγείσης γὰρ αὐτῆς, οὐ ταραχθήσῃ. *Si ollam diligis, memento tibi ipsi dicere, Ollam diligo. ea enim fracta non perturbaberis.* Virgilius ita locutus Ecl. 7. sed in melius:

Ex illo Corydon, Corydon est tempore nobis.

Duas præterea explicationes accipe, novas, ut puto. Ventus Aquilo dissipat nubes: ait igitur poeta, suæ mentis nebulas dissipatum iri, ut jam Cynthiæ vitia pervidere possit, eamque pro meritis ipsius fastidire. Vel, quum Aquilo frigus inducat: minatur puellæ frigus in amore, ut par pari reddat. Horatius Sat. 1. lib. 2. v. 62. usurpavit frigus pro gratiæ deminutione:

O puer, ut sis
Vitalis, metuo; & majorum ne quis amicus
Frigore te feriat. VULP.

v. 5. INVENIAM TAMEN E MULTIS FALLACIBUS UNAM] Sic loquuntur qui minantur alio se amorem translaturos. Virgilius Ecl. 2.

Invenies alium, si te hic fastidit Alexis.

Et lib. 7. Anthologiæ: Μὴ κλαῖε τέκνον, χ᾽ εὑρήσομεν ἄλλον. Theocritus Idyllio 11.

τί τὸν φεύγοντα διώκεις;
Εὑρήσεις Γαλάτειαν, ἴσως καὶ καλλίον᾽, ἄλλαν.

Tamen, pro tandem, vel denique, ut dictum ad Eleg. 4. supra v. 10. *E multis fallacibus unam.* Sic Horatius Ode 11. lib. 3. *Una de multis, face nuptiali Digna.* Aliud est Ciceroni, *Unus e multis*, ὡς ἐκ τῶν πολλῶν. id enim ad contemtum refertur, & significat vulgarem hominem, qui numerum augeat, τὸν τυχόντα. Vide Ovidium in Remediis Amoris. *Fallacibus.* ut Eleg. 7. infra:

Sed vobis facile est verba & componere fraudes.
Hoc unum didicit femina semper opus.
PASS.

Inveniam tamen. Cicero pro Quintio: *In altero spes esset ad talem tamen virum judicem veniendi, unde eo plus opis auferret, quo minus attulisset gratia.* Sententiam Propertii æmulatus est Ludovicus Areostus Cantu 27. Rolandi Furentis, non procul a fine:

Nec mihi tam duris insultet moribus, & te
Vellicet. heu sero flebis amata diu.
Nunc est ira recens, nunc est discedere tempus.
Si dolor absfuerit, crede, redibit amor.

Non

Pur vo' tanto cercar prima ch' io mora ,
Anzi prima che 'l crin più mi s' imbianchi ,
Che forse dirò un dì , che per me ancora
Alcuna fia che di sua se non manchi .
Se questo avvien (che di speranza fuora
Io non ne son) non fia mai ch' io mi stanchi
Di farla a mia possanza gloriosa
Con lingua , e con inchiostro , e in verso , e in prosa . VULP.

v. 6. QUÆ FIERI NOSTRO CARMINE NOTA VELIT] Quæ innotescere & celebrari cupiat nostris versibus. Eleg. 25. infra :

Ista meis fiet notissima forma libellis .

& Eleg. ult. libri hujus :

Hæc quoque lascivi cantarunt scripta Catulli ,
Lesbia queis ipsâ notior est Helenâ .

Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 10. *Quam volui , nota fit arte meâ .* PASS.

v. 7. NEC MIHI TAM DURIS INSULTET MORIBUS] Mihi ut victo illudat : nam victores, præsertim ferociores , victos & jacentes pedibus calcant , iisque insiliunt . ut Eleg. 7. infra :

Insultetque rogis , calcet & ossa mea .

Moras , pro ingenio ; ut Eleg. 17. lib. 1.

Nonne fuit melius dominæ pervincere mores ? PASS.

Duris moribus . Franciscus Petrarcha , veterum felix æmulator (uel Senetto 220.)

Che pur' il rimembrar par mi consumi
Qual' ora a quel dì torno ripensando ,
Come venieno i miei spirti mancando
Al variar de' suoi duri costumi .

ibid. ET TE VELLICET] Carpat & graviter insimulet , detrahat de fama . Sic & rodere & mordere dicuntur invidi . An ut Martialis dixit Epigr. 90. lib. 10. *Barbam vellere mortuo leoni ?* Hinc scribere *vellicatim* , pro carptim . Sisenna apud Nonium . An ductum a vellenda lana , unde vellus dictum Varroni ? Cicero pro Corn. Balbo : *More hominum invident : in conviviis rodunt : in circulis vellicant* . PASS. Crediderim , *vellicare* hic esse zelotypiæ stimulis pungere identidem ac fodicare . Italice *pizzicare* . Idem fere valet *urere* , in re amatoria . Horatius Ode 13. lib. 1. *Uror , seu tibi candidos Turparunt humeros immodicæ mero Rixæ : sive puer furens Impressit memorem dente labris notam* . VULP.

v. 8. HEU SERO FLEBIS AMATA DIU] Id est , post tempus & frustra ut Eleg. 1. lib. 1.

At vos , qui sero lapsum revocatis , amici .

Flebis . te pœnitebit . [Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Tunc flebis , quum me vinctum puer alter habebit]

Horatius Ode 25. lib. 1. *Invicem mœchos anus arrogantes Flebis* . Dilogia est , *Flebis amata diu* : nempe *flebis diu* , & *amata diu* . Eleg. 7. infra : *Flemus uterque diu* . & Eleg. 8. *Jampridem cara* . Catullus Epigr. 8.

Amata nobis quantum amabitur nulla .

quod Epigramma huic sententiæ totum convenit . PASS.

v. 9. NUNC EST IRA RECENS] Quæ morâ fit levior , & relentescit . Ovidius lib. 2. A. A.

Sed propera , ne vela cadant , iræque residant .
Ut fragilis glacies , interit ira morâ .

Sic *curæ recentes* , Eleg. 13. lib. 1. Iræ recenti opponitur inveterata , quæ odium dicitur , inquit Cicero 4. Tusc. *& tamen ira omnium tardissime senescit* . Vide in hanc sententiam Ovidium Remed. Amor.

Optimus ille fuit vindex , lædentia pectus
Vincula qui rupit , dedoluitque semel . P.

ibid. NUNC EST DISCEDERE TEMPUS] Dictum , ut ab [Ovidio in fine Artis Amat.

Lusus habet finem : cycnis discedere tempus ,
Duxerunt colle qui juga nostra sua .]

& ab Horatio Epist. 2. lib. 2. *Tempus abire tibi est* . *Discedere* , est *abire dominâ* , ut loquitur Eleg. 4. lib. 1. v. 2. PASS.

v. 10. SI DOLOR ABFUERIT , CREDE , REDIBIT AMOR] Si dolere & irasci desines , rursus amare incipies . Antitheta : *dolor* , *amor* ; *abfuerit* , *redibit* . *dolor* , pro ira . nam ira species doloris : ut Eleg. 8. infra :

Tantus in erepto sævit amore dolor .

Virgilius 1. Æneid.

Nec-

Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus undæ,
　Nec dubio nubes vertitur atra Noto:
Quam facile irati verbo mutantur amantes.
　Dum licet, injusto subtrahe colla jugo.
Nec tu non aliquid, sed prima nocte dolebis.
　Omne in amore malum, si patiare, leve est.

At

Necdum etiam causæ irarum, sævique dolores
Exciderant animo.

& Ovidius in Ibin:

Dum peragunt partes ira dolorque suas.

Crede, adverbii loco, pro certe. dixi ad illud Eleg. 2. lib. 1.

Crede mihi, non ulla tuæ medicina figuræ est.

Redibit amor. ut Virgilius 4. Æneid. *Rursusque resurgens Sævit amor*. Sic venire dicitur & fugere. PASS. Huc pertinent illa Terentii suavissima, Eunucho 1, 1, 19.

Et quod nunc tute tecum iratus cogitas,
Egone illam? quæ illum? quæ me? quæ non? sine modo,
Mori me malim: sentiet qui vir siem:
Hæc verba, una mehercle falsa lacrimula,
Quam oculos terendo misere, vix vi expresserit,
Restinguet: & te ultro accusabit: & dabis ei
Ultro supplicium.

Immo nonnumquam, irâ depositâ, arctiore nodo amor adstringitur: etenim, ut vere idem Terentius Andria 3, 3, 23.

Amantium ira amoris integratio. VULP.

v. 11. NON ITA CARPATHIÆ VARIANT AQUILONIBUS UNDÆ] Maris Carpathii aquæ diversæ feruntur a ventis sævissimis. Carpathos insula e regione Ægypti inter Rhodum & Cretam, quam 2. Iliados Κράπαθον Homerus vocat κατὰ μετάθεσιν. Plinius lib. 4. H.N. cap. 12. Strabo in fine l. 10. Virgilius, Horatius, & Noster Eleg. 9. lib. 3. *Variant*. ἐνεργητικὸν ἀντὶ τοῦ παθητικοῦ. ut Eleg. 2. lib. 4.

Prima mihi variat liventibus uva racemis.

Livius lib. 9. *Si variarent*. id est, variæ essent sententiæ. Sic *tendit*, *mutat*, *vertat*, *volutat*. *Aquilonibus*. Festus: *Aquilo a vehementissimo volatu instar aquilæ appellatur*. Aquilone flante mare redditur atrius & obscurius. Gellius ex Aristotelis problematis. PASS.

v. 12. NEC DUBIO NUBES VERTITUR ATRA NOTO] Incerto flatu Austri huc illuc impellitur. Sic Eleg. 9. infra:

Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
　Nec folia hiberno tam tremefacta Noto,
Quam cito feminea non constat fœdus in ira.

unde *vertitur*, hic recte legitur. quamvis forte non male & *verritur*. ut nubila *verri* dicuntur Lucretio & Virgilio non quidem a Noto, sed Aquilone. *Nubes atra*, cæca, nigra, obscura. Horatius Ode 16. lib. 2. *Simul atra nubes Condidit Lunam*. PASS. *acta Noto*, Gebhardus e Palatino. nostri nihil mutant. & vero τὸ *atra* plenius est quam *acta*. *atra*, quæ pluviam & tempestatem minatur. tales *gravidas* dixit Seneca Troad. v. 395.

Ut nubes gravidas, quas modo vidimus,
Arctoi Boreæ dissicit impetus.

Virgilius L. 10. Æneid.

Tum levis haud ultra latebras jam quærit imago,
Sed sublime volans nubi se immiscuit atræ.
BROUKH.

v. 13. QUAM FACILE IRATI VERBO MUTANTUR AMANTES] Statim placantur, & ex iratis tranquilli vel solo verbo redduntur. *Verbo*. ut Elegia superiore v. pænult.

Alter sæpe uno mutat præcordia verbo. P.

v. 14. DUM LICET, INJUSTO SUBTRAHE COLLA JUGO] Dum facultas & occasio tibi datur, iniquo & nimium gravi servitio te libera. Sui ipsius allocutio. *Dum licet*. dum potes. Ovidius lib. 4. Fast.

Dum licet, & spirant flamina, navis eat.

Jugum de servitio. de translatione illa dictum ad Elegiam 3. supra v. 47. Ovidius in Remed. Amor.

Et tua læsuro subtrahe colla jugo.

Horatius Sat. 7. lib. 2. *Eripe turpi Colla jugo*. *Jugum injustum*, ut contra *justa servitus* Terentio. vide adnotata ad illud Eleg. 7. lib. 1. *Injustas sæpe tulisse minas*. PASS.

v. 15. NEC TU NON ALIQUID, SED PRIMA

MA

At tu per dominæ Junonis dulcia jura
Parce tuis animis, vita, nocere tibi.
Non ſolum taurus ferit uncis cornibus hoſtem,
Verum etiam inſtanti læſa repugnat ovis.

Nec

MA NOCTE DOLEBIS] Nonnihil ægritudinis ſenties, verum id fortaſſe nocte prima tantum. Noſter Eleg. 18. infra:

Aut ſi quid doluis forte, dolere nega.

& Eleg. ult. lib. 4. *Si quid doliturus eris.* Ovidius in Remed. Amor. *Nec ſi quid forte dolebis, Sentiat.* Afranius apud Ciceronem 4. Tuſcul.

Dummodo doleat aliquid, doleat quidlibet.

Prima nocte. illa nempe qua primum ab amica diſceſſeris. & nocte, quia triſtior nox & amarior die. Aliter Horatius Ode 7. lib. 3. *Prima nocte domum claude.* PASS. Loquitur ſecum ipſe: Certo ſcio, te doliturum, o Properti, quum primum veteres amores deſerueris: at dolor iſte non ultra noctis ſpatium protendetur. Ovidius in Remed. Amor.

Sed tamen eſt artis ſtrictiſſima janua noſtræ,
Et labor eſt unus tempora prima pati. V.

v. 16. OMNE IN AMORE MALUM, SI PATIARE, LEVE EST] Nihil tam grave quod leve non reddat patientia. *Si patiare.* dummodo perferas & obdures. Virgilius 5. Æneid.

Quidquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.

Horatius Ode 24. lib. 1. *Durum: ſed levius fit patientia Quidquid corrigere eſt nefas.* Ovidius 8. Metam. *Paupertatemque ferendo Effecere levem.* Et ante hos omnes Plautus Captiv. 2, 1. *Decet id pati æquo animo: ſi id facietis, levior labor erit.* PASS Adde Ovidium lib. 2. A. A. v. 647. *Quod male fers, aſſueſce, feres bene.* Senecam quoque Epiſt. 123. *Mecum enim de hoc ipſo loquer, quam nihil ſit grave quod leviter excipias: quam indignandum nihil, niſi ipſe indignando adſtruas.* VULP.

v. 17. AT TU] Servit ἀποστροφῇ, ut Eleg. 6. lib. 1. v. 31. dictum eſt. P.

ibid. PER DOMINÆ JUNONIS DULCIA JURA] An *jura* matronis tributa, quibus matrona Juno præeſt, & *cui vincla jugalia curæ?* An *jura*, pro religione & numine? ut Eleg. 3. lib. 3. *Sub terris ſint jura deûm.* Sane omnia mulieres Junoni ferebant accepta, eratque Juno mulierum, ut Genius virorum; unde muliebre jusjurandum. Tibullus Eleg. ult. lib. 3.

-- Si perque ſuos fallax juravit ocellos,
Junonemque ſuam, perque ſuam Venerem.

& Carm. 13. lib. 4.

Hæc tibi ſancta tuæ Junonis numina juro,
Quæ ſola ante alios eſt mihi magna deos.

Vide ejuſdem poetæ Carmen 6. lib. 4. *Domina* autem, vel regina; ſic enim & *Venus regina*, & *domina* a Propertio vocatur; vel hera, quia dii heri. Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 12.

Invisa eſt dominæ ſola capella deæ.

id eſt, Junoni. PASS. Junonem, ut peculiare ac proprium numen ſuum, venerabantur & jurabant omnes mulieres, etiam maxime proſtitutæ. Quartilla meretrix apud Petronium: *Junonem meam iratam habeam, ſi unquam me meminerim virginem fuiſſe.* Ceterum *dominæ* dicuntur paſſim omnes deæ, ut & dii *domini*. Frequens hoc in Romanis Inſcriptionibus. BROUKH.

v. 18. PARCE] Paullo aliter Tibullus Eleg. 6. lib. 2.

Parce per immatura tuæ precor oſſa ſororis.

Parce, cave, deſine. ut ad Eleg. 15. lib. 1. v. 26. dictum. PASS.

ibid. TUIS ANIMIS] Tua iracundia, ſævitia, ſuperbia. ut Eleg. 5. lib. 1.

Illa feros animis adligat una viros.

Hoc modo & animum uſurpant. Horatius Epiſt. 2. lib. 1. *Ira furor brevis eſt. animum rege, qui niſi paret, Imperat.* & Ode 14. lib. 3. *Lenit albeſcens animos capillus.* Vetus Gloſſar. *Furor*, θυμός. Ovidius Epiſt. Briſeidos:

Vince animos iramque tuam, qui cetera vincis.

Accius in Myrmidonibus apud Nonium in *Confidentia: Iram infrenes, obſtes animis, reprimas confidentiam.* PASS.

ibid. NOCERE TIBI] Tibi obeſſe, & malum tibi arceſſere jumento tuo; quia ego coactus & laceſſitus te ulciſcar. PASS.

v. 19. NON SOLUM TAURUS FERIT UN-

cis

Nec tibi perjuræ ſcindam de corpore veſtem,
Nec mea præcluſas fregerit ira fores:

Nec

CIS CORNIBUS HOSTEM] Anacreon Ode 2. φύσις κέρατα ταύροις &c. *Ferit*. ut Virgilius Ecl. 3.

Occurſare capro (cornu ferit ille) caveto.

Uncis cornibus, incurvis & ſimul acutis. Eleg. 11. lib. 4.

Torquis ab inciſa decidit unca gula.

unca, quia conſerta velut hamis, ut Virgilius loquitur. Noſter Eleg. 20. lib. 3.

Cornua nec valuit curvare in pellice Juno.

Virgilius 3. Georg. de bovis forma præſtantiſſima: *Camuris hirtæ ſub cornibus aures*. id eſt, *incurvis*, ait Servius. PASS. Huc pertinent verba Ciceronis lib. 3. de Nat. Deor. *Jam illa cernimus, ut contra metum & vim ſuis ſe armis quæque defendat. cornibus tauri, apri dentibus, morſu leones, alia fuga ſe, alia occultatione tutantur.* Lactantius pariter lib. 6. Div. Inſtit. cap. 18. *Et pecudes, ſi laceſſas, aut calce, aut cornu repugnant.* Vide & Ovidium initio fragmenti Halieuticon. VULP.

v. 20. VERUM ETIAM INSTANTI LÆSA REPUGNAT OVIS] Ovem poſuit pro beſtia placidiſſima: unde *Fabius Maximus Ovicula* dictus; Plutarcho id teſtante. Ovidius 1. Faſt. *Quid meruiſtis, oves, placidum pecus?* Conſulendum proverbium, *Sua eſt & formicis ira*. *Repugnat*, reſiſtit, & ſe ulciſcitur quantum poteſt. Proprie; ut lib. 8. ad Atticum, in Epiſt. Pompeji: *Ut non pugnet, ſed repugnet ſuis locis*. Sic alibi: *Reſtitiſſet, repugnaſſet*. PASS. *Ovis*. quæ tamen *patiens injuriæ* dicitur a Phædro Fab. 1. lib. 1. Huic Propertii verſiculo reſpondet quod Italis in ore eſt: *Ogni biſcia ha il ſuo veleno*. VULP.

v. 21. NEC TIBI PERJURÆ SCINDAM DE CORPORE VESTEM] Statius lib. 1. Achilleid. *Fluxa veniunt in pectora veſtes, Scinde puer, ſcinde*. Ovidius lib. 3. A. A.

Nec ſcindat tunicaſve ſuas, tunicaſve puellæ.

Horatius Ode 17. lib. 1.

Et ſcindat hærentem coronam
Crinibus, immeritamque veſtem.

Noſter Eleg. 15. infra:

Sciſſa veſte meos experiere manus.

Perjura de corpore, magis poeticum eſt, quam perjuræ. lingua enim pars corporis jurat & pejerat. Sic Eleg. 3. lib. 1. *Ebria veſtigia*, pro ebrio homine. & Horatius Ode 15. lib. 1. *Adulteros crines*. PASS. *Perjura de corpore*. fortaſſe, quod crederent pejerantium corpus turpe fieri ac debilitari perjurio. Horatius Ode 8. lib. 2. *Ulla ſi juris tibi pejerati Pœna, Barine, nocuiſſet umquam; Dente ſi nigro fieres, vel uno Turpior ungui, Crederem: ſed tu ſimul obligaſti Perfidum votis caput, enitaſcis Pulchrior multo*. Nihilominus, *perjuræ* videtur mihi magis concinnum & Propertianum. Sic enim Eleg. 19. hujus libri:

Nec tibi clamatæ ſomnus amarus erit.

Et ſane princeps editio: *Nec tibi per jure*. VULP.

ibid. VESTEM] Groninganus codex hoc præfert, non *veſtes*; quod præplacet. Terentius Eunucho 4, 3.

Quinetiam inſuper ſcelus, poſtquam ludificatus eſt virginem,
Veſtem omnem miſeræ diſcidit: tum ipſam capillo conſcidit.

Tibullus L. 1. Eleg. 10.

Sit ſatis e membris tenuem perſcindere veſtem;
Sit ſatis ornatus diſſoluiſſe comæ.

Atque ita locuti Horatius, Ovidius, & Noſter alibi. BROUKH. Si legamus *veſtem*, vitabimus etiam ὁμοιόπτωτον parum ſuave in tribus continuis verſibus, *veſtes*, *fores*, *crines*. VULP.

v. 22. NEC MEA PRÆCLUSAS FREGERIT IRA FORES] Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 9. *Hic portas frangit, at ille fores*. Tibullus Eleg. ult. lib. 1.

Sed Veneris tunc bella calent, ſciſſaſque capillos
Femina, perfractas conqueriturque fores.

Nota res vel ex Eleg. 16. lib. 1. ubi Janua ſaucia conqueritur. *Mea ira*. ego iratus. Eleg. 18. lib. 1.

Non ita ſæva tamen veniet ira mea.

Sic Eleg. 1. ſupra, *Mea Muſa*. *Præcluſas fores*, ante clauſas quam potuerim ingredi. Sic M. Tullius Verrina 7. *Omnes aditus miſericordiæ tibi eſſe præcluſos*. Ovidius lib. 2. Metam.

Sed nocet eſſe deum, præcluſaque janua leti.

Aliter Cæſar lib. 2. de B. Gall. *Cohortes ejecit, portaſque præcluſit*. PASS.

Nec tibi connexos iratus carpere crines,
  Nec duris ausim lædere pollicibus.
Rusticus hæc aliquis tam turpia prœlia quærat,
  Cujus non hederæ circuïere caput.
Scribam igitur quod non umquam tua deleat ætas:
  Cynthia forma potens, *Cynthia forma levis*.

Cre-

v. 23. Nec tibi connexos iratus carpere crines ausim] Licet iratus, eoque fortior, non tamen ausim &c. Sic Horatius Ode 27. lib. 3. *Palluit audax*. quamvis audax. Ovidius lib. 1. A. A.

Pessima sit (licet), *nulli non sua forma placet.*

Connexos crines. An nexus vittarum intelligit? Virgilius 6. Æneid.

Vipereum crinem vittis innexa cruentis.

An comtos, vel in spiram convolutos, ut idem Virgilius 4. Æneid.

Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro?

An collectos in nodum? Ovidius 3. Metam. *Sparsos per colla capillos Colligit in nodum*. P.

v. 24. Duris pollicibus] Digitis in pugnum contractis, digitorum autem fortissimus pollex. Vulp.

v. 25. Rusticus aliquis] Durus, inhumanus, incultis & asperis moribus. nam, ut ait Tibullus Eleg. 10. lib. 1. *Lapis est ferrumque, suam quicumque puellam Verberat*. Virgilius Ecl. 2. *Rusticus es Corydon*. Et Noster Eleg. 1. lib. 4.

Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit, rustica corda, patres.

unde *Rus merum* Plauto, & Catullo *Infaceto inficetior rure*, Pass. *Rusticus*. Itali dicimus; *villano*, *rotico*, *asino*. Vulp.

ibid. Hæc tam turpia prœlia quærat] Tam inhonestæ rixæ cupidus sit. [Horatius Ode 14. lib. 3. *Lenit albescens animos capillus Litium & rixæ cupidos protervæ*.] *Quærat*, ut Eleg. 5. lib. 3. *Hostem quærimus*, & Cicero Epist. 2. lib. 12. ad Famil. *Turpia prœlia*, quia turpe certare cum femina. Virgilius 2. & 4. Æneid. & Tibullus. Ita *turpis rixa*, Eleg. 8. lib. 4. Pass.

v. 26. Cujus non hederæ circuïere caput] Qui poeta non sit, sed a Musis alienus, omnique humanitate. Hederâ poetæ coronabantur. Horatius Ode 1. lib. 1. *Me doctarum hederæ præmia frontium Diis miscent superis*. Persius in Prologo: *Quorum imagines lambunt Hederæ sequaces*. Hederam vero constat sacram esse Baccho, quia ut ille juvenis semper, ita hæc semper viret. Festus. Servius porro in Ecl. 7. poetas hederâ coronari ait, quia Baccho sacri & insani: vel quia carmina semper virent, poetisque, & aliis æternitatem pariunt. Plinius lib. 16. H. N. cap. 39. poetas eo genere hederæ coronari scribit, cujus semen crocatum sit. In τῷ *Circumīere*, nulla fit synalœpha, quia junctum verbum est. Ita Ovidius lib. 1. Pontic. Eleg. 2.

More lupi clausas circumeuntis oves.

& lib. 8. Metam.

Sæpe etiam manibus nexis ex ordine, trunci
Circumiëre modum.

& lib. 3. A. A. v. 396.

Metaque ferventi circumeunda rotâ.

Vide Priscianum lib. 2. Pass. *Circuïere* scribunt nostri, & Groninganus. probe, & ex usu prisco. Corn. Nepos Datame C. 6. *His locis castra ponit, ut neque circuiri multitudine adversariorum posset*, Lucanus lib. 9.

Circuit exustæ nomen memorabile Trojæ.

Et sic habebant libri Achillis Statii in duobus locis Ovidii a Passeratio allatis: quamquam Ciofanus τὸ M. necessario requiri contendit. Papirianus apud Cassiodorum lib. de Orthogr. circum *præpositio, sequentibus vocalibus* M *litteram in enuntiatione amittit, in scriptura servat*. Beda lib. de Orthogr. circum *præpositio, quibusdam in locis* M *amittit, ut* circuire; *in quibusdam servat, ut* circumvenit. liquidius distinxerat Papirianus ibidem loci: *Sed & quum* I & U *vocales loco consonantium positæ sequuntur, & scribitur, & pronuntiatur, ut* circumvenit, circumiacet. Broukh.

v. 27. Scribam igitur quod non umquam tua deleat ætas] Quod tu viva

num-

Crede mihi, quamvis contemnas murmura famæ,
Hic tibi pallori, Cynthia, versus erit.

Ele-

numquam delere possis, & quod permaneat etiam te mortua. *Scribam*, ut Elegia 28. infra:

Scribam ego : PER MAGNUM EST SALVA PUELLA JOVEM.

Igitur, pro potius. ut Eleg. 19. infra:

Hac igitur mihi sit lepores audacia molles Excipere.

Quod. ut Eleg. 9. lib. 1.

Et cane quod quævis nosse puella velit.

Tua ætas. tu ipsa; ut docuimus ad illud Eleg. 6. lib. 1.

Nam tua non ætas umquam cessavit amori. Pass.

In nostro secundo legitur, *Scribam igitur tua quod numquam deleverit ætas*. id mihi paullo erectius videtur. Broukh. *Scribam igitur*. Poeta minatur ultionem poeticam. Lepide Horatius Sat. 1. lib. 2. v. 47.

Cervius iratus leges minitatur & urnam;
Canidia Albuci, quibus est inimica, venenum;
Grande malum Turius, si quid se judice certes.
Ut, quo quisque valet, suspectos terreat; utque
Imperet hoc natura potens, sic collige mecum.
Dente lupus, cornu taurus petit; unde, nisi intus
Monstratum? Vulp.

v. 28. Cynthia forma potens] Elegia 10. lib. 3.

Est tibi forma potens, sunt castæ Palladis artes.

& Eleg. 10. lib. ejusdem:

Et pete, qua polles, ut sit tibi forma perennis.

Ovidius lib. 3. A. A.

Est illis (formosis) sua dos, forma sine arte potens.

Potens forma, quæ potest in amorem inducere. Sic Plautus Pœnulo 5, 4. *Præpotentes* dixit pro formosissimis. & *fortes*, pro formosis, ut probat Nonius. Idem Mostell. *Virtute formæ id evenit*. Anacreon Ode 2. Νικᾷ δὲ καὶ σίδηρον καὶ πῦρ, καλή τις οὖσα. Socrates, ut narrat Laërtius in Vita Aristotelis, τὸ κάλλος ὀλιγοχρόνιον τυραννίδα vocabat. & Carneades ἀδορυφόρητον βασιλείαν. Τὸ *Cynthia* hoc loco Scaliger vult esse epitheton, ut *Rhenum flumen*, *Stertinium acumen*. Pass. *Cynthia forma potens*. Legendum fortasse tamquam una vox e duabus juncta. Sic *Ante-canem*, & *Antecanis* dicebatur veteribus sidus illud quod Sirium, seu Canem majorem antecedit. Græce προκύων. Cicero in Arateis, & lib. 2. de Nat. Deor.

Ante-canem, Graja Procyon qui nomine fertur.

Sic Hetruscis *forte-verba*, pro *di forte verba*. Vulp.

ibid. Cynthia verba levis] Scaliger olim ex conjectura: *Cynthia formipotens*, *Cynthia verbilevis*. [quod sane in Propertio ridiculum esset] post magis probavit: *Cynthia forma potens*, *Cynthia verba lues*. id est, tua verba & perjuria lues, eorumque pœnas persolves. Sed probo *verba levis*, ut sit synecdoche. ita πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς. Eleg. 22. infra:

Quid juvat in nullo pondere verba loqui?

id est, promittere futiliter. Veteres tamen libri habent *forma*, eleganti iteratione; & sic se legisse testatur Palmerius. Sane *forma levis*, ut Eleg. 16. infra:

Formosis levitas semper amica fuit.

& Eleg. 24. infra:

Tam te formosam non pudet esse levem? P.

In primo nostro est *Cynthia forma levis*; quo modo & Mureti codex habebat, teste Lipsio L. 1. Ant. Lect. C. 20. & excerpta Borrichiana. quam elegantem sane ac pervenustam figuram unice exosculabuntur ii quibus aures sunt poeticæ. Broukh. *Levium figurarum* mentio fit Eleg. 4. lib. 1. v. 9. Vulp.

v. 29. Crede mihi, quamvis contemnas murmura famæ] Nihili facias sermones tacitos hominum de tua nequitia. Ovidius Epist. Deianiræ:

Aucupor infelix incertæ murmura famæ.

& Epist. Helenæ:

Nec tamen hoc falso: sensi mala murmura vulgi:
Et quasdam voces rettulit Æthra mihi.

Catullus Carm. 79. *Fama susurrat*. Pass.

v. 30. Hic tibi pallori, Cynthia, versus erit] Te culpæ consciam & flagitii pallere coget. *Pallori*, tremori, inquit Scaliger, propter metum violati jurisjurandi: ut effectum pro affectu posuerit, pallorem pro rubore ac pudore non probo. Immo alludit Propertius ad pallorem noxiorum. Horatius Epist. 1. lib. 1.

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. P.

Idem poeta Venusinus: *Tacent, & ore pallor albus inficit, Mentesque perculsæ stupent.* An vero pallor ponitur hic pro rubore & pudore? quod non est tam mirificum ut quidam volunt. Sane Taurus apud A. Gellium L. 19. C. 6. *Adhuc enim quæri potest*, inquit, *quam ob caussam pudor sanguinem diffundat, timor contrahat; quum sit pudor species timoris: atque ita definiatur, Timor justæ reprehensionis. ita enim philosophi definiunt, αἰσχύνη ἐστὶ φόβος δικαίου ψόγου.* confer cum his, si libet, Macrobium L. 7. Saturn. C. 11. BROUKH. *Pallori erit*. Sic Horatius Sat. 6. lib. 2. v. 32. *Hoc juvat, & melli est*. VULP.

ELEGIA VI.

NOn ita complebant Ephyreæ Laïdos ædes,
Ad cujus jacuit Græcia tota fores.

Tur-

ARGUMENTUM ELEGIÆ VI. LIBRI II.] Ad Cynthiam, quæ inter viros frequens erat. Se timidum esse profitetur, & illam sibi levibus etiam de caussis in ruptæ fidei suspicionem venire. VULP.

v. 1. NON ITA] Sic exorsus Eleg. 14. infra. PASS.

ibid. COMPLEBANT ÆDES] ἐνεργητικὸν ἀντὶ τοῦ παθητικοῦ, quidam putant, pro complebantur; ut *varians*, Elegia proxima superiore, & *ducere*, pro duci Eleg. 1. lib. 1. At Scaliger in Catalecta subaudiendum putat, homines amatores. ut apud Theocritum:

Ὅσσον ἐρῶντι πατρὸς μῦθον ἢ ματρὸς ἀκούειν.

subauditur enim παῖδες. PASS. Ita loquuntur sæpenumero Latini scriptores. Lucretius lib. 6.

Ut pluvia e cælo demissum flumen, in undas
Sic cedit &c.
In terra quoque ut horrescant, & tecta requirant.

Virgilius extremo lib. 2. Georg.

Necdum etiam audierant inflari classica, necdum
Impositos duris crepitare incudibus enses.

Ovidius Epist. Phædræ:

Namque mihi referunt, quum se furor ille remisit,
Omnia.

Cicero lib. 1. de Officiis: *Maximam autem partem ad injuriam faciendam aggrediuntur ut adipiscantur ea quæ concupiverunt.* Auctor Rhetoric. ad Herennium lib. 3. *Solis exortus, cursus, occasus nemo admiratur, propterea quod quotidie fiunt: at eclipses Solis mirantur, quia raro accidunt.* Sed & Græci frequentissime. Aristoteles initio Ethicorum ad Nicomachum: Διὸ καλῶς ἀπεφήναντο τ' ἀγαθόν, οὗ πάντα ἐφίεται. M. Antoninus Imperator lib. 4. De his quæ ad se ipsum: Ἀναχωρήσεις αὑτοῖς ζητοῦσιν, ἀγροικίας, καὶ αἰγιαλούς, καὶ ὄρη. VULP.

ibid. EPHYREÆ LAIDOS] Corinthiæ. Corinthus antea dicta Ephyra, inquit Plinius lib. 4. H. N. cap. 4. & Servius in illud 2. Georg.

Illusasque auro vestes, Ephyreiaque æra.

Corinthus, inquit, *Ephyrus dicta*. Homerus 2. Odysseæ Ἐφύρην commemorat. Sic dicta Corinthus ab Ephyre Oceani filia, ut scribit Pausanias in Corinthiacis initio. Ovidius Epist. Medeæ:

Hic Ephyren bimarem: Scythia tenus ille nivosa
Omne tenet.

Laïs autem Sicula fuit, natione; sed Corinthi habitavit, ut ait Plutarchus in Nicia. Vide Pausaniam Corinthiacis, Athenæum lib. 13. Ælianum lib. 12. & 14. Variæ Historiæ, Gellium lib. 1. N. A. cap. 8. & alios in Proverbio: *Non est cujuslibet Corinthum appellere*. [ad quod respexit Horatius Epist. 17. lib. 1.

Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

ob immane scilicet pretium quo famosa illa meretrix noctes suas vendere solita erat] De ea Demosthenes: Οὐκ ὠνοῦμαι μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν. *Non emo decies mille drachmis pœnitere.* PASS. Duas fuisse Laïdas, matrem & filiam, quarum historia fere confundatur, erudite ostendit Palmerius Grentemenilius Exercit. p. 378. Nostrum de priore, quam e Sicilia advexit

Ni-

Turba Menandreæ fuerat nec Thaïdos olim
Tanta, in qua populus lusit Erichthonius.
Nec quæ deletas potuit componere Thebas
Phryne, tam multis facta beata viris.

Quin

Nicias, loqui opinor: ista enim altera minus celebris fuit. Vide Jo. Brodæi notas in Antholog. lib. 3. pag. 327. 328. Broukh. *Ephyreia Lais, E gemino dotata mari*, dicitur Claudiano lib. 1. in Eutropium v. 90. Vulp.

v. 2. Ad cujus jacuit Græcia tota fores] Excubare solita in limine & vestibulo. Huc pertinet Platonis Epigramma de Laïde:

Ἡ σοβαρὸν γελάσασα καθ' Ἑλλάδος, ἡ τὸν ἐράστων
Ἑσμὸν ἐπὶ προθύροις Λαῒς ἔχουσα νέων.

in Epigrammatis ab Henrico Stephano collectis. *Ad fores esse*, dixit Plautus Amphitr. *Quis ad fores?* Virgilius: *Fidusque ad limina custos*. Ovidius lib. 3. A. A.

Ante fores jaceat, Crudelis janua, clamet.

De hoc amantium more dictum ad Eleg. 16. lib. 1. v. 22. Pass. *Græcia tota*. nempe Græci omnes. ὑπερβολὴ: quæ tamen gentis ejus intemperantiam moresque corruptissimos satis ostendat. Similem loquendi modum adhibuit Vulgatus Bibliorum Interpres Geneseos cap. 47. v. 15. *Cumque defecisset emtoribus pretium, venit cuncta Ægyptus ad Joseph, dicens, Da nobis panes*. Ubi sic habent οἱ ἑβδομήκοντα: Ἦλθον δὲ πάντες οἱ Αἰγύπτιοι πρὸς Ιωσήφ. Dio Cassius pariter lib. 53. Ἐν ἄλλ, ὡς εἰπεῖν, τῇ Αἰγύπτῳ. Cicero in Pisonem: *Erat non solum domus mea, sed totum Palatium senatu, equitibus Romanis, civitate omni, Italia cuncta refertum*. Ovidius Epist. Briseidos:

Et jacet ante tuos Græcia mœsta pedes.

Juvenalis Sat. 11. v. 195. *Totam hodie Romam Circus capit*. Laïdem postea faciliorem fuisse minusque pretiosam, tradit Athenæus lib. 13. quum æmulari cœpisset Phrynen, quoslibet promiscue admittentem, atque ita locupletatam. Διαζηλοτυπουμένη δὲ ἡ Λαῒς ποτε Φρύνῃ πολλοὺς ἐραστὰς εἶχεν ὁμιλοῦ, ἢ διακρίνουσα πλούσιον, ἢ πένητα, ἢ δ' ὑβριστικῶς αὐτοῖς χρωμένης. Vulp.

v. 3. Turba] Multitudo amatorum cum rixa. Pass.

ibid. Menandreæ Thaidos] Quæ in Menandri Comœdiis sæpe inducebatur, nobilissima meretrix. Sic Eleg. 5. lib. 4.

Sed potius mundi Thaïs pretiosa Menandri,
Quum ferit astutos comica mœcha Getas.

Lemma est apud Martialem, *Menandri Thaïs*: cui subscriptum:

Hac primum juvenum lascivos lusit amores;
Nec Glycere, verè Thaïs amica fuit.

Leg. Athenæus lib. 13. cap. 13. Q. Curtius lib. 5. & Plutarchus in Alexandro. Ovidius lib. 3. A. A.

Ut sit liberior Thaïde, finge metus.

& lib. 1. Amor. Eleg. ult.

Dum fallax servus, durus pater, improba lena
Vivent, dum meretrix blanda, Menandros erit. Pass.

v. 4. In qua populus lusit Erichthonius] Delicias fecit, *ad quam amores suos exercuit*, ut loquitur Catullus. *Ludere*, ἀφροδισιάζειν. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 8.

Ludite, formosæ. casta est quam nemo rogavit.

Idem lib. 2. Amor. Eleg. 3.

Est etiam facies, sunt apti lusibus anni.

Noster Eleg. 32. hujus libri:

Sin autem longo nox una aut altera lusu
Consumta est, non ma crimina parva movent.

Vetus Glossarium: *Conlusio*, συνδίασμος. id est coitus Venereus. *Erichthonius*, Atheniensis, ab Erichthonio Vulcani filio ac Terræ, Athenarum rege; de quo Ovidius 2. Metam. & Virgilius 3. Georg. *Erechtheus*, Homero. Manilius Astronomic.

Qualis Erichthonios pestis populata colonos. P.

v. 5. Nec quæ deletas potuit componere Thebas Phryne] Quæ ita potens & dives fuit, ut denuo conderet excisas & eversas ab Alexandro Thebas: Athenæus lib. 13. Plinius autem lib. 34. H. N. cap. 8. Phrynes simulacrum commemorat factum ab ejus amatore Praxitele. Pausanias in Atticis narrat, ut Praxitelem ea deceperit submisso qui nuntiaret, ejus officinam conflagrare: quum enim ille exclamaret actum de laboribus & operibus suis si Satyro & Cupidini flamma non pepercisset, tum Phry-

ne

Quin etiam falsos fingis tibi sæpe propinquos,
Oscula ne desint qui tibi jure ferant.

Me

ne bono animo esse jussit, & Cupidinem delegit. Quintilianus lib. 3. Inst. Orat. cap. 15. ait ream capitis defensam ab Hyperide, & absolutam non tam eloquentia patroni, quam nudati corporis forma præstantissima. Laërtius in Diogene scribit, eam Veneri auream statuam posuisse Delphis, cui subscripserit Diogenes: *Ex Græcorum incontinentia*. Et Plutarchus lib. 2. de Fortuna Alexandri tradit, Cratetem, conspecta illa statua, dixisse: *Ecce tropæum Phrynes de Græcorum libidine*. Vide Junium Proverbio 34. Centur. 9. in fine Proverbii. PASS. *Deletas Thebas*. dejectas penitus, dirutas & eversas. Ita Cicero in Lucullo: *Sapiensne non timeat? nec, si patria deleatur, non doleat? satis durum*. Cæsar lib. 2. de B. Civili cap. 12. *Docent, si omnino turris concidisset, non posse milites contineri, quin spe prædæ in urbem irrumperent, urbemque delerent*. Hirtius de B. Africano cap. 74. *Dedisse oppidum diripiendum delendumque militibus*. Cornelius Nepos Themistocle: *At Xerxes Thermopylis expugnatis protinus accessit Asty: idque nullis defendentibus, interfectis sacerdotibus quos in arce invenerat, incendio delevit*. Videsis eumdem in Vita Iphicratis, & in Vita Hamilcaris. Livius lib. 5. ab U. C. *Non omnibus delendi urbem libido erat*. & lib. 8. *Mœnia antiqua eorum* (Auruncorum) *urbemque ab Sidicinis deletam*. Vide & Florum lib. 2. H. R. cap. 16. ubi de excidio Corinthi. Horatius pariter Ode 6. lib. 3. *Pæne occupatam seditionibus Delevit urbem Dacus & Æthiops*. Denique Silius Italicus lib. 1. Punic. v. 558.

Sterne deleta post auxiliabere Roma.

Componere. Ita Virgilius 3. Æneid. v. 383.

Quam tuta possis urbem componere terra.

Hoc aliis scriptoribus est *restituere*, quasi iterum statuere. Cæsar lib. 1. B.Gall. cap. 28. *Ipsos, oppida vicosque, quos incenderant, restituere jussit*. Cornelius Nepos in Timotheo cap. 4. *Quos avus Conon muros ex hostium præda restituerat*. De Thebarum excidio quod contigit jussu Alexandri Magni vide Justinum lib. 11. cap. 4. De Thebis autem sæpius eversis legendæ doctissimi Spanhemii Observationes in Callimachum p. 381. Ceterum muri Thebarum denuo quidem excitati & compositi sunt pecunia Phrynes, novus tamen populus esse cœpit. Consule Hugonem Grotium lib. 3. de Jure Belli & Pacis, cap. 9. §. 9. VULP.

v. 6. PHRYNE] Ex Athenæi lib. 13. disces, duas fuisse Phrynas eadem fere ætate; hanc vero Thespiam, de qua Noster loquitur, nomen habuisse proprium *Mnesaretem*. BROUKH.

ibid. TAM MULTIS FACTA BEATA VIRIS] Dives facta ob tam multos amatores ad eam ventitantes. Ita Eleg. 15. infra:

Lectule deliciis facte beate meis.

Beata, dives. Eleg. 26. infra:

Nam, mea quum recitat, dicit se odisse beatos.

Catullus Carm. 10.

Unum ut me facerem beatiorem.

Viris, amatoribus. Hæc vox hoc loco habet quiddam ἀφροδίσιον. ut infra hac ipsa Elegia:

Et miser in tunica suspicor esse virum. PASS.

v. 7. QUINETIAM FALSOS FINGIS TIBI SÆPE PROPINQUOS] Præterea simulas tibi cognatos esse etiam alienissimos. διὰ τὸ αὐτὸ, ut Eleg. 24. infra: *Simulatum fingit amorem*. *Falsos propinquos*. Dicere enim solebat Cynthia de adventantibus, *Frater est, cognatus est: mirum si eum admitto, & cum eo versor liberius*. Eo sensu Tibullus Elegia 1. lib. 3. *Hic tibi vir quondam, nunc frater*. PASS. Ita locutus Terentius Hecyra 4, 4, 71. *Confingis falsas caussas ad discordiam*. De his meretricum fallaciis videndi, præter ceteros, Lud. Areostus Cantu 16. Rolandi Furentis in Fabula Martani & Origilles, strophe 12. & seqq. item Joannes Boccatius ἐν δεκαημέρῳ Fab. 5. Diei 2. VULP.

v. 8. OSCULA NE DESINT QUI TIBI JURE FERANT] Plinius lib. 14. H. N. cap. 13. *Cato* (scribit) *ideo propinquos feminis osculum dare, ut scirent an temetum olerent*. Idem tradit Gellius lib. 10. cap. 23. Plutarchus vero in Romulo morem illum muliebrem salutandi propinquos ait manasse a mulieribus Trojanis, quæ Roma duce, quum incendissent naves, osculo iratos maritos placarunt. Suetonius in Claudio cap. 26.

Ille-

Me juvenum facies pictæ, me numina lædunt;
Me tener in cunis, & sine voce puer.

Me

Illecebris Agrippinæ Germanici fratris sui filiæ, per jus osculi, & blanditiarum occasiones pellectus in amorem, subornavit proximo senatu, qui censeret cogendum se ad ducendam eam uxorem, quasi reipublicæ maxime interesset. Idem in Tiberio cap. 34. *Quotidiana oscula prohibuit edicto.* Vide Plutarchum Problem. quæst. 6. & in libello de claris mulierum factis. PASS. *Oscula ne desint qui tibi jure ferant.* Sic argutius membranæ Comelini, apud Gebhardum. nam reddit rationem, quare Cynthia falsos sibi propinquos fingat. Vulgo legitur: *Oscula, nec desunt, qui tibi jure ferant.* BROUKH. Martianus Jurisconsultus lib. 1. Digest. tit. 1. *Nonnumquam Jus etiam pro necessitudine dicimus, veluti Est mihi jus cognationis, vel affinitatis.* Excipiebantur autem consanguinei osculo. Juvenalis Sat. 6. v. 50.

Pauca adeo Cereris vittas contingere digna,
Quarum non timeat pater oscula.

Affinibus quoque & propinquis idem jus fuisse tradit Arnobius lib. 2. contra Gentes, & Tertullianus Apolog. cap. 6. Id & Græci consueverant. Vide Xenophontem lib. 1. Cyripædiæ. Porro Athenæus alicubi ait, ad consobrinos usque hoc in usu fuisse. Oscula propinquorum pudica erant & sobria: amantium contra libidinosa & fervida. Virgilius 1. Æneid. v. 256. de Jove filiam Venerem osculante: *Oscula libavit natæ.* ad quem locum ita Servius: *Leviter tetigit. Et sciendum, osculum, religionis esse; suavium, voluptatis. quamvis quidam osculum filiis dari, uxori basium, scorto suavium dicant.* Lege ulterius, & sententiam cognosces aliorum interpretum, qui *oscula* eo Maronis versu dictum accipiunt pro Veneris ore parvo, quod primoribus digitis tetigerit Juppiter, quasi blanditus. Illorum tamen sententia minus mihi probatur. Martialis Epigr. 35. lib. 11.

Basia me capiunt blandas imitata columbas:
Tu mihi das, avia qualia mane soles.

Byblis Ovidiana lib. 9. Metam. v. 457.

Nec peccare putat, quod sæpius oscula jungat,
Quod sua fraterno circumdet brachia collo:
Mendacique diu pietatis fallitur umbra.

& inferius v. 537.

Et crebri amplexus; & quæ, si forte notasti,
Oscula sentiri non esse sororia possunt.

Idem lib. 4. Metam. v. 334. in Fab. Hermaphroditi:

Poscenti Nymphæ sine fine sororia saltem
Oscula, jamque manus ad eburnea colla ferenti.

Pulchre Nicephorus Basilaca, venustus atque elegans scriptor, a Leone Allatio editus; in Myrrhæ narratione: *Εἶδεν ἐρωτικοῖς ὀφθαλμοῖς τὸν πατέρα, καὶ τὸ κάλλος πεπειραγάσατο· ἐκ τοῦ μὲν δοκεῖν, ὡς πατέρα κατησπάζετο, τὸ δὲ ἀληθὲς, ὡς ἐρώμενον περιεπτύσσετο.* *Osculum ferre.* Plautus Amphitr. *Osculum tetuli tibi.* VULP.

v. 9. ME JUVENUM FACIES PICTÆ, ME NUMINA LÆDUNT] Expressi in tabula vultus me offendunt, & suspicione ac metu cruciant. Vide Eleg. 8. lib. 3. v. 16. Vulgati codices exhibent, *nomina*. an quia subscripta tabulis nomina eorum quorum pictæ facies? an quia nomina quædam excogitantur, sub quibus latent amatores? *Numina* vero; ut habet vetus liber; erunt deorum imagines & signa; quia sub specie Jovis, Mercurii, Phœbi potest latere amator. PASS. Usitatissimum priscis temporibus amores, amicas, & quidquid carum foret, proponere atque effingere sub schemate deorum ac dearum. Sic Praxiteles, statuarius egregius, ex amica Phryne Veneris Gnidiæ simulacrum finxit: sic Apelles Venerem *ἀναδυομένην* elaboravit ad exemplar Campaspes, pellicis Alexandri Magni, quam adamaverat; ut nonnulli scriptum reliquerunt. Memorabile est quod narrat Plinius lib. 35. H. N. cap. 10. *Fuit*, inquit, *& Arellius Romæ celeber paullo ante Divum Augustum, nisi flagitio insigni corrupisset artem, semper alicujus feminæ amore flagrans, & ob id deas pingens, sed dilectarum imagine.* Plura, quæ ad lucem Nostri faciant, videre potes apud consummatæ eruditionis virum J. F. Gronovium Diatr. in Silvas Statii cap. 6. Huc pertinet Arnobii locus illustris lib. 6. contra Gentes; quem consulet cui otium erit. Hujusmodi pictores, etiam Christianos, notat Lilius Gyraldus Dial. 1. de Poetarum Historia, quo loco Poeticam a calumniis hominum

in-

Me lædit, si multa tibi dedit oscula, mater;
Me soror, & quum quæ dormit amica simul.
Omnia me lædent: timidus sum: ignosce timori.
Et miser in tunica suspicor esse virum.

His

indoctorum tuetur, *Numquid*, ait, *sacerdotium & sacerdotes ipsi exsecrandi, quod inter eos aliqui mali sunt? Nam nec idea picturam & pictores exsecramur & detestamur, quod pictorum nonnulli pictura abusi sunt, atque eam fœdarunt, quod Dei immortalis & Divorum Divarumque effigies ex dilectorum puerorum puellarumque aspectibus effinxerunt*. BROUKH. Antiqui certe in deos & heroas transferebant imagines τῶν ἐρωμένων: contra, deorum & heroum imaginibus nonnumquam suos amores significabant. Id manifestum est vel ex Ode 29. Anacreontis: Τὸν Ἀπόλλωνα δὲ τοῦτον Καθελὼν, ποίει Βάθυλλον. Ἢν δ' ἐς Σάμον ποτ' ἔλθῃς, Γράφε Φοῖβον ἐκ Βαθύλλου. *Apollinem autem hunc Detrahens, fac ex eo Bathyllum: Sin ad Samum umquam veneris, Pinge Phœbum ex Bathyllo*. Ubi καθελὼν idem valet quod ἀπεικάσας, *effingens* nimirum, & *deducens* tamquam ab exemplari; quod Itali dicimus *copiare*, *ritrarre*. Picturas hujusmodi Plautus Asin. 4, 1. vocat *inutiles*, nempe noxias, illecebrosas, mali exempli. VULP.

v. 10. ME TENER IN CUNIS, ET SINE VOCE PUER] Hæc tria aliena a suspicione: quia *tener*, vitulus pro tauro: quia *in cunis*, ubi constrictus jacet, nec se commovere potest: quia *sine voce*, & blanditias ac delicias dicere non possit. *Tener*; ergo minus utilis ei militiæ. tener ad ætatem refertur. Ovidius Epist. Dejaniræ:

Quum tener in cunis jam Jove dignus erat.

In cunis, ut Eleg. 13. infra:

Atque utinam primis animam me ponere cunis
Jussisset quævis de tribus una soror.

Servius cunas & cunabula deducit ἀπὸ τοῦ κύειν, quod est prægnantem esse & eniti. sed nihil est necesse originem verbi e Græcia petere. nam cunire, est quod solent παῖδες, nec honeste dici potest. *Sine voce*, periphrasis infantis: ut apud Horatium Ode 6. lib. 4. *Nescios fari pueros*. quos Homerus νήπια τέκνα vocat. & *sine voce*, quæ quidem intelligi possit. nam vagitus auditur quidem, sed non intelligitur. PASS.

In cunis. Cicero 1. Tuscul. *Si puer parvus occidit, æquo animo ferendum putant: si vero in cunis, ne querendum quidem*. VULP.

v. 11. ME LÆDIT, SI MULTA TIBI DEDIT OSCULA, MATER] Si semel aut iterum te osculata fuerit, nihil commovebor, quia id & pietas jubet, & jure cognationis licet: sed si sæpius id faciat, suspicabor aliquid mali. Petronius: *Omnia me oscula vulnerabant, omnes blanditiæ*. *Mater*. dixi Eleg. 3. super. v. 26. PASS.

v. 12. ME SOROR, ET QUUM QUÆ DORMIT AMICA SIMUL] Ex hoc loco intelligimus, sororem habuisse Cynthiam. de sorore enim Propertii nihil legimus. De sorore & propinquis mentitis & occasionibus his fallendi vide Plautum Asin. 4, 1. Junium Proverb. 34. Centur. 4. *Dormire cum aliquo*, interdum ludere, concumbere. ut Eleg. 18. infra:

Cum sene non puduit talem dormire puellam.

Terentius Eunucho 2, 3. *Cibum una capias, adsis, tangas, ludas, propter dormias*. Ovidius lib. 1. A. A.

Et, Bene, dic, domina; bene, cum quo dormiat illa.

Cum qua simul. ut Virgilius, *Mecum una*. Horatius, *Tecum simul*. Muretus sic explicat: *Soror tua lædet me, & amica cum qua simul ipsa dormit*. ambigue & obscure. explico: & amica sororis, cum qua simul ipsa soror dormit. Huc pertinent versus Plauti Asin. 4, 1.

Alienum hominem intromittat neminem:
Quod illa aut amicum, aut patronum nominet,
Aut quod illa amica amatorem prædicet. P.

Concinnius Dousa F. & quidem nulla pæne mutatione:

Me soror, & quum quæ dormit amica simul.

quum amica aliqua vel tecum, vel cum sorore, dormit. BROUKH.

v. 13. OMNIA ME LÆDENT: TIMIDUS SUM: IGNOSCE TIMORI] Ovidius Epist. Herûs:

Omnia sed vereor: quis enim securus amavit?

Idem:

Quid

His olim, ut fama est, vitiis ad prœlia ventum est,
His Trojana vides funera principiis.
Aspera Centauros eadem dementia jussit
Frangere in adversum pocula Pirithoum.

Cur

Quid timeam, ignoro: timeo tamen omnia demens.

Noster Eleg. 11. lib. 1.

Ignosces igitur, si quid tibi triste libelli
Attulerint nostri. culpa timoris erit. P.

v. 14. ET MISSA IN TUNICA SUSPICOR ESSE VIRUM] Opinor, licet falso, amatorem esse intra tunicam & interiorem vestem. *Miser*, timore perditus; quia nihil miserius quam semper timere, ut de se Cæsar confessus est: quæ pœna Tantali. Lucretius lib. 3. *Suspicor*, opinor, licet falso, unde *suspectus*, inquit Festus. Suspicere, suspicare, suspicari olim idem fuit. translatum ab iis qui sursum aspiciunt, metuentes impendentem ruinam. *In tunica*, jocus ex absurdo. Ita Catullus Carm. 55. *Quædam inquit, nudum sinum reducens, En hic in roseis latet papillis.* Intra papillas, inquit, latet Camerius, quem quæris. PASS. Franciscus Petrarcha, poeta Florentinus, Umbri nostri, ut videtur, vestigiis insistens, ita cecinit vernacalo idiomate (*nel Sonetto 149.*)

Trem' al più caldo, arde al più freddo cielo,
Sempre pien di desire, e di sospette;
Pur come donna in un vestire schietta
Celi un nom vivo, a sotto un picciol velo.

Passeratius Nostri sententiam, si quid video, minus est assecutus. Id sibi vult Propertius: Eo usque zelotypia provehor, ut te ab ipsis tunicis tuis tangi & contrectari moleste feram, perinde ac si aliquid virile in se continere possint, quod viri officium fungatur. Sic Anacreon Ode 20. optat tunica fieri, ut semper a puella gestetur: Ε'γὼ χιτὼν γενοίμην, Ο῞πως ἀεὶ φορῇς με. Sic Ovidius annulum puellæ muneri mittens lib. 2. Amor. Eleg. 15. inquit:

O utinam fieri subito mea munera possim
Artibus Ææi, Carpathiive senis.

Inferius autem:

Et peragam partes annulus ille viri.

ὑπερβολαὶ amatorum, & elegantes nugæ poetarum. Graviter Metellus ille senior, rogatus ut secretum quoddam suum panderet, *Si scirem*, inquit, *tunicam meam secretorum meorum consciam esse, exuerem illam statim & comburerem.* Zelotypiam insaniæ similem expressit Propertius Elegia quoque ult. hujas libri:

Ipse meas solus, quod nil est, æmulor umbras,
Stultus, quod stulto sæpe timore tremo. V.

v. 15. HIS OLIM, UT FAMA EST, VITIIS AD PRŒLIA VENTUM EST] Luxuria, libidine, perfidia deducta res ad arma & cædem. Virgilius 3. Georg. *Si quando ad prœlia ventum est.* Cicero 6. Philipp. *Propter æs alienum venire ad arma.* Noster Elegia 9. lib. 4. *ad fœdera veni.* PASS. Hunc versum cum septem sequentibus audacter transtulerat Scaliger in Elegiam 8. libri hujus. Sed non erant loco movendi. Reprehenderat poeta Cynthiam, quod in ædes suas turbam scortatorum admitteret, quantam nec Laïs Corinthi, Thaïs vel Phryne Athenis. Nunc ait, ubi plures ad unam confluant, ibi rixas, jurgia, cædes frequentes esse, quippe inter rivales & inimicos: quæ quum accidunt, ipsis meretricibus molesta & periculosa sunt. Exemplis porro rem confirmat. VULP.

v. 16. HIS TROJANA VIDES FUNERA PRINCIPIIS] Aut intelligis hinc originem habuisse: aut vides, pro audis. ut Eleg. 16. infra:

Vidistin' toto sanitus percurrere cælo?

Funera Trojana. cladem & excidium Trojæ. Sic Cicero 2. ad Attic. *Novo quodam morbo civitas moritur.* Noster Eleg. ult. lib. 1. v. 4. *Italiæ funera.* vide quæ ibi adnotavimus. PASS. Diruta est a Græcis Troja ob raptum Helenæ. Paris autem abduxit Helenam, quod a Menelao ejus marito acceptus fuerit hospitio cum semiviro comitatu, & visa muliere pulcherrima libidini moderari non potuerit, quin eam Lacedæmone Trojam aveheret. VULP.

v. 17. ASPERA CENTAUROS EADEM DEMENTIA JUSSIT FRANGERE IN ADVERSUM POCULA PIRITHOUM] *Aspera* & *dementia* & *pocula*. *Aspera* primum *dementia*, sæva ebrietas libidine geminata. Sic Eleg. 8. lib. 3.

Cur exempla petam Grajûm? tu criminis auctor
Nutritus duro, Romule, lacte lupæ.

Tu

Furiosa mero. & Cicero in Catone: *Quum ex Sophocle quæreretur ætate jam jam confecta, uteretur ne rebus Venereis; Dii meliora, inquit: libenter enim hinc, ut a domino agresti ac furioso, profugi*. *Aspera* deinde pocula, signis exstantibus, Virgilio, Ovidio, & Juvenali. Sic *nummus asper*, nempe recens cusus, eadem fere ratione, quod tractatu asper. huic opponitur tritus, & ex attritu lævis. *Frangere in*, ut Plautus Captivis 1, 1. *Frangi aulas in caput*. Sic Terentius: *In me cudetur faba*. Ovidius lib. 12. Metam. in hujus fabulæ narratione:

Et primâ pocula pugnâ
Missa volant, fragilesque cadi, curvique lebetes,
Res epulis quondam, nunc bello & cædibus apta.

Horatius Ode 27. lib. 1. *Natis in usum lætitiæ scyphis Pugnare, Thracum est*. *In adversum Pirithoum*. contra Pirithoum e regione accumbentem. Ovidius eodem libro:

Forte fuit juxta, signis exstantibus asper,
Antiquus crater, quem vastum vastior ipse
Sustulit Ægides, adversaque misit in ora.

puta Euryti Centauri. PASS. *Aspera*. non putaverim, hoc epitheton a Propertio dementiæ tributum, sed solis poculis. *Centauros*. Vide Eleg. 2. supra versu 9. *Dementia jussit*. compulit, coëgit superba domina. Sic Horatius Sat. 3. lib. 2. v. 140. de Oreste insano:

Tantum maledicit utrique, vocando
Hanc furiam, hunc aliud, jussit quod splendida bilis.

Tibullus Eleg. 6. lib. 1. *Jussit Amor*. Utuntur nonnumquam verbo suadendi ad idem significandum. Horatius Epist. 2. lib. 1.

Qui non moderabitur iræ,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit & mens.

Frangere in a. pocula Pirithoum. Quoties rixarentur veteres inter cœnandum, scyphis & lancibus rem gerebant, utpote armis ad manum. Juvenalis Sat. 5. de parasito cum servis altercante:

Inter vos quoties libertorumque cohortem
Pugna Saguntinâ fervet commissa lagenâ.

Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. hanc ipsam pugnam Centaurorum describens, v. 337.

Quum signifero cratere minantem
Non leviore Pholum manus hæc compescuit auro.

Noster iterum Eleg. 6. lib. 3.

Quum furibunda mero mensam propellis, & in me
Projicis iratâ cymbia plena manu.

De Pirithoo vide Elegiam 1. hujus libri v. 38. VULP.

Eadem dementia. Libido cum ebrietate juncta. sed subeat caussa altior, furor a numine immissus. Servius in L. 7. Æneid. v. 304. *Pirithous Lapitharum rex quum uxorem duceret, vicinos populos Centauros, etiam sibi cognatos, & deos omnes, excepto Marte, ad convivium convocavit. Unde iratum numen immisit furorem, quo Centauri & Lapithæ in bellum venerunt*. BROUKH.

v. 19. CUR EXEMPLA PETAM GRAJUM?] Quamobrem externis exemplis utor, quum abundem domesticis? PASS.

ibid. TU CRIMINIS AUCTOR] Dicitur & *auctor* tantum, αἴτιος. Vetus Comicus: *Ne vitia transcenderent auctoris pœna*. auctoris eorum scilicet vitiorum. Ovidius Epist. Didûs:

Da veniam culpæ: decepit idoneus auctor.

Criminis, culpæ, stupri & raptus. ut infra v. 36.

Quum paries nullo crimine pictus erat.

Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 5.

Ipse miser vidi, quum me dormire putares,
Sobrius apposito crimina vestra mero. P.

Auctor. Naso iterum Epist. Helenæ v. 49.

Illa bene erravit, culpamque auctore redemit.

VULP.

v. 20. NUTRITUS DURO, ROMULE, LACTE LUPÆ] Nominativus pro vocativo, ut sæpe. *Duro lacte*, quasi sævitiam cum lacte sævæ lupæ hauserit. De lupa nutrice Romuli, præter Livium lib. 1. Plutarchus in Romulo, Virgilius 1. & 8. Æneid. & Ovidius 2. & 3. Fast. Noster Eleg. 9. lib. 3.

Eductosque pares silvestri ex ubere reges.

& Eleg. 1. lib. 4.

Optima nutricum nostris, lupa Martia, rebus,
Qualia creverunt mœnia lacte tuo!

Ibi-

Tu rapere intactas docuisti impune Sabinas:
Per te nunc Romæ quidlibet audet Amor.
Felix Admeti conjunx, & lectus Ulixis,
Et quæcumque viri femina limen amat.
Templa Pudicitiæ quid opus statuisse puellis,
Si cuivis nuptæ quidlibet esse licet?

Ibidem:

Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam.

Denique Eleg. 4. libri ejusdem:

Te toga picta decet, non quam sine matris honore
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ. PASS.

Nutritus referri potest ad *τὸ criminis auctor.* VULP.

v. 21. TU RAPERE INTACTAS DOCUISTI IMPUNE SABINAS] Sic Eleg. 4. lib. 4.

Sin minus, at raptæ ne sint impune Sabinæ,
Me cape, & alterna lege rependo vices.

Virgilius 8. Æneid.

Nec procul hinc Romam, & raptas impune Sabinas
Consessu caveæ, magnis Circensibus actis,
Addiderat.

Vide Ovidium 1. A. A. Plinium lib. 15. H. N. cap. 29. Livium, Plutarchum, alios. *Impune*, quia quod exemplo fit, jure fieri putant. vide Elegiam 32. infra:

Hæc eadem ante illam impune & Lesbia fecit.

Intactas, virgines, integras. ἄζυγες κόραι Euripidi. PASS.

v. 22. PER TE NUNC ROMÆ QUIDLIBET AUDET AMOR] Tuâ operâ nullum non facinus suscipit impunitate proposita. *Per te*, est culpam in alium conferentis: & quod dixit, *tu criminis auctor.* sic apud Ciceronem: *Per eum factum est.* Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 10.

Per te ego decipior, per te deprensus inermis.

τὸ quidlibet, stuprum notat, ut versu ab hoc 4.

Si cuivis nuptæ quidlibet esse licet.

nam a verbo *libet* dicta *libido*. *Quidlibet audere*, ut Horatius Epist. ad Pisones:

Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Amori vero tribuit audaciam. Ovidius 4. Metam. *Audacem faciebat Amor.* PASS.

v. 23. FELIX ADMETI CONJUNX, ET LECTUS ULIXIS] *Τὸ felix* ad animi bona pertinet; idest proba, casta, omni laude digna, & quæ beatum reddidit maritum. ut *Sis bonus o felixque tuis.* contra *infelix* & *miser*, pro scelesto. De Admeti Pheræorum regis conjuge Alceslide, quæ se pro marito sponte morti obtulit, Euripides in Alcestide, Val. Maximus lib. 4. cap. 6. Plato in Symposio, Apollodorus lib. 1. Juvenalis Sat. 6. *Lectus Ulixis*, conjugium, matrimonium. id est, ipsa Penelope. ut Eleg. ult. infra:

Lecta te solum, lecto te deprecor uno.

id est, amicâ. & Eleg. 8. lib. 4.

Quum fieret nostra toties injuria lecto.

id est, conjugio. Ovidius Epist. Hermiones:

Nec turpe marito est
Aspera pro caro bella tulisse toro.

id est, conjuge. PASS.

v. 24. ET QUÆCUMQUE VIRI FEMINA LIMEN AMAT] Sic *servare limen* de pudica dixit Virgilius 6. Æneid.

Casta licet patrui servet Proserpina limen.

Amat limen, servat, ab eo non recedit, ut servamus quæ amamus. Horatius Ode 25. lib. 1. *Amatque janua limen.* quod Catullus nobis interpretatur Carm. 66. ...

Dixerit hic aliquis: Quid tu istæc, janua, mœsti,
Quæ nunquam domini limine abesse licet?

& Virgilius 5. Æneid. *Litus ama.* unde Martialis Epigram. 44. lib. 2. [μνημονικὸν ἁμάρτημα.]

Nec deerant Zephyri, si te dare vela juvaret:
Sed tu litus amas; hoc quoque fratris habet.

Statius item lib. 9. Thebaid. de Hippomedonte tuente corpus Tydeos:

--- motusque per omnes
Corpus amat, corpus servans circumque supraque
Vertitur.

Huc pertinet epitaphium Claudiæ; quod exstat Romæ: *Domum servavit, lanam fecit. dixi, abi.* Profert Brissonius. PASS.

v. 25. TEMPLA PUDICITIÆ QUID OPUS

Quæ manus obſcœnas depinxit prima tabellas,
Et poſuit caſta turpia viſa domo:
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiæquæ ſuæ noluit eſſe rudes.

Ah

STATUISSE PUELLIS] Pudicitiæ deæ mentio apud Plinium lib. 2. H. N. cap. 7. Livius autem lib. 10. duo Pudicitiæ templa Romæ fuiſſe ſcribit, unum Pudicitiæ Patriciæ in Foro Boario; de quo P. Victor in Regione 8. alterum Pudicitiæ Plebejæ in Vico Longo; de quo Feſtus in *Plebeja*, & in *Pudicitia*. Juvenalis Sat. 6.

Maura, Pudicitiæ veterem quum præterit aram. PASS.

Quid opus templa P. ſtatuiſſe? Ita Perſius Sat. 1. v. 107.

Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? VULP.

v. 26. SI CUIVIS NUPTÆ QUIDLIBET ESSE LICET] Si quævis nupta, etiam matrona, impudica eſt, & nulli tamen pœnæ obnoxia. Inter nuptas etiam Cynthiam recenſet, quæ quamvis nupta non eſſet, uni Propertio, ut videtur, addicta erat, tamquam certa concubina & fidelis. Dicturus ipſa eſt verſu ult. hujus Elegiæ:

Semper amica mihi, ſemper & uxor eris.

Quidlibet, tacitam libidinem & flagitium ſignificat, ut dictum ſupra. *Libet* & *licet* conjungit. ut *ſi libet*, *licet*. Cicero pro Quintio: *Si poterit quodlibet, & ſi libebit quod non licet*. Licere proprie dicitur quod legibus & more majorum inſtitutiſque conceditur. Cicero Philipp. 13. PASS.

v. 27. QUÆ MANUS OBSCŒNAS DEPINXIT PRIMA TABELLAS] *Manus*, pro artifice. ut pro arte ipſa, Eleg. 12. infra:

Nonne putas miras hunc habuiſſe manus?

Petronius: *Zeuxidos manus vidi*. Noſter Eleg. 19. lib. 3.

Sive ebore exacta, ſeu magis ære manus.

Obſcœnæ tabellæ, ſpurcæ & libidinem excitantes. Feſtus in *Oſcum*. De obſcœnis tabulis vide Plautum Aſin. 4, 1. Terentium Eunucho 3, 5. loco plane memorabili, Ovidium lib. 2. Triſt. Suetonium in Tiberio cap. 44. & Plutarchum in Craſſo. De inventoribus picturæ Plinium lib. 7. H. N. cap. 56. Item de obſcœnis picturis, & dearum imaginibus amicas & ſcorta referentibus, videndus idem lib. 35. cap. 10. PASS.

v. 28. ET POSUIT TURPIA VISA] Argumenta picturæ quæ honeſte ſpectari non poſſunt. *Viſa* Ciceroni in Lucullo dicuntur quæcumque vel oculis intuemur, vel animo cernimus, ſive in ſomnis, ſive vigilantes. PASS.

ibid. CASTA DOMO] Pudoris & ſanctimoniæ plena, carente omni macula. Virgilius 2. Georg. *Caſta pudicitiam ſervat domus*. PASS. Ita & Valerius Flaccus initio Argonaut. *Si Cymææ mihi conſcia vatis Stat caſtâ cortina domo*. VULP.

v. 29. ILLA PUELLARUM INGENUOS CORRUPIT OCELLOS] Infecit oculos liberales & ad honeſtatem natos, obſcœno illo ſpectaculo. Sic *ingenuus color* Eleg. 4. lib. 1. Et Eleg. 24. hujus libri:

Aut pudor ingenuus, aut retinendus amor.

Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 14.

--- Oraque dextrâ
Protegit, ingenuas picta rubore genas.

Corrumpi, ſæpe ad ſtuprum & libidinem refertur, ut adnotatum ad Eleg. 8. lib. 1. *Nam me non ullæ poterunt corrumpere*. [Sic Eleg. 32. infra: *Venus corrupta libidine Martis*.] Aliud eſt in Amphitr. Plauti 1, 3. *Ne corrumpe oculos*. fletu ſcilicet. quod Tibullo *oculos fœdare*. PASS.

v. 30. NEQUITIÆQUE SUÆ NOLUIT ESSE RUDES] Sic Ovidius lib. 2. Triſt. de ſuis libris nequitiæ: *Romanas erudiuntque nurus*. Noſter Eleg. 10. lib. 3.

Quum ſit luxuriæ Roma magiſtra tuæ.

Rudis nequitiæ, ut Eleg. 21. lib. 3. *Rudis hoſpes æquoris*. PASS. Sententia eſt: pictor ille primus turpium tabellarum noluit, puellas quæ deinceps orituræ erant ignorare, ipſum fuiſſe nequam hominem & libidinoſum. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 1.

Ille ego nequitiæ Naſo poeta meæ.

qui ſcilicet meam libidinem argumentum poematis feci. vel *nequitiæ ſuæ*, nequitiæ ipſarum puellarum, quam ſerius aut citius eas experiri neceſſe eſt. Propterea improbus

ar-

Ah gemat in terris ista qui protulit arte
Jurgia sub tacita condita lætitia.
Non istis olim variabant tecta figuris.
Tum paries nullo crimine pictus erat.

Sed

artifex virgunculas imbuere voluit præcoci nequitia, ne nimis diu castæ permanerent. VULP.

v. 31. AH GEMAT IN TERRIS ISTA QUI PROTULIT ARTE] *Ah* non est dolentis, sed imprecantis, pro, ei male sit etiam mortuo. id quod sequitur pro eo quod præcedit, gemitus pro cruciatu. Sic Eleg. pænult. lib. 1.

Quid nostro gemitu turgentia lumina torques?

id est, dolore. & Eleg. 25. infra:

Et gemere in tauro, sæve Perille, tua.

Sic Eleg. 6. lib. 1. *Ah pereat, si quis* &c. ubi vide adnotata. *In terris*, an sub terris, apud inferos? ut Eleg. 18. infra:

Illi sub terris fiant mala multa puellæ
Quæ mentita suas vertit inepta comas.

Sed conjungendum *protulit in terris*. *Protulit*; ut Tibullus Eleg. 10. lib. 1.

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?

Horatius Ode 8. lib. 4.

Quas(artes)*aut Parrhasius protulit, aut Scopas.*

Nonius apud Priscianum: *Ut illum dii perdant qui primus olitor cepam protulit!* *Arte*, τῇ ζωγραφίᾳ, pictura. PASS. *Gemat in terris*. apud inferos crucietur. Cicero lib. 2. de Nat. Deor. *Terrena autem vis omnis atque natura Diti patri dedicata est: qui Dis, ut apud Græcos* Πλούτων, *quia & recidunt omnia in terras, & oriuntur e terris*. Idem 1. Tuscul. *In terram enim cadentibus corporibus, hisque humo tectis, ex quo dictum est humari, sub terra censebant reliquam vitam agi mortuorum*. VULP.

v. 32. JURGIA SUB TACITA CONDITA LÆTITIA] Rixarum caussas latentes sub ea voluptate & specie tabellarum, quæ mutæ sunt. nam dum oculi pictis tabellis delectantur, concipiunt ea vitia quibus ad jurgia & etiam ad prælia ventum est. Non dissimile illud Eleg. 4. lib. 1.

--- Et qua
Gaudia sub tacita ducere veste libet.

Tacita lætitia picturæ, quia *pictura tacitum poema*; & contra *poesis loquens pictura*. P. *Jurgia*, id est semina jurgiorum. hinc enim adulteria, stupra, & supplicia proposita hæc admittentibus. *Sub tacita condita lætitia*. Cicero Tuscul. 4. *Turpes sunt qui efferunt se lætitia tum quum fruuntur Venereis voluptatibus*. Risum indicem lætitiæ Clemens Alexandrinus Pædagogi cap. 4. vocat πορνείας παράδρομον, *fornicationis præcursorem*. Quid a gaudio lætitia differat, e Stoicorum doctrina explicat Cicero eodem lib. 4. Tuscul. Quæst. Sed poetæ promiscue vocibus gaudii & lætitiæ abuti videntur. Idem Cicero lib. 2. de Finib. *Non dicitur lætitia, nec gaudium in corpore*. Initio tamen libri tertii: *Aut pluris esse contendas dulcedinem corporis titillationem, ex eave natam lætitiam, quam gravitatem animi atque constantiam*. Hunc Propertii locum imitatus videtur Joannes Casa Ode 4. Italica:

--- Poich' i' m' accorsi,
Che, gloria promettendo, angoscia, e scorni
Dà il Mondo, e vidi, quai pensieri, ed opre
Di letizia talor veste, e ricopre. VULP.

v. 33. NON ISTIS OLIM VARIABANT TECTA FIGURIS] Non ædes suas olim distinguebant istis tabulis & signis. *Variare* agendi significatione, ut Eleg. 15. lib. 1. v. 7. PASS. Ita Quintilianus Instit. Orat. lib. 6. cap. 1. *Quæ autem enumeranda videntur, cum pondere aliqua dicenda sunt, & aptis excitanda sententiis, & figuris utique varianda*. Sed ibi de figuris rhetoricis mentio fit. Plato in Euthyphrone: Ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν γραφέων πάτε ἄλλα ἱερὰ ἡμῖν καταπεποίκιλται, ἐν δὴ ἐν τοῖς μεγάλοις Παναθηναίοις ὁ πέπλος μεστὸς τῶν τοιούτων ποικιλμάτων ἀνάγεται εἰς τὴν ἀκρόπολιν. h. e. *A bonis pictoribus quum alia apud nos fana varientur, tum vero magnis Panathenæis eximium illud tapete rerum hujusmodi emblematis varia refertum sublimi e loco explicatur in arce*. VULP.

v. 34. TUM PARIES NULLO CRIMINE PICTUS ERAT] Vulgati libri *Quum*. Quum in pariete nulla pictura cerneretur quæ ad crimen & stuprum argumento ipso incitaret. Plinius lib. 22. H. N. cap. 2. herbis

olim

Sed non immerito velavit aranea fanum,
Et mala desertos occupat herba deos.

Quos

olim parietes pingi solitos commemorat. Idem lib. 35. cap. 14. excisum lateritiis parietibus opus tectorium Lacedæmone ait, propter excellentiam picturæ, & Romam translatum. Et ejusdem libri cap. 10. *Nulla in Apellis tectoriis pictura erat: nondum libebat parietes totos pingere*. *Crimine*. expositum ad illud supra: *Tu criminis auctor*. PASS. *Tum paries*. ita Groninganus, & ambo Colbertini. quod verum puto ac germanum: & putabit mecum quisquis paullo diligentius expenderit. Parietes pingere, in frequenti usu Romanis. Lactantius de Mort. Persec. C. 5. *Imposita pede super dorsum ejus, Illud esse verum dicebat, non quod in tabulis aut parietibus Romani pingerent*. Id primum institutum est Augusti ætate; docente Plinio L. 35. C. 10. Earum picturarum argumenta, ut hic vides, fere erant amores, stupra, concubitus. etiam circa tales tabellas insaniebat veterum luxuria. id testantur Terentius, Ovidius, Suetonius, Vetera Epigrammata. BROUKH. *Tum* habet etiam princeps editio. *Paries*. iccirco, in superiore versu *tecta* pro *tectoria* usurpatum suspicor, & quidem non ædium modo privatarum, sed etiam templorum; quod e sequentibus manifestum. VULP.

v. 35. SED NON IMMERITO] *τὸ sed*, pro igitur; & exclamantis est. ut Elegia 16. infra:

Sed quascumque tibi vestes, &c.

& Eleg. 22.

Sed tibi si exiles videor tenuatus in artus.

Sallustius in Catilina: *Sed ea opportuna Catilinæ*. id est, itaque. Sic dixit Eleg. 19. lib. 3.

Non tamen immerito Minos sedet arbiter Orci.

pro igitur. ut & Eleg. 17. lib. 1.

Tu tamen in melius sævas converte querelas.

PASS.

ibid. VELAVIT ARANEA FANUM] Telis suis obtexit. Velavit, inquit Beroaldus, ne videantur picturæ turpes, ut deorum adulteria. Araneæ telas suas facere dicuntur in locis incultis & desertis ac inanibus. Noster Eleg. 6. lib. 3.

Putris & in vacuo texetur aranea lecto.

ubi vide adnotata. *Fanum*, inquit Festus, *a fando, quod Pontifex dum dedicat, certa verba fatur: vel a Fauno*. Asconius in 3. Verr. *Fanum religiosissimum templum, unde fata petuntur*. Varro 5. de L. L. *Fana, quod Pontifices in sacrando fati sint fines* (templorum.) Probus: *Fanum a Fauno, qui primus ædes sacras exstruxit, lucosque dedicavit*. PASS. Ita Catullus elegantissime Carm. 67.

Ne tenuem texens sublimis aranea telam
In deserto Alli nomine opus faciat. VULP.

v. 36. ET MALA DESERTOS OCCUPAT HERBA DEOS] *Mala herba*, scelesta, impia. Plinius lib. 24. H. N. cap. 19. Sic Tibullus Eleg. 5. lib. 3.

Et modo nata mala vellere poma manu.

Herba mala eidem poetæ Eleg. 2. lib. 1. est noxia:

Solo tenere malas Medeæ dicitur herbas.

Occupat deos. simulacra deorum implicat, involvit, tegit. ut apud Ovidium Epist. Penelopes:

Alta ruinosas occulit herba domos.

Deos, pro signis & statuis deorum. ita Cicero Divinatione in C. Verrem: *Deum ille nullum Siculis reliquit*. Horatius pariter Ode 4. lib. 4. *Impio Vastata Pœnorum tumultu Fana deos habuere rectos*. Tibullus Elegia 10. lib. 1.

Stabat in exigua ligneus æde deus.

Noster Eleg. 1. lib. 4.

Fictilibus crevere deis hæc aurea templa.

De templis Romæ tunc desertis vide Horatium Ode 6. lib. 3. Propertius ipse Elegia 13. lib. 3.

At nunc desertis cessant sacraria lucis. PASS.

Deos. Lepide admodum Horatius Sat. 8. lib. 1. verbis Priapi:

Quum faber, incertus scamnum faceretne, Priapum
Maluit esse deum. VULP.

Mala herba. Cornelius Severus in Ætna:

Aurea securi quis nescit sæcula regis?
Quum domitis nemo Cererem jactaret in arvis,
Venturisque malas prohiberet frugibus herbas.

Non recte Nostri locum ad herbam impiam Plinii retulerat Passeratius. *mala herba* est quæ nostratibus elegante vocula *onkruid*

vo-

Quos igitur tibi custodes, quæ limina ponam,
Quæ numquam supra pes inimicus eat?
Nam nihil invitæ tristis custodia prodest:
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.
Uxor me numquam, numquam me ducet amica.
Semper amica mihi: semper & uxor eris.

vocatur. Sola *herbæ* voce in re simili usus est, ingentis animi ac fulminantis cujusdam eloquentiæ poeta, Math. Casimirus Sarbievius L. 4. Ode 1.

Frustra, Poloni, cingimus oppida
Muris, & arces addimus arcibus:
Delubra si squalent, & altis
Cælituum viret herba tectis. BROUKH.

v. 37. QUOS IGITUR TIBI CUSTODES, QUÆ LIMINA PONAM?] *Igitur* excandescentis; ut Eleg. 8. lib. 1. *Tune igitur demens?* *Ponere custodes*, quod Ciceroni Divinat. in Verrem: *Custodem*, inquit, *me Tullio opponite*. Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Nam posita est nostræ custodia sæva puellæ.

Ponere, pro apponere. ut Eleg. 3. supra, *Posito lecebo*. De custodia puellarum dictum ad Eleg. 11. lib. 1.

Ut solet amoto labi custode puella Perfida.

Liminis fit mentio, quia casta *limen amat*, ut psullo ante dixi: & custodes ipsi aut in limine erant, aut limen observabant. Virgilius 6. Æneid.

Cernis, custodia qualis
Vestibulo sedeat? facies quæ limina servet?

& 8. Æneid. *Fidusque ad limina custos*. Huic simile illud Eleg. 1. lib. 4.

Nec mille excubiæ, nec te signata juvabunt
Limina: persuasæ fallere rima sat est. P.

Custodes ponam. Ita Cæsar lib. 1. Belli Gall. *Dumnorigi custodes posuit, ut quæ agat, quibuscum loquatur, scire posset*. Suetonius quoque in Tiberio cap. 22. *Hunc* (Agrippam juvenem) *tribunus militum custos appositus occidit*. VULP.

v. 38. QUÆ NUMQUAM SUPRA PES INIMICUS EAT] Quæ numquam rivalis meus calcet, ut in ædes ingrediatur. nota synecdoche. ut Eleg. 25. infra: *Invitis ipse redit pedibus*. PASS.

v. 39. NAM NIHIL INVITÆ TRISTIS CUSTODIA PRODEST] Frustra custoditur quæ pudica esse non vult. Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 4. quæ tota est hujus argumenti:

Dure vir, imposito tenera custode puellæ
Nil agis: ingenio quæque tuenda suo est.
Si qua metu demto casta est, ea denique casta est:
Quæ, quia non liceat, non facit, illa facit.
Ut jam servaris bene corpus, adultera mens est,
Nec custodiri, ni velit, illa potest.

Vide plura adnotata ad Eleg. 11. lib. 1. v. 15. *Tristis custodia*, vel sæva, ut Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Nam posita est nostræ custodia sæva puellæ.

vel quia tristes reddit puellas. Horatius Ode 16. lib. 3. *Et vigilum canum Tristes excubiæ*. Custodia pro ipsis custodibus, & pro iis qui custodiuntur, Jurisconsultis. P. *Tristis* i. severa, quæ puellas in officio continet. VULP.

v. 40. QUAM PECCARE PUDET, CYNTHIA, TUTA SAT EST] Cui pudor adest quum ad dedecus vocatur, satis defensa & munita adversus insidias & corruptelas. Cicero in Partit. Orat. *Custos virtutum omnium dedecus fugiens verecundia*. *Peccare*. quod *labi* dixit Eleg. 11. lib. 1. Sic Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 5.

Vota mori mea sunt, quum te peccasse recordor.

& lib. 3. Eleg. 13.

Non ego ne pecces, quum sis formosa, recuso.

Horatius Ode 7. lib. 3. *Et peccare docentes Fallax historias movet*. Noster Eleg. 32. infra: *Facere ut nostræ nolint peccare puellæ*. *Tuta*. ut Eleg. 19. infra:

Omnia ab externo sint modo tuta viro.

Porro hic claudendam Elegiam putat Scaliger, & duos sequentes versus rejicit in finem Elegiæ quæ proxime sequitur. Vide Lipsium lib. 3. Antiqu. Lect. cap. 25. P.

ibid. QUAM PECCARE PUDET, C. T. S. E.] Verè Plautus Sticho 1, 2, 59. ANT. *Ubi facillime spectatur mulier quæ ingenio est bono?* PAN. *Cui malefaciundi est potestas, quæ, ne faciat, id temperat*. VULP.

v. 41. UXOR ME NUMQUAM, NUMQUAM

ME DUCET AMICA] An pro abdocet a te? An pro capiet, quia capti ducuntur, & etiam addicti creditoribus? An alliciet? translatum ab iis qui sequuntur quod captant, ut *duci voluptate*, *pecunia* &c. Pro, delectari Eleg. 25. infra: *Ducis uterque color*. id est, capit & delectat. PASS.

v. 42. SEMPER AMICA MIHI : SEMPER ET UXOR ERIS] *Semper-amica*, ut Eleg. 16. infra:

Formosis levitas semper-amica fuit.

Semper-uxor, ut Plautus Aulul. 1, 2. de uxore: *Quod tibi sempiternum salutare sit procreandis liberis*. & Virgilius 1. Æneid.

Connubio jungam stabili, propriamque dicabo. PASS.

Monitis adhuc & aliorum exemplis fidem & constantiam in amore laudavit: nunc demum exemplo suo Cynthiam hortatur, ut mutuam sibi voluntatem præbeat. Eodem fere modo concludit Elegiam 21. hujus libri:

Nos quocumque loco, nos omni tempore tecum
Sive ægra pariter, sive valente sumus. V.

ELEGIA VII.

GAvisa est certe sublatam Cynthia legem,
Qua quondam edicta flemus uterque diu,

Ni

ARGUMENTUM ELEGIÆ VII. LIBRI II.] Ait, Cynthiæ voluptati fuisse, ab Augusto Cæsare legem de maritandis ordinibus non potuisse perferri: & se non ducturum uxorem amicæ pollicetur. VULP.

v. 1. GAVISA EST CERTE SUBLATAM CYNTHIA LEGEM] Sic fere exorditur Eleg. 18. lib. 1.

Hæc certe deserta loca & taciturna querenti.

Gavisa est, quod Terentius: *Id vero serio triumphat*. *Sublatam*, antiquatam, abrogatam. abrogatur enim lex quum prorsus tollitur. L. 102. De Verb. Significat. *Legem:* An Juliam, Si quis stuprum adulteriumve faceret sciens dolo malo? Tacitus lib. 2. Annal. An legem Juliam de maritandis ordinibus, qua certæ pœnæ in cœlibes? A. Gellius lib. 2. cap. 15. Horatius in Carm. sæculari, qui *legem maritam* vocat, *prolis novæ feracem*, Tertullianus in libro de Monogamia, Ulpianus tit. 14. Institut. Atqui utraque permansit. An caput aliquod legis sublatum? Sed juvat Suetonius in Augusto cap. 34. qui ait, Augustum, quum hanc legem superiorem ferret, non potuisse perferre præ tumultu recusantium, nisi ademta demum lenitáva parte pœnarum. Idem ibidem dicitur & de pudicitia legem tulisse. PASS. Aliud agunt, qui hic ad legem de Adulteriis, & de Pudicitia respici contendunt: quum tota hæc Elegia ostendat clarissime, tangi legem Juliam de maritandis ordinibus. eam quum Augustus præ multitudine recusantium perferre non posset, nisi ademta lenitáve parte pœnarum, & data triennii vacatione, ideo *sublatam* vocat Propertius; non obscure sperans fore ut paullatim antiquetur. nihil tale accidit in rogatione legis de Adulteriis & de Pudicitia: quam sublatam nemo (si Parisinum Tiresiam excipias) umquam vel somniavit. vide sis Suetonium Augusto C. 34. & magnum Lipsium Excurs. in L. 3. Annal. Taciti p. 512. In Groningano est *sublata lege*, quod minus placet. Sed quid est, quare amantes nostri tam anxie metuerent, ne per novam hanc legem, Augusto veteres retractante, dividerentur ac distraherentur? an, si lex fuisset perlata, Cynthiam ducere non poterat Propertius? cælebs cælibem? certe Propertius uxorem non habebat, id quod satis constat. Videtur autem Cynthia tum temporis maritum habuisse. hinc illæ lacrimæ. sic modo habuimus, Elegia proxime superiore,

Templa Pudicitiæ quid opus statuisse puellis,
Si cuivis nuptæ quidlibet esse licet?

clarius etiam loquitur hoc ipso libro, Eleg. 14.

Quum tibi nec frater, nec sit tibi filius ullus;
Frater ego, & tibi sim filius unus ego.

exprobrat ei sterilitatem: quod opinor nequaquam faceret in puella innupta. clarissime autem L. 4. Eleg. 7. ubi videmus eam cum marito in Subura habitasse, secunda urbis regione:

Jam-

Jamne tibi exciderunt vigilacis furta Suburæ,
Et mea nocturnis trita feneſtra dolis?
Per quam demiſſo quoties tibi fune pependi,
Alterna veniens in tua colla manu!

Firmat opinionem meam Ovidius, qui Noſtrum ex uſu quotidiano perſpectiſſimum habebat, Triſtium L. 2. ubi quum de Tibullo attuliſſet plurima, quæ & hodie leguntur, tandem ita colligit, ut cauſſæ propriæ ſerviat:

Multaque dat talis furti præcepta: docetque
Qua nuptæ poſſint fallere ab arte viros.
Nec fuit hoc illi fraudi; legiturque Tibullus,
Et placet, & jam te Principe notus erat.
Invenies eadem blandi præcepta Properti:
Diſtrictus minima nec tamen ille nota eſt.

igitur Cynthiæ vir ſuus erat unguis in ulcere: nam ſi lex Julia perferri potuiſſet, reſtabat ut Propertius aliam ducere cogeretur, quamvis invitus ac reluctans. atque hoc eſt hujus Elegiæ argumentum. Deinde vero Cynthiæ liberius vivendi poteſtas fuit, ſive elato viro, ſive facto divortio. etenim cum ſuo ſibi amatore ſub eodem tecto, inque iiſdem laribus degiſſe, multis ex locis colligi poteſt. præcipue autem ex L. 2. Elegia 7. 19. 20. 22. 23. editionis Scaligeri. ex L. 3. Eleg. 4. 6. 8. ex L. 4. Eleg. 7. Quæ omnia eſſent liquidiora, ſi in his libellis obſervatus foret temporum ordo, quo ſcriptæ ſunt ſingulæ Elegiæ. ſed & ſic quoque indiciorum ſatis ſuperque habemus. certe libri ſecundi Elegia decima octava ſpinas ac difficultates & pericula & ludibria in amore matronali tam vivis coloribus præpingit, Cynthiæ nomine nequaquam diſſimulato, ut de hujus matrimonio deque poetæ cælibatu dubitari omnino non poſſit. BROUKH. Auguſtus non novam legem condebat de maritandis ordinibus, ſed antiquam revocabat. Florus Epitome l. 59. Hiſtoriarum Livii: *Q. Metellus cenſor cenſuit, ut omnes cogerentur ducere uxores, liberorum creandorum cauſſa. exſtat oratio ejus, quam Auguſtus Cæſar, quum de maritandis ordinibus ageret, velut in hæc tempora ſcriptam, in ſenatu recitavit.* Porro, an Cynthia nupta fuerit, etiam atque etiam dubito; neque id mihi ſatis probant Broukhuſii argumenta. Certe mariti ejus in Elegiis Propertii nulla mentio. Deinde nobilis feminæ maritum eſſe oportuit hominem illuſtri genere natum; qui ſane fatuus, vecors, & mire patiens fuiſſet, ſi eam genio libere indulgere ſiviſſet, ac plurimis poteſtatem ſui corporis facere: quæ in cælibem & ſolutam conveniunt magis. Quidni autem poſſit amator etiam innuptæ mulieri, cum qua tamen conſueſcat, exprobrare ſterilitatem? Quum vero Cynthia noctu per demiſſum lapſa funem ad amatorem veniret clanculum, potuit vel matris cuſtodiam vereri, vel in contubernio eſſe civis alicujus primarii, qui eam diligenter cuſtodiri juberet. Demus autem Broukhuſio, matrimonio junctam fuiſſe: neque illa tamen cauſſa idonea Cynthiæ fuiſſet cur doleret, Propertium lege cogi ad uxorem ducendam. quid enim vetuiſſet, eum uxori ſimul & amicæ operam dare, ſicuti Cynthia virum ſimul & mœchum habebat? Cur autem, inquies, cælebs cælibi nubere non poterat? Id ſcilicet diſpar genus prohibebat: erat enim, ut videtur, Propertius eques Romanus, in re tenui, neque ſenatorii generis feminam poterat facile ſibi conjugare: & propinqui mulieris fortaſſe impedimento fuiſſent. Deinde, quod ajebat Ælius Verus, *uxor dignitatis nomen eſt, non voluptatis.* Qui amant, in amicas multa ſibi licere volunt, quæ uxores minus decent: & ſcorta ipſa vivendi licentiam ſibi matrimonio finiri ægre ferunt. Poſtremo, lex de maritandis ordinibus cogebat cives ad ducendas uxores, liberorum creandorum cauſſa: non igitur quaslibet ducere ſatis fuerat, non eas quæ ſteriles judicatæ, non anus. Atqui Cynthia & ſterilis erat, & floris jam exſtincti. Propertius ipſe iratus anum vocare non dubitat Eleg. 32. lib. hujus:

Appia cur toties te via ducit anum?

& Eleg. 18.

At tu etiam juvenem odiſti me perfida, quum ſis
Ipſa anus haud longa curva futura die.

Hanc ego veriſſimam omnium cauſſam exiſtimo, quamobrem hi duo amantes a nova lege ſibi metuerent. Uxor autem adoleſcentula, & ex qua liberi ſperari poſſent, Cynthiæ rationibus omnino contraria erat. Paſſeratius explicat: *Gaviſa certe eſt Cynthia ſublatam legem:* quod frigidum & languidum: ego vero explico: *Gaviſa eſt Cynthia legem certe ſublatam.* hoc eſt, non rumores tantum eſſe de ſublata lege, ſed id gravibus auctoribus conſtare. VULP.

v. 2. QUA QUONDAM EDICTA] M. Tullius

Ni nos divideret. quamvis diducere amantes
Non queat invitos Juppiter ipse duos.
At magnus Cæsar. sed magnus Cæsar in armis.
Devictæ gentes nil in amore valent.

Nam

lius Verrina 5. *Legemque his rebus, quam ipsi videretur edicerent*. id est, statuerent. *Edicere legem*. ejusdem generis sunt: *edicere comitia, senatum, mulctam*. Edicere est ejus qui sit cum imperio, vel privato, ut patrisfamilias, vel publico, ut prætoris, consulis, ædilis. Donatus in Hecyram: *Edicimus quod jubemus fieri: interdicimus quod vetamus fieri. Edicimus uni generi hominum: interdicimus diversis*. Hinc prætorum edicta & interdicta. Dionysius Halicarn. lib. 5. Edicta interpretatur τῆς δικαίων καὶ ἀδίκων διαγραφάς. PASS.

ibid. FLEMUS UTERQUE DIU] Pro flevimus. enallage temporum. ut Eleg. 9. infra:

Nec non exanimum amplectens Briseis Achillem
Candida vesana verberat ora manu.

Flemus, pro metuimus. Ovidius Epist. Penelopes:

Flebam successu posse carere dolos. PASS.

v. 3. NI NOS DIVIDERET] Ita dictum, *flemus ni nos divideret*, ut Eleg. 12. lib. 3.

--- *Fama tabescet inani*,
Hæc tua ne virtus fiat amara tibi.

Donatus in Eunuch. 2, 3, 35. *Quid ni, cur non*. quia veteres *ni* pro *ne*, & *ne* pro *non* usi. Plautus Milite Gl. *Ni mala, ni stulta sis*. Servius in illud 3. Æneid. v. 686.

Ni teneant cursus, certum est dare lintea retro,

Ni, pro, ne, ut antiqui dicebant, qua particula plenus est Plautus. vide Turnebum lib. 17. Adversf. cap. 11. & Formulas Brissonii. *Divideret*, dictum ad Eleg. 10. lib. 1. v. 15. P. *Ni*. Sic legitur in omnibus libris scriptis, & editionibus vetustis. Sic & marmor Romanum apud Gruterum DCCCCXCVI. 12.

QVISQVIS. ES. HOMO. ET. VOS. SODALES.
MEOS. CVNCTOS
ROGO. PER. DEOS. SVPEROS. INFEROSQVE.
NI
VELITIS. OSSA. MEA. VIOLARE

ita autographum Stephani Vinandi Pighii: nam in Grutero male SEPEROS excusum est. BROUKH.

ibid. DIDUCERE AMANTES] Divellere, in diversa trahere, dissidium inter eos inducere. dictum ad Eleg. 13. lib. 1. v. 19. P.

v. 4. NON QUEAT INVITOS JUPPITER IPSE DUOS] τὸ *ipse* κατ' ἔμφασιν. Virgilius 2. Æneid. *His Juppiter ipse Auxilium solitum eripuit*. Catullus Carm. 69. *Non si se Juppiter ipse petat*. Horatius Ode 16. lib. 1. *Tremendo Juppiter ipse ruens tumultu*. Sententia similis Plauti Amphitr. 4, 4. *Neque me Juppiter, neque dii omnes probibebunt, si volent*. ἀέκητι θεῶν Apollonio, *diis invitis* Catullo. PASS.

v. 5. AT MAGNUS CÆSAR. SED MAGNUS CÆSAR IN ARMIS] ὑποφορὰ καὶ ἀνθυποφορά. *Magnus Cæsar*. Ovidius lib. 2. Pontic. Eleg. 8.

Parce vir immenso major virtutibus orbe.

vide adnotata ad Eleg. 1. supra v. 26. *Sed magnus Cæsar in armis*, virtus Cæsaris in bello & militia spectatur. sic, *Magnus in dicendo*, Cicero pro Murena. & 3. de Legibus: *Magni in republica viri*. id est, periti reipublicæ administrandæ. PASS. *At*, *Sed*. Cicero pro Fontejo dixit *At*, *At*. *At hoc Galli negant*. *At ratio rerum, & vis argumentorum coarguit*. *Magnus Cæsar*. Hoc epitheton Julio Cæsari tribuit Catullus Carm. 11. *Cæsaris visens monumenta magni*. *In armis*. Horatius Sat. 7. lib. 2.

Corpore majorem vides Turbonis in armis
Spiritum & incessum.

Sed ibi de gladiatore sermo. Cicero pro M. Marcello: *Et certe, in armis, militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus, multum juvant*. VULP.

v. 6. DEVICTÆ GENTES NIL IN AMORE VALENT] Sententia est: si quis se confidit amori posse imperare, quod orbem devicerit, fallitur. Amor enim triumphis & victoriis nescit cedere, quoniam omnia vincit. *Gens*, est populi magnitudo. Festus in *Ingens*. *Valent*, ut Eleg. 1. lib. 1.

Tantum in amore preces & benefacta valent.
PASS.

In amore. Sic *in amicitia*. Cornelius Nepos in Attico: *Ut judicari possit, plus in amicitia valere similitudinem morum, quam affinitatem*. Homerus Iliad. 14. v. 331. dixit, ἐν φιλότητι. VULP.

v. 7.

Nam citius paterer caput hoc diſcedere collo,
Quam poſſem nuptæ perdere amore faces.
Anne ego tranſirem tua limina clauſa maritus,
Reſpiciens udis prodita luminibus?

Ah

v. 7. NAM CITIUS PATERER CAPUT HOC DISCEDERE COLLO] Imitatus eſt Propertium Ovidius lib. 2. Pontic. Eleg. 8.

Nam caput e noſtra citius cervice recedat ,
Et potius foſſis lumen abire genis ,
Quam caream raptis , o publica numina , vobis.

& Epiſt. Paridis :

Ante receſſiſſet caput hoc cervice cruenta ,
Quam tu de thalamis abſtraherere meis .

Citius , ut Eleg. 15. infra :

Et citius nigros Sol agitabit equos .

Caput hoc . Virgilius 9. Æneid. *Per caput hoc juro* . Et Noſter Eleg. 9. infra :

Quum capite hoc Stygiæ jam poterentur aquæ . PASS.

Caput hoc diſcedere collo . Italice : *ſepararſi queſto mio capo dal buſto* . VULP.

v. 8. QUAM POSSEM NUPTÆ PERDERE AMORE FACES] Amittere amorem illum quo tu me incendiſti . Sic Eleg. 15. infra :

Quam poſſim noſtros alio transferre calores .

vide verſ. ult. Eleg. ſuperioris . *Faces* . ut Eleg. 13. lib. 1.

Nam tibi non tepidas ſubdidit illa faces .

Triplex autem lectio , *in ore* , *more* , *amore* . ſed melius , *amore* . Amore , inquit , uxoris , amorem tuum non mutabo . prius moriar . Sed legendum , *prodere faces* , ut Virgil. 4. Æneid.

Non jam conjugium antiquum , quod prodidit , oro . PASS.

Perdere faces . ſic eſt in omnibus libris . *Perdere* hic valet ſimpliciter , inutili diſpendio prodigere , ſumtum facere nihil profuturum . hoc enim dicit poeta , ſi ſibi docenda ſit uxor , Auguſto ita jubente ; ea ra nihil effecturum amplius , niſi ut pereat ſibi omne id argentum quod in apparatum nuptialem invito & coacto ſit profundendum . hujus expoſitionis ſponſorem dabo valde idoneum , & quem tu nequaquam poſſis rejicere . is eſt Junius Juvenalis , Sat. 6.

Si tibi legitimis junctam pactamque tabellis
Non es amaturus , ducendi nulla videtur
Cauſſa : nec eſt quare cœnam & muſtacea perdas ,
Labente officio crudis donanda , nec illud
Quod prima pro nocte datur , quum lance beata
Dacicus , & ſcripto radiat Germanicus auro .
BROUKH.

Quam poſſem nuptæ perdere amore faces . ita & princeps omnium editio . Ego olim adoleſcens , antequam Broukhuſii editionem oculis uſurpaſſem , ad Propertium eumdem locum Juvenalis attuleram , ita præfatus : Sunt qui legant , *prodere* . ego tamen diverſam lectionem ſequor , & ſic explico : Quam poſſem inanem ſumtum facere iis parandis quæ pompa nuptialis requirit , puta facibus , coronis , convivio &c. Neve quis hoc temere dictum putet , affero locum Juvenalis e 6. Satyra : *Si tibi legitimis* &c. VULP.

v. 9. ANNE EGO TRANSIREM TUA LIMINA CLAUSA MARITUS ?] Tuaſne præterirem fores mihi obſeratas , quum maritus factus eſſem ? Ovidius in Remed. Amor.

Dii faciant poſſis dominæ tranſire relictæ
Limina . PASS.

Tranſirem tua limina maritus . Illa σύνταξις Tibulli huic ſimillima Eleg. 1. lib. 1.

Ipſe ſeram teneras maturo tempore vites
Ruſticus . VULP.

v. 10. RESPICIENS UDIS PRODITA LUMINIBUS] Retorquens oculos poſtquam tranſierim , quod indicium deſiderii & doloris ob rem cupitam amiſſam . Ovidius in Remed. Amor.

Tempora nec numera , nec crebro reſpice Romam.

Sic Cicero 2. in Catil. *Retorquet oculos ſæpe ad hanc urbem , quam ex ſuis faucibus ereptam eſſe luget* . *Prodita* , vet. lib. Mureti , Palmerii , & Scaligeri . Sed , *perdita* , non diſplicet . Sic enim Plautus Mercat. 5, 1. *Uſusfructus , victus , cultus jam mihi harunce ædium interſeptus eſt , interfectus eſt , alienatus eſt , occidi* . *Udis luminibus* . Ovidius Epiſt. Medeæ :

Triſtis abis : oculis abeuntem proſequor udis .

& lib. 2. Faſt.

Hi redeunt udis in ſua tecta genis .

Ita Noſter *humida lumina* , Eleg. 6. lib. 3. P.

Ah mea tum quales faceret tibi tibia somnos,
Tibia funesta tristior illa tuba!
Unde mihi patriis gnatos præbere triumphis?
Nullus de nostro sanguine miles erit.

Quod

Prodita, est in omnibus libris; & recte. *prodere* est deserere, in periculo ponere ac derelinquere, perdere, projicere. Terentius Adelphis 4, 5.

Prodidisti & te, & illam miseram, & gnatum, quod quidem in te fuit.

Cicero L. 10. ad Attic. Epist. 9. *Quum hoc idem obsecraret, ut exspectarem, ne fortunas meas, ne unicam filiam, ne meos omnes tam temere proderem*, BROUKH.

V. 11. AH MEA TUM QUALES FACERET TIBI TIBIA SOMNOS] Omnes membranæ: *Ah mea tum qualis*. deinde in altero Colbertino, & in nostris duobus, legitur, *caneret tibi tibia somnos*. quare dubitare non debes de veritate lectionis quam Nic. Heinsius constituit:

Ah mea tum quales faceret tibi tibia somnos,
Tibia funestâ tristior illa tubâ!

facere somnos Ovidius dixit L. 3. Pontic. Epist. 1.

Et faciat somnos hæc tibi cura breves.

Plinius lib. 20. C. 7. *Peculiares earum vires partim jam dictæ sunt, somnum faciendi, veneremque inhibendi*. BROUKH. *Caneret tibi tibia cantus*. quam flebiles modos funderet! *Canere cantus, ut vivere vitam, currere cursum, furere furorem*. Et cantum tibiarum vocant κατακεκλασμένοι. Quintilianus lib. 1. Inst. Orat. cap. 19. Sed lib. vet. Scaligeri, *tibia somnos*. ὑμεναικῶς, inquit, mea tibia nuptialis tibi somnus induceret. PASS. In pompa nuptiali solennis & præcipuus tibiæ cantus fuit. Quamobrem Auctor Rhetoric. ad Herenn. lib. 4. *De parte totum sic intelligitur: Non illæ te nuptiales tibiæ ejus matrimonii commonebant? Nam hic omnis sanctimonia nuptiarum, uno signo tibiarum intelligitur.* - VULP.

V. 12. TIBIA FUNESTA TRISTIOR ILLA TUBA] Hunc locum imitatus est Ovidius Epist. Medeæ:

At subito nostras ut Hymen cantatus ad aures
Venit, & accensa lampades igne micant:
Tibiaque effudit socialia carmina vobis,
At mihi funestâ flebiliora tubâ.

Etiam amatores, sub noctem transeuntes ante amicarum domos, ad tibiam suas miserias deflebant. Horatius Ode 7. lib. 3.

Prima nocte domum claude, nec in vias
Sub cantu querulæ despice tibiæ.

Tibia enim quiddam querulum sonabat. Lucretius lib. 4.

Dulcesque querelas,
Tibia quas fundit digitis pulsata canentum.

Tibia funeribus plebejorum adhibebatur, ut scribit Luctatius Grammaticus ad Papinium lib. 6. Thebaid. Tuba contra funeribus potentiorum. Noster Eleg. 13. infra:.

Nec tuba sit fati vana querela mei.

Et Eleg. ult. lib. 4. qui Cornelia mulier nobilissima loquens inducitur:

Sic mœstæ cecinere tubæ, quum subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.

Vide Plutarchum, & Petrum Victorium lib. 9. Var. Lect. cap. 14. PASS.

V. 13. UNDE MIHI PATRIIS GNATOS PRÆBERE TRIUMPHIS?] In quibusdam libris alia hic incipit Elegia: sed ista melius cohærent superioribus. *Unde mihi?* qui negat se aliquid habere, sic loqui solet. *Unde mihi?* a quonam ego accepi? quis dedit? Plautus Aulul. *Redde aurum. unde mihi?* supple, habeam. *Præbere natos*. quod Catullus in Epithal. Juliæ & Manlii: *Nulla quit sine te domus Liberos dare*. Debemus enim reipublicæ natos. Hinc *parochi* apud Horatium Sat. 5. lib. 1. *præbent salem & ligna*, quia *debent*. Cicero in Pisonem: *Catervam imperatori suo novam præbuerunt*. An est hypallage, pro præbere triumphos natis, & gloriam bello partam liberis relinquere ac tradere? sic Eleg. ult. infra:

Aspice me, cui parva domi fortuna relicta est,
Nullus & antiquo Marte triumphus avi.

PASS.

Unde mihi? Significat, se tenui censu esse, perinde ac si diceret: Unde mihi patrimonium, quo prolem educem honeste? unde prædia, quæ pertica tristis metata est? Vide Eleg. 1. lib. 4. *Patriis gnatos præbere triumphis*. Nullam hic agnosco hypallagen.

Allu-

Quod si Romanæ comitarent castra puellæ,
Non mihi sat magnus Castoris iret equus.
Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,
Gloria ad hibernos lata Borysthenidas.

Tu

Adludit Noster ad milites qui currum imperatoris triumphantis sequebantur. VULP.

v. 14. NULLUS DE NOSTRO SANGUINE MILES ERIT] Ut Eleg. 6. lib. 1.

Non ego sum laudi, non natus idoneus armis.

Sanguine, genere & semine. infra hac Elegia:

Hic erit & patrio sanguine pluris amor.

Virgilius [Ecl. 8.

Nec nostri generis puerum, nec sanguinis edunt.]

& 6. Æneid. *Projice tela manu sanguis meus.* Horatius Ode 2. lib. 4. *Seu deos, regesque canit deorum Sanguinem.* PASS. Militiam se abominari significat, fortasse propter bella civilia, vel quia ex ipsius agris milites lucrum fecerant. Hoc autem legi ab Augusto propositæ omnino adversatur: volebat enim Augustus ordines maritari, ne respublica militibus necessariis careret. VULP.

v. 15. QUOD MEA SI TENERÆ COMITARENT CASTRA PUELLÆ] Corrupta membranarum pæne omnium lectio hæc est, *Quod si vera mea comitarem castra puellæ*, ex qua Jos. Scaliger fecit, *Quod si Romanæ comitarent castra puellæ.* & sane ex *ra meæ* non difficulter fit *Romanæ*: tum & mos ipse favet, notissimus, & nulli non dictus. sed, audebo dicere, unice ad gustum meum est ingeniosa Nic. Heinsii correctio, Not. ad L. 1. Trist. Eleg. 8. v. 31. quam suggerit turbatus ordo literarum:

Quod mea si teneræ comitarent castra puellæ.

teneræ perpetuum puellarum epitheton est apud Nostrum, Nasonem, ac Tibullum. neque attinet exempla coacervare. *mea castra*, *mes campagnes*. sic L. 4. Eleg. 3.

Texitur hæc castris quarta lacerna tuis.

profecto nullus mihi scrupulus restat super germanitate loci admodum feliciter restituti. BROUKH. Probo conjecturam Scaligeri, qui legit: *Quod si Romanæ comitarent castra puellæ.* nam vetus unus liber habet, *comitarent*. sic enim Propertius Eleg. 3. lib. 4.

Romanis utinam patuissent castra puellis.

Comitare castra, in comitatu & impedimentis exercitus esse: vel una militare. Tibullus Eleg. 6. lib. 2.

Castra Mater sequitur. tenero quid fiet Amori?
Sit comes, & collo fortiter arma gerat.

De militia vetita feminis vide Orat. Valerii tribuni plebis apud Livium lib. 34. Festum in verbo *Castra*, & Isidorum. *Comitare*, pro *comitari*. ut Ovidius Epist. 3. lib. 2. Pontic.

Pirithoum Theseus Stygias comitavit ad undas. PASS.

Alexander Magnus militibus suis concessit in castris uxores habere, immo & ducere. Justinus id refert lib. 12. cap. 4. *Sed ne solus*, inquit, *vitiis eorum quos armis subegerat, succubuisse videretur, militibus quoque suis permisit, si quarum captivarum consuetudine tenerentur, ducere uxores: existimans minorem in patriam reditus cupiditatem futurom habentibus in castris imaginem quamdam larium ac domesticæ sedis: simul & laborem militiæ molliorem fore dulcedine uxorum.* V.

v. 16. NON MIHI SAT MAGNUS CASTORIS IRET EQUUS] Tale illud est Ciceronis Philipp. 2. *Ut mihi nulli neque remi, neque venti satisfacerent. Equus magnus*, aut eques ipse, vel potius est hypallage, equus magni Castoris. Horatius Epod. 17. *Fraterque magni Castoris.* Juno autem Xanthum & Cyllarum equos a Neptuno acceptos Polluci & Castori dono dedit, ut scribit Probus in illud 3. Georg. Virgilii:

Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis Cyllarus.

Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut.

Passus Amyclæa pinguescere Cyllaron herba.

Noster Eleg. 22. lib. 3.

Potaque Pollucis lympha salubris equo. P.

Iret equus. ex equestri enim ordine fuit Propertius. VULP.

v. 17. HINC ETENIM] Ex hac Amoris militia. Sic Eleg. 7. lib. 1.

Hinc cupio nomen carminis ire mei. PASS.

ibid. TANTUM MERUIT MEA GLORIA NOMEN] Hypallage, pro, meum nomen meruit

Tu mihi ſola places: placeam tibi, Cynthia, ſolus.
Hic erit & patrio ſanguine pluris amor.

ELE-

ruit tantam gloriam. Sic Eleg. 8. lib. 1.

Iſta meam norit gloria canitiem.

pro, mea canities norit iſtam gloriam. *Meum nomen*, ego. Eleg. 17. lib. 2.

Illa meum extremo clamaſſet pulvere nomen.

id eſt, me. Eleg. 1. ſupra, *Cæſaris nomen*. Eleg. 7. lib. 4.

Per nomen quoniam eſt anſa negare meum.

vel *δὶς τὸ αὐτὸ*, *gloria*, *nomen*. De gloria Propertii vide Eleg. 1. lib. 4. & 7. lib. 1. PASS.

v. 18. GLORIA AD HIBERNOS LATA BORYSTHENIDAS] Vecta Famæ pennis ad Scythas Boryſthenis accolas, qui fluvius ſecundum Hiſtrum omnium maximus & ſuaviſſimus eſt. Herodotus in Melpomene. Eſt & lacus ejuſdem regionis. Plinius lib. 4, H. N. cap. 12. *Hibernos*, gelidos. ut Elegia 3. lib. 4. *Hibernique Getæ*. PASS. Non quod Scythæ Boryſthenis accolæ multum delectarentur carminibus Propertianis: ſed quod tribuni ac centuriones Romani non gravarentur fabulas Mileſias & carmina amatoria inter ſarcinas ſuas circumferre, etiam quum militarent apud longiſſime diſſitas regiones. Narrat Plutarchus in vita Craſſi, occiſo eo duce, & deleto exercitu Romano, in Roſcii impedimentis repertos fuiſſe libros Ariſtidis Mileſiacos; atque eam rem Surenæ argumentum præbuiſſe multis modis ſugillandi & eludendi Romanos, quod nec in bello abſtinerent ſcriptis tam libidinoſis. Erat nimirum ipſe valde frugi, contentus ea ipſa expeditione non niſi ducentas pellicum rhedas ſecum trahere. Pariter Martialis de ſuis luſibus gloriatur L. 11. Epigr. 3.

Non urbana meâ tantum Pimpleïde gaudent
Otia, nec vacuis auribus iſta damus.
Sed meus in Geticis ad Martia ſigna pruinis
A rigido teritur centurione liber.

vides imaginem militiæ hodiernæ, ubi otium caſtrenſe, ſi quando datur, oblectare ſolent amatoriis Gallorum næniis. BROUKH.

v. 19. TU MIHI SOLA PLACES: PLACEAM TIBI, CYNTHIA, SOLUS] *Places*, videris formoſa, & grata es. Sumſit hoc hemiſtichium Ovidius, tamquam frequente uſu notiſſimum, & quod in proverbium abierit, lib. 1. A. A.

Dum licet, & loris paſſim potes ire ſolutis,
Elige cui dicas, Tu mihi ſola places.

Noſter id fortaſſe a Tibullo mutuatus eſt, qui lib. 4. Carm. 13.

Tu mihi ſola places: nec jam te præter in urbe
Formoſa eſt oculis ulla puella meis.

PASS. & BROUKH. Huc exiſtimo animum adhibuiſſe Joannem Boccatium ἐν δεκαημέρῳ in fine Diei ſecundæ:

E quel che 'n queſte m' è ſommo piacere,
E', ch' io gli piaccio, quant' egli a me piace,
Amor, la tua mercede.

Placere, culpâ ſæpius vacat. nihilominus Arethuſa, rigidæ caſtitatis puella, apud Naſonem lib. 4. Metam. ita ipſa de ſe:

Quaque aliæ gaudere ſolent, ego ruſtica dote
Corporis erubui, crimenque placere putavi. V.

v. 20. HIC ERIT ET PATRIO SANGUINE PLURIS AMOR] Mihi ſic eris carior, quam parentes, liberi & propinqui omnes. Elegia 11. lib. 1.

An mihi ſit major caræ cuſtodia matris?
Aut ſine te vitæ cura ſit ulla meæ?
Tu mihi ſola domus, tu, Cynthia, ſola parentes.

Patrius ſanguis. ut Cicero pro Sex. Roſcio: *Magnam vim poſſidet paternus maternuſque ſanguis*. ſic & Eleg. 15. lib. 1.

Sanguinis & cari vincula rupit amor. PASS.



AR-

ELEGIA VIII.

Eripitur nobis jam pridem cara puella:
Et tu me lacrimas fundere, amice, vetas?
Nullæ ſunt inimicitiæ, niſi amoris, acerbæ:
Ipſum me jugula, lenior hoſtis ero.

Poſſum

ARGUMENTUM ELEGIÆ VIII. LIBRI II.] Dolet graviſſime, amicam ereptam ſibi a rivali, ſeque omnia digna indigna libenter paſſurum profitetur, dummodo ſuas injurias ulciſcatur; propoſito irati Achillis exemplo. Mirifice autem æſtuantis animi ac perturbati agitationem ob oculos ponit. VULP.

v. 1. ERIPITUR] Per vim abducitur. a potentiore opinor. Tibullus Eleg. 2. lib. 3.

Qui primus caram juveni, carumque puellæ
Eripuit juvenem, ferreus ille fuit.
Durus & ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
Vivere & erepta conjuge qui potuit.

Noſter Eleg. 13. lib. 1. *Quod abrepto ſolus amore vacem.* PASS.

ibid. NOBIS] διλογία. *Eripitur nobis, nobis cara.* PASS.

ibid. JAMPRIDEM CARA PUELLA] Quam dudum plus oculis meis amavi. *Amata diu* Eleg. 5. ſupra. & inveteratus amor major eſt. PASS.

v. 2. ET TU ME LACRIMAS FUNDERE, AMICE, VETAS?] Intempeſtivum officium. Sic Albinovanus ad Liviam:

Et quiſquam leges audet tibi dicere flendi?
Et quiſquam lacrimas temperat ore tuas?

Martialis quoque Epigr. 37. lib. 5.

Adhuc recenti tepet Erotion buſto,
Quam peſſimorum lex avara fatorum
Sexta peregit hieme, nec tamen tota,
Noſtros amores, gaudiumque, luſuſque:
Et eſſe triſtem me meus vetat Pætus?

Ovidius pariter lib. 5. Triſt Eleg. 1.

Acceptaque gravi vulnere flere vetas?

& in Remed. Amor.

Quis matrem, niſi mentis inops, in funere nati
Flere vetet? non hoc illa monenda loco eſt. PASS.

v. 3. NULLÆ SUNT INIMICITIÆ, NISI AMORIS, ACERBÆ] Atroces adeo ſunt quæ ex amore naſcuntur inimicitiæ, ut aliæ ex aliis cauſſis profectæ, ſi cum illis comparentur, non ſolum leves, ſed prorſus nullæ videri poſſint. VULP.

ibid. ACERBÆ] Graves. tranſlatum a frugibus & ſapore. PASS.

v. 4. IPSUM ME JUGULA, LENIOR HOSTIS ERO] Appete meum ipſius jugulum, minus te perſequar. *Ipſum me.* ἀναστροφή, ut apud Horatium Ode 23. lib. 1. *Ipſum me melior quum peteret Venus.* *Jugula.* Cicero Philipp. 13. exagitat illa verba Antonii: *Ut reſurgat Pompejanorum cauſſa toties jugulata.* *Si jugulata eſſet*, inquit, *numquam reſurgeret; quod tibi tuiſque contingat.* Simillima Tibulli conceſſio Eleg. 9. lib. 1.

Ure meum potius flammâ caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga ſeca. P.

Lenior hoſtis ero. Nam & umbræ mortuorum credebantur eos inſectari a quibus occiſi, & quocumque modo male habiti fuerant. Dido apud Virgilium 4. Æneid.

Et quum frigida mors animâ ſeduxerit artus,
Omnibus umbra locis adero. dabis, improbe, pœnas.

Quam veterum perſuaſionem eleganter expreſſit DOMINICUS LAZARINUS DE MURRO Maceratenſis, ante me Philologus & Rhetor in Gymnaſio Patavino, poſteritatis memoria dignus, in Uliae Juniori, eximia Tragœdia: *Vivono i morti, Vivon ſotterra, Sempre chiedendo Di ber il ſangue De' lor nemici.* Hanc vero Propertianam ſententiam videtur æmulari Franciſcus Petrarcha (*nella Canzone* 8.)

Le trecce d' or', e 'l bel guardo ſereno,
E l' accorte parole,

Rade

Possum ego in alterius positam spectare lacerto?
  Nec mea dicetur, quæ modo dicta mea est?
Omnia vertuntur. certe vertuntur amores.
  Vinceris, aut vincis: hæc in amore rota est.
Magni sæpe duces, magni cecidere tyranni.
  Et Thebæ steterunt, altaque Troja fuit.

Rode nel mondo, o sole,
Che mi fer già di el cortese dono,
Mi son toltevi e perdono
Più lieve ogni altra offesa. VULP.

v. 5. POSSUM EGO IN ALTERIUS POSITAM SPECTARE LACERTO?] Simne tam ferreus, ut id patiar? Sic Eleg. 20. infra:

Possum ego naturæ non meminisse tuæ?

Alterius. dictum Eleg. 3. lib. 1. v. 36. *Positam.* jacentem, reclinatam. explicavi Eleg. 3. lib. 1.

Subjecto leviter positam tentare lacerto.

Spectare, κατὰ πάθος. nam, ut ait Cicero Epist. 1. lib. 6. ad Famil. *Oculi augent dolorem, quum ea quæ ceteri audiunt, intueri coguntur.* Quare Terentius Phorm. 5, 8. *Ut suo viro oculi doleant.* PASS.

v. 6. NEC MEA DICETUR, QUÆ MODO DICTA MEA EST?] Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 11. effinxit hunc locum:

Quæ modo dicta mea est; quam cupi solus amare.

Mea, ut Eleg. 8. lib. 1.

Sive dies, seu nox venerit, illa mea est.

Modo dicta, ut Albinovanus ad Liviam initio: *Mater modo dicta Neronum.* PASS.

v. 7. OMNIA VERTUNTUR] Seneca Consolat. ad Helviam cap. 6. *Omnia volvuntur.* vide Proverbium: *Omnium rerum vicissitudo est.* Euripides in Ione: Τὰ θνητὰ τοιαῦτα, οὐδὲν ἐν ταὐτῷ μένει. *Ita res sunt mortalium, ut in eodem nihil statu perduret.* & Paræmia Græcanica:

Τὰ θνητὰ πάντα μεταβολὰς πολλὰς ἔχει.

Vide Horatium Ode 34. lib. 1. in fine. Alio modo & sensa dixit Ovidius lib. 15. Metam. *Omnia mutantur, nihil interit.* P. Questus est poeta infortunium suum gravissime: nunc solari se videtur consideranda rerum humanarum inconstantia, & præcipue amorum vicissitudine. Pars enim animi sobria & imperio nata identidem in amatore nostro erigitur, & obsistit cupiditati malæ: sæpius tamen infirmatur & de statu dejicitur. Quam sententiarum & affectionum varietatem si melius percepissent Scaliger & Broukhusius, non sibi omnia licere voluissent in hac Elegia & sequenti, miscentes, turbantes, transponentes ea quæ minus intelligebant. sit suus veritati honor. *Omnia vertuntur.* Terentius Eunucho 2, 2, 44. PAR. *Hoc nunc dicis Ejectos hinc nos: omnium rerum heus vicissitudo est.* Inferius autem v. 52. *Sine biduum hoc prætereat, Qui mihi nunc uno digitulo fores aperie fortunatus, Ne tu istas faxo calcibus sæpe insultabis frustra.* VULP.

ibid. CERTE VERTUNTUR AMORES] Noster Eleg. 9. lib. 1.

Nullus amor cuiquam faciles ita præbuit alas,
Ut non alterna presserit ille manu.

Certe. hoc est: Nisi omnia vertuntur, saltem id verum est, amores mutari. *Certe*, pro saltem sæpe Ciceroni. Ovidius lib. 3. Fast.

Mille dea est operum: certe dea carminis illa est.

Vertuntur amores. ut Eleg. 24. infra:

Ille suas pennas tam cito vertet amor? PASS.

v. 8. VINCERIS, AUT VINCIS] Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 9.

Mars dubius, nec certa Venus: victique resurgunt,
Quosque neges unquam posse jacere, cadunt.

Ideo sæpe Homerus vocat ἑτεραλκέα νίκην, alternis modo his, modo illis faventem victoriam. & νίκη δ' ἐπαμείβεται ἄνδρας. Alterna revisit victoria viros. Vide Ciceronem pro Milone, & Proverbium, *Mars communis.* PASS.

ibid. HÆC IN AMORE ROTA EST] Hic orbis fortunæ. Proverbium Græcorum: κύκλος τὰ ἀνθρώπεια. Cicero in Pisonem: *Orbem fortunæ pertimescere.* Tibullus Eleg. 5. lib. 1.

At tu qui potior nunc es, mea furta caveto.
Versatur celeri Fors levis orbe rota. PASS.

v. 9. MAGNI SÆPE DUCES, MAGNI CECIDERE

Munera quanta dedi, vel qualia carmina feci!
Illa tamen numquam ferrea dixit, Amo.

Ergo

CIDERE TYRANNI] Periere in acie, [vel ex insidiis, ut Alexander Pheræus.] *Tyranni*, vel reges, vel prædones regnorum. Servius: *Tyrannus olim rex: nunc incubator imperii*. dicti Tyranni a Tyrrhenorum præcipua crudelitate. Festus in *Tyrrhenos*, & Stephanus περὶ πόλεων, in verbo Τυῤῥηνία. P. Pergit poeta se solari, & rivali suo minitari adhibitis claris exemplis. tamquam si diceret: Tu hodie regnas in amore: cras tamen rejicieris, & amisso regno exsulabis. quod plurimis contigit. Noster Elegia 34. infra:

Ut regnem mixtas inter convivа puellas. V.

v. 10. ET THEBÆ STETERUNT] Si de Bœotiis Thebis loquitur, deletas fuisse dixit Eleg. 6. supra: si de Ægyptiis, & hæ quoque eversæ. unde illud Ovidii lib. 15. Metam.

Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.

Pausanias in Arcadicis. *Steterunt*, floruerunt; nec florent, & stant amplius. Noster Eleg. 1. lib. 4. *Et stetit Alba potens*. Virgilius 2. Æneid. *Trojaque nunc stares*. *Steterunt*, legendum altera syllaba brevi, ut systole sit, de qua dictum Elegia 3. supra: *Hæc tibi contulerunt*. quia sequitur *fuit*. PASS.

ibid. ALTAQUE TROJA FUIT] διλογία, & *Troja fuit alta*, & *alta Troja fuit*. *Alta*, vel superba, ut Eleg. 1. supra: *Aut animos Carthaginis alta*. vel magna; ut Servius in 1. Georg.

--- *& alta*

Per noctem resonare lupis ululantibus urbes.

Altæ, inquit, *magnæ*. ut, *Atque altæ mœnia Romæ*. Sic Homerus Iliad. ο. Ἴλιον αἰπύ. ibid. αἰπεινὸν πτολίεθρον, & Ἴλιον αἰπεινὴν, unde Pergama. *Fuit*; ut vixit. nam, ut Plautus ait Pseudolo 1, 3, 18. *Mortuus est, qui fuit: qui est, vivus est*. Albinovanus ad Liviam:

Jamne fui Drusi mater, & ipse fuit?

Tibullus Eleg. 5. lib. 3.

Sive erimus, seu nos fata fuisse volent.

Euripides in Troadib. Πεὶν ποτ' ἦμεν· βέβηκεν ὄλβος, βέβηκε Τροία. Idem in Alcestide: Οὐκ ἔτ' ἐστὶν Ἀδμήτου γυνή. & in Hippolyto: Ἱππόλυτος οὐκ ἔτ' ἐστίν. PASS. Vulgatissimum & celebratissimum est illud Virgilii 2. Æneid. *Fuimus Troës, fuit Ilium, & ingens Gloria Teucrorum*. Sic Acta SS. Martyrum Fructuosi Episcopi, Augurii & Eulogii Diaconorum: *Æmilianus præses Fructuoso Episcopo dixit: Episcopus es? Fructuosus Episcopus dixit: Sum. Æmilianus dixit: Fuisti. Et jussit eos sua sententia vivos ardere*. Concinit Prudentius Hymno 6. περὶ στεφάνων, qui scriptus est in eosdem sanctos Martyres, v. 48.

Subridens ait ille: Jam fuisti.

Contra, *esse* dicuntur quæ permanent ac florent. Appianus Alexandrinus lib. de Bellis Punicis: Κάτωνα δ' ἐξ ἐκείνου φασὶν ἐν τῇ βουλῇ συνεχῆ γνώμην λέγειν Καρχηδόνα μὴ εἶναι. *Ferunt, Catonem ex eo tempore sententiam numquam non protulisse, delendam Carthaginem*. scilicet, expediens Romanis futurum, non esse Carthaginem. *Terre via Fiorenza*, dixit Dantes Aligherius Inf. Cantu 10. Huc pertinet illud Ciceronis lib. 1. Officiorum: *Cum Celtiberis, cum Cimbris bellum ut cum inimicis gerebatur, uter esset, non uter imperaret*. VULP.

v. 11. MUNERA QUANTA DEDI, VEL QUALIA CARMINA FECI!] An *quanta*, pro quot? ut Eleg. 5. lib. 1.

At tibi curarum millia quanta dabit!

Contra Eleg. 20. infra:

Nec mihi muneribus nox ulla est emta beatis.

Munera & carmina conjungit. Tibullus pariter Eleg. 1. lib. 3.

Carmine formosæ, pretio capiuntur avaræ.

Virgilius item Ecloga 2.

Rusticus es, Corydon, nec munera curat Alexis.

Ibidem:

O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas.

Noster Eleg. 8. lib. 1.

Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
Sed potui blandi carminis obsequio.

Vel, pro *&*, soluta pro conjunctis. *Qualia*, quam elaborata. *Feci carmina*, unde poetarum nomen. Sic Eleg. ult. infra: *Tale facis carmen*. Virgilius Ecl. 3. *Pollio & ipse facit nova carmina*. Horatius Sat. 7. lib. 2. *Aut insanit homo, aut versus facit*. P. *Munera quanta dedi*. Redit ad querelas, nugas, & insaniam. VULP.

Ergo tam multos nimium temerarius annos,
 Improba, qui tulerim teque tuamque domum.
Ecquandone tibi liber sum visus? an usque
 In nostrum jacies verba superba caput?

Sic

v. 12. ILLA TAMEN NUMQUAM FERREA DIXIT, AMO] *Ferrea*, durissima, sævissima. Tibullus Eleg. 3. lib. 2.

Ferreus est eheu quisquis in urbe manet.

Cicero Verrina 7. *Quis tam durus, tam ferreus, tam inhumanus?* unde Homero σιδήρεον ἦτορ. *Dixit, Amo.* Ovidius Epist. Helenæ:

Orbe quoque in mensæ legi sub nomine nostro,
 Quod deducta mero littera fecit, Amo.

Jucundissimum auditu responsum *Amo*, quærenti, Ecquid nos amas? Appulejus lib. 10. A. A. vocat blandissimos affatus: *Amo*, &, *Cupio*, &, *Te solum diligo*, &, *Sine te jam vivere nequeo.* Plautus Mercat. 2, 2.

DE. *Hodie ire in ludum occœpi litterarium, Lysimache, ternas scio jam.* L. *quid ternas?* DE. AMO. PASS. Idem Plautus Sticho 1, 3, 104. eadem elegantia: CROC. *Heu, nulla tibi lingua est qua quidem dicat, Dabo?* GEL. *Veterem reliqui: eccam illam qua dicat, Cedo.* VULP.

v. 13. ERGO] Indignantis & stomachantis, ut Eleg. 5. lib. 3.

Ergo sollicitæ tu caussa, pecunia, vitæ es?

& Eleg. 19.

Ergo ego nunc rudis Hadriaci vehar æquoris hospes?

& Eleg. 22.

Ergo tam doctæ nobis periere tabellæ? PASS.

ibid. TAM MULTOS ANNOS] Per hyperbolen. Vide dicta ad Eleg. 1. lib. 1.

Et mihi jam toto furor hic non deficit anno. P. In fine lib. 3.

Quinque tibi potui servire fideliter annos.
BROUKH.

ibid. NIMIUM TEMERARIUS] Temeritas omnis est inimica prudentiæ. unde temerarius, pro stulto, inconsiderato, præcipiti. Ovidius 1. Metam. *Nescis, temeraria, nescis, Quem fugias, ideoque fugis.* Tibullus Eleg. 6. lib. 3.

Quid precor ah demens? venti temeraria vota Aëria & nubes diripienda ferant. PASS.

v. 14. IMPROBA] Vel sæva, vel scelesta, vel impudica. vide adnotata ad Elegiam 1. lib. 1. v. 6. *Improbus Amor.* P.

ibid. QUI TULERIM TEQUE TUAMQUE DOMUM] Hoc est quod ait Terentius: *Perpeti meretricum contumelias. ferre aliquem: endurer de luy.* Idem Terentius Heautont. *Nam quem ferret, si patrem non ferret suum?* Virgilius 3. Æneid. *Servitio enixæ tulimus. Te tuamque domum.* idest, te ac tuos. Sic Eleg. 10. lib. 3.

Juppiter infamat seque suamque domum.

Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Devoveat pro quo remque domumque tuam.

Ovidius in Ibin:

Hoc ego devoveo teque tuosque modo. PASS.

Tuam domum, fortasse nobilitatem. Cynthia enim, quamvis meretricio ingenio mulier, superciliosa fuit, eoque fastu qui optimatem feminam deceret. VULP.

v. 15. ECQUANDONE TIBI LIBER SUM VISUS?] Scaligerani libri scripturam habet & Borrichianus. in nostris duobus erat *Et quando ne.* Appulejus Apologia: *Ecquandone vidisti, Maxime, flammam stipula exortam, claro crepitu, largo fulgore, cito incremento?* BROUKH. *Et quando ire tibi liber sum visus?* τὸ & vim habet utque acrimoniam increpando, ut supra v. 5. hujus Elegiæ:

Et tu me lacrimas fundere, amice, vetas?

Sed melius alii libri: *Ecquando.* Ecquando non me servum putasti, & servorum more tractasti? Cicero 4. in Verrem: *Ecquando te factorum tuorum rationem redditurum putasti?* Cælius Ciceroni Epist. 15. lib. 8. ad Famil. initio: *Ecquando tu hominem ineptiorem (Pompejo) vidisti?* Quidam libri habent, *Ecquandone. Ire liber* dicitur, ut Eleg. 23. infra:

Contra rejecto quæ libera vadit amictu.

Seneca in Ludo de morte Claudii: *Populus Romanus ambulabat tanquam liber.* Ita dicitur: *Ire liberos jussit.* Genus vero proverbii: *Liberum non putare*, de summo contemtu. Cicero Epist. 1. lib. ad Attic. *Quamquam ille pastor Idæus Menelaum solum contemserit: hic noster Paris tam Agamemnonem quam Menelaum liberum non putavit.* Idem

Epist.

Sic igitur prima moriere ætate, Properti?
Sed morere. interitu gaudeat illa tuo.
Exagitet nostros manes, sectetur & umbras,
Insultetque rogis, calcet & ossa mea.

Epist. 28. lib. 7. ad Famil. *Me tibi liberum non visum demiror*. quia eum litteris pupugerat. Idem Bruto in Epist. 2. sex posteriorum: *Cœperat esse tanta insolentia, ut neminem liberum duceret*. PASS.

ibid. AN USQUE IN NOSTRUM JACIES VERBA SUPERBA CAPUT?] Semperne nobis illudes, ut servis, quum simus liberi? *Jacies verba*, ut Eleg. 1. supra: *Muta jace verba favillæ*. *Verba superba*, ut Eleg. 5. lib. 1. *Fortia verba*. & Eleg. 10. *superba loqui*. *In nostrum caput*, in nos liberos. Servi enim in jure caput non habent: ideo nec capite minui possunt. L. *Liberos* D. *de capitis deminutione*. unde Planto: *Pro capite argentum dare*. &, *capitulum*, de semilibero. PASS. Fortasse huc respexit etiam Catullus Carm. 15. *Ut nostrum insidiis caput lacessas*. ut in me struas fallaciam, quasi me non putes liberum, qui tamen liber sum, & caput habeo. VULP.

v. 17. SIC IGITUR] Adeo misere. vide Eleg. 6. supra v. 37. PASS.

ibid. PRIMA MORIERE ÆTATE, PROPERTI? SED MORERE.] Seipsum alloquitur nominatim, ut Catullus Carm. 52. *Quid est, Catulle, quod moraris emori?* Servius quoque Sulpicius Ciceroni Epist. 5. lib. 6. ad Famil. *Visne tu te, Servi, cohibere, & meminisse te hominem esse natum?* Ita Virgilius 4. Æneid. *Moriemur inultæ? Sed moriamur, ait*. *Prima ætate*, de juventa, ut Eleg. 10. infra:

Ætas prima canat Veneres, extrema tumultus.

& Eleg. 28. *Primos mugiverat annos*. & juvenem fuisse Propertium tunc, docuimus ad Eleg. 1. hujus libri:

Mæcenas nostræ spes invidiosa juventæ. PASS.

v. 18. INTERITU GAUDEAT ILLA TUO] Ita C. Marius Ciceroni Epist. 28. lib. 11. ad Famil. *Qui Cæsaris morte lætantur*. Noster Eleg. 12. lib. 3.

Neve tua Medæ lætentur cæde sagittæ. P.

Theocritus Idyllio 3.

Κεισεῦμαι δὲ πεσών, ἢ τοὶ λύκοι ὧδέ μ' ἔδοντι.
Ὡς μέλι τοι γλυκὺ τοῦτο κατὰ βρόχθοιο γένοιτο.

Hic nunc exanimis collabor, & esca luporum ε
Dulcius hoc omni crede tibi melle futurum.

Attuli μετάφρασιν Hugonis Grotii, qui sententiam servavit, non verba. VULP.

v. 19. EXAGITET NOSTROS MANES, SECTETUR ET UMBRAS] Me vexet mortuum. *Manes*, pro cinere & ossibus, ut 4. Æneid.

Id cinerem aut manes credis curare sepultos?

& manes, cadavera Statio 9. Thebaid. *Sectetur*, insectetur, infesto animo persequatur. Eleg. 7. lib. 4.

Non tamen insector, quamvis mereare, Properti.

Umbras, enallage numerorum, pro umbram. ut Eleg. ult. infra:

Ipse meæ solus, quod nil est, æmulor umbræ. PASS.

Umbras. Ita Livius lib. 40. ab U. C. *Sed animo tamen ægrum magis fuisse quam corpore, constat: curisque & vigiliis (quum identidem species & umbra insontis interempti filii eum diris agitarent) interemtum*. VULP.

v. 20. INSULTETQUE ROGIS, CALCET ET OSSA MEA] *Insultet*. De hoc verbo dictum ad Eleg. 5. supra v. 7. *Rogis*, ipsis manibus & reliquiis. Eleg. 7. lib. 3.

Nec pote cognatos inter humare rogos.

item Eleg. ult. lib. 4.

Obserat umbrosos lurida porta rogos.

Calcet & ossa mea. Proverbium sapit, νεκρὸν μαστίζεις. & θανόντ' ἐπισκώπτειν. Sic Petronius, *Ne morientem velles occidere*. Junius Proverb. 18. centur. 9. Statius 3. Silv. in Hercule Surrentino: *Et mersum tumulis Eurysthea calcas*. Ovidius denique lib. 3. Trist. Eleg. 11.

Non sum qui fueram: quid inanem proteris umbram? PASS.

Insultetque rogis. Illud Horatii simile Ode 3. lib. 3. *Dum Priami Paridisque busto Insultet armentum*. Sed Homerus longe ante, 4. Iliad. 177.

Τύμβῳ ἐπιθρώσκων Μενελάου κυδαλίμοιο. VULP.

Quid? non Antigonæ tumulo Bœotius Hæmon
Corruit ipſe ſuo ſaucius enſe latus?
Et ſua cum miſeræ commiſcuit oſſa puellæ,
Qua ſine Thebanam noluit ire domum?

Sed

v. 21. QUID?] Donatus in Phormionem 1, 2. *Quid? ſenem quoad exſpectatis veſtrum? Quid*, inquit, *notat tranſitum ad mentionem alterius rei*. Cicero pro Archia: *Quid? noſter hic Magnus nonne Theophanem civitate donavit?* & ſæpe alibi. PASS.

ibid. ANTIGONÆ TUMULO] Sic habent ſex libri, Latina flexione, pro *Antigones*. & ita fere ſolent poetæ in nominibus Græcis. Horatius Epodo 17.

Setoſa duris exuêre pellibus
Laborioſi remiges Ulixei,
Volente Circa membra.

ita ibi optimus ille codex, quem ſæpe laudavi, Grævianus: & ita jam olim M. Valerius Probus in Càtholicis. hodie inepte legitur *Circe*. Plautus Epid. 4, 2.

Abi modo intro; atque hanc aſſerva Circam, Solis filiam.

Sic Pſeudolo 1, 2. *Dircam* dixit, pro *Dircen*. & Sticho 1, 1. *Penelopam*, pro *Penelopen*. Porro in hiſtoria Hæmonis & Antigonæ non bene inter ſe convenit ſcriptoribus antiquis. tu Barthium vide Animadverſ. ad L. 4. Thebaid. Statii v. 88. BROUKH. *Non Antigones tumulo Bœotius Hæmon Corruit ipſe ſuo ſaucius enſe latus?* Hæmon Creontis Thebarum tyranni filius, quum juſſu patris interfectam Antigonam audiiſſet, quod ea fratrem Polynicem ſepeliiſſet, eodem in loco ſibi manus attulit; cujus intellecta morte ipſius mater, uxor Creontis, ſe ipſam interfecit; ut ſcribit in Antigona Sophocles. Apollodorus lib. 3. vivam ſepultam ait. Hyginus Fab. 72. ſcribit, Hæmonem & ſe & Antigonen occidiſſe, quum exorare patrem pro Antigonæ ſalute non potuiſſet. Idem Fab. 243. Antigonen ipſam ſibi manus ait attuliſſe. Vide Statium in Thebaide lib. 12. Tangit fabulam Ovidius in Ibin:

Nec tibi, ſi quid amas, felicius Hæmone cedat.

& lib. 2. Triſt. v. 401. ubi enumerat vulgatas Tragicorum fabulas:

Quid Danaën, Danaëſque nurum, matremque Lyæi?
Hæmonaque, & noctes quæ coïere duas? P.

v. 22. CORRUIT, IPSE SUO SAUCIUS ENSE LATUS] *Corruit tumulo*. In tumulum ſimul cum ipſa ruit. *Corruere* dicitur cæſa victima. Eleg. 19. infra:

Hœdus ubi agreſtes corruet ante focos.

Eleg. 11. lib. 4. *Tibi victima corruet Acron*. Ibidem:

Dixerat, & ſpolium corruit ille Jovi.

ſic *cadere* & *concidere* & *procumbere hoſtia* dicitur. *Ipſe ſuo ſaucius enſe latus*. Sic Tibullus Eleg. 6. lib. 1.

Statque latus præfixa veru, ſtat ſaucia pectus.

Latus autem petere ſolent gladiatores & milites. Plautus Ciſtell. 3, 1. *Utrum hac me feriam, an ab læva latus? Suo enſe*, dixit ad commiſerationem, quia:

Bis interimitur qui ſuis armis perit.

Vide Proverbium: *Suo gladio & ſuo telo jugulari*. PASS.

v. 23. ET SUA CUM MISERÆ COMMISCUIT OSSA PUELLÆ] Ita legitur in uno Colbertino. quæ ſane adliteratio minime inſuavis eſt apud aures purgatas: quamquam & vulgata ferri poteſt. ſed ſive *commiſcuit*, ſive *permiſcuit* leges, magni amoris indicium eſt iſta oſſium mixtura. ſic infelix pater, qui filiæ deſiderio contabuerat, in marmore antiquo apud Boiſſardum:

OSSA. MEA. IN. ARAM. MIXTA. CVM. FILIAE.
VNA. REQVIESCVNT
HOC. SOLATIVM. MECVM. ERIT

Pedo Albinovanus ad Liviam:

Miſcebor cinerique cinis, atque oſſibus oſſa.

Suetonius Domit. cap. 17. *Phyllis nutrix in ſuburbano ſuo Latina via funeravit, ſed reliquias templo Flaviæ gentis clam intulit, cineribuſque Juliæ, Titi filiæ, quam & ipſa educaverat, commiſcuit*. qui locus commode firmat ſcripturam libri Colbertini. BROUKH. *Et ſua cum miſeræ permiſcuit oſſa puellæ*. ſubintelligendum, *oſſibus*. ut Elegia 3. ſupra:

Et ſua cum antiquæ committit ſcripta Corinnæ.

Permiſcuit oſſa. ut Eleg. 7. lib. 4.

Mecum eris: & mixtis oſſibus oſſa teram.

Ovidius lib. 3. A. A.

Ac-

Sed non effugies. mecum moriaris oportet.
Hoc eodem ferro ſtillet uterque cruor.
Quamvis iſta mihi mors eſt inhoneſta futura;
Mors inhoneſta quidem; tu moriere tamen.

Ille

Accipe me, Capaneu; cineres miſcebimus, inquit
Iphias, in medios desiluitque rogos.

Idem Epiſt. Medeæ:

Noſtraque adhærerent oſſibus oſſa tuis.

In veteri Inſcriptione apud Cyprianum a Popma, interpretem Salluſtii: *Have, mea Adriana. Ubi oſſa mea tuis miſcuero, uterque ſimul bene valebimus.* Vide Briſſonium in Formulis. Vetus Gloſſarium: *Permiſcuit*, συνέμιξεν, συνέχεε. PASS. Adde Lucianum, ſeu quiſquis eſt Auctor, in Amoribus: Ὀςέοις δὲ ἀναμίξαντες ὀςέα, μηδὲ τὴν κωφὴν κόνιν ἀπ' ἀλλήλων διακρῖναι. VULP.

v. 24. QUA SINE THEBANAM NOLUIT IRE DOMUM] Sine qua noluit Thebas in Creontis patris regiam redire. An noluit genus regum Thebanorum ultra procedere: quia ipſius interitu gens tota exſtincta eſt? PASS. Altera hæc interpretatio, pace tanti viri, non ſolum falſa, ſed etiam abſurda mihi videtur. VULP.

25. SED NON EFFUGIES] Vulgati, *non efficies*; non impetrabis ut tibi parcam. negantis eſt, & præciſe repudiantis preces. Sed melius: *non effugies*. Virgilius Ecl. 3.

Numquam hodie effugies, veniam quocumque vocabis.

Noſter Eleg. pænult. lib. 1.

Effugere ignotas non potuiſſe manus.

ibid. MECUM MORIARIS OPORTET] Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 13.

Tunc ego, ſed tecum, mortuus eſſe velim.

Plautus Ciſtell. 2, 1. *Dii me, niſi ego te, tuamque filiam, meque hodie obtruncavero.* Amans loquitur. Virgilius 4. Æneid.

Impleſſemque foros flammis, natumque patremque
Cum genere exſtinxem, memet ſuper ipſa dediſſem.

Imitatus eſt autem Apollonium Rhodium l. 4. Argonaut. *Oportet*, hic neceſſitatis eſt, non officii. ut Eleg. 7. lib. 3.

Ante fores dominæ condar oportet iners. P.

v. 26. HOC EODEM FERRO STILLET UTERQUE CRUOR] Vulgati, *telo*: membranæ tamen omnes, *ferro*. quod quamvis idem dicat, fuit tamen indicandum. Tacitus L. 15. Annal. C. 31. *Ne quam imaginem ſervitii Tiridates perferret, neu ferrum traderet.* Suetonius Domit. C. 17. *Modo ferrum extorquere, modo quamquam laniatis digitis oculos effodere conatum.* Statius lib. 11. Thebaid.

Non improba poſco
Vota: piabo manus, & eodem pectora ferro
Reſcindam.

verba ſunt Eteoclis, expiaturi, ſi detur, necem fratris Polynicis ſua ipſius morte. *ferro* quoque exhibent primitus cuſi. quocirca *telo* pro gloſſa videri poteſt ex margine irrepſiſſe. BROUKH. Manet cruor utriuſque noſtrum eodem ex gladio. Dicitur utroque modo, & *ſtillat cruor*, & *ſtillat gladius*. Cicero Philipp. 2. *Qui ſtillantem præ ſe pugionem tollens*. Quare hic eſſe poteſt hypallage, pro, hoc idem ferrum ſtillet utriuſque cruore. *Stiria*, inquit Servius in 3. Georg. *gutta, unde ſtilla & ſtillare, guttatim cadere. uterque*, pro utriuſque, ut Eleg. 20. infra:

Si fallo, cinis heu ſit mihi uterque gravis. P.

Hunc locum Propertii expreſſit Ludovicus Areoſtus Cantu 43. Rolandi Furentis in Fabula Doctoris:

E ſi diſpoſe al fin dall' ira vinto
Morir, ma prima uccider la ſua moglie,
E che d' ambedue i ſangui un ferro tinto
Levaſſe lei di biaſmo, e sè di doglie.

eodem, diſſyllabum per ſynæreſin, ut Elegia 7. lib. 4.

Eoſdem habuit ſecum, quibus eſt elata, capillos,
Eoſdem oculos. VULP.

v. 27. QUAMVIS ISTA MIHI MORS EST INHONESTA FUTURA] Duplex in hoc facinore turpitudo: una, ſeipſum occidere. Feſtus: *Carnificis loco habebatur qui ſe vulneraſſet ut moreretur.* altera, quod fœdum eſt mulieri manus adferre. Euripides in Hecuba: ἀποκτείνειν φθόνος γυναῖκας. Virgilius 2. Æneid.

Etſi nullum memorabile nomen
Feminea in pœna eſt; nec habet victoria laudem:

Ex-

Ille etiam abrepta desertus conjuge Achilles
Cessare in tectis pertulit arma sua.

Vide-

Exstinxisse nefas tamen, & sumsisse merentis
Laudabor pœnas.

ad quem locum Pimpontius ex Aristotelis Problematis ejus rei caussam adfert, quod iniquum sit & stolidum, eniti adversus imbecilla, & turpe validiorem vires suas experiri adversus ea quæ facere injuriam non possunt. quare & Noster Eleg. 5. supra:

Rusticus hæc aliquis tam turpia prœlia quærat. PASS.

v. 28. MORS INHONESTA QUIDEM; TU MORIERE TAMEN] Minæ certissimi exitii. Virgilius 9. Æneid.

Tu tamen interea calido mihi sanguine pœnas
Persolves.

Persimilia sunt hæc Ovidii, in Epistola Acontii:

Sit dubium possisne capi: captabere certe.
Exitus in diis est: tu capiere tamen.

Et lib. 1. A. A.

Capta vides sero Pergama, capta tamen. P.

Virgilium ut admirabatur Propertius noster (quod manifestum ex Elegia ultima libri hujus) ita non semel est imitatus. Hoc profecto distichon ad formam loci Virgiliani ex Æneid. 2. quem attulit Passeratius, fictum & elaboratum videtur. VULP.

v. 29. ILLE ETIAM ACHILLES] Servius ad L. 10. Æneid. v. 677. *Antiqui* ILLE *vel magnitudini vel nobilitati adsignabant. ut, Multum ille & terris. &, Pænorum qualis in arvis Saucius ille gravi &c.* BROUKH.

ibid. ABREPTA DESERTUS CONJUGE ACHILLES] Per vim abductâ amicâ. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 9.

Ardet in abducta Briseide mœstus Achilles.

Homerus 1. Iliad. hac de re: Ε'λὼν γὰρ ἔχει γέρας αὐτὸς ἀπούρας. *Abrepta conjuge.* ut Eleg. 13. lib. 1. v. 2. *Abrepto amore vacem.* *Conjux*, pro amica. Ovidius Epist. Hermionæ:

Nec quondam placuit, nec nunc placuisset Achilli
Abducta viduum conjuge flere virum.

Sic *mariti* 4. Æneid. & *sponsi* Horatio, pro procis. *Desertus*, ut Eleg. 3. lib. 1.

--- *Deserta querebar*
Externa longas sæpe in amore moras. PASS.

Umber noster, ut extenuet turpitudinem quæ ipsum erat secutura si mulierem occidisset, culpamque omnem conferat in vim amoris ineluctabilem, utitur exemplis clarorum virorum qui & ipsi paria patraverint ob similem caussam, contemto quid de se homines dicturi essent: Hæmonis primum, qui & seipsum & dilectam Antigonen suo gladio interfecerit, deinde Achillis, qui, ob ereptam sibi ab Agamemnone Briseidem, a pugnando destiterit, & Græcos suos a Trojanis profligari diu passus fuerit. Hæc Scaliger & Broukhusius minus perceperunt, & iccirco quasi non suo loco posita luxaverunt. VULP.

v. 30. CESSARE IN TECTIS PERTULIT ARMA SUA] Ad extremum usque passus est feriata esse. ita Plautus Milite: *Quod jampridem feriatam* (machæram) *gestitem.* *In tectis*; in tentoriis. sic apud Virgilium formicæ *in tecta ferra reponunt.* & *tecta ferarum* silvæ. Sed, *in Teucros*, vetus liber. recte. *Cessare*, est otii inermis. Horatius Ode 35. lib. 1. *Ad arma cessantes.* Virgilius 2. Æneid. *Nec ullum Telorum interea cessat genus.* Idem 11. Æneid. *Imus in adversos? quid cessas?* PASS. Passeratius & Gebhardus legunt, *Cessare in Teucros*, uterque (uti ajunt) ex libro vetere. nostri omnes habent *in tectis*. Guyetus non infeliciter reponebat, *in thecis*. nihil verius. nam arma cessantia thecis & integumentis includebantur. omnino videndi tibi sunt Hier. Magius L. 4. Miscell. C. 2. & J. F. Gronovius Diatr. ad Silvas Statii C. 41. ubi plena hujus moris dilucidatio. BROUKH. Hunc poetæ nostri locum illustrare possunt verba Ciceronis lib. 2. de Nat. Deor. *Scite enim Chrysippus, ut clypei caussa involucrum, vaginam autem gladii, sic præter mundum cetera omnia aliorum caussâ esse generata.* Hoc tegumentum clypei, sive scuti, *sagma* dictum fuisse, tradit Lactantius Papinii Statii interpres ad 9. Thebaid. teste J. F. Gronovio cap. 41. Diatribes ad Statii Silvas. Cui suffragatur Euripides Andromacha v. 617.

Κάλλιστα τεύχη δ' ἐν καλοῖσι σώμασιν
Ο"πλ' αἰ ἐκεῖνος, δῶρα τ' ἤγαγες πάλιν.
Et pulcherrima arma in pulchris thecis

Si-

Viderat ille fugas, fractos in litore Achivos,
Férvere & Hectorea Dorica castra face.
Viderat informem multa Patroclon arena
Porrectum, & sparsas cæde jacere comas.

Omnia

Similis (i. e. eadem , non mutata) *illuc & huc portasti rursus* .

Adde quod armorom nomine sæpe clypeus veniebat . κατ' ἐξοχὴν . Vide quæ diximus ad Tibullum Eleg. 4. lib. 1. v. 51. VULP.

v. 31. VIDERAT ILLE FUGA TRACTOS IN LITORE ACHIVOS] Aphæresis pro distractos , dissipatos & palantes . sic Eleg. 7. lib. 3.

Naufraga quum vasto Græcia tracta solo est .

An quia trahuntur occisi & prostrati , ut spolientur a victoribus , & ut corpora vendant ad sepulturam ? sed vetus liber , *fractos* , i. e. fusos & fugatos . Si legitur , ut in codice antiquo , *fugam* vel *fugas* , erit asyndeton . An legendum , *fugé stratos* ; quia fugam strages seqoitur ? vide Homerum lib. 11. & 16. Iliad. de hac fuga Græcorum . Virgilius 1. Æneid.

Hac fugerent Graji , premeret Trojana juventus .

In litore , Rhœtæo & Sigæo , ubi pugnabatur . quamobrem Virgilius 2. Æneid.

Dardanium toties sudarit sanguine litus ? P.

Viderat ille fugas . ita legunt Palmerius & Broukhusius , præterea editio princeps anni 1472. VULP.

v. 32. FERVERE ET HECTOREA DORICA CASTRA FACE] Incendi naves Græcorum igni ab Hectore injecto ; qoa de re Homerus lib. 15. Iliad. Virgilius 2. Æneid. de Hectore :

Vel Danaûm Phrygios jaculatus puppibus ignes.

Ovidius 13. Metam.

At non Hectoreis dubitavit cedere flammis .

Férvere , media brevi , a fervo . ut Elegia 28. infra :

Incipit & sicco férvere terra Cane .

Virgilius 4. Æneid. *Jam fervere litora flammis* . Lucillius apud Priscianum & Nonium videtur reprehendere illud ferveo , es :

Fervit aqua & fervet ; fervit nunc , fervet ad annum .

Castra , pro classe . Servius in 4. Æneid. *faces in castra tulissem* . & lib. 3.

Dat clarum e puppi signum, nisi castra movemus,

Attius Aotenoridis apud Nonium in *Mactare* : *Aut naves uræne castra mactabo in mare* . *Dorica* , species pro genere . ut Eleg. 6. lib. 4.

Egessitque avidis Dorica castra rogis .

Vetus Poeta apud Charisium :

Vidi tegentem clypeo classem Doricam . PASS.

v. 33. VIDERAT INFORMEM MULTA PATROCLON ARENA PORRECTUM] Quia magnum litoris & campi spatium occupasse significat corpus Patrocli , magoum fuisse colligitur . Sic Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Porrectusque novem Tityus per jugera terræ .

Horatius pariter Ode 6. lib. 4. de Achille : *Procidit late , posuitque collum Pulvere Teucro* . *Porrectum* , extensum & mortuum . Horatius Epodo 10. *Opima quod si præda curvo litore Porrecta mergos juverit* . PASS.

ibid. MULTA PATROCLON ARENA] Notat corporis proceritatem e spatio qood occupabat . Virgilios de Cyclope 3. Æneid. *Jacuitque per antrum Immensum* . Ovidius pariter de apro Calydonio a Meleagro interfecto , lib. 8. Metam.

Immanemque feram multa tellure jacentem
Mirantes spectant .

Eodem pertinere arbitror epitheton *informem* , quod tribuit Propertius Patroclo in litore porrecto , nempe enormis magnitudinis . Virgilius quoque de Polyphemo 3. Æneid. *Monstrum horrendum , informe , ingens* . Potest nihilominus τὸ *informem* , cadaver significare fœdum vulneribos , qood pristinam formæ dignitatem amiserit . De Patroclo vide Indicem nostrum . VULP.

v. 34. ET SPARSAS CÆDE JACERE COMAS] Concretos sanguine crines . *Cæde* , pro saoguine ; ut φόνῳ Græcis . Ita Eleg. 30. infra :

Spargereque alterna communes cæde penates .

Eadem notione Ovidius lib. 2. A. A.

Illis te tangi manibus , Brisei , sinebas ,
Imbutæ Phrygia quæ nece semper erant .

Homerus 17. Iliad. de Eophorbo occiso a Menelao :

Αἵματί οἱ δεύοντο κόμαι χαρίτεσσιν ὁμοῖαι .

Jacere dixit , ut Virgilius 1. Æneid. *Huic cervixque comæque trahuntur Per terram* . P.

Spar-

Omnia formoſam propter Briſeïda paſſus.
Tantus in erepto ſævit amore dolor.
At poſtquam ſera captiva eſt reddita pœna,
Fortem illum Hæmoniis Hectora traxit equis.
Inferior multo quum ſim vel matre, vel armis,
Mirum ſi de me jure triumphat Amor?

ELE-

Sparſat cæde jacere comas. Crines cruore fœdatos horrere. non eſt hic vulgaris notio verbi *jacere*. ejus oppoſita ſunt in re comarum *ſtrui*, *fingi*, *ornari*, *comi*. Ovidius Epiſt. Sapphûs:

Ecce, jacent collo ſparſi ſine lege capilli.

L. 3. Artis Amat.

Et neglecta decet multas coma. ſæpe jacere
Heſternam credas: illa repexa modo eſt.

iterum Epiſt. Sapphûs:

Illuc mentis inops, ut quam furialis Erichtho
Impulit, in collo crine jacente feror.
BROUKH.

v. 35. OMNIA FORMOSAM PROPTER BRISEIDA PASSUS] Æqua & iniqua, digna & indigna ob conjugem ereptam pertulit. ſic *Omnia perpetior*, Eleg. 26. infra. Plautus Milite 4, 7. *Mitto jam, ut occidit Achilles, quidve paſſus eſt. Formoſam Briſeida*. Homerus Iliados 1. vocat καλλιπάρηον. *pulcris genis*. Idem Iliad. 19.

Βρισηῒς δ' ἄρ' ἔπειθ' ἰκέλη χρυσῇ Ἀφροδίτῃ.

Horatius Ode 4. lib. 2. *Serva Briſeis niveo colore*. PASS. *Omnia paſſus*. etiamne Patroclum amicum ſuum ab Hectore occiſum, quod affirmat Propertius, neſcio quos auctores ſecutus? Immo, ut refert Homerus, hæc fuit Achilli cauſſa præcipua iterum ſumendi arma pro Græcorum ſalute, & Hectorem Trojæ columen occidendi. V.

v. 36. TANTUS IN EREPTO SÆVIT AMORE DOLOR] Epiphonema. ſic Eleg. 13. lib. 1. *Quod abrepto ſolus amore vacem*. *Dolor ſævit*, ſæva & acerba ira eſt. *Dolor*, pro ira. ut dixi Eleg. 5. ſupra v. 10. μῆνιν οὐλομένην vocat Homerus. & *ſævire*, pro iraſci & gravius commoveri, dixerunt Plautus, Terentius, Virgilius. PASS.

v. 37. AT POSTQUAM SERA CAPTIVA EST REDDITA PŒNA] De reddita Briſeide vide Homerum Iliados 19. Scaliger *Pœnam ſeram* interpretatur, leges in quas tandem fœdus initum eſt, & quibus partes victæ obligantur. ſed *Pœna ſera*, hic eſt pœnitentia cum gravi damno, ut Eleg. 6. lib. 3.

Pœna erit ante meos ſera, ſed ampla pedes.

De pœna, id eſt, donis in pœnam oblatis Achilli, Homerus Iliad. 9. & Ovidius Epiſt. Briſeid. PASS. Male atque injuria Scaligero Paſſeratius obloquitur. nam optime Scaliger. Douza putat *pœnam* hic poni pro *præmio*: quomodo apud Horatium *pretium* pro *pœna*: *Et peccare nefas; aut pretium mori*. L. 4. Expl. Plaut. C. 14. Etiam illuſtris Spanhemius de *pretio* quod ad redimendam pœnam datur, exponit Obſ. in Callimach. p. 310. BROUKH.

v. 38. FORTEM ILLUM HÆMONIIS HECTORA TRAXIT EQUIS] Hæmonia, Theſſalia; & Hæmonii equi, Theſſali, qui præſtantiſſimi habebantur, ut vel proverbium oſtendit:

Ἵπποι Θεσσαλικαί, Λακεδαιμόνιαί τε γυναῖκες.

Ovidius lib. 3. Triſt. Eleg. 11.

Hector erat tunc quum bello certabat, & idem
Tractus ab Hæmonio non erat Hector equo.

De equis Achillis Xantho & Balio Homerus Iliad. 16. 19. & 21. & Apollodorus lib. 3. Hector autem ad currum Achillis religatus, ut tractus ſit, narrat idem Homerus Iliad. 24. ſub initium. Virgilius 1. Æneid.

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros.
PASS.

Fortem illum Hectora. *Ille*, notat interdum celebritatem. ſic v. 29. hujus Elegiæ: *Ille Achilles*. VULP.

v. 39. INFERIOR MULTO QUUM SIM VEL MARTE VEL ARMIS] Aut δὶς τὸ αὐτό, aut ea ſententia eſt: Neque Marte & virtute bellica, neque armorum genere, quæ ille a Vulcano habuit, ullo modo ſum cum Achille conferendus. Virgilius 11. Æneid.

Ibi

Ibe animis contra : vel magnum præstet Achillem :

Factaque Vulcani manibus peria induat arma . Sed vetus liber *matre* . id est, quum mihi sit mortalis mater , & deam matrem habuerit Achilles. Virgilius 5. Æneid. *Achillee Natus & ipse dea* . Horatius Epodo 13. *Iuviste mortalis , dea Nate puer Thetide* . Vide Homerum Iliad. 1. PASS. Gloriam illam generis materni cum laude fortitudinis militaris in Achille etiam Horatius junxit Ode 6. L. 4. *Filius quamvis Thetidos marina Dardanas turret quateret tremenda Cuspide pugnax* . Unius literulæ transpositio tenebras huic loco obfudit : est enim legendum *vel matre vel armis* . quum ego nec dea matre sim progenitus , nec virtute bellica Achilli comparandus ; an mirum , me quoque ab Amore in triumphum duci , quem neque ipse Achilles potuit declinare ? Idem mendum in eadem voce e Sidonio Apollinari sustulit eruditissimus Sirmondus , Panegyr. Majorani :

plantasque superbas

Haud ita per siccam Nemeen citus extulit Arcas ,

Cujus in Ætola volitantem pulvere matrem

Horruit Hippomenes .

ibi quoque *volitantem martem* legebatur : neque animadverterat diligentissimus Savaro . Par locus est apud Tibullum L. 2. Eleg. 1.

Ludite. jam Nox jungit equos : currumque sequuntur

Matris lascivo sidera fulva choro . BROUKH.

v. 40. MIRUM SI DE MA JUAR TRIUMPHAT AMOR ?] Εἰρωνικῶς , ut *mirum ni* & *mirum quin* . *Jure-triumphat* , potest esse hyphen , ut *jure-vocata tribus* , *jure-dominus* , *jure-natura* . Ad justum autem triumphum alludit , & merito partum , de quo Horatius Ode 12. lib. 1. *Parthos Latio imminentes Egerit justo domitos triumpho* . vide Valerium Maximum de Jure triumphandi . Triumphum Amoris describit Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 2. PASS.

ELEGIA IX.

ISte quod est ego sæpe fui . sed forsit in hora
Hoc ipso ejecto carior alter erit .

Pe-

ARGUMENTUM ELEGIÆ IX. LIBRI II.] Exprobrat Cynthiæ violatam ab ea fidem , oppositis exemplis illustribus mulierum quæ constantes fuerint in amore : fidem contra suam ipse jactat ; & rivali suo minitatur . VULP.

v. 1. ISTE QUOD EST EGO SÆPE FUI] Eumdem locum apud Cynthiam tenui quem hodie tenet rivalis meus . Ita Eleg. 25. infra : *Essem ego quod nunc tu* . Martialis :

Hoc ego tuque sumus . sed quod sum, non potes esse :

Tu quod es , e populo quilibet esse potest .

Ovidius Epist. Hermionæ : *Tu mihi , quod matri pater , es* . *Iste* , contemtim & cum indignatione , de rivali . ut Eleg. 8. lib. 1.

Et tibi jam tanti, quicumque est iste, videtur .

& Eleg. 24. infra :

Jam tibi de timidis iste protervus erit .

Catullus Carm. 22.

Suffenus iste , Vare , quem probe nosti . PASS. *Iste quod est ego sæpe fui* . Ovidius a Propertio , ut videtur , Epist. Medeæ v. 25.

Hoc illis Medea fui , nova nupta quod hic est . VULP.

ibid. SED FORSIT IN HORA] Moveor quidem doctorum virorum consensu , qui ubicumque legitur *Fore et* , ex Prisciano reponunt *Fore sit* , ut dicitur *Fore sit an* ; & ita hic reponit Scaliger : sed nec rejiciendum arbitror *Forsit* ; e pro i , quia hæ vocales inter se crebro commutantur . & præter librorum consensum movet me etiam , quod apud Virgilium converso legitur ordine *et fore* . lib. 5. Æneid.

Et fore æquatis cepissent præmia velis .

libro autem 6.

Et fore omne datum traherent per talia tempus . PASS.

In quinque libris scribitur *fors et* , vocibus divisis . quomodo & in multis Horatii exemplaribus scriptis L. 1. Ode 28. in aliis junctim exaratur . uti apud Horatium L. 1. Sat. 6. Anceps lectio est apud Virgilium L. 11. Æneid.

Penelope poterat bis denos salva per annos
Vivere, tam multis femina digna procis.
Conjugium falsa poterat differre Minerva,
Nocturno solvens texta diurna dolo.

Vi-

Fort et vota facit ; cumulatque altaria donis ,
Servius : FORS ET : *Forte etiam vota suscipit . potest & nunus esse* forset , *id est , forsitan .* atque ita intellexit Donatus : *Forsitan* , inquit , *nunc* , *hoc est , quum jam Pallas exanimis jaceret , preces numinibus Evander fundit , & exhibet munera .* Tamen usitatius *forsit* scribi existimant . & sic præcipit Priscianus L. 15. *Inveniuntur diversæ adverbia formæ , ex eisdem derivata nominibus : ut a fors , forte , forsan , forsitan , forsit , fortasse , fortassis .* Paullo ante dixerat : *In T , sat , pro satis , & dumtaxat , quod ab adverbio componitur & verbo ; & forsit , pro forsitan . Horatius Sermonum primo :*

Dissimile hoc illi est, quia nau ut forsit honorem
Jure mihi invideat quivis .

Ante Scaligerum hoc ipso Nostri loco *forsit* reposuerat Gulielmus Canterus nostras L. 4. Nov. Lect. C. 8. quem cur silentio præteriret Passeratius , caussæ nihil erat . BROUKH. Utitur & Lucretius lib. 6. 735.

Forsit & Æthiopum penitus de montibus altis
Crescat .

loquitur de caussis Nili exundantis . VULP.

ibid. IN HORA] Minimo spatio . ut Elegia 6. lib. 1.

His ego non horam possum durare querelis . P. Vide Horatium Sat. 4. lib. 1. v. 9. de Lucillio . VULP.

v. 2. HOC IPSO EJECTO CARIOR ALTER ERIT] Ut Eleg. 21. infra :

Huic quoque qui restat jampridem quæritur alter .

vide adnotata ad Eleg. 3. lib. 1. v. 36. P.

v. 3. PENELOPE POTERAT BIS DENOS SALVA PER ANNOS VIVERE] Sic & Ovidius lib. 3. A. A.

Est pia Penelope lustris errante duobus ,
Et totidem lustris bella gerente viro ,

Decem annos ad Trojam Ulixes consumsit , & totidem in reditu . Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 2.

Quique tot errando, quot bello perdidit annos .

Bis dene . ut Eleg. 20. infra : *Niobe bis sex ad busta superba* . Virgilius 1. Æneid. *Bis quinos silet ille dies . Vivere salva* , integra & intacta permanere . *Salva* , cujus pudicitia nullâ ex parte imminuta . sic Plautus Amphitr. *signum salvum est* . id est , incorruptum , intactum . & in Milite : *Salva* (consilia) *sumes indidem* . id est , non imminuam fidem . Livius lib. 1. *Quærentique viro , Satin' salvæ ? minime* , inquit ; *quid enim salvi est mulieri amissa pudicitia ?* Qui tamen salva Penelope , quæ ex concubitu omnium procorum Pana genuit ? Cicero 2. de Nat. Deor. Vide Catalecta Virgilii . Seneca Epist. 89. *Verba dedit sæculo suo Penelope* . PASS.

V. 4. TAM MULTIS FEMINA DIGNA PROCIS] Ovidius lib. 2. Trist.

Aut quid Odyssea est , nisi femina propter amorem ,
Dum vir abest , multis una petita procis ?

Sic Eleg. 6. supra :

Phryne , tam multis facta beata viris .

& Eleg. 20. infra :

Quum te tam multi peterent, tu me una petisti.

De procis Penelopes vide Ovidium Epist. 1. Heroid. & Homerum lib. 22. Odysseæ , qui omnes enumerat , ut ab Ulixe , & a suis occiduntur . Festus in *Procum : Proci dicuntur qui poscunt aliquam in matrimonium ;* Græce μνηστῆρες : *est enim procare , poscere , unde meretrices procaces* . Vide & Nonium in *Procacitas* . PASS.

v. 5. CONJUGIUM FALSA POTERAT DIFFERRE MINERVA] Nubendi tempus producere , mentiendo se Minervæ studio incumbentem nondum telam absolvere potuisse . *falsa Minerva* . ut *falsos propinquos* dixit Eleg. 6. supra . Minerva lanificii & texturæ inventrix , pro lanificio & textura . Virg. 6. Æneid. *Tolerare colo vitam , tenuique Minerva* . Noster Eleg. 5. lib. 4.

Eurypylique placet Coæ textura Minervæ .

Quia eadem inventrix oleæ , hinc & pro oleo . Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 5.

. . . moribunda revivis ,
Ut vigil infusa Pallade flamma solet .

Narrat autem Homerus Odysseæ 2. ut Pe-

ne-

Visura & quamvis numquam speraret Ulixen,
Illum exspectando facta remansit anus.
Nec non exanimum amplectens Briseïs Achillen,
Candida vesana verberat ora manu.

Et

nelope a procis impetrarit, ne se cuiquam eorum nubere cogerent, donec telam quam exorsa erat ad Laërtæ funus cohonestandum, pertexuisset. Idem narrat Odyssez 19. PASS. *Falsa*. valde elegans est usus hujus voculæ, quum ponitur pro eo qui videri vult, aut qui putatur in essa qui re vera non est. Virgilius 1. Æneid. ubi de Cupidine in vultum Ascanii mutato; *falsi genitoris*. & lib. 3. *falsi Simoëntis*. Catullus Carm. 66. *falsum puerperium*. Statius Papinius multus est in hac locutione. BROUKH.

v. 6. NOCTURNO SOLVENS TEXTA DIURNA DOLO] Retexens omnem eam telam quam interdiu texuerat. Homerus lib. 2. Odyss.

Ἔνθα κε ἠματίη μὲν ὑφαίνεσκε μέγαν ἱστόν,
Νύκτας δ᾽ ἀλλύεσκεν ἐπὴν δαΐδας παραθεῖτο.

vide Proverbium, *Penelopes telam retexere*, quo utitur Plato in Phædone, & M. Tullius in Lucullo. *Nocturno dolo*, fraude quam noctu exercebat. ut Eleg. 7. lib. 4.

Et mea nocturnis trita fenestra dolis.

Ovidius ex hoc Propertii loco in Epicedio Tibulli:

Durat opus vatum Trojani fama laboris,
Tardaque nocturno tela retexta dolo.

Δόλον sane Homerus vocavit Odysseæ 2.

Ἡ δὲ δόλον τὸν δ᾽ ἄλλον ἐνὶ φρεσὶ μερμήριξεν. P.

v. 7. VISURA ET QUAMVIS NUMQUAM SPERARET ULIXEN] Quamvis spem omnem deposuisset mariti videndi, quum is viginti annos jam absuisset. Eleg. 15. lib. 1. de Calypso & Ulixe: *Et quamvis numquam posthac visura*. Græcorum autem more vocativus vel nominativus pro accusativo. ut Petronius:

Atque in præterita se totus imagine versat.

Noster Eleg. 32. infra:

--- *Famæ jactura pudicæ*
Tanta tibi miseræ, quanta mereris erit.

Vide adnotata ad Eleg. 8. lib. 2. v. 19. PASS. *Visura numquam speraret*. pro visuram, κατ᾽ ἀντίπτωσιν. Sic Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 4.

Spemque dat in molli mobilis esse toro.

Plautus etiam Asin. 3, 3, 43.

Argenti viginti minæ me ad mortem appulerunt,
Quas olim adolescens Diabolus ipsi daturus dixit.

nempe, daturum se promisit. Catullus Carm. 4.

Ait fuisse navium celerrimus. VULP.

v. 8. ILLUM EXSPECTANDO FACTA REMANSIT ANUS] Ipsa Penelope ad Ulixem apud Ovidium extremâ epistolâ:

Certe ego, quæ fueram te discedente puella;
Protinus ut redeas, facta videbor anus.

Noster Eleg. ult. lib. 3.

Et quæ fecisti, facta queraris anus.

[Verum eo loco τὸ *facta* potest esse neutrum numeri multitudinis: nempe queraris, a te facta fuisse] *Remansit*, pro permansit, ut Eleg. 10. lib. 1.

Is poteris felix una remanere puella. PASS.

v. 9. NEC NON EXANIMUM AMPLECTENS BRISEÏS ACHILLEN] Recte Servius ad illud Virgilii Æneid. 1.

Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.

Idem est, inquit, *exanimis & exanimus, ut unanimis & unanimus, inermis & inermus.* Lugentium est mortuos amplecti. Virgilius Ecl. 5. *Complexa sui corpus miserabile nati mater*. & 4. Æneid.

Semianimemque simul germanam amplexa fovebat.

De Achillis nece idem poeta 6. Æneid.

Dardana qui Paridis direxti tela, manusque
Corpus in Æacidæ.

& ibi Servius. Vide Horatium Ode 6. lib. 4. & Ovidium lib. 13. Metam. Apud Homerum Iliad. 22. Hector moriens vaticinatur fore, ut a Paride & Apolline Achilles occidatur Scæis in portis. Et l. 19. Briseïs circumfunditur Patrocli cadaveri, & deflet lugetque mortuum. PASS.

v. 10. CANDIDA VESANA VERBERAT ORA MANU] De ipsa Briseïda lugente Patroclum Homerus:

--- *Χερσὶ δ᾽ ἄμυσσε*
Στήθεα ἠδ᾽ ἁπαλὴν δειρὴν, ἠδὲ καλὰ πρόσωπα.

De more plangendi & radendi genas dice-

Et dominum lavit mœrens captiva cruentum,
Appositum flavis in Simoënta vadis.
Fœdavitque comas; & tanti corpus Achillei,
Maximaque in parva sustulit ossa manu.

Quum

tur ad Eleg. 13. infra. *Verberat*, pro verberavit, ut *Flemus*, pro flevimus Eleg. 7. supra v. 2. *Candida ora*. vide adnotata ad illud Elegiæ proxime superioris: *Omnia formosam propter Briseida passus*. *Vesana manu*. sic Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 7.

Flet mea vesanâ læsa puella manu.

Vesanâ, furenti, sævâ, infestâ. vide adnotata ad Eleg. 8. lib. 1. v. 5. & Eleg. 6. v. 16. PASS. *Candida ora*. Horatius Ode 4. lib. 2. *Prius insolentem Serva Briseis niveo colore Movit Achillem*. VULP.

v. 11. ET DOMINUM LAVIT MŒRENS CAPTIVA CRUENTUM] Cadaverum vulnera moris fuit abluere. Virgilius 4. Æneid. *Date vulnera lymphis Abluam*. Idem lib. 9. *Vulnera lavi Veste tegens*. Ennius:

Salsis cruorem guttis lacrimarum lavit.

Idem Cresphonte apud Macrobium:

Neque terram injicere, neque convestire corpora
Licuit, neque miseræ lavere lacrimæ salsum
sanguinem.

Euripides in Phœnissis:

Σὺ δ' ἀλλὰ νεκροῦ λουτρὰ περιβαλοῦ μ' ἔα.

Sed & sine vulneribus mortui lavabantur & ungebantur. Idem Ennius:

Tarquinii corpus bona femina lavit & unxit.

Virgilius 6. Æneid. de Miseno tubicine: *Corpusque lavant frigentis & ungunt*. Homerus Iliad. 24. cadaver Hectoris antequam redderetur patri Priamo lautum unctumque fuisse scribit. *Captiva dominum*. τὸ πρός τι. sic Virgilius 3. Æneid.

Nec victoris heri tetigit captiva cubile.

Horatius Ode 4. lib. 2. *Captivæ dominum Tecmessæ*. *Captiva*, ut Horatius eadem Ode: *Serva Briseis*. Homero δουρικτήτη, & δουριάλωτος. id est, capta bello, & sub hasta vendita ac inde emta. Huc pertinet illud Ovidii Epist. Briseidos:

Si mihi pauca queri de te dominoque viroque
Fas est, de domino pauca viroque querar. P.

v. 12. APPOSITUM FLUVIIS IN SIMOENTA VADIS] Admotum & adjacentem ripis & aquis fluvialibus. quamvis Scaliger versum hunc, ut nothum & ὑποβολιμαῖον, verum confodiat. *Fluviis*, a fluvius, a, um. ut pluvius, a, um. sic *scatebra fluvia* apud Nonium in *Angustitatem*. & alibi, *Pro fluvia fide*. & apud Ciceronem 2. de Divinat. *Post e fluviâ fortuna resistet*. *Vada*, pro ripis & aquis ripis vicinis; ut pro litoribus Elegia 1. supra, *Bina coisse vada*. *In Simoënta*, ἀρχαϊκῶς, pro in Simoënte, ut Cicero *in possessionem esse*; & *in mentem fuit*, Plautus; *esse in honorem*, Terentius. sive *In Simoënta*, pro in Simoëntis ripis, ut Elegia 3. lib. 1. *In Apidano*. An εἰς Σιμόεντα, ut ἐν Δρυόπεσι Eleg. 20. lib. 1. Virgilius 1. Æneid. *Phrygii Simoëntis ad undam*. PASS. *Appositum fluviis in Simoënta vadis*. Ita omnes libri; lapsu haud difficulter erigendo, si *flavis* legas pro *fluviis*. *flavus* proprium quasi amnium & aquarum epitheton. Horatius L. 1. Ode 2. *Vidimus flavum Tiberim retortis Litore Etrusco violenter undis*. Tiberinus *multa flavus arena* dicitur Virgilio L. 7. Æneid. Vide A. Gellium L. 2. C. 26. Acro ad priorem Horatii locum: FLAVUM, inquit, *aut turbidum, aut colore limi flavum*. quæ significatio non semper vera. nam *flavus* fere pro pulcro ponitur apud poetas, etiam ubi de fluviis sermo est, obviis passim exemplis. Hanc elegantem emendationem debes Nic. Heinsio, Not. ad Claudian. L. 3. de R. P. & ad Ovid. L. 3. Amor. Eleg. 6. ubi tamen videtur præferre *Apposito Simoënte*, quæ & Guyeti mens fuit. BROUKH. Vide quæ adnotavi ad Catullum Carm. 66. eo versu:

Flavus quam molli percurrit flumine Mela.
VULP.

v. 13. FŒDAVITQUE COMAS] Scidit crines, laniavit, & pulvere respersit, ut in luctu solebat. Catullus Carm. 63.

Canitiem terra atque infuso pulvere fœdans.

Huc pertinet jocus Bionis apud Ciceronem 3. Tuscul. in Agamemnonem: *Qui scindens dolore identidem intonsam comam; quasi calvitio mæror levaretur*. Vetus liber: *Siccavitque comis*. PASS. De hoc ritu veterum notissimo plura dabunt Funerum Scriptores,

Quum tibi nec Peleus aderat, nec cærula mater,
Scyria nec viduo Deïdamia toro.
Tunc igitur veris gaudebat Græcia natis:
Tunc etiam felix inter & arma pudor.

At

res, & Tiraquellus ad Alexandr. L. 3. C. 7. BROUKH.

ibid. ET TANTI CORPUS ACHILLEI, MAXIMAQUE IN PARVA SUSTULIT OSSA MANU] Genuinum germanum huic loco illud Ovidii lib. 12. Metam. 612.

Jam timor ille Phrygum, decus & tutela Pelasgi
Nominis, Æacides, caput insuperabile bello,
Arserat; armárat deus idem, idemque cremárat.
Jam cinis est; & de tam magno restat Achille
Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.

vide Senecam in Hercule Oetæo. *Maxima ossa*. ex magnitudine ossium, corporis magnitudo deprehenditur. ut apud Virgilium 1. Georg.

Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris.

Scribit Herodotus lib. 1. inventum sub terra corpus Orestis cubitorum septem, quæ faciunt pedes duodecim & quadrantem. *Sustulit ossa*. scilicet quum legeret reliquias exstincto rogo. sic Eleg. ult. lib. 4.

En sum quod digitis quinque levatur onus.

Maxima, *parva*, antithesis. ut Tibullus Carm. 1. lib. 4. *Parvæ magnum decus urbis Ulixen*. *In manu*. τὸ *in* vacat, ut Eleg. 13. infra:

Et sit in exiguo laurus superaddita busto.

& Eleg. 22.

Quid juvat in nullo pondere verba loqui? P. *Achillei*, liber Groninganus. optime. & videor alibi notasse. BROUKH.

v. 15. QUUM TIBI NEC PELEUS ADERAT, NEC CÆRULA MATER] Quo tempore, o Achille, nec tibi aderat Peleus pater, nec Thetis mater, nec conjux Deïdamia, quorum, ut propinquorum, erat istuc officium. sed vetus liber, *Quando ibi*, id est quandoquidem illic. ut Eleg. 18. infra v. 25. Sed cur non aderat ibi mater? nam ut dea adesse poterat. & adest apud Homerum Achilli Thetis ad Trojam. Quia scilicet dii adesse non possunt morientibus. Euripides, Virgilius. Contra Statius in Genethliaco Lucani: *Sic fatum Paridis manu trementis Peliden Thetis horruit cadentem*. Et prior Plautus Truculento: *Thetis etiam lamentando lessum fecit filio*. *Cærula mater*, Thetis. Horatius Epodo 13. *Nec mater domum Cærula te revehet*. *Cærula Thetis* Tibullo Eleg. 5. lib. 1. *Cærula Cymothoë* Nostro Eleg. 26. infra. & Eleg. 5. lib. 3.

In me cæruleo fuscina sumta deo.

Ovidius 1. Metam. *Cæruleus frater*, nempe Neptunus. Virgilius 4. Georg. *Cæruleus Proteus*. Variavit Horatius Ode 28. lib. 3. *Virides Nereïdum comas*. PASS.

v. 16. SCYRIA NEC VIDUO DEIDAMIA TORO] Apud Lycomedem Scyri insulæ regem, veste muliebri delituit Achilles, ejusque filiam Deïdamiam compressit, ex qua sustulit Pyrrhum Neoptolemum. Statius in Achilleide fabulam narrat: item Ovidius 13. Metam. & 1. A. A. ab eo versu:

Fabula nota quidem, sed non indigna referri,
Scyrias Hæmonio victa puella viro.

Meminit & Apollodorus lib. 3. & Hyginus Fab. 97. Scyros insula maris Ægæi inter Lesbum & Eubœam. unde Scyrius & Scyria. Ovidius Epist. Hermiones:

Ignarâ tetigi Scyria membra manu.

id est, Pyrrhi. Statius 1. Achilleid. *Nec turba piarum Scyriadum cessat*. id est, filiarum Lycomedis. *Viduo toro*, ut Ovidius Epist. Paridis:

Sola jaces viduo tam longa nocte cubili:
In viduo jaceo solus & ipse toro.

Lucanus alicubi: *Viduo tum primum frigida lecto*. Quæ vidua, & unde dicta, consule Javolenum J. C. Lege *Malum* 242. *De Verb. Signific.* PASS.

v. 17. TUNC IGITUR VERIS GAUDEBAT GRÆCIA NATIS] Liberis legitimis se fortunatam jactabat. *Veris*, non suppositis, nec nothis ac spuriis. Virgilius 8. Æneid.

Salve vera Jovis proles, decus addite divis.

Contra *falsus parens & genitor*. unde Catullus Carm. 67. *Falsiparens Amphitryoniades*. Ovidius quoque 1. Metam.

... Et te tumidus genitoris imagine falsi.

Plau-

At tu non una potuisti nocte vacare
Impia: non unum sola manere diem.
Quin etiam multo duxisti pocula risu:
Forsitan & de me verba fuere mala.

Hic

Plautus Amphitruone:
Ne me appella, falsa, falsa nomine. PASS.
Valerius Flaccus lib. 5. Argonaut.
Cara mihi, & veras inter non ultima natas.
BROUKH.

v. 18. TUNC ETIAM FELIX INTER ET ARMA PUDOR] *δὶς τὰ αὐτά. etiam &.* ut Eleg. 3. supra: *Dehinc posthac. Felix pudor*, qui felices reddit. ut Eleg. 1. lib. 4. *Felicesque Jovis stellas.* vel laude & admiratione dignus. ut Eleg. 6. supra; *Felix, Admeti conjux.* vel tutus, quia
Felices tutos præstat fortuna deusque.
vel multus, fecundus; ut *infelix*, sterilis. Sic Eleg. 6. lib. 3. *Felix concordia.* PASS. Harum explicationum tertia verissima mihi videtur: in castris enim & media militari licentia versari mulierem pudicam & uno contentam, singularis plane felicitatis est, ac prodigii simile. VULP. *Tunc etiam felix inter & arma pudor.* τὸ *&* valet *etiam*; ut bis idem dixerit. Lubens equidem, si quis liber addiceret, legerim, *Tunc igitur felix*, venusta repetitione, & Nasoni admodum familiari. sed Noster aliarum est Venerum: neque minus decore partes suas tuetur. BROUKH.

v. 19. AT TU NON UNA POTUISTI NOCTE VACARE] Dormire in vacuo lecto & sola esse: vacare ab opere ἀφροδισίῳ. Elegia 25. infra:
Et vetus in templo bellica parma vacat.
id est, nihil agit, feriatur, cessat, non exercetur. Eleg. 13. lib. 2.
--- *Quod abrepto solus amore vacem.* PASS.

v. 20. IMPIA] Versu ab hoc 8. infra: *Perfida.* An sæva, ut *impius miles?* An impudica, ut contra *pia Penelope?* Sic Elegia 17. infra:
Nunc jacere e dura corpus juvat, impia, saxo.

ibid. NON UNUM SOLA MANERE DIEM] *Sola*, ut Eleg. 21. infra: *Tu nimium credula, sola jaces.* & Eleg. 4. lib. 3.
Gaudet, me vacuo solam tabescere lecto.
Unum diem, ut Eleg. 7. lib. 4.
Unum impetrassem, te revocante, diem. P.

ibid. MANERE SOLA] Tibullus pariter Eleg. 3. lib. 1. *At tu casta, precor, maneas.* Albinovanus Consolat. ad Liviam v. 353.
Alta mane; supraque tuos exsurge dolores.
Horatius Ode 7. lib. 3. *Difficilis mane.*
Ovidius lib. 5. Trist. Eleg. 5.
Te sibi cum paucis meminit mansisse fidelem.
VULP.

v. 21. QUIN ETIAM] Quod majus est. auget enim hæc particula, & addit ad scelera. ut Eleg. 6. supra:
Quin etiam falsos fingis tibi sæpe propinquos.
& Eleg. 15. infra:
Quin etiam, si me ulterius provexerit ira,
Ostendes matri brachia læsa tuæ. PASS.

ibid. MULTO RISU] Ita Horatius Ode 13. lib. 4. *Multo non sine risu.* VULP.

ibid. DUXISTI POCULA] Hausisti, bibisti. Horatius Ode 17. l. 1.
Hic innocentis pocula Lesbii Duces sub umbra.
PASS.

ibid. RISU] In omnibus membranis est *visu*; quod melius videtur & validius ad exagitandam petulantis mulieris levitatem. etiam *visu* legitur in veterrimis editionibus. inde opinor *lusu* concinnavit corrector aliquis; quod postea abiit in *luxu*. BROUKH.

v. 22. FORSITAN ET DE ME VERBA FUERE MALA] Fortasse an fieri potest etiam, ut mihi absenti maledixeritis, meque irriseritis. *mala verba*, maledicta, contumeliæ, imprecationes, convicia, irrisiones. Eleg. 5. lib. 4.
Mixtaque cum saxis adjice verba mala.
Tibullus Eleg. ult. lib. 1.
At lascivus Amor rixæ mala verba ministrat.
Ovidius Epist. Medeæ hunc Propertii locum expressit:
Forsitan &, stultæ dum te jactare maritæ
Quærit, & injustis auribus apta loqui;
In faciem, moresque meos nova crimina fingis.
PASS.
Et Epist. Penelopes:
Forsitan & narret, quam sit tibi rustica conjux,
Quæ tantum lanas non sinat esse rudes.
VULP.

ibid.

Hic etiam petitur, qui te prius ipse reliquit.
Dii faciant, isto capta fruare viro.
Hæc mihi vota tuam propter suscepta salutem,
Quum capite hoc Stygiæ jam poterentur aquæ:

Et

ibid. VERBA FUERE] Horatius Epist. 2. lib. 1. *Sunt verba, & voces*. VULP.

v. 23. HIC ETIAM PETITUR, QUI TE PRIUS IPSE RELIQUIT] Etiam ultro eum appetis & sequeris qui te fugit, a quo ante deserta es & prodita. Sic Ausonius: *Insequeris, fugio: fugis, insequor*. *Petere*, pro appetere, ut Eleg. 20. infra:

Quum te tam multi peterent, tu me una petisti.

Extremæ autem nequitiæ damnat Cynthiam, ut Sallustius in Catil. *Libidine sic accensa* (Sempronia) *ut viros sæpius peteret, quam peteretur*. PASS.

v. 24. DII FACIANT] Valde patheticum istud *Dii faciant*. Ovidius Epist. Phyllidis:

Sum decepta tuis & amans & femina verbis.
Dii faciant, laudis summa sit ista tuæ.

Et alibi non semel. Ita locuti quoque sunt M. Tullius, Plautus, Catullus. Plura apud Brissonium videre potes L. 1. Formularum. BROUKH.

ibid. ISTO VIRO] *Isto*, contemtim. Sic Eleg. 24. lib. hujus:

Jam sibi de timidis iste protervus erit.

viro, amatore. ut dixi ad Eleg. 6. v. 6. supra. PASS. Cogitemus, si hæc referri possint ad hominem istum, cujus insectatio est L. 3. Eleg. 18. [20.] nam temporis series in his libris nimis quam confusa est. BROUKH.

ibid. CAPTA] Isto præclaro amatore potiaris, ejus amore capta, & simul decepta. nam ludit in ambiguo verbo, *capta*. Virgilius lib. 1. Æneid. *Num capti potuere capi?* Lucretius lib. 4. *Deceptaque non capiatur*. PASS. Huc pertinere potest illud Terentii Andria 1, 1, 55. de Pamphilo: *Certe captus est*. VULP.

ibid. FRUARE] *Frui*, inquit Donatus, *vesti, a frumine summa parte gulæ*. PASS.

v. 25. HÆC MIHI VOTA TUAM PROPTER SUSCEPTA SALUTEM] Cur *hæc vota*, quasi δεικτικῶς? quia scilicet modo præcessit: *Dii faciant*. Hoc enim sibi velle videtur Propertius, votum se suscepisse pro salute Cynthiæ ægrotantis, hac, aut simili formula: Dii, faciatis, ut Cynthia mea mihi salva restituatur; & ego invicem illud, vel illud faciam. VULP. Diisne me iccirco obligavi, te ut ex morbo eriperent, & nunc alter fruitur amore votisque meis? Tibullus Eleg. 5. lib. 1.

Ipse ego, quum tristi morbo defessa jaceres,
Te dicor votis eripuisse meis.
Omnia persolvi: fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix utitur ille meis.

Vide Eleg. 28. infra de votis Propertii ob Cynthiæ ægrotantis salutem. PASS.

ibid. VOTA SUSCEPTA] *Suscipiuntur vota*, ut onera quædam: ideo & *poni* dicuntur. Eleg. 19. infra:

Sacra Dianæ
Suscipere, & Veneri ponere vota juvat.

Plautus Amphitr. *Imperator utrimque hinc & illinc Jovi vota suscipere*. Sic apud Ciceronem, *suscipere sacra, cultum deorum, religionem*. Albinovanus contra Consolat. ad Liviam, dixit, *vota insuscepta relinquere*. P. Vota, quæ in proximum lustrum suscipi mos esset, pro Cæsarum salute, memorat Suetonius Octav. cap. 97. Ceterum, *vota suscipere*, ac *vota solvere*, locutiones oppositæ. Plinius Panegyr. cap. 67. *Digna vota quæ semper suscipiantur, semperque solvantur*. Martialis Epigr. 4. lib. 8.

Quantus, io, Latiæ mundi conventus ad aras
Suscipit, & solvit pro duce vota suo! V.

v. 26. QUUM CAPITE HOC STYGIÆ JAM POTERENTUR AQUÆ] Si *capite hoc* refertur ad Propertium, valet, mei capitis discrimine, ut Eleg. 28.

Vivam, si vivet; si cadet illa, cadam.

vide illic. atque ita legendum *peterentur*. Si ad Cynthiam, legi oportet *poterentur*, quod est in aliis libris. id est, quum jam Orcus te haberet. ut dicitur *potiri leto*. A. Gellius N. A. lib. 13. cap. 1. *Potiri mortem*. Dicebant olim *potior, poteris*; unde *poterentur*. Virgilius 3. Æneid. *Polydorum obtruncat, & auro Vi potitur*. altera syllaba brevi. *Quum poterentur capite hoc*; quum Orcus in potestate jam caput tuum haberet. Sic

Vir-

Et lectum flentes circumstaremus amici:
Hic ubi tum, prô dii, perfida, quisve fuit?
Quid si longinquos retinerer miles ad Indos?
Aut mea si staret navis in Oceano?

Sed

Virgilius 4. Æneid. *Stygioque caput damnaverat Orco*. PASS. Quum tu jam alterum pedem in cymba Charontis haberes. *Paterentur*, vera lectio. atque ita locuti Catullus, Ovidius, Valerius Flaccus. Præterea Terentius Phorm. 5, 5.

Curavi, propriâ Phædria ut poteretur: nam emissa est manu.

quomodo quidem eum versum exhibet castigatissimus codex Bembinus. In eadem fabula legitur 3, 1.

Ne quid propter tuam fidem decepta poteretur mali.

ita inquam legitur hodie: antiquitus autem fuisse, *poteretur mali*, testantur excerpta ex commentariis Donati, adduntque, *potiri* fuisse τῶν μέσων, quum Plautus dixerit, *hostium potitus est*. Hunc locum Propertii corruperat Volscus. quum enim legeretur in priscis editionibus *potarentur*, hæc notavit: *emenda* PATERENTUR; *nondum migrarat e vita, sed in procinctu erat*. non potest dici quam flagitiose in hoc poeta grassatus sit ignobilis iste literio. neque arbitror ejus interpretationem Scaligero visam fuisse: quum fere quæ Volscus peccavit, in Beroaldum rejiciat. BROUKH. Editio anni 1472. omnium princeps habet *poterentur*. VULP.

v. 27. ET LECTUM FLENTES CIRCUMSTAREMUS AMICI] De more juxta lectum adessemus cum lacrimis, qui te vere diligimus. De hoc officio amantium Ovidius lib. 2. A. A. & in Epistola Acontii. *Amici*, ut Eleg. 13. infra:

Tu tamen amisso nonnumquam flebis amico. PASS.

M. Seneca Rhetor Controver. III. allatus a Jano Douza Patre: *Non servorum turba lectulum circumstabat, non amicorum. inter infantem & mulierculam deficientis spiritus in adventum meum sustinebatur*. VULP.

v. 28. HIC UBI TUM, PRÔ DII, PERFIDA, QUISVE FUIT?] Sic exprobratur periculi fuga, ut desertum officium. Ovidius 13. Metam.

Ecce ferunt Troës ferrumque, ignesque, Jovemque
In Danaas classes. ubi nunc facundus Ulixes?

Prô dii, indignantis. *Quisve fuit?* quasi diceret, nullus fuit. PASS. *Prô dii*. Sic Ovidius eodem libro v. 5.

Intendensque manus, Agimus, prô Juppiter, inquit,
Ante rates caussam; & mecum confertur Ulixes! VULP.

v. 29. QUID SI LONGINQUOS RETINERER MILES AD INDOS?] Sermo est urgentis, & ad graviora pergentis, ut Eleg. 18. infra:

Quid si jam canis ætas mea candeat annis?

Terentius in Se ipsum cruciante: *Quid si hoc pater resciverit? quid si nunc cælum ruat?* *Longinquos* vocat Indos, ut Catullus Carmine 11. *Sive in extremos penetrarit Indos*. & Horatius Epist. 1. lib. 1.

Impiger extremos curris mercator ad Indos.

Indorum autem facit mentionem ob expeditionem quam tum in Indiam parabat Augustus, de qua dicetur ad Elegiam 4. lib. 3. *Retinerer*. cogerer ad signa manere. *Retineri*, ut & *mitti* sive *dimitti*, verba militiæ. unde *retineri sub vexillo*. *Ad Indos*, pro apud. ut Eleg. 18. infra:

Illum ad vicinos quum amplexa quiesceret Indos.

Et Eleg. 1. supra: *Tanti ad Pergama belli*. P. Ita locutus Plautus prologo Amphitr. v. 133.

Quæ illi ad legionem facta sunt, memorat pater Meus Alcumenæ.

Idem Menæchmis apud Varronem lib. 6. de L. L.

Istuc aliis adscriptivis fieri ad legionem solet.

Et Varro ipse lib. 1. R.R. cap. 17. *Eam conjecturam fieri posse ex aliarum rerum imperatis, & more incolarum e novitiis requisito ad priorem dominum quid factitarent*. Unice ad hunc Propertii locum pertinent verba Flori lib. 4. Hist. Rom. cap. ult. *Seres etiam, habitantesque sub ipso Sole Indi, cum gemmis & margaritis, elephantes quoque inter munera trahentes, nihil magis, quam longinquita-*

tem

Sed vobis facile eſt verba, & componere fraudes.
 Hoc unum didicit femina ſemper opus.
Non ſic incerto mutantur flamine Syrtes,
 Nec folia hiberno tam tremefacta Noto:

Quam

tem viæ imputabant, quam quadriennio impleverant: & tamen ipſe hominum color ab alio venire cælo fatebatur. VULP.

v. 30. AUT MEA SI STARET NAVIS IN OCEANO?] Hæreret impedita brevibus, vadiſque, ac arenæ cumulis in medio & magno mari. qua de re Virgilius I. Æneid. Noſter Eleg. 13. infra, de navi, ἀλληγορικῶς: *mediis ſidat onuſta vadis*. Ovidius 3. Metam.

ſtetit æquore puppis
Haud aliter quam ſi ſiccum navale teneret. P.

Ignoſcamus Paſſeratio hunc locum perperam explicanti, qui puto mare numquam viderat. Locutio eſt proverbialis de itinere valde longinquo. Cicero Accuſ. 5. in Verrem C. 20. *Qui ex fœdere ipſa navem vel uſque ad Oceanum, ſi imperaſſemus, ſumtu periculoque ſuo armatam atque ornatam mittere debuerunt.* Catullus Carm. 113.

Prata, arva, ingentes ſilvas, ſaltuſque, paludeſque,
Uſque ad Hyperboreos, & mare ad Oceanum.

τὸ ſtaret hic valet *eſſet*, ut ſæpe aliàs: minime vero *hæreret*. Virgilius VI. Æneid. 697. *Stant ſale Tyrrheno claſſes.* BROUKH.

v. 31. SED] Per exclamationem, ut Eleg. 6. ſupra:

Sed non immerito velavit aranea fanum.

De mulierum malitia & dolis vide Plautum Mil. Glor. 2, 2. Menander:

Δειναὶ γὰρ αἱ γυναῖκες εὑρίσκειν τέχνας.

Parœmiam refert Diogenianus:

Γυναικὶ μὴ πίςευε, μηδ᾽ ἂν ἀποθάνῃ. P.

Quibuſcum facit Euripides Andromacha v. 85.

Πολλὰς ἂν εὕροις μηχανάς· γυνὴ γὰρ εἶ.
Invenies multas technas: es enim mulier. V.

ibid. VERBA, ET COMPONERE FRAUDES] *Componere*, fingere, conſuere, meditari, præparare. Sermones callidos componunt mulieres peſſimæ, tamquam retia quædam & laqueos, quibus incautos juvenum animos in fraudem inducant. Ita *componere blanditias*, & *componere preces*. Tibullus Eleg. 5. lib. 2. de ſene amatore:

Et ſibi blanditias tremula componere voce.

Tacitus lib. XI. Annal. de Meſſalina ad ſupplicium petita: *Interim Meſſalina Lucullianis in hortis prolatare vitam, componere preces, nonnulla ſpe, & aliquando ira.* V.

v. 32. HOC UNUM DIDICIT F. S. OPUS] Nihil aliud novit efficere. Horatius Ode 7. lib. 1.

Sunt quibus unum opus eſt intactæ Palladis urbem
Carmine perpetuo celebrare.

Plautus Pſeudolo 1, 2. *Bibe, es, fuge. hoc eſt eorum opus. Semper-opus*, ut Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 9.

Cuſtodum tranſire manus, vigilumque catervas,
Militis, & miſeri eſt ſemper amantis opus.

Vide quæ adnotavi Eleg. 6. verſu ult. ſupra. PASS.

v. 33. NON SIC INCERTO MUTANTUR FLAMINE SYRTES] Salluſtius in Jugurtha, cap. 80. *Duo ſunt ſinus prope in extrema Africa, impares magnitudine, pari natura: quorum proxuma terræ præalta ſunt; cetera, uti fors tulit, alta; alia in tempeſtate vadoſa. Nam ubi mare magnum eſſe, & ſævire cœpit ventis, limum, arenamque, & ſaxa ingentia fluctus trahunt: ita facies locorum cum ventis ſimul mutatur: Syrtes ab tractu nominatæ.* Vide Plinium lib. 5. H. N. cap. 4. & Solinum. *Incerto flamine*, ut *dubio Noto* dixit Eleg. 5. ſupra. Seneca Hippolyto:

Et amica ratibus ante promittet vada
Incerta Syrtis. PASS.

v. 34. NEC FOLIA HIBERNO TAM TREMEFACTA NOTO] Id eſt, impulſa & agitata cum tremulo motu. ut Virgilius 10. Æneid. *Et tremefacta ſolo tellus.* Hinc *tremulas umbras* dixit Eleg. 18. lib. 1. & Gallis Proverbium, *Trembler comme la fueille.* *Notus hibernus*, aut vehementior ventus, quia flatus hiberni vehementiores ſunt: aut proprie *Notus hibernus*, id eſt pluvius. unde Ovidius 1. Metam.

contraria tellus
Imbribus aſſiduis, pluvioque madeſcit ab Auſtro.

Plautus in Mercat. 5, 2. Imbricus Auſter.

Quam cito feminea non constat fœdus in ira;
Sive ea caussa gravis, sive ea caussa levis.
Nunc quoniam ista tibi placuit sententia, cedam.
Tela precor, pueri, promite acuta magis.
Figite certantes, atque hanc mihi solvite vitam.
Sanguis erit vobis maxima palma meus.

Side-

veteri Poetæ *Imbricitor*. & apud Græcos nomen habet *ἀπὸ τῆς ὑετίδος*, id est humore; ut Latine dicitur Auster ab hauriendis & effundendis aquis. Sic Tibullus Eleg. 1. lib. 1. *gelidas hibernus aquas quum fuderit Auster*. Pass. Hæc posterior explicatio, vera. nam hieme in arboribus nulla sunt folia, quæ agitari vento possint. Vulp.

v. 35. Quam cito feminea non constat fœdus in ira] In ira muliebri nulla fides constans. *Non constat fœdus*, fides promissa non manet certa. transtulit a jure publico ad privatas pactiones. ut Elegia 3. lib. 4.

Incorrupta mei conservo fœdera lecti.

Constat, autem proprie dixit, ut Eleg. 8. lib. 4.

Sed neque suppletis constabat flamma lucernis.

Constare, in eodem statu manere; unde virtuti constantiæ nomen. Pass. *Quam cito non constat fœdus*. Tibullus quoque Eleg. 4. lib. 1.

Quam cito non segnis stat, remeatque dies!

Verum Broukhusius aliter interpungit. V.

v. 36. Sive ea caussa gravis, sive ea caussa levis] Sive jure, sive injuria & temere irascatur. Pass. Contra Noster Elegia 8. lib. 3. *Sine amore gravi femina nulla dolet*. Quem versum Passeratius Catullo tribuit, memoriæ vitio. Eadem porro eleganti simplicitate Callimachus apud Etymologici Magni Auctorem:

Ἥμισυ μὲν Πέρσαι, ἥμισυ δ' Ἀσσύριοι.

Utinam exstarent Elegiæ Poetæ Cyrenæi! magnum sane fructum caperemus ex earum collatione cum Propertianis. Vulp.

v. 37. Nunc] Temporis extremi, ut sæpe Plauto. Pass.

ibid. Quoniam ista tibi placuit sententia] Quandoquidem ita tibi visum est. quoniam animo ista voluntas sedit. Sic Suetonius Galba cap. 20. *Hoc agerent, ac ferirent, quoniam ita videretur*. τὸ *placuit* in deteriorem partem. Antonius Hircio: *Quid? hoc placetne veteranis istis?* Noster Eleg. 4. lib. 3.

Si placet, insultet, Lygdame, morte mea.

Virgilius 2. Æneid.

Si nihil e tanta superis placet urbe relinqui. P.

ibid. cedam] Pro, discedam, abibo; id est, *morior*. quia *abitio*, mors, Festo. Sic Cicero in Bruto: *Cedere e vita*, & *decedere*, pro mori. sed Propertius εὐφημισμὸν secutus videtur: antiqui enim verbis male ominatis plerumque parcebant. Pass.

v. 38. Tela precor, pueri, promite acuta magis] Alloquitur Cupidines, quos esse plures significat etiam Eleg. 29. infra:

Obvia nescio quot pueri mihi turba minuta
Venerat.

ubi ea de re dicetur. Sic *puerum*, sine alterius verbi adjectione, dixit Eleg. 9. lib. 1. *Promite*. Ovidius pariter lib. 3. A. A.

Spicula de pharetra promit acuta sua.

Horatius Ode 20. lib. 3. *Interim dum tu celeres sagittas Promit*. Alii legunt, *figite*. Noster Eleg. 13. infra:

Spicula quot nostro pectore fixit Amor.

& Eleg. 19. *strictis figere avem calamis*. Figitur enim homo, vel fera, & telum ipsum. Pass.

v. 39. Figite certantes] Pro certatim. nomen, sive participium adverbii loco. ut Eleg. 3. lib. 1.

Nunc furtiva cavis poma dabam manibus. P.

ibid. atque hanc mihi solvite vitam] τὸ *hanc* κατὰ πάθος, id est vilem, invisam; ut notat Donatus ad illud Hecyræ; *Hanccine animam parsi perdere?* Eadem sententia Virgilius lib. 4. Æneid.

Accipite hanc animam, meque his exsolvite curis.

Solvitur vita morte, quia θάνατος ἐςὶ

dix-

Sidera sunt testes, & matutina pruina,
Et furtim misero janua aperta mihi:
Te nihil in vita nobis acceptius umquam.
Nunc quoque eris, quamvis sis inimica mihi.

Nec

διάλυσις ψυχῆς ἐκ σώματος. Hinc Ovidius in Ibin:

Sive manu facta morte solutus ero.

Virgilius 4. Æneid. *Teque isto corpore solvo.* Quod autem Euripides, λύσει μ' ὁ δαίμων, Horatius in calce Epist. 16. lib. 1. sic interpretatur:

Ipse Deus, simul atque volam, me solvet. opinor
Hoc sentit, Moriar. PASS.

Ita & Valerius Flaccus loquitur L. 3. v. 180.

En frigidus orbes
Purpureos jam somnus obit: jam candor, & anni
Deficiunt; vitaque fugit decus omne soluta.
BROUKH.

v. 40. SANGUIS ERIT VOBIS MAXIMA PALMA MEUS] Εἰρωνικῶς. ut Virgilius 4. Æneid.

Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis
Tuque, puerque tuus.

& Tibullus Eleg 6. lib. 1.

--- An gloria magna
Insidias homini composuisse deum?

Palma, pro victoria, cujus insigne est. Vide A. Gellium cap. 6. lib. 3. Ciceroni, Terentio & Plauto sumitur nonnumquam in deteriorem partem. Ergo hic ambigue. P.

v. 41. SIDERA SUNT TESTES] Testor ipsa sidera conscia mearum miseriarum, & quæ me sæpe viderunt jacentem ac pernoctantem in limine. Catullus Carm. 7.

Aut quam sidera multa, quum tacet nox,
Furtivos hominum vident amores.

Juvenalis Sat. 8.

Nocte quidem; sed Luna videt, sed sidera testes
Intendunt oculos. PASS.

qui non locutionem, sed sententiam illustrare voluit: & ideo non recte a Broukhusio reprehenditur. Quum adhuc de morte sibi consciscenda satis multa verba fecerit, qui mos amantium est; poeta puellam ad misericordiam flectere conatur, professus videlicet, nulla se ejus crudelitate, nullis injuriis aut inimicitiis eo adactum iri, ut amorem deponat: sed eumdem semper futurum qui antea fuerit. Hanc sententiarum varietatem, amatorio poetæ convenientem, minus animadverterunt, qui Propertii versus luxare ac miscere instituerunt. *Sidera testes.* Ita Ovidius lib. 4. Fast. v. 885.

Stat mihi non parvo virtus mea. vulnera testes,
Armaque, quæ sparsi sanguine sæpe meo.

Virgilius etiam Ecloga 5. *Vos coryli testes, & flumina Nymphis.* Ovidius rursum Epist. Ariadnes: *Auctores saxa fretumque tui.* Lucianus pariter in Judicio Vocalium: Ἀκούετε φωνήεντα δικασταί. VULP.

ibid. MATUTINA PRUINA] Quæ mane cadit. Utitur hoc epitheto Ovidius L. 3. Metam.

Ut intabescere flavæ
Igne levi ceræ, matutinæve pruinæ
Sole tepente solent. BROUKH.

v. 42. ET FURTIM MISERO JANUA APERTA MIHI] Clanculum, & tacito cardine amanti reserata. Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Janua, jam pateas uni mihi victa querelis:
Neu furtim verso cardine aperta sones.

Testatur januam, ut & M. Tullius 1. de Oratore: *Testis est hujusce Q. Mucii janua.* Quum *aperta* dicit, Jani Patulcii mentionem mihi movet; ut contra Eleg. 16. lib. 1.

Quid mihi tam duris clausa taces foribus?

Jani Clusii. PASS. Quovis pignore contenderim, poetam hic loqui non de janua Cynthiæ, sed potius de janua maternæ domus. educabatur enim Propertius apud matrem. Vide Elegiam 11. lib. 1. Sed ipse noctu, vel diluculo januam furtim aperiebat iturus ad Cynthiam. Quæ statim sequuntur, huic explicationi favent. Janua enim Cynthiæ aperta, ostendit, amari ab illa Propertium: janua vero domestica clanculum reserata, significat, amari a Propertio Cynthiam. *Janua aperta.* Synalœphe similis apud Pomponium citatum a Varrone lib. 6. de Lingua Latina:

Nam vere pusus tu, tua amica senex. VULP.

v. 43. TE NIHIL IN VITA NOBIS ACCEPTIUS UMQUAM] Sic Eleg. 2. lib. 1.

His tu semper eris nostræ gratissima vitæ.

In vita, ut Cicero: *Vidi, & hunc dolorem acerbissimum hausi in vita.* PASS. *Acceptius.*

Nec domina ulla meo ponet vestigia lecto.
Solus ero, quoniam non licet esse tuum.
Atque utinam, si forte pios eduximus annos,
Ille vir in medio fiat amore lapis.

Non

Cicero pariter in Somnio Scipionis, cap. 3. *Nihil est enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia cœtusque hominum jure sociati, quæ civitates appellantur. In vita*. Sententiæ hujus vim magis intendit Franciscus Petrarcha Ode 18.

Felice l' alma che per voi sospira,
Lumi del ciel; per li quali io ringrazio
La vita, che per altro non m'è a grado. VULP.

v. 44. NUNC QUOQUE ERIS, QUAMVIS SIS INIMICA MIHI] Sic Petronius Arbiter: *O facinus, inquam, indignum, quod amo te, quamvis relictur*. Ellipsis; *eris* scilicet acceptissima. ut Eleg. 6. supra:

Semper amica mihi, semper & uxor eris.

Inimica mihi, ut Virgilius 1. Æneid.

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor.

Ipse autem inimicæ inimicus esse non potest. Sic Eleg. 8. lib. 1.

Sed quecumque modo de me, perjura, mereris,
Sit Galatea tua non aliena via. PASS.

Nunc eris. adverbium temporis præsentis junctum verbo temporis futuri. Contra *nunc* præterito adjectum occurrit Eleg. 3. hujus libri:

Nunc, Pari, tu sapiens, & tu, Menelae, fuisti. VULP.

v. 45. NEC DOMINA ULLA MEO PONET VESTIGIA LECTO] Simile illud Eleg. 18. lib. 1.

Sic mihi te referat levis, ut non altera nostro
Limine formosos intulit ulla pedes.

Meo lecto ponet vestigia, meum cubile viset, adibit, & ascendet. *Ponere vestigia*, sive pedem, jus & possessionem significat. Cicero 3. Philippica: *Hodie in possessionem libertatis pedem ponimus*. id est, usurpare incipimus. & Philippica 2. *Quid erat in terris ubi in tuo pedem poneres, præter unum Misenum? Lecto*, ut Eleg. 29. infra;

Apparent non ulla toro vestigia presso. P.

Vestigii vox proprie ad lectum pertinet, & ad contubernium amoris. male Passeratius per *pedem figere* interpretatur. Cicero Accusat. 3. in Verrem C. 34. *Quid facerent miseri? aut quid recusarent? præsertim quum in lectulo decumanæ mulieris vestigia viderent recentia, quibus illum inflammari ad perseverandum intelligebant*. Plinius Cæcilius L. 6. Epist. 7. ad Calpurniam uxorem: *Scribis te absentia mea non mediocriter adfici: unumque habere solatium, quod pro me libellos meos teneas, sæpe etiam in vestigio meo colloces*. Petronius: *Ego, ne suspicioni relinquerem locum, lectulum vestimentis implevi, uniusque hominis vestigium ad corporis mei mensuram figuravi*. BROUKH. *Vestigium*. Itali dicerent *la stampa del corpo*. VULP.

v. 46. SOLUS ERO, QUONIAM NON LICET ESSE TUUM] Cælebs vivam, quandoquidem non licet esse tuum vel amantem, vel mancipium. PASS. *Non licet esse tuum*. Optima & certissima est restitutio Nic. Heinsii Notis ad Heroid. Epist. 14. v. 64. *non licet esse tuo*. BROUKH. *Solus ero*. Virgilius 4. Æneid. verbis Annæ ad Didonem sororem, v. 32.

Solane perpetua mœrens carpére juventa?
Nec dulces natos, Veneris nec præmia noris?

Et Ludovicus Areostus pulcherrimi poematis Cantu 5. strophe 33.

E disse per lo giusto, e per lo dritto
Come tra se e Ginevra era la cosa;
Ch' ella gli avea giurato e a bocca, e in scritto,
Che mai non saria ad altri, ch' a lui sposa.
E, se dal Re le venia contradetto,
Li promettea di sempre esser ritrosa
Da tutti gli altri maritaggi poi,
E viver sola in tutti i giorni suoi. VULP.

v. 47. ATQUE UTINAM] Vide notata ad Eleg. 9. lib. 1. v. 8. PASS.

ibid. SI FORTE PIOS EDUXIMUS ANNOS] Genus obsecrationis & voti sub conditione, ut modestiores videantur preces. Catullus Carm. 75.

Me miserum aspicite, &, si vitam puriter egi,
Eripite hanc pestem perniciemque mihi.

Eduximus, exegimus. nam ducere ætatem & agere, idem est. PASS. Valerius Flaccus II. 371. *nimbosque educere luxu, Nec jam velle vias. nimbos*, pro nimbosam & hiemalem tempestatem. BROUKH.

ibid.

Non ob regna magis diris cecidere ſub armis
Thebani, media non ſine matre, duces:
Quam, mihi ſi media liceat pugnare puella,
Mortem ego non fugiam morte ſubire tua.

ELI-

ibid. PIOS ANNOS] Eadem figura Tibullus Eleg. 4. lib. 1.

Vidi ego jam juvenem, premeret quum ſerior ætas,
Mœrentem ſtultos præteriiſſe dies.

v. 48. ILLE VIR IN MEDIO FIAT AMORE LAPIS] Amator ille in Venere & amplexu, ſive inter opus medium, lapideſcat, ſive in ſaxum vertatur; ut Battus, Aglauros, Niobe, Anaxarete, Daphnis Idæus, Lycas, Polydectes. Vide Eleg. 16. infra v. 46. PASS. *Ille vir*. Abſtinet a nominando rivali, quem abominatur. VULP.

ibid. IN MEDIO AMORE] *Dum fit amoris opus*, ut ait Ovidius Epiſt. Sapphûs. BROUKH. ἐν ἔρωτι, ἐν φιλότητι dixerunt Græci poetæ; nempe in Venere ipſa. V.

v. 49. OB REGNA] *Regna*, pro regnum, id eſt ſceptri jus alternum repetitum. P.

ibid. MAGIS DIRIS] Sævioribus, triſtioribus. *Dira arma*, quia diris filios inſectatur Œdipus, unde ſecutum internecinum bellum, quo fratres ſingulari certamine mutuis vulneribus ceciderunt. Vide Sophoclem in Œdipode, Euripidem in Phœniſſis, & Statium lib. 11. Thebaid. Nonius Marcellus: *Dirum, deorum ira immiſſum*. P.

ibid. CECIDERE SUB ARMIS] Quaſi ruina oppreſſi ſuccubuere. Sic Ovidius Epiſt. Penelopes:

Sive Menœtiaden falſis cecidiſſe ſub armis.

& Epiſt. Laodamiæ:

Si cadere Argolico fas eſt ſub milite Trojam. P.

Arma, pro ſcuto ſæpius uſurpant Latini ſcriptores. Erant autem ſcuta ſic ampla, ut totum militis corpus protegerent. ὑπ' ἀσπίδι Græci dixerunt. VULP.

v. 50. THEBANI DUCES] Eteocles & Polynices, Œdipodis regis Thebarum, & Jocaſtæ filii; de quibus vide Indicem noſtrum, verbo *Thebani duces*. VULP.

ibid. MEDIA NON SINE MATRE] Se interponente matre Jocaſta furialibus fratrum gladiis, & dirum certamen deprecante. V. Pater Œdipus, jam cæſo mutuis vulneribus fratre utroque, apud Statium lib. 11. Thebaid.

Hei mihi, quos nexus fratrum, quæ vulnera tracto?
Solvite, quæſo, manus, infeſtaque vincula tandem
Dividite, & medium nunc ſaltem admittite patrem.

Lucanus lib. 1.

Ut generos ſoceris mediæ junxere Sabinæ. BROUKH.

ibid. NON SINE MATRE] Catullus Carm. 63. *Non ſine nutanti platano*. Horatius Ode 13. lib. 3. *Non ſine floribus*. Et Satyra 5. lib. 1. *Lacrimoſo non ſine fumo*. qui poeta locutionem hanc ſæpius adhibet. VULP.

v. 51. LICEAT PUGNARE] Id eſt oporteat, & neceſſe ſit. quamvis Cicero ſeparet Philippica 13. Sic Eleg. 17. infra:

Nunc licet in triviis ſicca requieſcere Luna. PASS.

v. 52. MORTEM EGO NON FUGIAM MORTE SUBIRE TUA] Rivalem ſuum alloquitur, non Cynthiam; cui paullo ante perpetuam benevolentiam ſatis prolixe pollicitus eſt. quaſi dicat, Mori non recuſabo, dummodo non inultus moriar, & mecum tu moriaris, qui tua rivalitate me felicem in amoribus eſſe non ſinis. *Fugiam*, pro devitabo, cavebo. Horatius Ode 9. lib. 1. *Quid ſit futurum cras fuge quærere*. VULP.



AR-

ELEGIA X.

JAm tempus lustrare aliis Helicona choreis,
Et campum Hæmonio jam dare tempus equo.

Jam

ARGUMENTUM ELEGIÆ X. LIBRI II.] A canendis amoribus ad Cæsaris victorias celebrandas, quamvis impar, paullisper divertere statuit. VULP.

v. 1. JAM TEMPUS] Scaliger initium Elegiæ facit a quatuor versibus superioribus, *Non ob regna*, &c. & ex vet. lib. pro *jam*, legit *sed*. ubi inaniter se jactat, & errat. *Jam tempus*, ut Eleg. 5. supra: *Nunc est discedere tempus*. & Virgilius 2. Georg.

Et jam tempus equûm fumantia solvere colla.

PASS.

Cur Passeratius in Commentariis legat *jam*, in contextu vero Propertii *sed*, fateor me non intelligere. *Sed*, præfert etiam Editio princeps anni 1472. quam domi servo. Si Scaligero auscultare vellemus, qui hanc Elegiam exorditur ab amatoria sententia superioris Elegiæ, locus hic Propertii similis esset illi Catulliano Ode 51. ubi Catullus Græcam Sapphûs Oden Latine vertit, ac postremo concludit quasi resipiscens: *Otium, Catulle, tibi molestum est*. Ita & Propertius diceret: Sed satis deliravimus; æquum est aliquando sapere. Nihil autem vetat, novam Elegiam ab hac particula incipere; quum Epici poetæ initio novi libri particulam *at* non semel ponant, *ἰσοδύναμον τῷ sed*. Virgilius 4. Æneidos:

At regina gravi jamdudum saucia curâ.

Lucanus lib. 4. Pharsaliæ:

At procul extremis terrarum Cæsar in oris.

Idem lib. 9.

At non in Pharia manes jacuere favilla.

Papinius Statius lib. 3. Thebaidos:

At non Aoniæ moderator perfidus aulæ.

Valerius Flaccus lib. 6. Argonaut.

At vigil isdem ardet Furiis Gradivus.

Vide eumdem libro octavo, & Ovidium lib. 4. Metam. VULP.

ibid. LUSTRARE ALIIS HELICONA CHOREIS] Ut Nympharum, ita & Musarum choreæ. aliæ autem choreæ sunt Musarum & poetarum amores ludentium, leviores scilicet: aliæ pugnas canentium, nempe graviores. sic infra hîc; *Alia cithara*. De choris Musarum Eleg. 30. infra:

Hic ubi me prima statuent in parte choreæ.

& Eleg. 3. lib. 3.

Me juvet in prima coluisse Helicona juventa,
Musarumque choris implicuisse manus.

Lustrare, obire, circuire, ut solent venatores, quum cingunt saltus indagine, & ferarum lustra. Virgilius Ecloga 10.

Interea mixtis lustrabo Mænala Nymphis.

Inde lustrare *agros* & *exercitum*. PASS.

ibid. ALIIS CHOREIS] Non Jonicis saltationibus & mollibus, ut hactenus: at virilibus & militaribus. Exemplum satis illustre dabit Seneca in libro De Tranquillitate Animi: *Et Scipio*, inquit, *triumphale illud & militare corpus movit ad numeros, non molliter se infringens, ut nunc mos est etiam incessu ipso ultra muliebrem mollitiem fluentibus; sed ut illi antiqui viri solebant inter lusum ac festa tempora virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum etiam si ab hostibus suis spectarentur*. Erant apud veteres & armatæ saltationes, in quibus πυῤῥίχη, seu ὁπλίτης. Vide Lucianum περὶ ὀρχήσεως, & Julium Pollucem Onomastici lib. 4. VULP.

ibid. HELICONA] Helicon Bœotiæ mons, dicatus Musis. VULP.

v. 2. CAMPUM DARE] ἀλληγορικῶς. Copiam significat seu potestatem exercendi poetici ingenii, heroico & magnifico argumento proposito: cui opponuntur exilitas & angustiæ. Cicero pro Muræna: *Nullum nobis sors campum dedit, in quo excurrere virtus, cognoscique possit*. Et lib. 4. Acad. Quæst. *Quum sit campus, in quo exsultare possit oratio, cur eam in tantas angustias compellimus?* Ita Seneca De Tranquillitate Animi cap. 3. *Patriam nobis mundum professi sumus, ut liceret latiorem virtuti campum dare*. Catullus variavit Carm. 67. v. 67.

Is

Jam libet & fortes memorare ad prœlia turmas,
Et Romana mei dicere castra ducis.

Quod

Is clausum lata patefecit limite campum :
Isque domum nobis , isque dedit dominam .
VULP.

ibid. HÆMONIO EQUO] Puto poetam dicere, fixum sibi esse , grave epos condere , ad exemplum Iliados Homericæ , in qua primas partes sustinet Achilles Thessalus , acerrimus bellator , & dominus equorum longe omnium præstantissimorum . Hoc adeo mihi in mentem venit , quod viderem veteres illos quum laudare vellent principum poetarum immortales labores , id fecisse designata parte aliqua operis præcipua . Vide Juvenalem Sat. 7. a versu 59. in qua Satyra adludit manifeste ad Oden 19. lib. 2. Horatii , ad L. septimum Æneidos Virgilianæ , atque ad Orationes Ajacis & Ulixis de armis Achillis , quæ leguntur apud Ovidium Libro 13. Metamorph. Velle autem se scribere ait Propertius res contra Parthos gerendas , contraque Arabas : nam hæc omnia moliebatur Augustus . Parthi quidem Armeniam vindicanti ultro cessērunt ; & signa militaria , M. Crasso & M. Antonio ademta , poscenti reddiderunt . Indi vero , ac Scythæ , incogitati belli gratiam sibi fieri per legatos supplices rogaverunt . Arabicam expeditionem suscepit Ælius Largus Ægypti præfectus , Augusto Cæsare X. C. Norbano Coss. Auctores Dio , Livius , Strabo , Suetonius , Florus , Orosius . Visne & Nostrum ? Lege hujus libri Eleg. 11. & L. 3. Eleg. 3. deinde & 10. ac L. 4. Eleg. 3. Vide Virgilium L. 7. Æneid. a v. 603. & Horatium lib. 2. Ode 9. Videtur autem hæc Elegia scripta paullo post A. U. DCCLII. quo tempore Ovidius Artem suam condebat , ostendente id libro primo :

Ecce parat Cæsar domito quod defuit orbi
Addere : nunc Oriens ultime noster eris .
Parthe dabis pœnas : Crassi gaudete sepulti ,
Signaque barbaricas non bene passa manus .

Noster vero non obscure loquitur de signis receptis . Ne te pigeat eminentissimum Norisium evolvere Cenotaph. Pisan. Dissert. 2. cap. 9. quo viro non facile alium doctiorem hodie videt orbis hic Europeus , ringentibus minorum gentium magistris . BROUKH.

ibid. HÆMONIO EQUO] Nempe Thessalico . Dixi ad Eleg. 8. supra v. 38. PASS.

v. 3. FORTES AD PRŒLIA T.] Equites bello strenuos . Ita Cicero pro Fontejo : *fortis vir ad pericula* . Ovidius quoque lib. 2. Fast.

Ultima Tarquinius Romanæ gentis habebat
Regna, vir injustus, fortis ad arma tamen. P.

Peculiari elegantia gaudet præpositio *ad* apud nostrum poetam , observante pridem Gal. Cantero L. 3. Nov. Lect. C. 20. cujus industriæ hæc adjicere potes . L. 2. El. 2. [3.]

Mox venit adsueta mollis ad arva juga .

L. 4. El. 2.

Pastorem ad baculum possum curare .

ibid. El. 1.

Pergamea fero vata carmina vatis
Longævum ad Priami vera fuere caput .

L. 3. El. 15. [17.]

Dea magna Cybelle
Tundet ad Idæos cymbala rauca choros .

L. 4. El. 5.

Janitor ad dantes vigilet .

ibid. El. 10.

Et numquam ad notas irrita tela feras .

L. 2. El. 13. [16.]

Numquam venales essent ad munus amica .

L. 2. El. 19. [24.]

Si libitum tibi erit, Lernæas pugnet ad Hydras.

L. 2. El. 17. [12.]

Numquam ad formosas , invide , cæcus ero .

--- El. 25. [34.]

Tristis ad Archemori funera victor equus .

L. 2. El 25. [34.]

Jactu certus ad ossa deus .

& plura , quæ inter legendum facile observantur , collatione neque injucunda , neque inutili . Sed nec soli poetæ ita locuti . Cicero L. 8. ad Attic. epist. 2. *Deferet triumphum . non acciperéne periculosum sit , an accipere invidiosum ad bonos ?* Idem I. c. epist. 4. *Cui qui noster honos , quod obsequium , quæ etiam ad ceteros contemti cujusdam hominis commendatio defuit ?* L. Septimius L. 3. Ephemerid. C. 15. *Gens bellatrix , & ob id ad finitimos indomita* . BROUKH.

ibid. TURMAS] Turmæ , manus equitum . Varro l. 4. de L. L. *Turma quasi terma* .

Quod si deficiant vires, audacia certe
Laus erit. in magnis & voluisse, sat est.
Ætas prima canat veneres, extrema tumultus.
Bella canam, quando scripta puella mea est.
Nunc volo subducto gravior procedere vultu:
Nunc aliam citharam me mea Musa docet.

Sur-

nia. e in u abiit, quia ter deni equites ex tribus tribubus, Tatiensium, Rhamnium, & Lucerum fiebant. Curatius apud Festum in *Turmam*, idem ait quod Varro. Servius in 9. Æneid. *Turmæ sunt equitum, cohortes peditum.* PASS.

v. 4. ET ROMANA M. D. CASTRA D.] Ad discrimen castrorum Antonii Ægyptiorum. PASS.

ibid. MEI DUCIS] Id est, Imperatoris & Principis. Ovidius lib. 1. A. A.

Eoas Latio dux meus addat opes.

Horatius Ode 5. lib. 4. Augustum allocutus:

Lucem redde tuæ, dux bone, patriæ.

Mei dixit, partes Augusti se secutum significans. ut Eleg. 7. lib. 3.

Hoc mihi, Mæcenas, laudis concedis: & a te est,
Quod ferar in partes ipse fuisse tuas.

Fuit autem summus Augusti amicus Mæcenas. PASS.

v. 5. QUOD SI DEFICIANT VIRES] Tibullus pariter Carm. 1. lib. 4.

Te, Messala, canam. Quanquam me cognita virtus
Terret, ut infirmæ nequeant subsistere vires;
Incipiam tamen. At meritas si carmina laudes
Deficiant: &c. VULP.

ibid. AUDACIA C. LAUS ERIT] Laudi mihi ducetur fuisse audacem. Ita superius Eleg. 1.

Laus in amore mori: laus altera, si datur uno
Posse frui. VULP.

v. 6. IN MAGNIS ET VOLUISSE SAT EST] Vide adnotata ad illud Tibulli lib. 4. Carm. 1. *Est nobis voluisse satis.* τὸ & eadem vi, qua Eleg. 7. supra:

Hic erit & patrio sanguine pluris amor.

& Eleg. 7. lib. 3. *Et audaci tu timor esse potes.* PASS. Huc pertinent illa Senecæ lib. de Vita Beata cap. 20. *Studiorum salutarium, etiam citra effectum, laudanda tractatio est. Quid mirum, si non ascendunt in altum ardua aggressi? sed viros suspice, etiam si decidunt, magna conantes.* Item Plinii Præfat. Hist. Nat. *Itaque etiam non assecutis, voluisse, abunde pulchrum atque magnificum est.* Denique Ovidii lib. 2. Metam.

Hic situs est Phaëthon, currus auriga paterni:
Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.
VULP.

v. 7. ÆTAS PRIMA] Juventa. Vide Eleg. 8. supra v. 17. PASS.

ibid. CANAT VENERES] Amores, & amatorias nugas. PASS.

ibid. EXTREMA] Ingravescens, matura. Ovidius lib. 6. Metam. v. 675.

Hic dolor, ante diem, longæque extrema senectæ
Tempora, Tartareas Pandiona misit ad umbras.
VULP.

ibid. TUMULTUS] Bella graviora, & periculosiora. ut Eleg. 1. supra v. 39. Vide Ciceronem Philippica 13. PASS.

v. 8. B. C. QUANDO SCRIPTA PUELLA MEA EST] Quoniam Cynthia satis a me celebrata est. ut Eleg. 1. supra, *Scribantur amores.* & Horatius Sat. 1. lib. 2.

Attamen & justum poteras & scribere fortem,
Scipiadam ut sapiens Lucillius. PASS.

Quando, pro quandoquidem. Cicero Epist. 12. lib. 10. ad Famil. *Quam quando complexus es cene.* Significat poeta, se grandiorem jam esse; neque decere ætatem suam juveniles ineptias. Dixerat tamen paullo ante Eleg. 8. hujus libri:

Sic igitur prima moriere ætate, Properti?

Sed in his poematis collocandis non servatur satis temporum ordo. VULP.

v. 9. NUNC VOLO SUBDUCTO GRAVIOR PROCEDERE VULTU] *Succedere* est in quibusdam libb. uti & *cultu*. perperam utrumque. τὸ *volo* energiam quamdam habet alacritatis & lubentiæ. Catullus Carm. 6.

Qua-

Surge anima ex humili jam carmine. ſumite vires
Pierides. magni nunc erat oris opus.

Jam

Quare quidquid habes boni, malique
Dic nobis. volo te ac tuos amores
Ad cœlum lepido vocare verſu.

Plautus Moſtell. 1, 3.

Contempla, amabo, mea Scapha, ſatin' hæc me veſtis deceat.
Volo meo placere Philolachi, meo ocello, meo patrono.

Seneca Apocolocynth. *Quid actum ſit in cœlo ante diem tertium Idus Octobris, Aſinio Marcello, Acilio Aviola Coſſ. anno novo, initio ſeculi feliciſſimi, volo memoriæ tradere.* Papinius L. 1. Silv. 5.

paullum arma nocentia, Thebæ,
Ponite: dilecto volo laſcivire ſodali. BROUKH.

De notione verbi *procedere*, dictum ad Elegiam 2. lib. 1. *Subducto vultu*, ſubtracta, ſive contracta fronte; quum *ſuperat frons ſeveritudine*, ut Plautus loquitur. Vide Proverbium, *Frontem exporrigere*. An *ſubducto*, ſurſum educto & erecto? Nonius: *Subducere, ſurſum ducere, levare*. Turpilius: *Quum antehac videbam ſtare triſtes, turbido vultu, ſubductis tum ſuperciliis ſenes*. Eodem modo locuti Varro, Scriptor Liberi Carminis, Petronius, Seneca. P.

v. 10. NUNC ALIAM CITHARAM ME MEA MUSA DOCET] Carmen majus Calliope muvet & ſubjicit. ut Horatius Ode 19. lib. 2. *Bacchum in remotis carmina rupibus Vidi docentem*. *Aliam citharam*, barbiton ſignificat, quod citharæ genus eſt gravius aliquanto ſonantis. nam quaſi βαρύμιτον dicitur; quo uſus prius Alcæus, ut notat Turnebus Adverſ. lib. 9. cap. 13. Horatius Ode 13. lib. 2. *Et te ſonantem plenius aureo, Alcæe, plectro*. Sic *aliis chordis* verſu 1. hujus Elegiæ. PASS. Quamquam lyra ſeu cithara proprium Lyricorum ſeu Melicorum poetarum inſtrumentum erat, nihilominus etiam Epici & ῥαψῳδοὶ a lyræ uſu non abhorrebant. Id colligo ex Ode 48. Anacreontis, quæ incipit: Δότε μοι λύρην Ὁμήρου, Φονίης ἄνευθε χορδῆς. *Date mihi lyram Homeri, Sanguinea abſque chorda*. Quibus verbis Anacreon ſignificat, verſibus heroicis canendis lyram adhibitam quidem, ſed gravioribus & aſperioribus chordis inſtructam: quas chordas tolli & abjici deſiderat, ne forte convivis, hilaritatem & jocos amantibus, moleſtæ ſint. VULP.

v. 11. SURGE] Altius te attolle. ut Horatius Ode 2. lib. 4.

Multa Dircæum levat aura Cycnum,
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus.

Ovidius pariter lib. 1. Amor. Eleg. 1.

Quum bene ſurrexit verſu nova pagina primo,
Attenuat nervos proxinus ille (Amor) *meos.*
PASS.

ibid. ANIMA] Spiritum vocat Eleg. 15. lib. 3.

Qualis Pindarica ſpiritus ore tonat.

Varro apud Nonium in *Anima*:

Phrygios per oſſa cantus liquida canit anima. P.

melius ſit *animo*. nec umquam aliter poetæ Latini. BROUKH.

ibid. EX HUMILI JAM CARMINE] Sic Eleg. 7. lib. 1.

Tunc me non humilem mirabere ſæpe poetam.
PASS.

Humili carmini opponitur ſublime, quemadmodum tenui ſtilo fortior & magnificus. VULP.

ibid. SUMITE VIRES, PIERIDES] Convaleſcite. Cicero pro Archia inquit, *Poetam natura ipſa valere, & mentis viribus excitari*. Ovidius Eleg. 9. lib. 4. Triſt.

Pierides vires, & ſua tela dabunt. PASS.

v. 12. MAGNI NUNC ERAT ORIS OPUS] *Opus* τὸ ἔργον. Materia, inquit, offertur, non ore parvo, ſed ingenti canenda. *Os magnum*, magna canendi facultas. Ita Virgilius 3. Georg.

Nunc veneranda Pales, magno nunc ore ſonandum.

Horatius quoque Sat. 4. lib. 1.

Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum.

Contra Noſter Eleg. 3. lib. 3.

Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
Unde pater ſitiens Ennius ante bibit.

Et Eleg. 8. lib. 4.

Hei mihi, quod noſtro parvus in ore ſonus. P.

Crediderim, adludi ad larvas, quibus tragœdiarum actores caput obtegebant. Iis enim larvis os immodice hiabat, ut facilius tragœdi heroum antiquorum vocem imi-

Jam negat Euphrates equitem post terga tueri
Parthorum, & Crassos se tenuisse dolet.

In-

imitari possent. Quapropter Juvenalis Sat. 3. v. 175.

Persona pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans. V.

ibid. NUNC ERAT] In vulgatis, *eris*. sed *erat*, scriptum est in Groningano. optime. Horatius L. 1 Ode 37.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus: nunc saliaribus
Ornare pulvinar deorum
Tempus erat dapibus, sodales.

quod & istic bene restituit Lambinus, & agnoscunt veteres membranæ jam plus semel laudatæ. Cicero Orat. in L. Pisonem C. 18. *Atque hoc quidem etiam isti tui dicunt voluptarii Græci: quos utinam ita audires, ut erant audiendi!* Seneca Herc. Œt. v. 1135.

Nunc, pater, cæcum chaos
Reddi decebat: hinc & hinc compagibus
Ruptis uterque debuit frangi polus. BROUKH.

Petronius quoque ita loquitur:

Nunc erat a tenera submittere cornua fronte,
Nunc pluma canos dissimulare tuos.

Animadverte τὸ *nunc* junctum præterito imperfecto. VULP.

v. 13. JAM NEGAT E.] Ut Catullus Carm. 4. de phaselo: *Et hoc negat minacis Hadriatici Negare litus*. qua de re dictum ad illud Eleg. 20. lib. 1.

Crudelis Minyis dixerit Ascanius.

Poetæ, ut animam & vitam, sic visum & auditum locis, regionibus, montibus, mari, fluminibus tribuere solent, eorumque testimonio sæpius utuntur. VULP.

ibid. EUPHRATES] De hoc maximo & clarissimo Armeniæ fluvio consulendi Plinius lib. 5. N. H. cap. 24. & Strabo lib. 11. Geographiæ. PASS.

ibid. EQUITEM] Sic habent octo libri, non *equites*, figura tam poetis quam historicis valde familiari. Tacitus L. 1. Ann. C. 60. *Equitem Pedo præfectus finibus Frisiorum ducit*. & L. 3. C. 21. *Missu patris Apronius Cæsianus cum equite & cohortibus auxiliariis, queis velocissimos legionum addiderat, prosperam adversus Numidas pugnam facit, pellitque in deserta*. BROUKH. Rursus Noster Eleg. 3. lib. 4.

Quot sine aquo Parthus millia currat equus. VULP.

ibid. EQUITEM POST TERGA TUERI PARTHORUM] Id est, respicere a tergo, ac simul sagittas in temere sequentes torquere. De simulata Parthorum fuga, præter Plutarchum in Crasso, & Antonio, Propertius ipse lib. 3. Eleg. 7.

Parthorum astutæ tela remissa fugæ.

& Eleg. 3. lib. 4.

Plumbea quum tortæ sparguntur pondera fundæ,
Subdolus & versis increpat arcus equis.

Virgilius quoque lib. 3. Georg.

Fidentemque fuga Parthum, versisque sagittis.

Pulchre Ovidius lib. 1. A. A.

Tergaque Parthorum, Romanaque pectora dicam,
Telaque ab averso quæ jacit hostis equo. P.

ibid. POST TERGA] Id usu magis, quam ratione dicimus. Virgilius 1. Æneid. *Et centum vinctus ahenis Post tergum nodis*. & 2. Æneid. *Manus juvenem post terga revinctum*. Tibullus Eleg. 8. lib. 1.

Nescius ultorem post caput esse deum. PASS.

v. 14. PARTHORUM] Genitivus pro epitheto. ut Eleg. 6. lib. 1. *Hadriæ mare*, pro Hadriaticum. & Eleg. 7. lib. 3. *Medorum pugnaces ire per hostes*. id est per Medos, imperii Romani hostes. PASS.

ibid. ET CRASSOS SE TENUISSE DOLET] Detinuisse, cepisse, & occidisse: nec saltem ossa remisisse in patriam, & signa reddidisse. Alii libri, *se metuisse*. id est, quod se Crassi metuerint. An *tenuisse*; id est, reddere noluisse? An legendum *sustinuisse? Crassos*, Marcum patrem, & Publium filium. vide Plutarchum in Crasso, Appianum, & Dionem. Noster Eleg. 3. lib. 3. *Crassos cladesque piate*. Ibidem: *Crassi signa referte domum*. & Eleg. 6. lib. 4.

Gaude Crasse, nigras si quid sapis inter arenas:
Ire per Euphraten ad tua busta licet.

Ovidius lib. 1. A. A.

Parthe dabis pœnas: Crassi gaudete sepulti. PASS.

Princeps editio A. 1472. *se metuisse*. V.

v. 15.

India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho.
Et domus intactæ te tremit Arabiæ.
Et, si qua extremis tellus se subtrahit oris,
Sentiet illa tuas postmodo capta manus.

Hæc

v. 15. INDIA] De gemina a Poro Indorum rege ad Augustum legatione v. Casaubonus in Suetonii Augustum C. 21. p. 143. 6. BROUKH.

ibid. INDIA QUIN, AUGUSTE, TUO DAT COLLA TRIUMPHO] Præterea tibi victori cervices præbet India vinciendas. *Quin*, pro quinetiam; ut Eleg. 18. infra: *Quin ego deminuo curam*. *India*; ut Eleg. 3. lib. 3.

Arma deus Cæsar dites meditatur ad Indos.

Auguste. Dio lib. 53. Augustum ait cognominatum, quod quasi hominis naturâ amplior esset; ideoque a Græcis σεβαςὸν, quasi venerandum dici. Ovidius lib. 1. Fast.

Sancta vocant Augusta patres: Augusta vocantur
Templa sacerdotum rite dicata manu.

Pausanias in Laconicis idem habet quod Dio. Festus: *Augustus, locus sanctus ab avium gestu, vel gustatu*. Vide Suetonium in Augusto cap. 7. *Dat colla*; ut Tibullus Elegia 4. lib. 1. *Paullatim sub juga colla dabit*. PASS. In triumphis nempe Romanorum

Ibant ante duces onerati colla catenis.

& simulacra etiam provinciarum victarum, specie mulieris captivæ, curribus vehebantur. VULP.

v. 16. DOMUS ARABIÆ] Sedes Arabum & regio ipsa. Dixi ad Eleg. 6. lib. 1.

Ulteriusque domos vadere Memnonias.

In Arabiam Ælium Gallum ab Augusto missum scribit Strabo lib. 16. Virgilius 7. Æneid.

Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum,
Eoisve, Arabisve parant. PASS.

ibid. INTACTÆ ARABIÆ] Armis Romanorum ad eam usque diem intentatæ. Horatius Ode 24. lib. 3. *Intactis opulentior Thesauris Arabum*. Idem Epodo 7. *Intactus aut Britannus ut descenderet Sacra catenatus via*. Contra Plinius lib. 12. N. H. cap. 14. *Res in Arabia gessimus, & Romana arma in eam penetravere. etiam Cæsar Augusti filius inde gloriam petiit*. PASS.

ibid. TE TREMIT] Potentiam tuam, virtutemque militarem valde formidat. Est autem ἔλλειψις, & subaudiendum, *ob*, *propter*. Ita loquuntur & alii boni scriptores. Virgilius Æneid. 8. v. 668.

Et te, Catilina, minaci
Pendentem scopulo, Furiarumque ora trementem.

Seneca Œdipode v. 800.

Connubia matris Delphico monitu tremo.

Juvenalis Sat. 11. v. 90.

Quum tremerent autem Fabios, durumque Catonem.

T. Livius lib. 23. *Vultum ipsius Hannibalis, quem armati exercitus tremunt, quem horret populus Romanus, tu sustinebis?* Appulejus lib. 4. Asini Aurei: *Quem tremit ipse Jovis*. Eadem ratio verbi compositi. Horatius Ode 12. lib. 1. *Unde periculum Fulgens contremuit domus Saturni veteris*. Latinis Græci præiverunt, verbum τρομέω sic adhibentes. Homerus Iliados 17. v. 203.

Σὺ δ' ἄμβροτα τεύχεα δύνεις
Ἀνδρὸς ἀριστῆος, τόν τε τρομέουσι καὶ ἄλλοι.

Vide eumdem Hymno in Apollinem v. 2. Theocritus pariter Idyllio 2. v. 12.

Τὶν γὰρ ποταείσομαι ἅσυχα δαῖμον,
Τᾷ χθονίᾳ θ' Ἑκάτᾳ, τὰν καὶ σκύλακες τρομέοντι.

& Idyllio 27. v. 27. τίνα τρομέοντι γυναῖκες; VULP.

v. 17. ET, SI QUA] Et quæcumque. Elegia 3. supra:

Nec si qua Arabis lucet bombyce puella.

Ita & alibi. PASS.

ibid. EXTREMIS TELLUS SE SUBTRAHIT ORIS] Longinqua & ignota in recessu quodam latet. Sic Statius 1. Thebaid.

Gargara desidunt surgenti, & Troja recedit.

Seneca Consolat. ad Marciam cap. 18. *Litora in portum recedentia*. Noster quoque Eleg. 10. lib. 4.

Quæ se submotâ vindicat ora casâ.

De amplitudine regiæ domus dixit Catullus Carm. 63.

Quacumque opulenta recessit Regia.

Vide & Elegiam 6. lib. 1. v. 31. PASS. Illud Virgilii non dissimile: *Italiam sequimur*

Hæc ego castra sequar vates: tua castra canendo
Magnus ero: servent hunc mihi fata diem.
Ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
Ponitur hic imos ante corona pedes:

Sic

mur fugientem . quia scilicet infelices Trojani adversis casibus agitati numquam eo se perventuros existimabant . VULP.

v. 18. SENTIET ILLA TUAS POSTMODO CAPTA MANUS] Vim tuam & virtutem paullo post experietur . *τὸ sentiet* , minantis . Terentius Adelphis 1, 2. *Iste tuus sentiet posterius* . ubi *posterius* , ut hic *postmodo* . Virgilius 7. Æneid.

Rex ipse Latinus ,
Ni dare conjugium , & dicto parere fatetur ,
Sentiat , & tandem Turnum experiatur in armis .

Postmodo , non ita multo post , mox . Noster Elegia 5. lib. 4.

Postmodo mercata pace premendus erit .

Ovidius Eleg. 8. lib. 1. Amorum :

Postmodo de stipula grandis acervus erit .

T. Livius lib. 1. Hist. *postmodum* dixit . P.

v. 19. HÆC EGO CASTRA SEQUAR VATES] Tibullus pariter Eleg. 6. lib. 2. *Castra Macer sequitur* . PASS. Sequar vates , non miles . nempe me adcingam ad scribendum heroicum poema de tuis rebus gestis . V.

ibid. TUA CASTRA CANENDO MAGNUS ERO] Non tam ingenii mei modulo , quam vi ipsius argumenti , & afflatu quasi tui numinis . Vide Virgilium Ecl. 4. a versu 53. *Magnus* , ut Eleg. 7. lib. 1.

Ardoris nostri magne poeta jaces . PASS.

Quasi dicat: Tu o Cæsar , & milites tui materiam præbete carminibus meis : ego ad hoc natus videor , ut bellantium res gestas celebrem potius , quam ipse caput periculis objectem . Sequebantur tamen poetæ magnos duces ad prœlium . Audi Claudianum Præfat. lib. 3. De Laudibus Stilichonis :

Major Scipiades , Italis qui solus ab oris
In proprium vertit Punica bella caput ,
Non sine Pieriis exercuit artibus arma :
Semper erat vatum maxima cura duci .

& mox :

Hærebat doctus lateri , castrisque solebat
Omnibus in medias Ennius ire tubas . V.

v. 20. SERVENT HUNC MIHI FATA DIEM] Hypallage . pro , fata me huic diei servent . id est , ad hunc usque diem vivere patiantur . Ipse optimus est sui interpres Eleg. 4. lib. 3.

Ante meos obitus sit , precor , illa dies ,
Qua videam spoliis onerata Cæsaris axe
Ad vulgi plausus sæpe resistere equos .

Alludit ad ea quæ servantur amicis . Virgilius Ecl. 3. de capreolis : *Quos tibi servo* . Tibullus Eleg. 5. lib. 1.

Hæc mihi servabit plenis in lintribus uvas . PASS.

Virgilianum illud non dissimile 1. Æneid.

Durate, & vosmet rebus servate secundis . V.

v. 21. UT CAPUT IN MAGNIS UBI NON EST TANGERE SIGNIS , PONITUR HIC IMOS ANTE CORONA PEDES] Scaliger reponit *his* , male . bene *hic* . id est , tunc , ut sæpe Cicero & Terentius aliique usurpant : & refertur ad *ubi* , idest , quum . *Non est* , οὐκ ἐςὶ , non licet . Virgilius 4. Georg.

Scis Proteu, scis ipse: nec est te fallere cuiquam.

Horatius Sat. 5. lib. 1.

Mansuri oppidulo , quod versu dicere non est .

A Græcis Latini sumserunt . Homerus : ἔσθ' ὅπως ἐςὶν καταθέμεναι . *In magnis signis* , non in sigillis , sed ingentibus simulacris & statuis . Festus in *Litura : Signa , ut rerum , ita res ipsæ sculptæ , aut lapides aut ferrum & si quæ sunt ejusmodi quæ sculpantur . etiam pocula & simulacra ad effigiem hominum conformata . Ponitur corona* , est dedicantis . ut Ovidius Epist. Penelopes :

Ponitur ad patrios barbara præda deos .

Noster infra Eleg. 14.

Has pono ante tuas tibi, diva , Propertius ædes Exuvias .

Vide quæ adnotamus ad Elegiam 3. lib. 1. v. 22. Corona autem aut florea , aut spicea , aut ex pomis , aut ex marino rore , qua Lares coronabantur . *Ante pedes imos* . Ad pedes & genua deorum vota ponebant . Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 13.

Ipse feram ante tuas munera vota pedes .

Iuvenalis autem Sat. 10.

Ergo

Sic nos, nunc inopes laudis conſcendere carmen,
Pauperibus ſacris vilia tura damus.

Non-

Ergo ſupervacua hac, aut perniciosa petuntur,
Propter quæ fas eſt genua incerare deorum.

Inſignare id dicitur. Interpres Juvenalis ibidem. Arnobius lib. 6. Contra Gentes: *Iſta enim non videtis ſpirantia hæc ſigna, quorum plantas & genua contingitis, & contrectatis orantes*. Appulejus Apologia I. *Votum in alicujus ſtatuæ femore aſſignaſti*. & lib. 11. Aſini Aurei: *Exoſculatis veſtigiis deæ, quæ gradibus templi hærebat argento formata*. Tangebant & pedes ſignorum juraturi. Juvenalis Sat. 14. *Cereris tangens aramque pedemque*. *Imos pedes*. ut Virgilius 1. Æneid. *Pedes veſtis defluxit ad imos*. PASS.

v. 21. NON EST TANGERE] In hac locutione ſubaudiendum videtur *facultas, poteſtas, copia*, vel *fas*. In Græcis vero *δύναμις, θέμις*. VULP.

v. 22. PONITUR CORONA] Cur, & a quibus coronarentur ſtatuæ deorum, docet Juſtus Lipſius lib. 3. Antiqu. Lect. Facit locus Plauti Aſinar. Actu 4. Scena 2. quæ tota facetiis & lepôre ſcatet:

Tum ſi coronas, ſerta, unguenta juſſerit
Ancillam ferre ſuam Veneri aut Cupidini,
Tuus ſervus ſervet, Venerine eas det, an viro.

Nec deorum tantummodo, ſed & regum ſtatuis imponebant coronas. Teſtis inter alios Juſtinus lib. 18. Hiſt. cap. 2. *Miſſi a Senatu*, inquit, *in Ægyptum legati, quum ingentia ſibi a Ptolemæo rege miſſa munera ſprevisſent, interjectis diebus ad cœnam invitatis aureæ coronæ miſſæ ſunt, quas illi honoris cauſſa receptas poſtera die ſtatuis regis impoſuerunt*. VULP.

ibid. IMOS PEDES] Ita Valerius Flaccus 1. Argonaut. v. 384.

Mopſus; puniceo cui circumfuſa cothurno
Palla imos ferit alba pedes. VULP.

v. 23. SIC NOS, NUNC INOPES LAUDIS CONSCENDERE CARMEN] Varie *inops* accipitur. modo enim ſignificat, Opis, id eſt telluris, egentem & inſepultum; ut apud Virgilium 6. Æneid. *inops, inhumataque turba*; modo exiguarum aut nullarum opum ſeu virium, ut hic. *Inopes conſcendere*. ἰλλιγγιῶμεν. ut Eleg. 11. lib. 1. *Facilis cedere lympha*. *Conſcendere carmen laudis*, ad altum & laudabile carmen pervenire, quo heroes celebrantur. huic opponitur *carmen humile* ſupra hac Elegia. Horatius *laudabile carmen*. & laudis carmen Epicorum; nam laus, militiæ. ut Eleg. 6. lib. 1.

Non ego ſum laudi, non natus idoneus armis.

& *laus*, virtus, *ἀνδρεία*. Sed vetus liber Memmii, *culmen*, pro carmen. Sic Virgilius 2. Æneid. *Aſcendo ad ſummi faſtigia culminis*. Palmerius ex conjectura: *laudis conſcendere in arcem*. non probo. PASS. Aut hæc ſunt egregie corrupta, aut verſus eſt nothus. quod quo facilius credam, facit iſtud proxime inſequens *vilia tura*. ſane turis mentio aperte clamat, aliud aliquid, cui reſponderit, deſiderari. In uno libro erat *conſcendere currum*; quod neſcio ſi nos ad veritatis cubile deducet, ut ſcribatur:

Sic nos nunc inopes laudis contendere curſu.

ſane *laudis curſum petere*, dixit Cicero in Orat. pro M. Cœlio. BROUKH. Placet lectio: *laudis conſcendere currum*. venit ſcilicet in mentem illius Horatiani Sat. 6. lib. 1.

Sed fulgente trahit conſtrictos gloria curru
Non minus ignotos generoſis.

Retinendam tamen cenſeo vulgatam lectionem. Eſt enim hoc unum ex Propertii ſingularibus; quod fortaſſe a Callimacho, vel Phileta Noſter derivaverit. VULP.

v. 24. PAUPERIBUS SACRIS] Diis ligneis, vel fictilibus. Tibullus Eleg. 10. lib. 1.

Tunc melius caluere fidem, quum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde deus.

Noſter Eleg. 2. lib. 4. de Vortumno:

Stipes acernus eram properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in urbe deus.

& *ſacra*, pro diis. ut Eleg. 1. lib. 1. *ſacra piare*. & Eleg. 1. lib. 4.

Ducebant macræ vilia ſacra boves. PASS.

ibid. VILIA TURA DAMUS] Tus quidem magni eſt pretii, ut docet Plinius N. H. lib. 12. cap. 14. ſed adulteratur reſina, itáque vilius fit. Ac ſic puto Eleg. 7. lib. 4. *nulla mercede hyacinthos*, dici, adulterinos; non enim veros & cariſſimos cremabant. Sic dixit alibi:

Quaque nitent Sacra vilia dona Via.

id eſt, quæ parvo emuntur. De turis pretio Tertullianus Apologia, apud Briſſonium: *Grana turis unius aſſis*. PASS. *Tura*

ha-

Nondum etiam Aſcræos norunt mea carmina fontes,
Sed modo Permeſſi flumine lavit Amor.

habent quidam libri, ſine adſpiratione. Fl. Chariſius L. 1. *Tus a tundendo ſine adſpiratione dicitur, quamvis Julius Modeſtus ἀπὸ τοῦ θύειν tractum dicat*. ſcribi quoque ſine adſpiratione in veteribus libris, ac præſertim Virgilio Carpenſi, teſtantur Pierius & Aldus nepos. & ſequitur in illa ſua præclara Virgilii editione Vir laudatiſſimus Nic. Heinſius. neque optimus ille Horatii codex umquam aliter. contra ſtant Jo. Jovianus Pontanus L. 2. de Aſpirat. Erythræus Ind. Virgil. in *Thuriferis*, & magnus Voſſius in Etymologico. BROUKH.

v. 25. NONDUM ETIAM ASCRÆOS NORUNT MEA CARMINA FONTES] Ovidius lib. 1. A. A.

Non mihi ſunt viſæ Clio Cliusque ſorores
Servanti pecudes vallibus, Aſcra, tuis.

Idem lib. 6. Faſt.

Ecce deas vidi, non quas præceptor arandi
Viderat, Aſcræas quum ſequeretur oves.

Mea carmina norunt. ego poeta adii. ut Eleg. 6. lib. 1. *noſcere Hadriæ mare*. *Fontes Aſcræos*. Hippocrenen & Aganippen ſignificat; nam Aſcra ignobile & infelix oppidulum, Heſiodi, ut ipſe teſtatur, patria, de quo multa Strabo lib. 9. ſitum erat ad ripas Heliconis, teſte Pauſania in Bœoticis. Huc refer illud Juvenalis Sat. 7. *Aptusque bibendis Fontibus Aonidum*. PASS.

v. 26. SED MODO PERMESSI FLUMINE LAVIT AMOR] Annotavi ad Eleg. 1. ſup. verſu 4. Amorem ipſum eſſe poetam & poetas facere. *lavit* non carmina, ſed me cantorem & poetam. Sic Eleg. 3. lib. 3.

Talia Calliope, lymphiſque a fonte petitis
Ora Philetæa noſtra rigavit aquâ.

Flumine, aqua. ut dixi ad Eleg. 20. lib. 1. verſu 43. *Permeſſi flumine*, dictum ut *Hadriæ mare*. Permeſſus ex Helicone fluit, de quo Strabo lib. 9. & Nicander, τοῦ ὕδασι Περμεσσοῖο. Minores autem poetæ e Permeſſo hauriunt, majores ex ipſo fonte Heliconis Aganippe. Aganippen fontem eſſe Permeſſi fluminis ſcripſit Callimachus, inquit Interpres Juvenalis Sat. 7. Martialis *Permeſſida* vocat:

Quid tibi cum Cyrrha? quid cum Permeſſidos unda? PASS.

ELEGIA XI.

SCribant de te alii, vel ſis ignota, licebit:
Laudet, qui ſterili ſemina ponit humo.

Omnia,

ARGUMENTUM ELEGIÆ XI. LIBRI II.] Cynthiæ iratus ob neſcio quam injuriam acceptam, ei contemtum apud poſteros, & oblivionem vaticinatur. VULP.

v. 1. SCRIBANT DE TE ALII] Non ego quidem. Hæc Scaliger non putat a ſuperioribus eſſe divellenda: ſed divelli poſſunt. nam ſuperiore Elegia Cynthiam Propertius non alloquebatur. Nunc ei valedicit; ut Catullus Carm. 8. *Vale puella; jam Catullus obdurat*. Item Carm. 11. *Cum ſuis vivat valeatque mœchis*. Pass. *Scribant de te alii, vel ſis ignota, licebit*. Hoc ſibi vult, credo, poeta: Quoniam ego de te ſcribendi propoſitum abjicio, alterutrum tibi contingat neceſſe erit: aut enim curam & cogitationem tui laudandæ, quam ego depono, ſument ſcriptores alii; aut ſi nemo id facere nolit, jacebis ignota, carminum ſcilicet ſubſidio penitus deſtituta, quæ famam tui nominis propagare poſſint. *Licebit*, pro oportebit. Eleg. 9. ſupra verſu pænultimo: quod vidit Paſſeratius: *Mihi ſi mediâ liceat pugnare puellâ*. Cicero pro Sex. Roſcio: *Et artificium obliviſcatur, & ſtudium deponat licebit*. Porro *licebit*, pro licet, nonnumquam uſurpatur. Ovidius Epiſt. Acontii:

Quamlibet accuſes, & ſis irata licebit.

Idem lib. 2. Metam.

Plus etiam, quam quod Superis contingere fas ſit,
Neſcius affectas; placeat ſibi quiſque licebit.

Cicero lib. 2. Tuſc. Quæſt. *Non modo ſti-*

mulos

Omnia, crede mihi, secum uno munera lecto
Auferet extremi funeris atra dies.

Et

mulos doloris, *sed etiam fulmina fortunæ contemnamus licebit*. Est etiam explicatio alia, quæ huic versui convenire possit; nempe, susque deque habeo, nihil interesse existumo, id me sollicitum nun habet, per me quidem licet. Hæc omnia contemtum significant & securitatem. VULP.

v. 2. LAUDET, QUI STERILI SEMINA PONIT HUMO] Scaliger ex vet. lib. *laudes*. ut sit idem prope cum eo:

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi.

verum ego lectionem vulgatam tueor, *Ludet*. id est, scribet nugas de te, ut Elegia 3. supra:

Per Aganippeæ ludere docta lyræ.

Immo *ludet* refertur ad *semina*. *ludet semina*, qui semina ponit humu sterili. id est, perdet. Nam *lusor ne perdiderit non cessat perdere*, ut ait Ovidius. hinc *ludere operam*, perdere. Sic vulgo dicimus: *Il ne joüera plus*. Sic Eleg. 33. infra:

Non audis, & verba sinis mea ludere.

id est perire & volitare rapidis ludibria ventis. *Sterili semina ponit humo*, qui sementem in arena & litore facit. allegoria proverbialis; ut Ovidius Epist. 5. Heroid.

Quid facis, Oenone? quid arenæ semina mandas?
Non profecturis litora bubus aras.

Ennius Andromeda apud Nonium in *Seges*: *Quod beneficium haud sterili in segete, Rex, te obsesse intelligit*. *Ponit semina*; sic Virgilius 2. Georg. *Pars autem posito surgunt de semine*. PASS. *Laudet*, occurrit etiam in Editione principe anni 1472. quæ a fide veterum codicum, ut videtur, ne latum quidem unguem discedit. Aldinæ duæ cum Gryphiana præferunt *Ludet*. Sententiam hujus loci Propertiani, quæ adagium sapit, nos ita expressimus Elegia quadam nostra:

Quam celebres, mediis leporem qui captat in undis,
Et subigit valido litora sicca bove.

Sed medullam ipsam & nucleum sententiæ oportet eruere. Poeta Cynthiam nihili pendit, & facultatem ipse suam extollit. Si qui alii te laudaverint, ait, bis operam perdent: & quod male collocentur apud te beneficia, & quod eorum carmina levia & inficeta, brevi duratura sint. VULP.

v. 3. OMNIA MUNERA] *Munera* vocat formam & sermonis gratiam, quæ natura contulit, & morte exstinguuntur. nam ceteras dotes ei non dat; puta fidem, constantiam, probitatem. PASS. Existimo loqui poetam de carminibus quæ Cynthiæ muneri mitterentur a poetis minorum gentium: vel etiam de pecunia, gemmis, vestibus pretiosis, quibus rivales Propertii avaram mulierem certatim augebant. hæc enim omnia mortalia, & cum ea peritura vaticinatur. VULP.

ibid. TECUM] *Secum*, Groninganus, & Vaticanus Livinejo inspectus. quam argutam lectionem non insuper habendam puto. dies ille tuus funebris, o Cynthia, omnem tui memoriam secum auferet, numquam rediturus. BROUKH.

ibid. TECUM UNO MUNERA LECTO AUFERET EXTREMI FUNERIS ATRA DIES] *Uno lecto*, eodem lectu funebri, cui cadaver tuum impositum igne rogi comburetur; de quo lecto dicitur ad Eleg. 13. infra v. 21. *Auferet atra dies*. ut Petronius:

Sic erimus cuncti postquam nos auferet Orcus.

Noster Eleg. 20. infra:

Ambos una fides auferet, una dies.

& *Atra dies*, ut Eleg. 24.

At me non ætas mutabit tota Sibyllæ,
Non labor Alcidæ, non niger ille dies.

Virgilius 6. Æneid. *ab ubere raptos Abstulit atra dies*. Tibullus quoque Eleg. 5. lib. 3.

At mihi Persephone nigram denuntiat horam.

Muretus ergo quod attulit ad illum locum Virgilii de funere acerbo, verum non est: non enim si ante lucem acerba infantium funera efferrentur, ideo illa atra dies tantum. *Extremi funeris*. Extrema, ultima, summa, vocat ea omnia quæ ad mortem pertinent, quia *mors ultima linea rerum est*. Vide notata ad Eleg. 19. lib. 1. v. 2. P. Similem sententiam continet vetus Inscriptio XXI. Classe XVIII. apud Reinesium. Integram adscribam:

D. M.

Et tua transibit contemnens ossa viator,
Nec dicet, Cinis hic, docta puella fuit.

D. M.
Quid sibi vult, quaeris, tellus congesta, viator?
Ossibus hic uxor miscuit ossa meis.
Nobilis Eufronia, facilis, formosa puella
Docta, opulenta, pia, casta, pudica, proba.
Fortunam mirare meam. verum exitus his est.
Omnia mecum uno composui tumulo.
I nunc, & quicquam votis melioribus opta:
Absumit cocum singula sarcophagus.
Hermodoro Paragmio, & Eufronia Paragmia
Lib. Carissimis Hermadorus
Peatorius Nomenculator posuit.
H. M. H. N. S.

VULPIUS.

V. 5. ET TUA TRANSIBIT CONTEMNENS OSSA VIATOR] Praeteriens juxta tuum tumulum, non insistet, nec bona verba dicet. addidit *contemnens*, ut Eleg. 19. lib. 1. *contemtis busto*, vel potest esse hypallage, transiens contemnet. Viatoris meminit, quia monumenta secundum viam fieri solebant. PASS.

V. 6. NEC DICET, CINIS HIC, DOCTA PUELLA FUIT] *Cinis hic*, ut Eleg. 13. infra:

Deinde ubi suppositus cinerem me fecerit ardor.

Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 6.

Jamque cinis vivis fratribus Hector erat. P. Doctrinae laudem poeta non negat Cynthiae, ut putabat Passeratius: tantum ait, ejus sepultae, atque a Propertii versibus destitutae, rudes viatores rationem non habituros. VULP. Fuisse a poetae manu arbitror:

Nec, Cinis hic, dicet, docta puella fuit.

quales apud Nasonem complures locos restituit illustris Heinsius. comtius id erat, quam ut placeret inficetis librariis. BROUKH.

ELEGIA XII.

QUicumque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus?

Hic

ARGUMENTUM ELEGIAE XII. LIBRI II.] Vulgatam Cupidinis imaginem laudat, & ad se ipsum accommodat. VULP.

V. 1. QUICUMQUE ILLE FUIT, PUERUM QUI PINXIT AMOREM] Ex Eubulo Comico, apud Athenaeum lib. 13. sumta haec, docet Scaliger. Pharnutus quoque puerum fingi Amorem ait ob imbecillum animum amantium, & fraudibus obnoxium. Servius in 1. Aeneid. *Quia turpitudinis est stulta cupiditas, & quia imperfectus in amantibus sermo, puer Amor pingitur.* Vide Fabium cap. 4. lib. 2. Ovidius in Remediis Amoris:

Et puer est, nec ei quicquam nisi ludere oportet. PASS.

Quicumque ille fuit, &c. Subaudi, *primus*, vel *primum*. quod poeta demum subjicit v. 3. *Hic primum vidit*. Et sero nimia videtur subjicere; si tamen nos, ab aurea illa Augusti aetate longissime disjuncti, de Latinorum syntaxi recte judicare possumus. Nam alioqui non unus fuit qui Amorem pingeret puerum, sed omnino plurimi, & inter illos nonnulli excellentes; ut de illis dicere, *Quicumque ille fuit*, absurdum plane fit. Verum ad inventorem talis picturae haec pertinere, ex toto Elegiae contextu liquet. VULP.

ibid. PUERUM QUI PINXIT AMOREM] Amor ad pueriles ineptias paullatim deducit sectatores suos. Venuste Horatius Sat. 3. lib. 2. v. 258.

Porrigis irato puero quum poma, recusat:
Sume, catelle; negat: si non des, optat. amator
Exclusus qui distat? agit ubi secum, eat, an non,
Quo rediturus erat non arcessitus; & haeret
Invisis foribus: Ne nunc, quum me vocat ultro,
Accedam? an potius mediter finire dolores?
Exclusit; revocat: redeam? non, si obsecret. V.

V. 2. MIRAS H. H. MANUS] Admirabili praeditum fuisse arte & industria. Contra Eubulus de eo pictore: ὡς ἰδὼν εἶδεν πολλὰς χελιδόνας γράφειν. *manus*, pro arte. vide

Eleg.

Hic primum vidit sine sensu vivere amantes,
Et levibus curis magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas,
Fecit & humano corde volare deum.

Eleg. 1. supra v. 10. PASS. ἄνηρος loquitur Propertius hoc loco. laudem scilicet, quæ hominis consilio & prudentiæ debetur, manibus tribuit. Nam & imperitus picturæ potuit primus cogitare, Amorem pingendum esse puerum: pictoris autem laus in eo sita erat, ut hunc puerum graphice effingeret. VULP.

ibid. HUNC HABUISSE] Animadvertant studiosi Latinitatis modum loquendi singularem: *Hunc, quicumque ille fuit*. Non abit longe Tibullus in calce Eleg. 3. lib. 1.

Hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis. V.

v. 3. HIC PRIMUM] *Is primum*, alter Colbertinus. BROUKH.

ibid. VIDIT] Sensit, animadvertit, intellexit. Sic sæpe Cicero. VULP.

ibid. SINE SENSU VIVERE AMANTES] Sine consilio; ut Eleg. 1. lib. 1. *nullo vivere consilio*. Vetus Glossarium: *Animus, sensus, mens, διάνοια*. Item, *sine sensu, ἄνες*. Sic Festus: *Anus dicta, quod jam sit sine sensu, qui Græce dicitur νῦς*. Vide adnotata ad Eleg. 1. supra v. 55. PASS. *Sine sensu vivere amantes*. ἀναισθήτως, ἀνοήτως, ἢ ἀγνώμονας. Hic etiam, ut fere semper, Propertius ἑλληνίζει. Demosthenes περὶ στεφάνου: Ἐπεπείσμην δ' ὑπὲρ ἐμαυτοῦ, τυχὸν μὲν ἀναισθήτως, ὅμως δ' ἐπεπείσμην. *Hoc mihi de me ipso persuasi, stulte* (i. e. sine sensu) *fortasse; persuasi tamen*. Horatius pariter Sat. 4. lib. 1. v. 76.

- - - - - inanes
Hoc juvat, haud illud quærentes, num sine sensu,
Tempore num faciant alieno.

Et Auctor Liberi Carminis, Epigr. 2. *Sensus mihi corque defuisset*. Cicero quoque Philippica 2. *Quamvis enim sine mente, sine sensu sis, ut es, tamen & te, & tua, & tuos nosti*. *Vivere* autem, pro esse. ut Horatius Epist. ad Pisones v. 36. *naso vivere pravo*. VULP.

v. 4. ET LEVIBUS CURIS MAGNA PERIRE BONA] Notæ sunt amantium ineptiæ, quæ ipsis quidem, prave animo affectis, curæ videntur graves Virgilius initio lib. 4. Æneid.

At regina gravi jamdudum saucia curâ.

sed re vera de nihilo nascuntur. Magna bona pereunt amantibus, ratio ipsa, fama, valetudo, fortunæ, libertas. Lucretius lib. 4. hasce amatorias nugas irridet elegantissime:

Adde quod alterius sub nutu degitur ætas.
Labitur interea res, & vadimonia fiunt:
Languent officia, atque ægrotat fama vacillans.
Unguenta, & pulchra in pedibus Sicyonia rident
Scilicet, & grandes viridi cum luce smaragdi
Auro includuntur, teriturque thalassina vestis
Assidue, & Veneris sudorem exercita potat:
Et bene parta patrum fiunt anadem ata, mitræ.
PASS.

Hoc non obscure indicarunt fabulatores antiqui Paridis figmento, qui arbiter electus de pulchritudine trium dearum, Veneri, levissima præmia, immo & noxia, pollicenti, temere favit: contemtis opibus, & militari virtute, quæ Juno & Pallas promittebant. Sic etiam Dido, amore capta, omnium obliviscitur quæ antea paraverat ad Carthaginem ædificandam & muniendam. Vide & Plautum Trinummo 2, 1. ab illis verbis: *Illico ces foras Labitur, liquitur*. Vere acutissimus Leibnitius in Animadversionibus ad Librum de Origine Mali, pag. 337. *Aussi trouvet-on tous les jours des gens qui sacrifient leurs avantages à leurs caprices, c'est-à-dire des biens reels à des biens apparens*. Quod autem Propertius curas vocat *leves*; notissimum illud Senecæ:

Curæ leves loquuntur, ingentes stupent. V.

v. 5. NON FRUSTRA] ὐκ ἀλόγως. Ita Catullus Carm. 61.

Non frustra meditantur: habent memorabile quod sit.

Tibullus quoque lib. 1. Eleg. 5.

Non frustra quidam jam nunc in limine perstat. VULP.

ibid. VENTOSAS ADDIDIT ALAS] Affinxit

alas celeres, quæ modo huc, modo illuc vento feruntur. Virgilius 12. Æneid.

. . . paribusque revinxit
Serpentum spiris, ventosasque addidit alas.

Ovidius lib. 2. Amorum Eleg. 9.

Tu levis es, multoque tuis ventosior alis.

Hinc ἀνεμώλιοι Homero, qui Latinis ventosi & inanes. Virgilius 11. Æneid.

Agnoscat, ventosa ferat cui gloria laudem.

id est κενοδοξία. *Alatus*, inquit Servius in 1. Æneid. *fingitur Cupido, quia nihil amantibus levius, nihil mutabilius*. Phurnutus, quia, ut avis, advolet animum. De alis Amoris Noster Eleg. 9. lib. 1. v. 23. Ovidius lib. 2. A. A.

Et levis est, & habet geminas, quibus evolet, alas.

& alibi sæpe. PASS.

v. 6. FECIT VOLARE DEUM] Pinxit videlicet deum Cupidinem non alatum solum, sed etiam alis utentem ac volantem. Ovidius de Arachne, quæ texendo pingebat, lib. 6. Metam.

Fecit & Asterien aquila luctante teneri:
Fecit olorinis Ledam recubare sub alis.

Virgil. quoque lib. 8. Æneid. de Vulcano:

Fecerat & viridi fetam Mavortis in antro
Procubuisse lupam. &c. VULP.

Tibullus Eleg. 5. lib. 2.

Impiger Ænea, volitantis frater Amoris.

Vide notata ad Eleg. 30. infra v. 31. P.

ibid. HUMANO CORDE] Passeratius nihil attulit ad hæc verba; quæ tamen accurata explicatione indigebant, quum aliorsum atque poeta dixerat, accepta sint ab interpretibus. Putaverunt igitur, eam esse horum verborum sententiam: Fecit ille pictor, quisquis fuit, deum volare in corde humano. qua quidem interpretatione nihil ineptum vel absurdum magis. Amor enim corde exceptus colligitur potius & arctatur, quam volet. Deinde, quomodo pictor cor humanum effingat, & in eo volantem Amorem? Equidem valde miror, Henricum quoque Stephanum, doctissimum hominem, in sua μεταφράσει Græca hujus Elegiæ idem peccatum peccavisse. hoc enim pactu vertit:

Εἶπε δὲ ὐκ ἀλόγως ἀνεμώδεά οἱ πτερὰ τεῦξεν,
Ὡς βροτέοισι πέτεσθ' ἐν κραδίαισι θεόν.

Sed quomodo explicandum sit, vidit Caspar Scioppius, Criticus emunctæ naris, ad Carmen 1. Lusuum in Priapum, quum hos Propertii versus attulisset: *Admodum cordate*, inquit, *finxit Cupidinem volare*. Nihil certius aut rectius. Nam primum omnium, *cor* pro sensu & intelligentia usurpabant veteres. unde illud Ennii:

Egregie cordatus homo Catus Ælius Sextus.

Faciunt verba Ciceronis lib. 1. Tusc. Q. *Aliis cor ipsum animus videtur; ex quo excordes, vecordes, concordesque dicuntur, & Nasica ille prudens bis consul Corculum, & Egregie cordatus homo Catus*. Hinc illa Cæsaris allusio apud Suetonium Julio, cap. 77. *Eoque arrogantia progressus est, ut haruspice tristia & sine corde exta sacro quodam nuntiante, fore diceret lætiora quum vellet; nec pro ostento ducendum, si pecudi cor defuisset*. Lucretius in calce lib. 5.

Namque alid ex alio clarescere corde videmus
Artibus, ad summum donec venere cacumen.

Dixit Propertius paullo ante;

Hic primum vidit sine sensu vivere amantes.

vidit, nempe *corde*. Propterea Catullus Carm. 82. *Mule, nihil sentis*. appellat mulum stolidum hominem, ac sine corde. *Sensus* enim & *cor* conjunguntur apud Scriptorem Liberi Carminis Epigr. 2. *Sensus mihi corque defuisset*. Juvenalis autem Sat. 7. v. 160. *Læva in parte mamillæ Nil salit Arcadico juveni*. quasi diceret, Juvenis iste, asinus verius quam homo, corde caret. Sciunt eruditi, cor appellatum in ἐμβρύῳ bullam salientem. *Humanum* igitur *cor*, est mentis acies & prudentia, quæ hominem vere deceat, neque sit ipsi communis cum brutis animantibus. Porro *humanum* aliquando significat sollers, acutum, ingeniosum. Plautus Milite Glor. 4, 2, 52.

Ecquis dignior fuit, homo qui esset? PAL. *non hercle humanum est ergo:*
Nam volturio plus humani credo est.

ad quem locum vide Frid. Taubmannum. Cicero postrema Oratione in C. Verrem: *Interea Syracusani, homines periti & humani, qui non modo ea quæ perspicua essent videre, verum etiam occulta suspicari possent*, &c. Iccirco *humanæ rationes* Lucretio lib. 2. v. 167. sunt, quod Itali dicimus, *divisamenti discreti, ben pensati*:

At quidam contra hæc, ignari; materiaï
Naturam non posse, deum sine numine, reutur
Tantopere humanis rationibus, ac moderatis
Tempora mutare annorum, frugesque creare.

Sed locus Lactantii Firmiani Div. Instit. lib. 3. cap. 20. explicationem Scioppii confirmat unice. *Aliquid ergo Socrates habuit*

car-

Scilicet alterna quoniam jactamur in unda,
Noſtraque non ullis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus eſt armata ſagittis,
Et pharetra ex humero Gnoſia utroque jacet.

Ante

cordis humani, qui quum intelligeret, hoc non poſſe inveniri, ab hujuſmodi quæſtionibus ſe removit. Cui loco ſimilis videri poſſit alius Arnobii lib. 5. Contra Gentes: *Quid enim tam imprudens, quam confiteri te ceptum argutia cordis humani?* neque tamen ſimilis eſt. Loquitur de Jove, calliditate Numæ Pompilii decepto. *Humano pectore* dixit Manilius lib. 1. Aſtronom. v. 715. eadem ſignificatione:

Inquiruntque ſacras humano pectore cauſſas.

Humano ſenſu, D. Auguſtinus contra Epiſtolam Manichæi: *Quæ ſi humano ſenſu intueris, vides plus eſſe laudanda, quam illa vituperanda quæ diſplicent.* Primus autem omnium fons elegantiarum Homerus dixerat in calce lib. 1. Iliados:

Ἧχι ἑκάςῳ δῶμα περικλυτὸς ἀμφιγυήεις
Ἥφαιςος ποίησ' εἰδυίῃσι πραπίδεσσι.
Ubi ſingulis domum, inclytus, pedes claudus,
Vulcanus fecerat ſollertibus præcordiis.

Quod imitatus videtur Catullus Carm. 63. v. 294.

Poſt hunc conſequitur ſollerti corde Prometheus.

Ceterum, ut Propertius, *humano corde*, ſic Empedocles apud Clementem Alexandrinum lib. 5. Stromaton cap. 14. ſcripſit θείων πραπίδων:

Ὄλβιος, ὃς θείων πραπίδων ἐκτήσατο πλοῦτον·
Δειλὸς δ' ᾧ σκοτόεσσα θεῶν πέρι δόξα μέμηλεν.
Felix, divinæ poſſedit qui bona mentis:
Sed miſer eſt tenebroſa deûm cui opinio curæ.

nempe ſuperſtitio, & pravæ ſententiæ de natura deorum. Animadvertant qui proficere cupiunt, quomodo laudet Propertius pingendi Cupidinis auctorem. ait, illi fuiſſe miras manus; primum vidiſſe quæ alii minus viderant; non fruſtra, ſeu non temere aut ſine cauſſa, alas addidiſſe; cordis humani, ſive ingenii acerrimi, documentum dediſſe tribuendo volatu; merito ſagittis uncinatis armaviſſe, ac pharetra Gnoſia inſtruxiſſe. Singula quam bella, quam apta, quam conſentanea! VULP.

v. 7. SCILICET ALTERNA QUONIAM JACTAMUR IN UNDA] Nempe quia agitamur in mari amoris, modo commoto, modo tranquillo; modo adverſo, modo ſecundo vento. *alternâ undâ*, reciproca. ut Eleg. 10. lib. 3. *Alternas ſciſſa Charybdis aquas.* Dicitur *jactari undo*, & *in unda*. Virgilius 1 *terris jactatus & alto*. Ovidius lib. 4. Metam. v. 534.

Jactari quos cernis in Ionio immenſo.

Ex hac translatione Catullus Carm. 63.

Qualibus incenſam jactaſtis mente puellam
Fluctibus!

Et Plautus initio Ciſtellariæ, de Amore: *Maritimis moribus mecum experitur.* PASS. Huc pertinent illa Horatii Sat. 3. lib. 2.

In amore hæc ſunt mala, bellum,
Pax rurſum. hæc ſi quis, tempeſtatis prope ritu
Mobilia, & cæca fluitantia ſorte, laboret
Reddere certa, &c.

Jactamur. ſubaudi, nos amatores. VULP.

v. 8. NOSTRAQUE NON ULLIS PERMANET AURA LOCIS] Secundæ res in amore nobis incertæ & fluxæ ſunt. Ovidius Eleg. 9. lib. 2. Amorum utitur eadem translatione:

Sic me ſæpe refert incerta Cupidinis aura.

Noſter Eleg. 25. infra:

Mendaces ludunt flatus in amore ſecundi.

& Eleg. 27.

Si modo clamantis revocaverit aura puellæ.

Proprie vero Eleg. 20. lib. 3.

Nam liquidum nautis aura ſecundat iter. P.

Aura ſæpius ventum placidum & ſecundum ſignificat. Virgilius lib. 7. Æneid. v. 8. *Adſpirant auræ in noctem.* Hinc *aura popularis*, pro favore populi. VULP.

v. 9. ET MERITO HAMATIS MANUS EST ARMATA SAGITTIS] Ut Elegia proxime ſequenti: *Armantur Suſa ſagittis.* Virgilius 7. Æneid. *Agreſteſque manus armat ſparus.* P. *merito*; non de nihilo, ſed juſtam ob cauſſam. VULP.

ibid. HAMATIS SAGITTIS] In hami ſpeciem recurvo ferro, quod exſertam imitetur ſerpentis linguam. Ovidius lib. 3. Triſt. Eleg. 10.

Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem ,
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.

In

Pars cadit hamatis misere confixa sagittis .
& Eleg. 9. lib. 2. Amor.
Quid juvat in nudis hamata recondere tela
Ossibus ?

Plinius lib. 13. N. H. cap. 36. *Calamis Orientis populi bella conficiunt , quibus spicula addunt irrevocabili hamo noxia .* Veteres Galli vocabant *sagettes barbelees* . Alexander Aphrodisæus in Problematis sagittas amoris refert ad radios oculorum , unde Amor in animum penetrat . Servius , quia velox & incerta via Amoris . Phurnutus , quia amore capti , perinde ac si telo icti afficiuntur . PASS. Hujuscemodi sagittas memorat Cornelius Celsus lib. 7. cap. 5. item Homerus 4. Iliad. v. 151. εἶδεν νεῦρόν τε ϗ ὄγκως ἐκτὸς ἐόντας . *Vidit nervumque & sagittæ hamos exstantes* . Inferius autem , v. 213.

Αὐτίκα δ' ἐκ ζωστῆρος ἀρηρότος εἷλκεν ὀϊστόν·
Τῦ δ' ἐξελκομένοιο, πάλιν ἄγεν ὀξέες ὄγκοι.
Ac protinus e balteo bene aptato extraxit sagittam :
Ea dum extraheretur , retro curvati sunt acuti hami .

Vide & Iliad. 8. v. 297. item Plutarchum in Crasso. Ovidius lib. 5. Metam. v. 384.

Inque cor hamata percussit arundine Ditem .

Cicero autem lib. 4. Academ. Quæst. de atomis Democriti : *Hamatis uncinatisque corporibus* . VULP.

v. 10. ET PHARETRA EX HUMERO GNOSIA UTROQUE JACET] φαρέτρα , παρὰ τὸ φέρειν τὰ τρωτικὰ , id est , τὰ βέλη . ab ea Ovidius *pharetratum Cupidinem* dixit . *Ex humero* . κατωμαδὸν . Noster Eleg. 6. lib. 4.

Tibi militat arcus ,
Et favet ex humeris hoc onus omne meis .

Virgilius 1. Æneid. *Humeris de more habilem suspenderat arcum* . *Jacet ex humero* ; pendet deorsum . at Eleg. 8. supra : *Sparsas cæde jacere comas* . Vetus liber : *sonat* . ut Virgilius 9. Æneid. *pharetramque humero sensere sonantem* . *Gnosia* , Cretensis , ab urbe Cretæ Gnoso , quia Cretenses nobiles sagittarii . Horatius Ode 15. lib. 1. *Calami spicula Gnosii* . sed eo respexit , quod Cretenses sagittarii ex insidiis adoriuntur . hoc autem & sequentia ostendunt . PASS. *Gnosia* , habet Groninganus . vicinæ sunt literæ , & mutant vicissim . *sonat* est in Aldina , & quibusdam aliis , pro *jacet* . quod defendi posse non nego . Virgilius lib. 9. Æneid.

Agnovere deum proceres divinaque tela
Dardanidæ , pharetramque fuga sensere sonantem .

Ovidius Remed. Amor.

Phœbus adest : sonuere lyræ , sonuere pharetræ .

sed quum hic Cupido insidiator pingatur , prodendus utique sonante pharetra ; satius est τὸ *jacet* , quod agnoscunt omnes libri nobis inspecti . opinor , Cupidinem fere ad eum modum fuisse effictum , nisi quod nudus est , quo Dianam illam Segestanam describit Cicero , testis oculatus , Accus. 4. in Verr. C. 34. *Erat admodum amplum & excelsum signum cum stola : verumtamen inerat in illa magnitudine ætas atque habitus virginalis . sagittæ pendebant ab humero : sinistra manu retinebat arcum , dextra ardentem facem præferebat* . BROUKH. *Ex humero* . fortasse ne obvia sit aspectui , ne incurrat in oculos ; ut Cupido facilius incautos feriat . Sed vide , si vacat , quæ attulimus ad versum 2. Elegiæ 6. libri 2. Tibulli . Aldina prior A. 1502. *jacet* , consentiens nimirum codicibus MSS. & editioni omnium principi A. 1472. VULP.

v. 11. ANTE FERIT QUONIAM , TUTI QUAM CERNIMUS HOSTEM] Insidiator est , ex occulto adoritur . Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 2.

Nam puto sentirem , si quo tentarer Amore .
An subit , & tacita callidus arte nocet ? V.

Vide Eleg. 4. supra v. 9. & 10. *Tuti* ; futuri nempe tuti si cerneremus . ut Elegia 8. lib. 1.

Non tamen illa meos fugit avara sinus . P.

v. 12. NEC QUISQUAM EX ILLO VULNERE SANUS ABIT] Nemo sanus evadit , semel Amoris sagitta saucius . hæret lateri letalis arundo . Sic Eleg. 1. supra : *Amor morbi non amat artificem* . Contra tamen Eleg. pænult. lib. 3.

Nunc demum vesta fessi resipiscimus æstu :
Vulneraque ad sanum nunc coïere mea .

Abit ,

In me tela manent, manet & puerilis imago.
  Sed certe pennas perdidit ille suas.
Evolat heu nostro quoniam de pectore nusquam,
  Assiduusque meo sanguine bella gerit.
Quid tibi jucundum siccis habitare medullis?
  Si pudor est, alio trajice tela tua.

In-

Abit, evadit; ut *cedendo victor abibis*. Virgilius 5. Æneid.

Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit. P. Ita locutus Livius lib. 1. Hist. *Neutra acies læta ex eo certamine abiit*. VULP.

v. 13. IN ME TELA MANENT, MANET ET PUERILIS IMAGO] Tela pectori meo infixa hærent, & simillimus pueri videor sine ratione & consilio. *tela manent*, quippe hamata, ideoque irrevocabilia, ut loquitur Plinius antea citatus. PASS. Vera explicatio est: Cupido in me sagittarius & puer esse non desinit; sagittis enim me configit, & ad pueriles ineptias adigit: alas tantum suas amisisse videtur. VULP.

v. 14. SED CERTE PENNAS PERDIDIT ILLE SUAS] Ἔρως factus ἄπτερος. Sic Elegia 1. lib. 1. *In me tardus Amor*. Eubulus apud Athenæum lib. 13.

Ἔστιν γὰρ οὔτε κοῦφος, οὔτε ῥάδιος
Ἀπαλλαγῆναι τῷ φέροντι τὴν νόσον.
Βαρὺς δὲ κομιδῇ. πῶς ἂν οὖν ἔχοι πτερά;
PASS.

v. 15. EVOLAT HEU NOSTRO QUONIAM DE PECTORE NUSQUAM] Vulgati libri: *Evolat e nostro q. d. p. n.* Quid est *e de pectore*? δὶς τὸ αὐτὸ, respondet Passeratius.. nugæ. neque enim me movet vel hic, vel ille, longo annorum tractu seclusus a nitore sæculi Augustæi. Scriptum fuit *eu*, aut *ei*, id est, *heu*, vel *hei*. alterum Mureto placuit, alterum Lipsio. Noli audire Palmerii, nec Gebhardi, rancidas Veneres. hæ quidem fætutinæ sunt olidorum verborum. BROUKH.

v. 16. ASSIDUUSQUE MEO SANGUINE BELLA GERIT] Id est, mea pernicie & exitio. ut Eleg. 4. supra:

Altera vix ipse sanguine mollis erit.

& Eleg. 9.

Sanguis erit vobis maxima palma meus.

An meo *sanguine*, pro sanguini, pugnat? An in sanguine, ut hirudo? Theocritus Pharmaceutria:

Αἰαῖ Ἔρως ἀνιαρὲ, τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα
Ἐμφὺς, ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας;

Hei hei, Amor moleste, cur atrum ex corpore sanguinem totum, inhærens ut palustris hirudo, ebibisti? Plautus Curcul. *Quæ mihi misero amanti ebibit sanguinem*. *Assiduus*, hic non ab asse dando, sed assidendo. ut Horatius Epodo 1. *Assidens implumibus pullis avis*. & Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Porrectusque novem Tityus per jugera terræ
Assiduas atro viscere pascit aves. PASS.

v. 17. QUID TIBI JUCUNDUM] *Quid juvat?* Eleg. 2. lib 1. *Jucundum* a juvando. Cicero lib. 2. de Finibus. PASS.

ibid. SICCIS HABITARE MEDULLIS] In aridis & exustis igne tuo medullis perpetuo hærere, tamquam illic sedem ac domicilium collocaris. *Habitare*, καταχρηστικῶς, alicubi esse perpetuo. Plautus Pœnulo 1, 3. *Majorem partem in ore habitas meo*. Virgilius 6. Æneid. de vulture Tityi: *Habitatque sub alta Pectore*. Cicero Philipp. 12. *Habitant oculi mei in eorum vultu*. Pro Murena: *Habitavi in oculis*. Pro Milone: *Habitabit in terris gloria nominis tui*. PASS. *Siccis medullis*. Contra Virgilius 4. Æneid. v. 66. *est molles flamma medullas*. VULP.

v. 18. SI PUDOR EST] Si quid te pudet, nisi pudoris eges. est objurgantis, ut dixi ad Eleg. 9. lib. 1. v. penult. Alii libri, *Si puer es*, vel *I puer hinc*. τὸ *si puer es*, apparet confictum a Beroaldo ex ejus interpretatione. PASS. Juvenalis Sat. 3. v. 153.

Exeat, inquit,
Si pudor est, & de pulvino surgat equestri,
Cujus res legi non sufficit. VULP.

Ibid. ALIO TRAJICE TELA TUA] In alios jaculare tuas sagittas. Sic Eleg. 15. infra:

Alio

Intactos isto satius tentare veneno:
Non ego, sed tenuis vapulat umbra mei.

Quam

Alio transferre calores . Horatius Sat. 3. lib. 2.

Ut solet , in cor
Trajecta lateris miseri capitisve dolore .

Vetus Glossarium: *Traise* , μεταχθείς . A trajiciendo dicta Varroni tragula. PASS.

v. 19. INTACTOS ISTO SATIUS TENTARE VENENO] Integros , sanos , & amoris expertes præstat aggredi , & conari perdere. sic Eleg. ult. infra :

Felix intactum Corydon qui tentat Alexin .

Ovid. Eleg. 9. libri 2. Amor. in hanc rem :

Cur tua fax urit , figit tuus arcus amicos?
Gloria pugnantes vincere major erat .

Tentare veneno . Suetonius Nerone cap. 39. *Quum veneno ter tentasset , sentiretque antidotis præmunitum* . Amor , venenum ; quia in venas eat . Donatus in illud Eunuchi Terentianæ actu 4. sc. 3. *Illi in oculos involem venefico* . *An amatori?* inquit . *Nam amor occultum est venenum* . Virgilius 1. Æneid.

Occultum inspires ignem , fallasque veneno .
PASS.

v. 20. NON EGO , SED TENUIS VAPULAT UMBRA MEI] Alia significatione Plautus Persa 2, 4, 26. *Abigis facile ; Nam umbra mea intus vapulat* . [Quo tamen videtur respexisse Propertius .] Et Mil. Glor. 1, 3. *Nihil amas : umbra es amantium magis quam amator* . Ovidius 3. Fast. v. 701.

Ipsa virum rapui , simulacraque nuda reliqui .
Quæ cecidit ferro , Cæsaris umbra fuit .

Idem lib. 3. Trist. Eleg. 11.

Non sum ego quod fueram . quid inanem proteris umbram?

Lege quæ sequuntur , huc pertinentia . Cicero mirifice Epist. 3. lib. 1. ad Q. Fratrem : *Ego te videre noluerim ? Immo vero me a te videri nolui . Non enim vidisses fratrem tuum : non eum quem reliqueras : non eum quem noras : non eum quem flens flentem , prosequentem proficiscens dimiseras : ne vestigium quidem ejus , nec simulacrum ; sed quamdam effigiem spirantis mortui* . De tenuitate & macie Propertii est Eleg. 5. lib. 1.

Aut cur sim toto corpore nullus ego . PASS.

Impotentis crudelitatis est in mortuum sævire . Hinc illa permissio desperantis Elegia 8. lib. hujus :

Exagitet nostros manes , sectetur & umbras ,
Insultetque rogis , calcet & ossa mea .

Concinit Ovidius lib. 4. Pontic. Eleg. ultima :

Quid juvat extinctos ferrum demittere in artus?
Non habet in nobis jam nova plaga locum .

Sed ut eloquentiæ studiosi & poeseos , copiam sibi & varietatem parare possint in eadem sententia , bonorum auctorum loca paria huc afferre non gravabor . Cicero pro C. Rabirio : *Umbram equitis Romani , & imaginem videtis , judices , unius amici conservatam auxilio , & fide . nihil huic eripi potest præter hoc simulacrum pristinæ dignitatis* . Livius lib. 5. Hist. cap. 18. *Me jam non eumdem , sed umbram nomenque P. Licinii relictum videtis . vires corporis affectæ , sensus oculorum atque aurium hebetes , memoria labat , vigor animi obtusus* . Seneca Herc. Oeteo v. 1345. *Herculem spectas quidem , Mater ; sed umbræ simile nescio quid mei Agnosce , mater* . Silius Italicus lib. 5. Punic. v. 475.

Nunc etiam vinclis & longo carcere torpent
Captivo in senia vires . fuit ille , nec unquam ,
Dum fuit , a duro cessavit munere Martis
Regulus . exsangui spectatis corpore nomen .

Actius Sincerus Sannazarius , nulli veterum secundus , pluribus prior , lib. 1. De Partu Virginis v. 333.

At mater , non jam mater , sed flentis , & orbæ
Infelix simulacrum , ægra & sine viribus umbra ,
Ante crucem demissa genas , effusa capillum
Stat lacrimans , tristique irrorat pectora fletu .

Alii vero *manes* pro *umbra* usurpavere . Seneca Thebaide v. 234. *Quid hic Manes meos detineo? quid terram gravo?* Et M. Seneca Rhetor Controv. 26. *Quid putatis esse Cæstium , nisi Cæstii cinerem ? & sic solebat jurare : Per manes præceptoris mei Cæstii ; quum Cæstius viveret* . Græci primum hæc viderunt . Sophocles Œdipo Coloneo v. 110.

Οἰκτείρατ' ἀνδρὸς Οἰδίπου τόδ' ἄθλιον
Εἴδωλον· οὐ γὰρ δὴ τό δ' ἀρχαῖον δέμας.
Misereat vos hujus miserrima umbra

Oedi-

Quam si perdideris, quis erit qui talia cantet?
Hæc mea Musa levis gloria magna tua est.
Quæ caput, & digitos, & lumina nigra puellæ,
Et canit, ut soleant molliter ire pedes.

ELE-

Oedipi: non enim hoc meum pristinum corpus est.

Vide eumdem Philoctete v. 960. Theocritus pariter Idyllio 29. v. 5.

Τὸ γὰρ ἥμισυ τᾶς ζωίας ἔχω,
Ζῶ τὶν σὰν ἰδίαν, τὸ δὲ λοιπὸν ἀπώλετο.

Nam hoc dimidium vitæ quod *habeo,*
Vivit ex tua forma; reliquum interiit.

Porro Græcos & Latinos feliciter secuti sunt Itali recentiores. Ludovicus Areostus Cantu 23. eximii poematis, strophe 128.

Non son, non son' io quel che paje in viso;
Quel ch'era Orlando, è morto, ed è sotterra.
La sua donna ingratissima l' ha uccise;
Sì mancando di fè, gli ha fatto guerra.
Io son lo spirto suo da lui diviso,
Che in questo inferno tormentandosi erra.
Perchè con l' ombra sia, che sola avanza,
Esempio a chi in Amor pone speranza.

Neque omnino abludunt illa Petrarchæ suavissima, Ode 30.

Canzone, oltra quell' alpe,
Là, dove 'l ciel' è più sereno, e lieto,
Mi rivedrai sovr' un ruscel corrente,
Ove l' aura si sente
D' un fresco, ed odorifero Laureto.
Ivi è 'l mio cor', e quella che 'l m' invola:
Quì veder puoi l' immagine mia sola.

Hos homines attenuatos, *monogrammos* appellat Lucillius. Aliorsum pertinent verba Flori Epitome Liviana lib. 49. *Quam virtutem ejus & Cato....... in senatu sic prosecutus est, ut diceret, reliquos qui in Africa militarent, umbras militare, Scipionem vigere.* VULP. Legendum *umbra mei*, ex oppositione τῷ *ego*. Propertius non cæditur, sed tantum tenuis umbra Propertii. Sic Tullius Oratione de Haruspicum responsis C. 22. *Nisi consules caussam conjunxisse secum, in quo uno uno mentiebatur, confirmaret, tam crudelis mei, tam sceleratus reipublicæ vexator esse potuisset?* BROUKH.

v. 21. QUAM SI PERDIDERIS, QUIS ERIT QUI TALIA CANTET?] Umbram meam, quæ mei sola reliqua est, si vel interemeris, vel amiseris, quis ludat amores & Veneres? Sic Virgilius Ecl. 9.

Quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis
Spargeret? PASS.

v. 22. HÆC MEA MUSA LEVIS GLORIA MAGNA TUA EST] Antitheta *levis*, *magna*; ut superius:

Et levibus curis magna perire bona.

Levis Musa, gracilis, tenuis, exilis, qualis est Elegiacorum. PASS.

v. 23. CAPUT] Comas nimirum flavas, quæ capiti ornamento sunt. *Fulva coma est*, dixit Eleg. 2. hujus libri. VULP.

ibid. DIGITOS] Quos *eburnos* appellavit supra Eleg. 1. PASS.

ibid. LUMINA NIGRA] Quæ olim, ut & hodie, in pretio erant. Horatius in Epist. ad Pisones:

Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.

Idem lib. 1. Ode 32. *Et Lycum nigris oculis, nigroque Crine decorum.* Sunt qui ἑλίκωπας Ἀχαιοὺς apud Homerum explicent μελανοφθάλμους. PASS. D. etiam Bernardus Sermone 25. super Cantica num. 5. *Non omne denique quod nigrum est, continuo deforme est. Nigredo (verbi caussa) in pupilla non dedecet. Et nigri quidam lapilli in ornamentis placent. Et nigri capilli candidis vultibus etiam decorem augent & gratiam.*

v. 24. UT SOLEANT MOLLITER IRE PEDES] Ut mollis sit ejus incessus. Seneca lib. 7. Nat. Quæst. cap. 31. *Tenero & molli incessu suspendimus gradum: non ambulamus, sed repimus.* Ovidius lib. 3. A. A.

Sed sit, ut in multis, modus hic quoque: rusticus alter
Motus in incessu, mollior alter erit.

Vide Bruti verba apud Fabium lib. 6. cap. 4. & Senecam de Tranquill. Animi cap. 15. & Eleg. 4. sup.

Ibat & expensæ planta morata gradu. PASS.

Hoc Græci dicunt *ἁβρὰ βαίνειν*, *delicate & magnifice incedere*. Incertus poeta lib. 1. Anthologiæ, cap. 67. in Sapphonem:

Λεσβίδες, ἁβρὰ ποδῶν βήματ' ἐρεισάμεναι.
Lesbides mollia pedum vestigia figentes.

Hanc

Hanc incessus mollitiem in feminis notant Divinæ Litteræ Deuteronomii cap. 28. v. 56. *Tenera mulier & delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere propter mollitiem & teneritudinem nimiam.* Quo loco οἱ ἑβδομήκοντα elegantissime: Ἧς οὐχὶ πεῖραν ἔλαβεν ὁ πούς αὐτῆς βαίνειν ἐπὶ τῆς γῆς. VULP.

ELEGIA XIII.

NOn tot Achæmeniis armantur Susa sagittis,
Spicula quot nostro pectore fixit Amor.
Hic me tam graciles vetuit contemnere Musas,
Jussit & Ascræum sic habitare nemus,

Non

ARGUMENTUM ELEGIÆ XIII. LIBRI II.] Ait, se, ad amores & delicias natum, Elegiæ scribendæ, tenero scilicet poemati & amatorio, vacare cœpisse. Quid autem populus existimet de poetica sua facultate, nihil sollicitus, in solo Cynthiæ judicio, terso ac limato, conquiescit. Hoc sibi, morte obita, gloriæ futurum apud posteros, vaticinatur: & iccirco puellæ tam eruditæ mandat pompam & ordinem sui funeris, quod scilicet funus doctum hominem potius deceat, quam locupletem. V.

v. 1. NON TOT ACHÆMENIIS ARMANTUR SUSA SAGITTIS] Hanc palmariam correctionem debemus Antonio Volsco, laude sua nequaquam defraudando, quum scripti codices habeant *Etrusca sagittis*. eam deinde ex libro vetere summi viri Joannis Pici, Mirandulani principis, stabilivit Philippus Beroaldus. & merito Jos. Scaliger comprobavit. Lucanus L. 2.

conjuret in arma
Mundus: Achæmeniis decurrant Medica Susis
Agmina: Massagetas Scythicus non alliget Hister.

Claudianus lib. de bello Gildonico, prope initium:

non ut proculcet Araxen
Consul ovans, nostræve premant pharetrata securæ
Susa, nec ut rubris aquilas figamus arenis.

quæ loca firmando huic nostro jam alii adduxerunt. constat sane Medos & Parthos arte sagittandi omnium gentium nobilissimos fuisse. eos noster venustissime componit cum Cupidine, sagittario his etiam ipsis strenuiore. BROUKH. Susa fuisse regiam Persarum, notum est ex Plutarchi Crasso & Alexandro, Strabone lib. 15. & Plinio lib. 6. H. N. cap. 23. Dicitur & Μεμνόνια Herodoto; unde Sasiana regio. Sed in quibusdam libris legitur, *armatur Itura*. Itura, æ, vel Itura, orum (& ita hic legerat Pontanus) urbs vel regio finitima Arabiæ, cujus incolæ Ituræi in Syria Cœle. Ituræorum meminit Plinius lib. 5. cap. 23. & Strabo lib. 16. Cicero Philip. 5. *Ituræi barbari cum sagittis*. *Armantur*, instruuntur ad bellum, ut Elegia proxima sup. *manus est armata sagittis*. *Achæmeniis*, Persicis. Achæmenes rex Persarum fuit, unde ceteri reges Achæmenidæ. Herodotus in Clio, Plato in Alcibiade priore, Horatius Ode 12. lib. 2. Ovidius autem 1. A. A.

Urbs in Achæmeniis vallibus ista fuit. PASS.

v. 2. SPICULA QUOT NOSTRO PECTORE FIXIT AMOR] *Spicula*, pro sagittis. Virgilius 11. Æneid.

Spicula converso fugientia dirigit arcu.

Ovidius lib. 2. A. A.

In quibus occulto spicula figit Amor.

Vegetius lib. 2. De Re Milit. cap. 5. *Spiculum nunc dicunt, quod olim pilum. dictum puto quod spici formam referat.* unde Virgilius 1. Georg. -- *ferroque faces inspicat acuto*. PASS.

v. 3. HIC ME TAM GRACILES VETUIT CONTEMNERE MUSAS] Pro *tam*, legitur & *tum*: & pro *sic*, *hic*. ut apud Tibullum Eleg. 5. lib. 1.

Et tantum venerata virum, hunc sedula curet.

ecthlipsi neglecta. *Graciles*, tenues, leves. sic *mollem versum* dixit Eleg. 7. lib. 1. v. 19. Martialis:

Si quid forte petam timido, gracilique libello.

Virgilius:

Ille

Non ut Pieriæ quercus mea verba ſequantur,
Aut poſſim Iſmaria ducere valle feras:
Sed magis ut noſtro ſtupefiat Cynthia verſu.
Tunc ego ſim Inachio notior arte Lino.
Non ego ſum formæ tantum mirator honeſtæ:
Nec ſi qua illuſtres femina jactat avos.

Me

Hic ego qui quondam gracili modulatus avena Carmen.

Vetuit, interdicti: *Juſſit*, edicti. *Aſcræum habitare nemus*, incolere, frequentem in eo eſſe; ut Eleg. proxima ſup. *ſiccis habitare medullis*. PASS. Vide *Aſcræi poetæ* in Indice noſtro Propertiano. VULP.

v. 5. NON UT PIERIÆ QUERCUS MEA VERBA SEQUANTUR &c.] Non ut quercus auritæ ſequantur me canentem, aut ut poſſim vi carminis allicere feras, ut quondam Orpheus. *Pieriæ*, Thraciæ, Macedonicæ. Pieria, Olympus, Pimpla loca Thraciæ quondam fuere, quæ nunc Macedones incolunt: Strabo lib. 10. Pierus mons Thraciæ, vel Theſſaliæ: unde *Pierides Muſæ*. Plinius lib. 4. H. N. cap. 8. & Feſtus. Reſpicit autem Propertius ad Orphei notiſſimam fabulam. PASS.

v. 6. AUT POSSIM ISMARIA DUCERE VALLE FERAS] *Iſmaria valle*. Iſmarus mons Thraciæ, ubi Orpheus canere ſolitus erat. Virgilius Ecl. 6.

Nec tantum Rhodope miratur & Iſmarus Orphea.

Ducere feras. ut Horatius Ode 11. lib. 3. *Tu potes tigres comiteſque ſilvas Ducere*. P.

v. 7. SED MAGIS UT NOSTRO STUPEFIAT CYNTHIA VERSU] In ſtuporem præ admiratione vertatur. Virgilius Ecl. 8. *Quorum ſtupefactæ carmine lynces*. Horatius Ode 13. lib. 2. *Illis carminibus ſtupens Demittit atras bellua centiceps Aures*. PASS.

v. 8. TUNC EGO SIM INACHIO NOTIOR ARTE LINO] Nobilior & clarior, arte canendi & muſica, ipſo Lino tunc eſſe poſſum. *Tunc ego*; ut Eleg. 1. lib. 1. v. 23. *Tunc ego crediderim vobis*. *Sim*; ut Elegia 3. ſup.

Lilia non dominâ ſint magis alba meâ.

Arte; Muſica. Eleg. 1. ſup.

Miramur, faciles ut premat arte manus.

Inachio; Argivo, a rege Inacho, ut ſupra: *Erichthonius populus*, & *Achæmeniis ſagittis*. Vide adnotata ad Eleg. 13. lib. 1. v. 31. Linum cum Orpheo conjungit, ut Virgilius Ecl. 6. & Ovidius 10. Metam. Hyginus Fab. 161. Apollinis & Uraniæ filium facit. Apollodorus lib. 1. Calliopes & Oeagri; habitum tamen filium Apollinis. & lib. 2. Orphei fratrem, & ab Hercule diſcipulo plectro ipſo interfectum. P. *Notior*, celebris magis. Horatius Ode 13. lib. 4. *Felix poſt Cinaram, notaque & artium Gratarum facies*. VULP.

v. 9. NON EGO SUM FORMÆ TANTUM MIRATOR HONESTÆ] Sic Eleg. 3. ſupra: *Mirator*, θαυμαστής. ut Horatius Sat. 2. lib. 1. *Mirator cunni Cupiennius albi*. [Dictum ſatyrice & obſcœne, pro amator matronarum, quæ alba ſtola utebantur.] Martialis lib. 10. *Mirator veterum ſenex avorum*. *Honeſtæ*, decoræ, pulchræ. Terentius Andria: *Honeſta & liberali forma*. Sic Lucillius dixit, *plantas honeſtas*; Virgilius, *caput, pectus, os honeſtum*. PASS.

v. 10. NEC SI QUA ILLUSTRES FEMINA JACTAT AVOS] Nec ejus mulieris tantummodo mirator ſum, quæ mulier antiquâ ſuperbit nobilitate. Hæc tamen conveniebant in Cynthiam; quæ ſcilicet formoſa erat, claroque genere nata: ſed formæ ac nobilitati præterea doctrinam addebat. *Nec ſi qua*. Ita Eleg. 3. ſup.

Nec ſi qua Arabio lucet bombyce puella.

Erant autem Romæ qui cum ſolis matronis rem habere vellent, feminas tenuioris fortunæ aſpernarentur; quaſi nobilitas acriores libidini faces & ſtimulos ſubjicere poſſet. Horatius teſtis locuples hujus dementiæ Sat. 2. lib. 1.

Sunt qui nolint tetigiſſe, niſi illas
Quarum ſubſutâ talos tegat inſtita veſte.

Et portentum illud hominis Tiberius, au-

ctore

Me juvat in gremio doctæ legisse puellæ,
Auribus & puris scripta probasse mea.

Hæc

ctore Corn. Tacito lib. *6.* Annalium, *sceleribus adeo indomitis atorferas, ut more regio, pubem ingenuam stupris pollueret: nec formam tantum & decora corpora, sed in his modestam pueritiam, in aliis imagines majorum incitamentum cupidinis haberet.* Hanc regum barbarorum consuetudinem, de qua Tacitus, memorat Lucanus lib. 8. v. 412. ubi de libidine Parthorum, & Cornelia uxore Pompeji:

Quamquam non ulli plus regia, Magne, vacabit
Sævitiá stimulata Venus, titulisque virorum.

Loco Taciti geminus est locus insignis Quintiliani Declamat. 3. pro milite qui Bello Cimbrico tribunum, C. Marii propinqnum, sibi turpem vim inferre tentantem occiderat: *Neque illa libido fuit saltem vitiis usitata, quæ ad obscœnas Veneris impetus formæ cupidine incenditur; sed quidam perditus contumeliæ amor, ac summa flagitiorum voluptas inquinare honesta. Hoc ipsum, quod primus ante signa procurrit, quod veteranas tiro præcedis, quod redit pulvere & cruere concretus, istud istud, quod tam vir est. Vulgaris sunt irritamenta cupidinis, forma, ætas: singularis res est fortis concubinus.* VULP. Quid sit *illustres avos*, explicat ipse Propertius Elegia 20. lib. 3.

Splendidaque a docto fama refulget avo.

id est, Hostio, qui scripserat de bello Histrico. [Hunc autem Cynthia, vero nomioe Hostia, in majoribus suis numerabat] Festus in *Tesqua*, & Macrobius. *Illustras*, inquit Servius in illud 6. Æneid. *Illustres animas, notitiæ nomen est, non meriti; unde nobiles & illustres meretrices dicuntur.* Varro 6. de L. L. *Illustre a luce. Jactas avos*; ut Virgilius 9. Æneid.

Murranum hic atavos, & avorum antiqua sonantem
Nomina.

Dicitur & *jactare aliquid*, & *jactare se de re aliqua*. Horatius Ode 14. lib. 1. *Jactes & genus, & nomen inutile.* Martialis de Spectaculis Epigr. 1.

Assiduus jactet nec Babylona labor.

Virgilius Ecl. 6.

Ne quis sit lucus, quo se plus jactet Apollo.

Noster Eleg. 7. lib. 3.

Exactis Calamis se mihi jactat equis. PASS.

v. 11. ME JUVAT IN GREMIO DOCTÆ LEGISSE PUELLÆ] Mollium & delicatorum reclinari in gremiis amicarum. Lucretius lib. 1. v. 34. ad Venerem de Marte: *In gremium qui sæpe tuum se Rejicit.* Cicero Philip. 13. *Quum in gremiis mimarum mentem mentumque deponeres. Legisse*, pro legere, ut Eleg. 1. lib. 1. *Potuit domuisse puellam. Doctæ puellæ.* Sic Eleg. 7. lib. 1.

Me laudent doctæ solum placuisse puellæ.

Contra Eleg. 11. supra versu ultimo. Ipsa Cynthia recitabat, ut adnoto ad Eleg. 26. v. 25. infra. PASS. Hoc est fortasse quod Horatius deridet Sat. 10. lib. 1.

Demetri, teque, Tigelli,
Discipularum inter jubeo plorare cathedras.

nisi quod ibi mulieres discipulæ, hic Cynthia magistra & poematum judex. VULP.

v. 12. AURIBUS ET PURIS SCRIPTA PROBASSE MEA] Sic Horatius Sat. 1. lib. 1. *Aurem purgatam*, de intelligenti homine. Plautus Mil. Glor. *Perpurgatis ambo tibi damus operam auribus.* Persius Sat. 5.

Cultor enim es juvenum, purgatas inseris aures
Fruge Cleanthea,

Idem:

Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.

Aures elegantes & *teretes*, & *aurium juditium subtilissimum* Ciceroni. Contra Martialis de crasso judicio: *Aurem qui modo non habet Batavam.* & T. Calpurnius in Bucolicis: *Obesis auribus. Probare aliquid alicui, luy faire trouver bon.* Recitasse illi, & illam recte facta judicasse. Cicero in Verrem Orat. 6. *Officium suum judici*, & pro Cæciona, *caussam suam omnibus probare.* id est persuadere rectam esse. PASS. *Auribus puris.* Quum enim Cynthia poeticâ facultate præcelleret, recte judicare poterat de carminibus aliorum. *Aures puræ* hoc loco usurpantur pro liquido & defæcato ingenio. Martialis Epigr. *69.* lib. 7. de Theophila docta puella, Canii poetæ sponsa:

Vivet opus quodcumque per has emiseris aures;
Tam nec femineum, nec populare sapit.

Probasse scripta. Valde similem significationem interdum habet verbum *approbare*. Sic

opus

Hæc ubi contigerint, populi confuſa valeto
  Fabula. nam domina judice tutus ero.
Quæ ſi forte bonas ad pacem verterit aures,
  Poſſum inimicitias tunc ego ferre Jovis.
Quandocumque igitur noſtros mors claudet ocellos,
  Accipe quæ ſerves funeris acta mei.

Nec

opus perfectum *approbare* debebant ſuſceptores vel redemtores *probantibus* cenſoribus, vel privatis, qui id faciendum locaverant. L. 24. D. locati: *Si in lege locationis comprehenſum ſit, ut arbitratu domini opus adprobetur*. VULP. In uno codice noſtro eſt *dicta probaſſe*, quod & in Comelini membranis Gebhardus invenerat. Ennius:

Quom neque Muſarum quiſquam ſcopulos ſuperarat,
Nec dicti ſtudioſus erat.

& *dicere* peculiariter poetarum eſt. Horatius non ſemel ſcripta ſua vocat *verba*. BROUKH.

v. 13. H. U. C. POPULI CONFUSA VALETO FABULA] Nihil moror, quid popellus imperitus, & leviſſima illitteratorum capita de me ſentiant. Cynthia mihi ſola theatrum & concio futura eſt. Cicero pariter in Oratore ad Brutum: *Itaque, ut ego, quum a noſtro Catone laudabar, vel reprehendi me a ceteris facile patiebar: ſic Iſocrates videtur teſtimonio Platonis, aliorum judicia debere contemnere*. D. autem Brutus Ciceroni Epiſt. 10. lib. 11. ad Famil. *Exploratum habeo . . . . malle me ſuum judicium, quam ex altera parte omnium iſtorum*. Paria ſunt illa Horatii Sat. 10. lib. 1.

Nam ſatis eſt equitem mihi plaudere: ut audax,
Contemtis aliis, exploſa Arbuſcula dixit.
Men' moveat cimex Pantilius? aut crucier, quod
Fannius Hermogenis lædat conviva Tigelli?
Plotius, & Varius, Mæcenas, Virgiliuſque,
Valgius, & probet hæc Octavius optimus, atque
Fuſcus, & hæc utinam Viſcorum laudet uterque. VULP.

Populi confuſa Fabula. confuſus ſermo, & rumor ex multis multorum vocibus. Ovidius 12. Metam. de Fama:

Mixtaque cum veris paſſim commenta vagantur
Millia rumorum, confuſaque verba volutant.

Valeto eſt dimittentis cum contumelia. Terentius Andria 4, 2.

Valeant, qui inter nos diſſidium volunt. P.

v. 14. DOMINA JUDICE TUTUS ERO] *Judice*, femineo genere; ut Virgilius: *Arcadia judice*. & Petronius: *Judice fortuna cadat alea*. Similis locus Ovidii Eleg. 1. lib. 4. Triſt.

Ipſe mihi (quid enim faciam?) ſcriboque legoque;
Tutaque judicio littera noſtra tuo. PASS.

vindice notaverat ad oram ſui libri Douza. PASS. vide quæ notavi ad lib. 4, 11, 20. BROUKH.

v. 15. QUÆ SI FORTE BONAS AD PACEM VERTERIT AURES] Quemadmodum enim ſi ſcripta mea Cynthiæ probentur, aliorum judicia minus æqua facile contemno: ita ſi me ceteris amatoribus ea prætulerit, atque ex animo dilexerit (quod unum mihi ad plenam felicitatem reliquum eſt) non hominum modo, ſed Jovis ipſius inimicitiis ferendis par fuero. VULP. *Bonas aures*, faciles, propitias, exorabiles. ut Eleg. 1. lib. 1.

Vos remanete, quibus facili deus annuit aure.

Ad pacem verterit. *Si pacata aderit*; ut loquitur Eleg. 14. lib. 1. ubi & *placata* legitur. PASS.

v. 16. POSSUM INIMICITIAS TUNC EGO FERRE JOVIS] Etiam infeſtum & iratum Jovem contemſero; ut ille tenax propoſiti apud Horatium Ode 3. lib. 3. Sic Eleg. ult. infra:

Rivalem poſſum non ego ferre Jovem.

Vide Eleg. 7. ſupra, v. 4. PASS. Groninganus, *Poſſim*. BROUKH.

v. 17. QUANDOCUMQUE IGITUR NOSTROS MORS CLAUDET OCELLOS] Quæ hinc ſequuntur, ſatis incommode cohærent cum ſuperioribus. & videri poſſunt huc eſſe tracta ex libro tertio. nam qua ratione de tribus libris loquitur, ſecundo dimidio nondum confecto? hæc Elegia e duabus

non

Nec mea tunc longa ſpatietur imagine pompa;
Nec tuba ſit fati vana querela mei.

Nec

non unius argumenti infeliciter coaluit. nihil certius. BROUKH. Immo, contra, piaculum fuerit hæc a ſuperioribus disjungere, quum pulchre ac mirifice cohæreant. Propertius carminum & poeſeos gloriam ſuperius antetulit nobilitati: nunc, in ipſa pompa funeris non imagines avorum, ſed paucos libellos ſuos, præſertim a Cynthia probatos, geſtari jubet; nempe volgarium Quiritium ſuperbiæ poeticam ſuperbiam opponens, meritis quæſitam. Porro, quid ſibi velint libelli tres, paullo poſt explicabo. VULP.

ibid. QUANDOCUMQUE] Sic Elegia 1. ſupra:

Quandocumque igitur vitam mea fata repoſcent. PASS.

ibid. NOSTROS MORS CLAUDET OCELLOS] ut Ovidius 3. Metam.

Lumina mors clauſit domini mirantia formam.
Servius in illud 4. Æneid. *Et lumina morte reſignat: pupillas*, inquit, *quas in oculis videmus, morituros ante triduum non habere.* Plinius lib. 11. H. N. cap. 37. *Morientibus operire* (oculos) *rurſusque in rogo patefacere, Quiritium ritu ſacrum eſt: ita more conditu, ut neque ab homine ſupremum eos ſpectari fas ſit, & cælo non oſtendi, nefas.* PASS. Nicolaus Heinſius, & Broukhuſius, pro *mors* legere malunt *nox*. VULP.

v. 18. ACCIPE QUÆ SERVES FUNERIS ACTA MEI] Vel Cynthiam ipſam alloquitur, quam ſibi ſuperſtitem optat, vel alium quemlibet, qui funus olim ſuum ſit curaturus. VULP. Sic Eleg. 9. lib. 4.

Accipe quæ noſtræ formula legis erit.
Serves acta, ut Gellius cap. 28. lib. 2. *Servare ferias.* Plautus: *Servat imperium probe.* id eſt, pares, obedis. Ita Cicero, *Servare inſtitutum, pacta, fidem, leges.* Quæ autem in jure judicioque geſta, vel more ac inſtituto mandantur litteris, ea Juriſconſultis dicuntur *acta*: & Theophilus ὑπομνήματα vocat quæ hic accipit Propertius. id eſt, mandata litteris conſignata. Cicero Philip. 2. *In publicis actis nihil eſt lege gravius: in privatis, firmiſſimum eſt teſtamentum.* P. Dum enumerat ea quæ in ſuis exſequiis fieri non vult, brevi imagine comprehendit formam funeris Romani. ita & Cicero Orat. pro Milone, de P. Clodio, cap 32. *Nec vero non eadem ira deorum hanc ejus ſatellitibus injecit amentiam, ut ſine imaginibus, ſine cantu atque ludis, ſine exſequiis, ſine lamentis, ſine laudationibus, ſine funere, oblitus cruore & luto, ſpoliatus illius ſupremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici ſolent, amburer etur abjectus.* BROUKH.

v. 19. MEA POMPA] Quidquid fertur aut mittitur cum oſtentatione, pompa eſt. ut Eleg. 11. lib. 3.

Illis pompa fuit decuſſo cydonia ramo.
Feſtus in Citeria: *Effigies in pompa* (ſacrorum) *vehi ſolita.* Pompa Circi: Varro 4. de L. L. *Pompa triumphi:* Ovidius 1. Metam. cujus deſcriptio eſt Eleg. 2. lib. 3. Amor. Hic *pompa exſequialis*, ut a Servio vocatur in illud libri 11. Æneid.

Atque hæc pompa domum me, non Pallanta, referret. PASS.

ibid. LONGA IMAGINE] Longa ſcilicet imaginum ſerie. ut Virgilius de pompa triumphi dixit: *Incedunt victæ longo ordine gentes.* De imaginibus multa dicta ſunt ad Eleg. 5. lib. 1.

Neſcit Amor priſcis cedere imaginibus.
Sat igitur erit pauca dicere de imaginibus pompæ funebris. Plinius lib. 35. H. N. cap. 2. *Imagines comitari ſolitæ gentilitia funera* (initio tantum expreſſi e cera vultus). Corn. Tacitus lib. 2. Annal. *Tunc Cotta Meſſalinus, ne imago Libonis exſequias poſterorum comitaretur, cenſuit.* Ibid. *Funus* (Germanici) *ſine imaginibus & pompa per laudes celebre fuit.* Idem extremo lib. 3. *Viginti clariſſimorum familiarum imagines antelatæ* (in funere Juniæ.) *Sed præfulgebant Caſſius & Brutus eo ipſo quod effigies eorum non viſebantur.* Ibid. *Circumfuſæ lecto* (funereo) *Claudiorum Liviorumque imagines.* P. Horatius quoque Epodo 8.

Eſto beata, funus atque imagines
Ducant triumphales tuum. VULP.

ibid. SPATIETUR] Incedat lente & graviter. De verbo *ſpatiari* dictum ad Eleg. 2. ſupra v. 7. PASS.

v. 20. NEC TUBA SIT FATI VANA QUERELA MEI] Nec tuba ſit querela inutilis

meæ

Nec mihi tum fulcro ſternatur lectus eburno;
Nec ſit in Attalico mors mea nixa toro.

Deſit

meæ mortis. Querulum quiddam & triſte canebat tuba. vide Eleg. 7. ſupra:

Tibia funeſtâ triſtior illa tubâ.

quia tuba in funere. [Noſter Eleg. ult. lib. 4.

Sic mæſtæ cecinere tubæ, quum ſubdita noſtrum
Detraheret lecto fax inimica caput.]

Hinc ritus citandi reum capitis tubâ, ante ipſius domum, ut ait Plutarchus in Gracchis. & Petronius in deſperatione ſalutis: *Quod ſi idem frigus genua manuſque tentaverit tuas, licebit ad tubicines mittas.* Huc pertinet narratio de pica, quæ eſt apud Plutarchum in libro de ſolertia animalium, & Petrum Victorium lib. 9. Var. Lect. cap. 14. Seneca cap. 1. de Tranquillitate vitæ memorat *funus tacitum.* ſine tuba opinor & tibia. *Fati querela*, ut Albinovanus ad Liviam v. 76.

Ultima ſit fati hæc ſumma querela tui. PASS.

Vana querela. cur *vana?* An quia poetarum immortale nomen, & iccirco eorum funera non lugenda? An quia defunctorum animæ leſſo & lamentationibus revocari non poſſunt? Favet priori explicationi Epitaphium Ennii poetica ſuperbia plenum:

Nemo me lacrimis decoret, neque funera fletu
Faxit. cur? volito vivu' per ora virûm.

& Flaccus ad Mæcenatem Ode 20. lib. 2.

Abſint inani funere næniæ,
Luctuſque turpes, & querimoniæ.
Compeſce clamorem, ac ſepulcri
Mitte ſupervacuos honores.

Poſteriorem adſtruit Propertius ipſe Eleg. ult. lib. 4.

Deſine, Paulle, meum lacrimis urgere ſepulcrum.
Panditur ad nullas janua nigra preces.

Sed altera illa propius veritatem accedit. VULP.

V. 21. NEC MIHI TUM FULCRO STERNATUR LECTUS EBURNO] *Sternatur*, ornetur. Catullus Carm. 63.

Purpureave tuum conſternens veſte cubile.

unde *ſtrata*, pro lectis. De lecto ferali Virgilius 6. Æneid.

Tum membra toro defleta reponunt.

Et Noſter Eleg. 13. lib. 3.

Namque ubi mortifero jacta eſt fax ultima lecto,
Uxorum poſitis ſtat pia turba comis.

Fulcro. Iſidorus lib. 2. cap. 26. *Fulcra ornamenta lectorum, quia iis fulcimur & ſuſtinemur, vel quod toros fulciant, aut caput.* Propertius ipſe Eleg. 7. lib. 4. *Meo viſa eſt incumbere fulcro.* *Fulmenta* etiam dicebant. Varro apud Nonium: *Fulmenta lectum ſcandunt.* Eſt & fulcrum τραπεζοφόρον. *Treteau. Eburno*, toto ex ebore. [In his lectis potentiorum & locupletiorum cadavera componebantur.] Suetonius in Julio cap. 84. *Intraque lectus eburneus, auro ac purpura ſtratus: & ad caput tropæum cum veſte in qua fuerat occiſus.* PASS.

V. 22. NEC SIT IN ATTALICO MORS MEA NIXA TORO] *Attalicus torus*, Attalicis veſtibus inſtratus. Sic Eleg. 5. lib. 4:

Sectaque ab Attalicis putria ſigna toris.

[quæ videntur fuiſſe imagines intextæ ſtragulis veſtibus, quibus lecti cubiculares, vel tricliniares ſternebantur.] *Attalicæ veſtes* memorantur Eleg. 18. lib. 3. & Elegia 32. hujus libri *Attalica aulæa.* Plinius lib. 8. H. N. cap. 48. *Aurum intexere veſtibus invenit Attalus rex.* Meminit & lib. 36. cap. 15. & lib. 37. cap. 1. *Torus* Varroni ab herbis intortis: ſed Scaliger in Conjectaneis: *Torus eſt quivis funis e loris retortus. Cato: Funem exordiri oportet longum pedes LXXII. Toros tres: habeat lora in pedes ſingulos IX. lata digitos duos. Quia autem toris lecti & funibus tenderentur, ab eo toros vocarunt. ut Herodotus τόνος.* Hæc ille. *Nixa in toro.* τὸ *in*, vacat. ut Eleg. 4. l. 3.

Inque ſinu caræ nixus ſpectare puellæ
Incipiam.

Mors mea. ego mortuus, meum cadaver. Cicero pro Milone, cap. 32. *Non fuiſſe credo fas, clariſſimorum virorum formas (imagines) illi teterrimo parricidæ aliquid decoris afferre, neque ullo in loco potius mortem ejus lacerari, quam in quo vita eſſet damnata.* Lucanus lib. 7.

Dii tibi non mortem; quæ cunctis pœna paratur;
Sed ſenſum poſt fata tuæ dent, Craſtine, morti. PASS.

V. 23.

Desit odoriferis ordo mihi lancibus: adsint
Plebei parvæ funeris exsequiæ.
Sat mea sat magna est si tres sint pompa libelli:
Quos ego Persephonæ maxima dona feram.

Tu

v. 23. DESIT ODORIFERIS ORDO MIHI LANCIBUS] Absint odorum fercula, quæ ordine ferantur in pompa, & in lancibus, ut cum cadavere crementur. Virgilius *6.* Æneid.

--- Congesta cremantur
Turea dona, dapes, fuso crateres olivo.

Noster Eleg. *7.* lib. 4.

Cur nardo flammæ non oluere meæ?

& Eleg. *16.* lib. 3. *Afferet huc unguenta mihi.* *Lancibus*, etiam in vasis sacris lances. Virgilius 2. Georg.

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Ausonius:

Turibula & pateræ, quæ tertia vasa deûm lanx. PASS.

ibid. ADSINT PLEBEI PARVÆ FUNERIS EXSEQUIÆ] Funus meum vulgi more curetur. *Adsint*, verbum officii; *adesse reo, ægroto, mortuo*. Servius ad 2. Æneid. *Funus, ardens cadaver; quod dum portatur, exsequias dicimus; crematum, reliquias; conditum jam, sepulcrum*. Donatus in illud Andriæ: *Funus interim procedit, nos sequimur: Sequimur*, inquit, *quasi post ipsam morituri; unde exsequiæ*. *Exsequi* sane est, sequi. Virgilius 5. Æneid.

Annua vota tamen, sollemnesque ordine pompas
Exsequerer.

Est etiam *funerare*. Vetus Poeta in Ciceronis Tuscul.

At qui dolores morte finisset graves,
Eum omnes amicos laude & lætitia exsequi.

Exsequiæ proprie, *le convoy*. hinc *exsequiavi* dixit Varro apud Nonium, pro ab exsequiis convivari & epulari. *Obsequiæ* quod legitur, puto ab imperito adjectum ex voce vulgata *Obseques*. Recte *exsequiæ funeris*, quia amici & propinqui funus sequuntur. Sic Albinovanus ad Liviam:

Funeris exsequiis adsumus omnis eques.

Ibidem:

Et sensi exsequias funeris ipse mei.

Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 5. numeris Propertianis:

Præclarique docent funeris exsequiæ.

Plebejum funus, quia tenujorum funus minima curabatur impensa, idque per vespillones. Suetonius in Domitiano cap. 17. *Cadaver ejus populari sandapila per vespillones exportatum*. Festus in *Vespæ* & *Vespillones*: *Vespertino autem tempore eos efferunt qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt.* Ovidius in Ibin:

Et dare plebeje corpus inane roge. PASS.

vide Eleg. 5. lib. 4. v. *69*. VULP.

v. 25. SAT MEA SAT MAGNA EST SI TRES SINT POMPA LIBELLI] *Sat sit magna mei si t. s. p. l.* Hæc lectio a Beroaldo est. in omnibus libris legitur, *Sat mea sit magna.* unde alii fecerunt, *Sat mea sat magna est.* recte. sic L. 2. Eleg. 17.

Sat tibi sat pœnæ nox, & iniqua vada.

Beroaldus hic de perfectione mystica numeri ternarii philosophatur. gerræ. mihi certum est, avulsa hæc esse & truncata ex libro tertio. quod vero libellos suos donum parat Proserpinæ, id non fiebat nauli loco, sed quia nefas habebatur vacuis manibus ad Junonem infernam venire. Virgilius L. *6.* Æneid.

Hoc sibi pulcra suum ferri Proserpina munus
Instituit. BROUKH.

Pro ferculis & lancibus abunde erunt mei libelli, si tres sint. *Pompa*, fercula, de quibus Statius *6.* Thebaid. *Tres libelli*; de amoribus enim Cynthiæ tres scribere instituerat. quod effecit; nam quartus alio pertinet. Tangit Eleg. 3. supra:

Et turpis de te jam liber alter erit.

Et Eleg. 11. lib. 2.

Ignoscas igitur, si quid tibi triste libelli
Attulerint nostri. PASS.

Hunc Propertii versum ita olim explicaveram adolescens ad Carmen 1. Catulli. Quum ipse fumosis majorum imaginibus careat, quas ante lectum vitâ functi longa serie ferri mos erat, ait, sibi satis futuros paucos libellos, puta Callimachi, Philetæ, vel aliorum poetarum, quibus legendis ac terendis assidue tempus insumserat. *Tres*

enim

Tu vero nudum pectus lacerata sequeris,
Nec fueris nomen lassa vocare meum.

Oscu-

enim ac *tria* nonnumqnam usurpari pro paucis, illic ostendi. Quod ne suspicatus quidem Scaliger, anxie quærebat, quid sibi vellent libelli tres, nondnm absoluto secundo. Non enim necesse est explicare de illis quos Propertius ipse edidisset. Nec morari lectorem volebam *τὸ μοὶ*; nam, nt ait Martialis quodam Epigrammate: *Quod amis, possis dicere jure tuum*. Et profecto auctores illos quos sibi quisque imitandos proposuisset, inter majores numerari solitos, planum facimus ad Eleg. 1. lib. 4. poetæ nostri v. 79. Huc facit animosum Senecæ effatum Epist. 44. ad Lucillium, de generis obscuritate dolentem: *Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit. Quid est quare desperes his te posse fieri parem? Omnes hi majores tui sunt, si te illis geris dignum.* Cicero pariter Acad. Quæst. edit. 1. lib. 2. *Sed hic quidem (Timagoras Epicureus) majorum similis.* L. vero Appulejus Apologia ita diserte scribit: *Legat veterum Philosophorum monumenta: tandem ut intelligat, non me primum hæc requisisse, sed jampridem majores meos: Aristotelem dico, & Theophrastum, & Endemum, & Lyconem, ceterosque Platonis minores.* Nulla vero imago dignior effingi potest ad nominis memoriam propagandam, quam opus litterarium: in eo enim elucet vis ingenii, cui satis exprimendæ clarissimorum artificum industria neutiquam apta est. Iccirco verissime Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. 6.

Effigiemque meam fulvo complexus in auro
Cara relegati, quâ potes, ora vides.
Quæ quoties spectas, subeat tibi dicere forsan,
Quam procul a nobis Naso sodalis abest!
Grata tua est pietas: sed carmina major imago
Sunt mea: quæ mando qualiacumque legas.

Ceterum de hac mea interpretatione, doctis & cordatis viris jus & arbitrium esto. Unde vero certum sit Broukhusio, hæc Propertii avulsa & truncata esse ex libro tertio, equidem ignoro. Illud manifestum est, Criticum alioqui emunctæ naris, quod Scaligerum nimis admiraretur, morbum illum trajiciendi & luxandi verba scriptorum nonnihil contraxisse. VULP.

v. 26. QUOS EGO PERSEPHONÆ MAXIMA DONA FERAM] Plutarchus Sympos. Quæst. 6. Cœnam Proserpinæ commemorat, quam qui faciunt, nihil inde gustant. Περσέφασσα, ϗ Περσεφάσσα ϗ Περσεφόνεια λέγεται διὰ τὸ πάντα πέρθειν τῷ φόνῳ. quod omnia perdat occidione. Tibullus Eleg. 5. lib. 3.

At mihi Persephone nigram denuntiat horam.

Ovidius in Epist. Cydippes:

Persephone nostras pulsat acerba fores.

Noster Eleg. 28. infra:

Hæc tua, Persephone, maneat clementia, nec tu
Persephones conjux sævior esse velis. PASS.

Ludovicus de la Cerda ad illud Virgilii 6. Æneid. v. 636. *ramumque adverso in limine figit*, ita scribit: *De munere hoc, quo gaudebat Proserpina, jam supra. Fortassis hac mente scriptum est a Propertio lib. 2. Eleg. 13. Sat mea sat magna est &c. Ut dicat, hos libellos pro ramo sibi futuros, quos afferat Proserpinæ.* VULP.

v. 27. TU VERO NUDUM PECTUS LACERATA SEQUERIS] Noster Eleg. 24. infra:

Demissis plangas pectora nuda comis.

Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 9.

Pectoraque infestâ tundat aperta manu.

Vide Servium in illud 12. Æneid.

Filia prima manu flavos Lavinia crines
Et roseas laniata genas.

Sequéris, dictum ut in Andria Terentii Act. 1. Sc. 1. *Funus interim procedit, sequimur.* PASS. Eleganter Petronius in Satyrico, de Matrona Ephesia: *Hæc ergo quum virum extulisset, non contenta, vulgari more, funus passis prosequi crinibus, aut nudatum pectus in conspectu frequentiæ plangere, in conditorium etiam prosequuta est defunctum; positumque in hypogæo Græco more corpus custodire, ac flere totis noctibus diebusque cœpit.* VULP.

v. 28. NEC FUERIS NOMEN LASSA VOCARE MEUM] Indefessa voce clames Propertium. *Lassa vocare*, ut Eleg. 15. infra:

Lassa foret crines solvere Roma suos.

& Eleg. 33.

An nondum est talos mittere lassa manus?

Vocare nomen, ut Eleg. 17. lib. 1. v. 23. *Clamasset nomen*. ubi vide adnotata. & infra hac Elegia: *Revocabit manes*. PASS. Luctum antiquorum in funere imitatur

Isa-

Osculaque in gelidis pones suprema labellis,
Quum dabitur Syrio munere plenus onyx.
Deinde ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes parvula testa meos.

Et

Isabella apud Areostum Cantu 24. eximii poematis, strophe 86. Zerbini amatoris mortem lugens:

Nè alle guance, nè al petto si perdona,
Che l' uno e l' altro non percota e fragua.
E straccia a torto l' auree crespe chiome,
Chiamando sempre in van l' amato nome. V.

v. 29. OSCULAQUE IN GELIDIS PONES SUPREMA LABELLIS] Ex filo sermonis apparet legi debere *pones*. est autem blandissime dictum, ac dulcissime, *ponere oscula*. quod bono judicio arripuit Papinius lib. 2. Thebaid.

Oscula mœstis
Tempestiva genis posuit, lacrimasque repressit.
BROUKH.

Mos osculandi mortuos. Bion in Epitaphio Adonidis:

Ἀμφὶ δὲ τῆνω
Θνάσκοι κ᾽ τὸ φίλαμα, τὸ μήποτε Κύπρις ἀφήσει,
Κύπριδι μὲν τὸ φίλαμα, κ᾽ οὐ ζώοντος ἀρέσκει.
Ἀλλ᾽ οὐκ οἶδεν Ἄδωνις ὅ μιν θνάσκοντ᾽ ἐφίλασεν.

Ovidius 4. Fast.

Osculaque applicuit posito suprema pheretro.

& in Epist. Canaces:

Non super incubui, non oscula frigida carpsi.

Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

Flebis & arsuro positum me, Delia, lecto,
Tristibus & lacrimis oscula mista dabis.

Ponere oscula, quod Albinovanus ad Liviam in eadem re:

At miseranda parens suprema nec oscula fixit,
Frigida nec fovit membra tepente sinu.

ubi & *suprema* vocat, ut hic. PASS. Hic versus unus est ex elegantissimis, tenerrimis, suavissimis Propertii. VULP.

v. 30. QUUM DABITUR SYRIO MUNERE PLENUS ONYX] Perfundetur unguentis rogus. Onyx, vas unguentarium ex onyche gemma. Eleg. 10. lib. 3.

Et crocino nares murrheus ungat onyx.

Horatius Ode 12. lib. 4.

Nardi parvus onyx eliciet cadum.

Catullus de Coma Berenices:

Quæ jucunda mihi munera libet onyx.

Lege Dioscoridem lib. 2. & lib. 5. Ἀλαβαστρίτης λίθος ὁ καλούμενος ὄνυξ. & Plinium lib. 36. cap. 8. Hic ampullam marmoream interpretantur, quum sit & gemmæ nomen onyx, & operculum conchylii. *Syrio munere plenus*, unguentis ex Syria advectis. Vide adnotata ad Eleg. 2. lib. 1. v. 3. PASS. Omnes scriptores efferunt *τὸ onyx* genere masculino: solus Martialis feminino extulit L. 7. Epigr. 94.

Unguentum fuerat, quod onyx modo parva gerebat:
Olfecit postquam Papilus, ecce, garum est.

& notavit istic literatissimus Scriverius. malebat autem J. F. Gronovius, *quod onyx modo parvo gerebat*. de qua correctione non est cur dubitemus. BROUKH.

v. 31. DEINDE UBI SUPPOSITUS CINEREM ME FECERIT ARDOR] Postquam ignis & fax pyræ subjecta me in cinerem verterit, sive corpus meum cinefecerit, ut Lucretius diceret. Ovidius 4. Fast. eadem locutione:

Mutantesque domum, tectis agrestibus ignem,
Et cessaturæ supposuisse casæ.

Dicebant etiam *subdere facem*. Propertius ipse Eleg. ult. lib. 4.

Quum subdita lecto
Detraheret nostrum fax inimica caput.

Item *subjicere*. Virgilius 6. Æneid. *Subjectam, more parentum, Aversi tenuere facem*. Noster Eleg. 13. lib. 3. verbo simplici usus: *Ubi mortifero jacta est fax ultima lecto*. pro *subjecta*. *Cinerem me fecerit*. Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 3.

Quamvis in cinerem corpus mutaverit ignis.

Calvus apud Charisium lib. 1. *Quum jam fulva cinis fueris*. PASS.

v. 32. ACCIPIAT MANES PARVULA TESTA MEOS] *Parvula*, quia *ossa mea minuta*, inquit infra versu ult. Sic Ovidius 3. Amor. Eleg. 9.

Vix manet e toto parva quod urna capit.

Testa, urna fictilis. Eleg. 4. lib. 4.

--- At illi
Urgebat medium fictilis urna caput.

Horatius Ode 20. lib. 1. & 23. lib. 3. *testam*

Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
 Quæ tegat exstincti funeris umbra locum.
Et duo sint versus, *Qui nunc jacet horrida pulvis*,
 Unius hic quondam servus Amoris erat.

Nec

stam dixit pro amphora vel cado. Noster amphoram cineribus lenæ tribuit Eleg. 5. lib. 4.

Sit tumulus lenæ curto vetus amphora collo.

Hic testâ contentus Propertius, quia vult

Plebei parvas funeris exsequias.

Accipiat, inclusos teneat. *Manes meos*; vide notata ad Eleg. 8. supra versu 19. & Elegia 5. lib. 4. v. 3. PASS. *Testa*. urna non solum fictilis, sed etiam coctilis. erant enim alioqui vasa lutea non cocta, ex argilla scilicet cruda, stipulis colligata, & sole siccata. Lucanus lib. 6. v. 49. materiam murorum Babylonis *testam* vocat.

Fragili circumdata testâ
Mœnia mirentur refugi Babylonia Parthi.

Erant autem Babylonis mœnia e latere cocto. Martialis Epigr. 76. lib. 9.

Non silice duro, structilive cæmento,
Nec latere cocto, quo Semiramis longam
Babylona cinxit.

Argilla scilicet igne cocta durescit in testam. VULP.

v. 33. ET SIT IN EXIGUO LAURUS SUPERADDITA BUSTO] Laurus Phœbo poetisque dicata meo immineat tumulo, & locum opacet. Sic Eleg. 14. lib. 3.

Me tegat arboreâ devia terra comâ.

Superaddita, ut Virgilius Ecl. 5.

Et tumulum facite, & tumulo superaddite carmen. PASS.

Busto. cadavere meo cremato & sepulto. VULP.

v. 34. QUÆ TEGAT EXSTINCTI FUNERIS UMBRA LOCUM] Funus non est apparatus mortuorum hoc loco, sed ipsæ reliquiæ & cineres rogo detracti. ut Eleg. 17. lib. 1.

Hæccine parva meum funus arena teget?

Virgilius 9. Æneid. *Et funus lacerum tellus habet*. Et, *exstincti*, quia reliquias & bibulam favillam vino lavabant. quod ex libro 6. Æneid. satis notum. PASS.

v. 35. QUI NUNC JACET HORRIDA PULVIS] *horrida* est in omnibus nostris libris, inque iis quos Lipsius, Passeratius, Livinejus, ac Gebhardus inspexerunt. neque aliter editiones principes. & sic quoque Charisius, quem Georgius Fabricius edidit, L. 1. PULVIS *masculini generis est*, *quamvis Propertius dixerit*, *Qui nunc jacet horrida pulvis*. veteres passim feminine extulerunt. Vid. Columna ad Ennium p. 81. a. Nonius in *Pulvis* p. 217. In Putschii editione legitur eo loci *arida* pulvis: quod & in poeta nostro habent excerpta codicis Borrichiani. sed vincat numerus aliter scribentium: nam *arida* videtur factum ex *orrida*, abjecta adspiratione. BROUKH. *arida* legitur in editione anni 1472. omnium prima, quam Broukhusius nescivit. *Horrida pulvis*, gelida est, vel etiam sparsa. Persius Sat. 1.

Sois comitem horridulum trita donare lacerna.

hoc est, algentem. Tibullus Eleg. 9. lib. 1. *ventis horrida facta coma*. hoc est disjecta & dissipata. VULP. *Jacet*; ut Eleg. 7. lib. 1.

Ardoris nostri magne poeta, jaces.

Pulvis, pro cinere & reliquiis, ut dictum ad Eleg. 19. lib. 1. v. 6. & Eleg. ult. v. 6. Vetus Inscriptio apud Aldum de Orthographia:

Si lutus, si pulvis te tardat forte, viator,
Arida. PASS.

v. 36. UNIUS HIC QUONDAM SERVUS AMORIS ERAT] Uni tantum addictus puellæ vixit. Amor inimicus libertati; unde servitium dicitur Eleg. 5. lib. 1.

Tum grave servitium nostræ cogêre puellæ
Discere.

& Eleg. 25. lib. 3.

Quinque tibi potui servire fideliter annos.

unde & *dominas* amicas vocant. *Amor*, pro, amica; ut Eleg. 13. lib. 1. *quod abrepta solus amore vacem*. Uni autem se servisse sæpe profitetur; ut:

Tu mihi sola places, placeam tibi, Cynthia, solus. PASS.

Quod hic sibi Noster epitaphium ponit, tantopere placuit disertissimo viro Joanni Casæ, ut & suo inscribi velit sepulcro, Carm. 10., eorum quæ a multiplicato sono in versuum numero certo ac præfinito

Nec minus hæc noſtri noteſcet fama ſepulcri,
  Quam fuerant Phthii buſta cruenta viri.
Tu quoque, ſi quando venies ad fata, memento
  Hoc iter. ad lapides cana veni memores.
Interea cave, ſis nos aſpernata ſepultos.
  Non nihil ad verum conſcia terra ſapit.

At-

Italis *Senetti* appellantur :

Come doglia fin qui fu meco, e pianto,
Se non quando dilette Amor mi porſe ;
E ſol fu dolce amando il viver mio ;
Così ſia ſempre : e loda ironne, e vanto ;
Che ſcriveraſſi al mio ſepolcro forſe :
QUESTI SERVO D'AMOR VISSE, E MORIO. BROUKH.

Unius, altera brevi κατὰ συγκοπὴν. VULP.

v. 37. NEC MINUS HÆC NOSTRI NOTESCET FAMA SEPULCRI] *Noteſcere*, verbum probum fateor. Catullus Carm. 67.

Noteſcatque magis mortuus atque magis :

Sed quod ſequitur, *Quam fuerant*, me in hanc opinionem deducit, legendum eſſe, *Nota eſſet ;* ſive, *not' eſſet*. *Noſtri ſepulcri*, an de ſe mortuo ? ut Eleg. 7. lib. 1.

Nec poterunt juvenes noſtro reticere ſepulcro,
Ardoris noſtri magne poeta, jaces. PASS.

v. 38. QUAM FUERANT PHTHII BUSTA CRUENTA VIRI] Notum ut ad ſepulturam Achillis immolata Polyxena ex Euripidis Hecuba, Ovidio 13. Metam. & Senecæ Troadibus. dixi ad illud Catulli in Ariadna:

Alta Polyxeniâ madefient cæde ſepulcra.

Ergo *cruenta*, reſperſa cæde Polyxenæ. *Phthii viri*, Achillis, cui Phthia patria. Homerus Iliad. 1. & ſæpe alibi. Horatius Ode 6. lib. 4. *Et Trojæ prope victor altæ Phthius Achilles*. PASS.

v. 39. TU QUOQUE, SI QUANDO VENIES AD FATA, MEMENTO HOC ITER. AD LAPIDES CANA VENI MEMORES] Scaliger ex conjectura :

- - - - memento
Hoc itere ad lapides cana venire meos.

Si quando venies ad fata. ut omnibus eo veniendum. eſt affirmantis, ut Eleg. 17. lib. 1.

Si quando veſtras labens Amor attigit undas.

Venies ad fata, vocaberis ad exitum vitæ. Cicero Epiſt. 4. lib. 6. ad Famil. *Acherontem obibis*, Vetus Poeta apud Feſtum. unde *obire*, & *obire mortem*. *Ad lapides*, ad meum ſepulcrum. vide notata ad Eleg. 17. lib. 1. v. 20. unde *lapidare* Petronio, pro tumulare. *Memores ;* neque enim lapides, id eſt, manes mei obliviſcentur tui. ut Eleg. 19. lib. 1.

Non adeo leviter noſtris puer hæſit ocellis,
Ut meus oblito pulvis amore vacet. PASS.

Membranæ habent, *Hoc iter ad lapides cana veni memores*. quod non ſatis dilucide exponunt, qui ſequuntur, Paſſeratius, & Adr. Behotius L. 3. Apoph. C. 4. antiqui dicebant *itiner itineris*, *iter iteris*. Nævius Lycurgo : *Ignotæ iteris ſumus, tute ſcis :* L. Attius Œnomao : *Praſte etiam adſum, expreme quid fers : nam te longo itere cerno vadere*. vide Nonium. BROUKH. *Si quando venies ad fata*. quum tandem aliquando, ſenectute confecta, mortem obibis. *Si*, pro quum. Ita Catullus Carm. 14. *Si luxeris :* quum primum dies orietur. *Cana ;* optat ſcilicet, Cynthiam ſuam canis comis, nempe exacta demum ætate, mortuam ſepulcro condi quo ipſe conditus fuerit. VULP.

v. 41. INTEREA CAVE, SIS NOS ASPERNATA SEPULTOS] Diſtinguendum ; quia apud Comicos, *caveſis*, una vox eſt, ſed alio ſenſu. *Sis aſpernata*, pro aſperneris. Sic Eleg. 20. infra :

Nec tu ſupplicibus me ſis venerata tabellis.

pro venereris. Eſt autem ſententia eadem quæ in Eleg. 19. lib. 1.

Quam vereor, ne te contemnens, Cynthia, buſte,
Abſtrahat a noſtro pulvere iniquus Amor! P.

v. 42. NONNIHIL AD VERUM CONSCIA TERRA SAPIT] Intelligit, quæ ſint juſta funerum, juſta Tellus. *Nonnihil ſapit*. id eſt, aliquid ſentit. ut Eleg. 10. lib. 1. *Nonnihil egit Amor*. *Terra* autem vel ipſa communis omnium parens ; vel ipſi cineres ; ut *Reddenda terra terræ*. *Sapit*, ſenſu præ-

Atque utinam primis animam me ponere cunis
 Jussisset quævis de tribus una soror.
Nam quo tam dubiæ servetur spiritus horæ?
 Nestoris est visus post tria sæcla cinis.
Si tam longævæ minuisset fata senectæ
 Gallicus Iliacis miles in aggeribus,

Non

prædita. ut Eleg. *6.* lib. 4.

Gaude Crasse, nigras si quid sapis inter arenas.

Sapis terra, sensus est inferis. vel sapit Tellus ipsa dea. *Sapis ad verum*; intelligit quod justum est, quia Tellus ipsa justa, & æqui arbitra; ut docuimus ad illud Eleg. *19.* lib. 1. *Et Tellus hoc ita justa sinat*. *Verum*, pro æquum, ut Eleg. 5. supra:

Hoc verum est tota te ferri, Cynthia, Roma?

Sapere ad verum; ut Plautus Persa 1, 3. *Sapis multum ad Genium*. Terentius Adelphis 5, 3. *Ad omnia alia ætate sapimus rectius*. *Conscia terra*; ut Ovidius in Epist. Leandri:

Cetera nox, & nos, & turris conscia novit.
 PASS.

Ita *conscia fati Sidera* dixit Manilius initio Astron. VULP.

v. 43. ATQUE UTINAM PRIMIS ANIMAM ME PONERE CUNIS JUSSISSET QUÆVIS DE TRIBUS UNA SOROR] *Primis cunis* dixit, ut Eleg. 3. supra, *primis diebus*. contra, *extrema rogo*, & *ultimus lapis*, de morte. *Ponere animam*, reddere Elegia *6.* lib. 1. & *deponere* Eleg. 13. Virgilius 4. Georg. *Animasque in vulnere ponunt*. & Eleg. 26. infra: *Mihi si ponenda tuo sit corpore vita*. *Jussisset*; quia jubere est fati. unde Horatius: *Sic placitum Parcis*, & *fata vetant*, & *sinunt*. *Quævis de tribus una soror*. quælibet e Parcis, sive Clotho, sive Lachesis, sive Atropos. Ovidius in Ibin:

Quæque ratum triplici pollice netis opus.

id est, Parca quælibet. Ibidem:

De tribus est quum sit una locuta soror.

Albinovanus ad Liviam:

Quondam ego tentavi Clothoque, duasque sorores.

& mox:

De tribus una mihi, Partem accipe quæ datur, inquit,
 Muneris. PASS.

Animam ponere. Silius Italicus lib. 10. Punic. v. 302. de Æmilio Paullo jam jam morituro:

Sidoniumque ducem circumspectabat, in illa
Exoptans animam certantem ponere dextra.

Sumserunt Latini a Græcis. Homerus Odysseæ lib. 3.

Ψυχὰς παρθέμενοι, κακὸν ἀλλοδάποισι φέροντες.

De tribus una. Sic locutus Varro lib. 8. de L. L. *Qui triclinium constrarunt, si quem lectum de tribus unum imparem posuerunt* &c. Auctor Carminis in Priapum Epigr. 81. *Dentem de tribus exscreavit unum*. *De tribus una soror*. Martialis pariter Epigr. 77. lib. *9.*

Invidit de tribus una soror,
Et festinatis incidit stamina pensis.

Idem Epigr. 55. lib. 4.

Nil adicit pensa Lachesis, fusosque sororum
 Explicat, & semper de tribus una secat. V.

v. 45. NAM QUO TAM DUBIÆ SERVETUR SPIRITUS HORÆ?] Quem ad usum reservetur & retineatur vita? *Spiritus horæ tam dubiæ*. vita, cujus exitûs hora tam incerta est. ut Eleg. 27. infra:

At vos incertam, mortales, funeris horam
 Quæritis. PASS.

Quo? in quem usum? Horatius Epist. 5. lib. 1.

Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?

Dubiæ horæ. nescimus enim, qua manu, vel qua via sit aditura extrema illa rerum linea. *Improvisa leti Vis rapuit, rapietque gentes*, ait idem Horatius Ode 13. lib. 2. V.

v. 46. NESTORIS EST VISUS POST TRIA SÆCLA CINIS] Post annos trecentos tandem Nestor interiit, & crematus est. unde *trisæclisenex* dictus a Nævio apud Gellium lib. *19.* cap. 7. Plura adnotavi ad Panegyricum Tibulli. PASS. De ætate Nestoris eleganter disputat Franc. Floridas L. 2. Subsec. Lect. C. 3. BROUKH.

v. 47. QUIS TAM LONGÆVÆ MEMINISSET

Non ille Antilochi vidisset corpus humati:
Diceret aut, O mors, cur mihi sera venis?

Tu

FATA SENECTÆ GALLICUS ILIACIS MILES IN AGGERIBUS?] Hæc est lectio meliorum librorum, quam jure contra Beroaldum, qui primus corrupit, vindicat Scaligeri perspicacia. *Quis* valet *quibus*. quibusnam debuisset Nestor commemorare ærumnas senectæ suæ nimium vivacis, dum decrepitus etiamnum militat apud Trojam, si ipsi contigisset feliciter ante Antilochum mori? certe querelam de fera morte potuisset compendii facere. unice hic facit insignis locus poetæ Aquinatis Sat. 10. ab illis verbis: *Rex Pylius*. quem locum vide. Scribebant autem veteres *quis*, non quod nunc fit nullo more, *queis* (quamvis hoc defendere videatur vir doctissimus Joannes Pierios Valerianus in L. 1. Aen. v. 95.) teste Sosipatro Charisio L. 1. Instit. Gram. *Gallicus miles* dicitur Nestor, quia tendebat juxta Phrygiæ fluvium Gallum. ita passim apud historicos exercitus ac legiones denominantur a provinciis, in quibus militabant. vide sis Suetonium Vespas. C. 6. Ciceronem XII. ad famil. 32. p. 245. Tacitum Hist. 2, 86, 5. Idem L. 1. Hist. C. 76. *Judaicum exercitum Vespasianus, Syriæ legiones Mucianus sacramento Othonis adegere*. & mox C. 77. *Consul* [*Otho*] *cum Titiano fratre in Kalen. Martias ipse, proximos menses Verginio destinat, ut aliquod exercitui Germanico delinimentum*. sic bellum Cimbricum a C. Mario profligatum, Ciceroni *Gallicum* dicitur, Orat. de Provinc. Consul. C. 8. eo quod primo in Gallia gerebatur. BROUKH. *Si tam longævæ minuisset fata senectæ Gallicus Iliacis miles in aggeribus*. Vulgatæ lectionis aperta sententia. *Si Gallicus miles*, id est hostis Trojanus contraxisset vitam illam & fata Nestoris eum occidendo, non ille vidisset Antilochi rogum. Beroaldus tamen fatetur se legisse *meminisset*, pro quo substituit *minuisset*. Scaliger obscure veterem lectionem exponit. *Longævæ*, pro longæ; nam frustra adderetur *senectæ*, quæ longum est ævum. Sic Statius lib. 2. Silv. in Arborem Atedii: *Primævam visu platanum*, pro quam primam vidit. & Ausonius: *Tu primævis doctor in annis*. id est, primis. *Fato senectæ longævæ*, senectam tam longam fatis datam. dixi ad Eleg. 19. lib. 1. v. 17. *Gallicus miles*, vel Asiaticus: quia in Asiam Galli transierunt, & illic sedes collocarunt; vel Phrygius, a Gallo Phrygiæ fluvio: hæc Beroaldus. Scaliger, Gallicus miles, temerarius & stolide fortis. non probo. An Gallicus, Barbarus quilibet? & mercede conductus? *In aggeribus Iliacis*, in muris & operibus ac munitionibus urbis Trojæ. quid aggeres, dictum Eleg. penult. lib. 1. PASS. *meminisset*. Dubito an Latinum sit, meminisse aliquid alicui, pro memorare. V.

v. 49. NON ILLE ANTILOCHI VIDISSET CORPUS HUMATI] Apud Homerum 3. Odysseæ Nestor Telemacho filii sui Antilochi mortem narrat. & lib. 4. a Memnone dicitur interfectus. quare Ovidius Epist. 1. Heroid. ex falsa opinione dixit:

Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum.

& lib. 24. Odysseæ umbra Antilochi apud inferos esse dicitur. Horatius lib. 2. Ode 9. *At non ter ævo functus amabilem Ploravit omnes Antilochum senex Annos*. Vide etiam Pindarum in Pythiis. *Corpus Antilochi*, pro cadavere & relliquiis; ut Eleg. 9. supra: *Et tanti corpus Achillis*. *humati*, καταχρηστικῶς, pro exstincti. ut Horatius Ode 8. lib. 3. *Prope funeratus Arboris ictu*. Alioqui humati, id est humo tecti, corpus videri non potest. Alii libri *humeri*, pariter καταχρηστικῶς, quia crematus, non humatus Antilochus. sed urna ipsa humo tegitur. An *amati*, ut Horatius loco prænotato, *amabilem Antilochum*? PASS. *Humati* valet hoc loco *humandi*: nam talia participia præteriti temporis ponuntur pro futuris. Virgilius L. 2. Aen.

--- subiit deserta Creüsa,
Et direpta domus, & parvi casus Iuli.

Direpta (inquit Servius) *pro diripienda. participium pro participio*. BROUKH. Dantes Aligherius Paradisi Cantu 27. hanc Propertii locutionem usurpavit:

E tal balbuziendo, ama ed ascolta
La madre sua; che, con loquela intera,
Disia poi di vederla sepolta.

Interdum poetæ tribuunt visui, quæ sunt

alio-

Tu tamen amiſſo nonnumquam flebis amico.
Fas eſt præteritos ſemper amare viros.
Teſtis, qui niveum quondam percuſſit Adonem
Venantem Idalio vertice durus aper.

Illis

aliorum ſenſuum. Virgilius 4. Æneid. 490. *Mugire videbis Sub pedibus terram.* VULP.

v. 50. DICERET AUT, O MORS, CUR MIHI SERA VENIS?] *Diceret aut*, enallage temporum, pro dixiſſet. *Cur mihi ſera venis?* cur tam diu moraris? *Sera*, pro ſero. dixi alibi. *Mors venit*. ut Cicero 5. Tuſc. *Morti adventanti paululum obviam procedere*. Tibullus Eleg. 10. lib. 1.

Quis furor eſt atram bellis arceſſere mortem?
Imminet, & tacito clam venit illa pede.

In Catalectis:

Mors aurem vellens, Vivite, ait, venio. P.

Illa Juvenalis de Neſtore Sat. 10. pulchre illuſtrant mentem Propertii:

--- quæris ab omni,
Quiſquis adeſt, ſocio, Cur hæc in tempora duret,
Quod facinus dignum tam longo admiſerit ævo.

BROUKH.

v. 51. TU TAMEN AMISSO NONNUMQUAM FLEBIS AMICO] Dura licet & ferrea ſis, interdum tamen mortuo amatore tuo lugebis. *Amiſſo*, ademto, erepto tibi morte. Ipſe Eleg. 18. infra:

Cui majora ſenis Tithoni gaudia vivi,
Quam gravis amiſſo Memnone luctus erat.

Cicero lib. 11. ad Famil. Epiſt. 9. *Panſa amiſſo, quantum detrimenti reſpublica acceperit, non te præterit. Flebis*, ut Eleg. 24. infra v. 35. 36. 37. Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

Flebis & arſuro poſitum me, Delia, lecto,
Triſtibus & lacrimis oſcula mixta dabis. P.

v. 52. FAS EST PRÆTERITOS SEMPER AMARE VIROS] Sanctitas Deorum Manium id poſtulat. Juſque piumque eſt. Servius in illud 1. Georg. *Fas & jura ſinunt. Fas ad religionem*, inquit, *jura ad homines referuntur*. Auſonius: *Prima deûm fas Quæ Themis eſt Graiis*. & hoc eſt quod dixit:

Nonnihil ad verum conſcia terra ſapit.

Præteritos viros, οἰχομένους, & ἀποιχομένους. & ita vulgo, *Treſpaſſez*, id eſt, *outrepaſſés*. & *il eſt outre*. Sic Homerus, οἰχόμενος, qui abiit. *id eſt*, mortuus. Feſtus: *Abitionem, pro morte dixerunt*. Tertullianus: *Si de aliquo jampridem defuncto tamquam vivo, quis requirat; illud occurrit: Abiit jam, & reverti debet.* vel *præteritos viros*, antiquos, τοὺς πάλαι ἄνδρας. PASS. Medea apud Valerium Flaccum L. 7. v. 207. *Fas tunc mihi manes Dilexiſſe viri*. BROUKH. At pauciſſimis feminarum id placet, quæ ſæpe adhuc tepente mortui conjugis favilla novas nuptias adornant. Vide quam falſa fuerit Eliſſa Carthaginis regina, ſi modo Maronis fabulam probamus; quæ ita Æneid. 4. v. 28.

Ille meos, primus qui me ſibi junxit, amores
Abſtulit, ille habeat ſecum, ſervetque ſepulcro.

Magnifica ſane verba: ſed nullius ponderis. Lege hiſtoriam lepidiſſimam cujuſdam Epheſinæ matronæ apud Petronium Arbitrum in Satyrico. Vere Homerus lib. 15. Odyſſeæ v. 20.

Οἶσθα γὰρ οἷος θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι γυναικός·
Κείνου βούλεται οἶκον ὀφέλλειν ὅς κεν ὀπυίοι,
Παίδων δὲ προτέρων καὶ κουριδίοιο φίλοιο
Οὐκέτι μέμνηται τεθνηότος, οὐδὲ μεταλλᾷ.
Scis enim qualis animus in pectoribus mulieris:
Illius vult domum augere quicumque duxerit,
Filiorum autem priorum & mariti primi
Non amplius recordatur mortui, neque inquirit.

VULP.

v. 53. T. QUI NIVEUM QUONDAM PERCUSSIT ADONEM VENANTEM IDALIO VERTICE DURUS APER] *Percuſſit*, dente fulmineo vulnus ei inflixit in femore. nam graviſſimi eſt & letalis vulneris verbum. *Percuſſit*, unde *percuſſores* dicti; & ſimul quod fulmen in dentibus apri dicantur habere. nam *percuti* etiam de fulmine dicitur. Adonidis fabula eſt apud Ovidium 10. Metam. Apollodorum lib. 3. Bionem Idyllio 1. Dicitur vero & *Adon*, & *Adonis*. Arabica vero gens *Adoneum* vocat, ut ait Auſonius. *Niveum Adonin*. qui candore nivi certaret. Theocritus Idyllio 13. τὸ δ' οἱ εἴβεται αἷμα Χιονέας κατὰ σαρκός. *Venantem Idalio vertice*. ſectantem feras in jugo & cacumine Idalii. & apri juga montium colunt. *Durus aper*, vel perpetuo epitheto, ut Eleg. 3. ſupra, *Torvus aper*,

vel

Illis formosum jacuisse paludibus, illuc
Diceris effusa tu, Venus, isse coma.
Sed frustra mutos revocabis, Cynthia, manes.
Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui?

vel sævus hoc ipso pueri formosissimi vulnere. PASS. *Venantem Idalio vertice.* Fuit igitur & mons eo nomine, ut & oppidum, & nemus. Vide sis Barthium in L. 5. Thebaid. Statii v. 63. tetigit & Beroaldus, sed jejune, & tantummodo tetigit. BROUKH.

v. 55. ILLIS FORMOSUM JACUISSE PALUDIBUS, ILLUC DICERIS EFFUSA TU, VENUS, ISSE COMA] Sic Theocritus Idyllio 1. Χ' ὡραῖος ὤδωνις ἐπεὶ ἐ μᾶλα νομεύει. Quod Virgilius vertit Ecloga 10.

Et formosus oves ad flumina pavit Adonis.

Bion: ὤλετο καλὸς Ἄδωνις. *Jacuisse*: in quibusdam libris, *fleviffe*. in aliis, *laviffe*. Lavari ab Amoribus, & ungi a Venere Adonin Moschus facit. *Paludibus*. paludum opinor facta mentio propter aprorum lustra in locis paludosis. *Illuc diceris isse*: ut Ovidius 10. Metam.

Agnovit longe gemitum morientis, & albas
Flexit aves illuc.

Effusâ comâ, passo & soluto capillo, ut in luctu solet. Sic & Theocritus in Epitaphio Adonidis:

--- ἁ δ' Ἀφροδίτα
Λυσαμένα πλοκαμῖδας ἀνὰ δρυμὼς ἀλάληται.

& Petronius: *Funus passis prosequi crinibus.* de hoc ritu dictum aliàs. PASS. *Jacuisse* est in omnibus nostris scriptis: in tribus Lipsio visis: in tribus itidem Gebhardo: in duabus editionibus primis *laviffe*. Lipsius, Scaliger, Passeratius, qui defendunt, provocant ad morem antiquum lavandi. sed an satis decore Adonis lavatur aqua cœnosa, & ulva palustri? id in suo Ibide pro dirissimo omine habet Naso:

Protinus Eumenides lavere palustribus ulvis.
BROUKH.

v. 57. SED FRUSTRA MUTOS REVOCABIS, CYNTHIA, MANES] Catullus:

Et mutum nequicquam alloquerer cinerem.

Revocabis manes. voce tua reducere ad vitam conaberis. *Revocari* dicuntur mortui quum reviviscunt. Virgilius 7. Æneid.

Pæoniis revocatum herbis, & amore Dianæ.

Contra vero Eleg. 27. infra:

Jam licet & Stygia sedeat sub arundine remex,
Cernat & infernæ tristia vela ratis;
Si modo clamantis revocaverit aura puellæ,
Concessum nulla lege redibit iter. PASS.

v. 58. NAM MEA QUID POTERUNT OSSA MINUTA LOQUI?] Si proprie *ossa*, ideo *minuta*, quia *exiles* Propertius *tenuatus in artus*, ut ait Eleg. 22. infra. Sed *ossa*, pro umbra, ut Eleg. 8. supra v. 20. & Eleg. ult. lib. 4.

In mea sortitâ judicet ossa pilâ.

Itaque *ossa minuta*, exilis & tenuis umbra. Nam & de se vivo dixit Elegia superiore:

Non ego, sed tenuis vapulat umbra mei. P.

Ossa minuta, sunt reliquiæ ossium e rogo detractæ, quas ignis combussit, tenuavit, arefecit. VULP.

ELEGIA XIV.

NOn ita Dardanio gavisus Atrida triumpho est,
Quum caderent magnæ Laomedontis opes:

Nec

ARGUMENTUM ELEGIÆ XIV. LIBRI II.] Gaudio gestit, quod amica potitus fuerit. VULP.

v. 1. NON ITA DARDANIO GAVISUS ATRIDA TRIUMPHO EST] Non ita exsultavit Atrei filius capta & expugnata Troja. *Dardanio*, Trojano; quia *Trojæ Dardanus auctor*. *Triumpho*, victoria, quam plerumque sequitur triumphus. & *gavisus triumpho*, ut *triumphare gaudio*. *Atrida*. Duo Atridæ: major, Agamemnon; minor, Menelaus. Uter? an Agamemnon, qui

rex

Nec ſic errore exacto lætatus Ulixes,
 Quum tetigit caræ litora Dulichiæ:
Nec ſic Electre, ſalvum quum aſpexit Oreſten,
 Cujus falſa tenens fleverat oſſa ſoror:

Nec

rex regum ei bello præfuit? an Menelaus, cujus cauſſâ ſuſceptum bellum? In *Atrida*, *a*, corripitur. ut Horatius Sat. 3. lib. 2.

Ne quis humaſſe velit Ajacem, Atrida, vetas cur?

Sic *Iarbas* & *Iarba*. Ovidius 3. Faſt.

Et potitur capta Maurus Iarba domo.

Vide Chariſium lib. 1. Pass. *Atrida* hoc loco eſt Agamemnon, ἄναξ ἀνάκτων in expeditione Trojana. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 12.

Pergama quum caderent bello ſuperata biluſtri,
Ex tot in Atrida pars quota laudis erat?

Triumpho. Etruſcorum & Romanorum conſuetudinem tranſtulit Noſter ad Græcos: gentes enim illæ de hoſtibus victis triumphabant. Vulp. Veteres illa nomina quæ Græci in AS vel in ES efferunt, per A ſolebant efferre. in quibus hoc ipſum *Atrida* memorat Servius in L. 3. Æn. v. 475. Quintiliani & Priſciani loca, egregie huc facientia, potes videre apud ſummum in his literis virum Ger. Jo. Voſſium L. 2. de Analog. C. 2. qui & hic *Atrida* pro recto caſu agnoſcit. Broukh.

v. 2. Quum caderent magnæ Laomedontis opes] Ovidius in Epiſt. Hermiones:

Quum Danaus Phrygias ureret ignis opes.

Caderent. unde Virgilius 1. Æneid. *Occaſum Trojæ triſteſque ruinas*. *Opes*, & divitiæ & vires nervique regni. Virgilius 2. Æneid.

Trojanas ut opes, & lamentabile regnum
Eruerint Danai.

De Laomedonte nota omnia, qui duplici perjurio inſignis, in Neptunum & Apollinem primum, qui Trojæ muros ipſi exſtruxerant; deinde in Herculem, qui ſororem ejus Heſionen, a ceto, cui expoſita fuerat, liberavit. Hinc Virgilius 1. Georg.

Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ.

& Horatius Ode 3. lib. 3. *Ex quo deſtituit deos Mercede pacta Laomedon*. Hic autem quaſi conditor urbis Trojæ, quia mœnibus eam cinxit. Pass. Noſtri codices *Laumedontis*, more priſco. Vide notam Jo. Fred. Gronovii ad L. 21. Plinii C. 5. item Jo. Georgii Grævii in Ciceron. L. 12. ad Famil. Epiſt. 13. ita etiam habet Veneta antiqua. Broukh.

v. 3. Nec sic errore exacto lætatus Ulixes, Quum tetigit caræ litora Dulichiæ] Videndus Homerus lib. 13. Odyſſeæ. *Errore exacto*, impoſito errori fine poſt decennium. Vide Eleg. 12. lib. 3. ubi colligit errores Ulixis ſparſos per Odyſſeam Homericam; & Tibullum lib. 4. in Panegyrico. *Exacto*, finito, ut Eleg. 3. lib. 1. *Exactis ſideribus*, tranſacta nocte. *Tetigit litora*. Expoſui ad illud Catulli:

Gnoſia Cecropiæ tetigiſſent litora puppes.

Caræ Dulichiæ, quia patria ſua cuique cariſſima, & maxime Ulixi. unde ex Homero ſcribit M. Tullius 1. de Orat. *Cujus rei* (patriæ) *tanta vis eſt, & natura, ut Itacham illam in aſperrimis ſcopulis tanquam nidulum affixam ſapientiſſimus vir immortalitati anteponeret*. Vide Homerum 5. Odyſſeæ. Pass. *Litora Dulichiæ*. imo Ithacæ. Vide Homerum L. 13. Odyſſ. ſed Noſter res Ithacæ cum rebus Dulichiæ fere confundit. ſic ſupra habuimus, Eleg. 2.

Aut quum Dulichias Pallas ſpatiatur ad aras.

L. 3. Eleg. 3.

Lydus Dulichio non diſtat Crœſus ab Iro.

confudit & Virgilius Ecloga 6. *Dulichias vexaſſe rates*. tamen Homerus Dulichiæ atque Echinadum inſularum navibus quadraginta præfuiſſe Megen Phylei filium, Ulixen vero duxiſſe alias duodecim ex Ithaca, Nerito, Zacyntho, Same, tradit L. 2. Iliad. Broukh.

v. 5. Nec sic Electra, salvum quum aspexit Oresten] Electra, Agamemnonis & Clytæmneſtræ filia, quum parvulum fratrem Oreſtem, metu Ægiſthi, clam in Phocidem ablegaſſet, & ut aliquando necem paternam ulciſceretur; tandem deſperans de fratre, ſororem Chryſothemida ad ultionem ſecum impellere fruſtra conatur. Vigeſimo demum anno Argos redit Oreſtes cum Pylade & Pædagogo. Pædagogus falſos de Oreſtis morte rumores diſſemi-

Nec sic incolumem Minoïs Thesea vidit,
Dædaleum lino quum duce rexit iter:
Quanta ego præterita collegi gaudia nocte.
Immortalis ero, si altera talis erit.

At

seminat, quem in Pythicis certaminibus occubuisse mentitur. Urna quoque profertur in qua ejus conditi cineres fingebantur. Flet Electra, & flenti Clytæmnestra insultat. Se frater demum Orestes sorori Electræ aperit, communique consilio Clytæmnestram, deinde Ægisthum interficiunt. Hæc Sophocles in Electra. Vide & Euripidis, si modo ejus est, Electram, & Hyginum Fab. 119. Est Electra una Nereïdum, & una Pleïadum. dicta fuit antea Laodice. Ælianus lib. 4. In τοῦ *Electra*, est α δίχρονον, pro η. ut & Ovidius 4. Fast.

Sive quod Electra Trojæ spectare ruinas
Non tulit.

Idem in Remed. Amoris:

Perdat opes Phædra: parces, Neptune, nepoti.

Salvum aspexit. superstitem agnovit præter opinionem. PASS. *Electra.* ita noster secundus, & uterque Colbertinus. Groninganus, & Vaticanus Livineji, cum Borrichiano, *Non Electra suum salvum cum vidit Orestem.* illud *suum* infarserunt, qui versui metuebant. sed scribendum est *Electre.* BROUKH.

v. 6. CUJUS FALSA TENENS FLEVERAT OSSA SOROR] Dictum, urnam tradidisse Pædagogum Electræ, in qua fingebantur conditi cineres Orestis; quibus lacrimas & planctus dedit Electra. Ergo τὸ *ossa* iterandum. & *tenens ossa* & *fleverat ossa.* ut Eleg. ult. lib. 4.

Defleta & gemitu Cæsaris ossa meo.

Huc pertinet historia quam Gellius cap. 5. lib. 7. de Polo nobili histrione commemorat. De morte Orestis Ovidius in Ibin:

Agamemnoniis vulnus dedit anguis Oresti. PASS.

v. 7. NEC SIC INCOLUMEM MINOÏS THESEA VIDIT] Nec tanto cum gaudio Ariadna vidit Theseum sospitem. Vide adnotata ad Eleg. 3. lib. 1. v. 2. & Catulli Ariadnam Carm. 63. PASS.

v. 8. DÆDALEUM LINO QUUM DUCE REXIT ITER] Viam flexuosam labyrinthi structi a Dædalo: de quo Catullus in Ariadna. *Rexit iter.* rectam viam reddidit, licet flexuosa esset. *Regere passus*, dixit Ovidius in Epist. Ariadnæ:

Quæ regerent passus, pro duce fila dedi.

Et in Epist. Phædræ:

Perfidus Ægides, ducentia fila secutus,
Curva meæ fugit tecta sororis ope.

Noster Eleg. 4. lib. 4.

Quum patuit lecto stamine torta via.

Vide plura ad illud Catulli Carm. 63.

Errabunda regens tenui vestigia filo. PASS.

De Dædalo, consule Indicem nostrum Propertianum. VULP.

v. 9. QUANTA EGO PRÆTERITA COLLEGI GAUDIA NOCTE] Quantos percepi fructus amoris proxime superiore, sive hesterna, nocte. *Collegi gaudia*, translatum a collectione frugum. sic Ausonius: *Collige virgo rosas.* Horatius Epist. 12. lib. 1. proprie:

Fructibus Agrippæ Siculis, quos colligis, Icci,
Si recte frueris.

Gaudia, ut Catullus Carm. 61. *Quæ tuo veniunt hero Quanta gaudia!* PASS. Colligi quidem videntur Veneris gaudia, sed vix collecta perfluunt, & effunduntur, *pertusum congesta quasi in vas*, ut ait Lucretius lib. 3. VULP.

v. 10. IMMORTALIS ERO, SI ALTERA TALIS ERIT] Impia, ni stultissima esset, amantium exsultatio. ut Eleg. 8. lib. 2.

Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis.

& Eleg. proxima infra:

Si dabit hæc multas, fiam immortalis in illis.
Nocte una quivis vel deus esse potest.

In Epigrammatis Græcis:

Εὐδαίμων ὁ βλέπων σε, τρισόλβιος ὅστις ἀκούει·
Ἡμίθεος δ' ὁ φιλῶν, ἀθάνατος δ' ὁ συνών.

Terentius Hecyra 5, 4. *Deus sum, si hoc ita est.* & Eunucho 5, 5. *Nam mihi immortalitas parta.* Plautus Curcul. 1, 3. *Sum deus* (inquit Phædromus) Cui Palinurus servus: *Imo homo haud magni pretii.* Cicero pro Sextio: *Plausus homini levi immortalitas, sibilus mors.* PASS.

v. 11.

At dum demiſſis ſupplex cervicibus ibam,
Dicebar ſicco vilior eſſe lacu.
Nec mihi jam faſtus opponere quærit iniquos,
Nec mihi ploranti lenta ſedere poteſt.
Atque utinam non tam ſero mihi nota fuiſſet
Conditio. cineri nunc medicina datur.

An-

v. 11. AT DUM DEMISSIS SUPPLEX CERVICIBUS IBAM] Obſtipo & dejecto capite, qui geſtus eſt triſtium & mœrentium. ut Eleg. 1. lib. 1. *Amor dejecit lumina*. ubi vide adnotata. *Supplex*, obnoxius. Eleg. 9. l. 1.

Ecce jacet, ſupplexque venit ad jura puellæ. P.

Contra Paulus Silentiarius lib. 7. Anthologiæ vocat juvenem quemdam ſolutum amore, ὑψαύχενα, *elata cervice incedentem*. V.

v. 12. DICEBAR SICCO VILIOR ESSE LACU] Vulgo ferebar contemtior eo lacu qui aridus nulli eſt uſui. nam lacus ſi perennem habet aquam, piſcibus & navigationi utilis eſt: ſi aret, quid eo contemtius? quum neque jumenta ex eo bibant, neque veſtes in eo laventur. Quid lacus, vide Eleg. 23. v. 2. infra. PASS. Sapit adagium, ut recte monuit Scaliger. Similia ſunt verba Jeremiæ cap. 2. v. 13. *Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas*. Niſi Propertius vas vinarium amplum ſignificavit, quod veteres *lacum* appellabant. Tibullus Eleg. 3. lib. 2.

Tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus.

Et Eleg. 5. ejuſdem libri:

Dolia dum, magni deficiantque lacus.

Siccum autem fortaſſe dixerit, quaſi exhauſtum, epotum, vel non imbutum vino. Idem Tibullus Eleg. 6. lib. 3. *Quem veſtrûm pocula ſicca juvant?* Phædrus Fab. 1. lib. 3. *Anus vidit jacere epotam amphoram*. *jacere*, ἐμφατικῶς. hujuſmodi enim vaſa mero vacua, jacent, ac negligi videntur. VULP.

v. 13. NEC MIHI JAM FASTUS OPPONERE QUÆRIT INIQUOS] Non amplius mihi adverſatur ejus iniqua & crudelis ſuperbia. Sic Ennius apud Feſtum in *Supernates*:

His pernas ſuccidit iniqua ſuperbia Pœni.

Opponere, objicere amori meo. ſic Eleg. 5. lib. 1. *Si forte auſis non eſt contraria noſtris*. P.

v. 14. NEC MIHI PLORANTI LENTA SEDERE POTEST] Non poteſt non commoveri meo fletu, meiſque precibus. *Lenta ſedet*, irata quæ eſt, nec adire vult amantem, licet ſupplicem. Vide adnotata ad Eleg. 6. lib. 1. v. 12. PASS. *Lenta* eſt, quæ ad lacrimas amantis tarde movetur, aut non moveri ſimulat. appoſite Tibullus L. 1. Eleg. 11. [10.]

At laſcivus Amor rixæ mala verba miniſtrat,
Inter & iratum lentus utrumque ſedet.

Seneca Troad. v. 253.

--- *ſpiritus quondam truces,*
Minaſque tumidi lentus Æacidæ tuli.

Hinc *lente ferre ac ſecure*, Ciceroni L. 2. ad Attic. Epiſt. 13. & Suetonio in Nerone C. 40. Elegans eſt hujus voculæ uſus. quem compluribus exemplis oſtendit Nic. Heinſius Not. ad Ovid. Epiſt. Sapphus, v. 169. & ad Herus, v. 81. BROUKH. Supinorum hominum eſt atque oſcitantium, *ſedere* in alterius periculo. Cicero pro Sextio cap. 14. *Iiſdem conſulibus ſedentibus atque inſpectantibus lata lex eſt, ne auſpicia valerent, ne quis obnuntiaret, ne quis legi interrederet*. Idem in Piſonem: *An poteſt ulla eſſe excuſatio, non dicam male ſentienti, ſed ſedenti, cunctanti, dormienti in maximo reipublicæ metu conſuli?* Inde compoſita *deſes, deſidia, deſidere*. Livius lib. 3. Hiſt. *Sedemus deſides domi*. Suetonius Julio cap. 4. *Vaſtante regiones proximas Mithridate, ne deſidere in diſcrimine ſociorum videretur, ab Rhodo, quo pertenderat, tranſiit in Aſiam*. Tacitus quoque lib. Annalium 13. deſcribit Neronem moriente Britannico *reclinem, & neſcio ſimilem*, utpote juſſu cujus paratum venenum & propinatum eſſet. De ſignificatione τῷ *lenta* conſule Theodori Goralli notas ad Eleg. Ped. Albinov. de morte Druſi v. 179. VULP.

v. 15. ATQUE UTINAM NON TAM SERO

Ante pedes cæcis lucebat ſemita nobis.
Scilicet inſano nemo in amore videt.
Hoc ſenſi prodeſſe magis. contemnite, amantes.
Sic hodie veniet, ſi qua negavit heri.

Pul-

MIHI NOTA FUISSET CONDITIO] Pactio hæc amoris fruendi. Hic enim *conditio*, eſt ſtupri. ut apud Terentium Andria 1, 1.

Sed poſtquam acceſſit amans, pretium pollicens,
Accepit conditionem,

Sæpe etiam de matrimonio dicitur, Livius lib. 3. *Conditionem filiæ quærendam eſſe.* id eſt, alium ſponſum. Suetonius in Auguſto cap. 63. *Circumſpicere conditiones*, & in Galba cap. 5. *Remanſit in cælibatu, neque ſollicitari ullo conditione amplius potuit.* P. Utinam tempeſtive magis didiciſſem artes amatorias, puta quantum prodeſſet, injurias & ſuperbiam puellæ bene ferre, contemnere; vel ſaltem contemtum ſimulare ac præ ſe ferre. hoc mihi utile fuit: ſed heu ſero nimis ad hæc arma confugi. V.

v. 16. CINERI NUNC MEDICINA DATUR] *Cineri-nunc*, uno verbo; ut, *nunc-domine*, Eleg. 16. lib. 3. & *cinis*, pro cinefacto & mortuo, ut Eleg. 11. ſupra verſu ult. oſtendi. videtur autem genus eſſe proverbii, quod a Diogene manarit apud Laërtium: Νεκρὸν ἰατρεύειν, καὶ γέροντα νουθετεῖν ταὐτὸν εἶναι. Fabius in Declamatione Cadaveris paſti: *Quid quod medicina mortuorum ſera eſt? quid quod nemo aquas infundit in cineres?* id eſt, ædes cinefactas. *Cineri datur medicina*, id eſt, *ſero*, ut ait verſu præcedente, quum ſcilicet vix frui poſſit. Contra, *Initiis mederi*. vide Senecam in Conſolat. ad Marciam, ſub finem. Scaliger legit: *Emeritis nunc medicina datur*. id eſt militibus & gladiatoribus, qui miſſionem acceperunt. iis enim nihil jam eſt opus medico, quia ſunt extra periculum. PASS. Scaligeri lectio ingenioſa eſt; ſed non ideo antiqua & vera ſedibus ſuis ejicienda erat. neque etiam *emeritis* omnino inutilis medicina, quum poſſint denuo evocari. BROUKH.

v. 17. ANTE PEDES CÆCIS LUCEBAT SEMITA NOBIS] Perſpicua erat via quæ me duceret ad id quod optabam. *Ante pedes*, in promtu & in conſpectu. Noſter Eleg. 4. lib. 3.

Pauo erit ante meos ſero, ſed ampla pedes,

Terentius Adelphis 3, 3. *Iſtuc eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt videre, ſed etiam illa quæ futura ſunt proſpicere.* Sic Pindarus: Τὸ δὲ πρὸ ποδὸς ἄρειον αἰεὶ χρῆμα πᾶν. ſic dicunt &, ἐν ποσί. *Lucet ſemita*, opponitur quod ait Eleg. 4. ſupra: *Cæca via eſt*. & Eleg. 14. lib. 3. *Cæcum verſat amator iter*. eadem allegoria. PASS. *Ante pedes*. Cicero 5. Tuſcu'. *Quum alii ſæpe quod eſſet ante pedes non viderent, ille* (Democritus oculis captus) *in infinitatem omnem peregrinabatur*. *Lucebat ſemita*. Sic Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. ſub finem: *Lucet via late Igne dei*. Sententiam hanc mirifice expreſſit Plato lib. 4. de Republica: Πάλαι ὦ μακάριε φαίνεται πρὸ ποδῶν ἡμῖν ἐξ ἀρχῆς κυλινδεῖσθαι· καὶ οὐχ ἑωρῶμεν ἄρ' αὐτό, ἀλλ' ἦμεν καταγελαστότατοι, ὥσπερ οἱ ἐν ταῖς χερσὶν ἔχοντες, ζητοῦσιν ἐνίοτε ὃ ἔχουσι. h. e. *Jampridem, o bone, ab ipſo ſermonis initio illud ipſum in pedes incurriſſe videtur, & tamen minime id animadvertebamus: ut quidem fuerimus maxime ridiculi, peræque atque illi qui id quod in manibus habent, interdum quærunt*. VULP.

v. 18. SCILICET INSANO NEMO IN AMORE VIDET] *Scilicet*, ſane, profecto, vel nempe. ut Eleg. 12. ſupra v. 7. *Inſano*, vel ingenti, vel furioſo, & qui jubet *nullo vivere conſilio*. *furorque* dicitur Eleg. 1. lib. 1. Sic *inſana Venus* Eleg. 17. lib. 3. PASS. Sumtum videtur ex illis Menandri in Andria: Τὸ δ' ἐρᾶν ἐπισκοτεῖ ἅπασιν ὡς ἔοικε καὶ τοῖς εὐλόγως καὶ τοῖς κακῶς ἔχουσιν. *Ceterum Amor tenebras omnibus offundit, etiam illis qui ſapiunt, & decenter affecti ſunt*. VULP.

v. 19. HOC SENSI PRODESSE MAGIS. CONTEMNITE, AMANTES] Contra Eleg. 10. lib. 1. v. 27. & 28.

At quo ſis humilis magis, & ſubjectus Amori,
Hoc magis effectu ſæpe fruare bono.

Hoc ſenſi, expertus ſum etiam cum damno & malo. ut infra Eleg. 17.

Tum flebit, quum mi ſenſerit eſſe fidem.

Et ſenſibus explorata certiora ſunt. *Contemnite, amantes*, fingite vos eas ſpernere

quæ

Pulsabant alii frustra, dominamque vocabant.
Mecum habuit positum lenta puella caput.
Hæc mihi devictis potior victoria Parthis.
Hæc spolia, hæc reges, hæc mihi currus erunt.

Ma-

quæ ipsæ vos spernunt, ut par pari referatis. tunc enim ultro vos ipsæ petent. ut Eleg. 9. supra:

Hic etiam petitur, qui te prius ipse reliquit.

Ovidius 1. Artis Amat.

Quod refugit, multæ cupiunt: odere, quod instat.

Ausonius:

Hunc volo quæ non vult: illam quæ vult ego nolo.

Alii libri, *Contendite*; diversa sententia; enitendum esse & perdurandum, quia obsequio tandem cuncta cedunt. nam dixit Eleg. 10. lib. 1.

Irritata venit, quando contemnitur, illa. PASS.

Huic lectioni favet etiam BROUKH.

v. 20. SIC HODIE VENIET, SI QUA NEGAVIT HERI] Facilem se tibi præbebit & fruendam. *Sic*, hoc pacto, contemnendo, vel contendendo. *Veniet*, ut Elegia 22. infra:

Aut si es dura, nega: sin es non dura, venito.

Ductari, *mitti*, & *venire* dicuntur puellæ. *Negavit*, vel absolute. Martialis: *Nulla puella negat*. vel subauditur *venire*, ut Elegia 22. infra:

Speranti subito si qua venire negat. PASS.

v. 21. PULSABANT ALII FRUSTRA, DOMINAMQUE VOCABANT] Quem amica non vult admitti, is frustra pulsat. id est, quatit vel fores, ut Eleg. 5. lib. 4.

Janitor ad dantes vigilet: si pulset inanis,
Surdus in obductam dormiat usque seram.

vel fenestras. ut Horatius Oda 25. lib. 1. Est interdum pulsare, iracundiæ. ut Elegia 16. lib. 1.

Pulsata indignis sæpe queror manibus. PASS.

v. 22. MECUM HABUIT POSITUM LENTA PUELLA CAPUT] Honesta periphrasis, ut Eleg. 2. supra.

Virgineum Brimo composuisse latus.

Et Plautus Persa 4, 8. *Inclinabo me cum liberta*; quod *limare caput cum muliere*, ait in Bacchid. & Novius apud Nonium, in verbo, *limare*. Petronius: *Quidam in ipso limine conjunctis marcebant capitibus*. Ovidius Epist. Briseidos:

Perque tuum, nostrumque caput, quæ junximus una.

Ponere caput, est cupientis dormire. Virgilius 5. Æneid.

Pone caput, fessosque oculos furare labori.

Plautus Curcul. *Caput deposuit, condormiscit*. *Lenta*, vel opere nocturno fessa & languida, ut Eleg. proxima: *Siccine lente jaces?* vel lenta in rivales meos. PASS. *Mecum positum caput*. Hoc est quod ait Tibullus Eleg. 5. lib. 1.

Per Venerem juro, compositumque caput. V.

v. 23. HÆC MIHI DEVICTIS POTIOR VICTORIA PARTHIS] Pluris hanc victoriam facio, quam si invictos Parthos vicerim. Alludit fortasse ad Ventidii victoriam, qui sub id tempus de Parthis primus omnium triumphavit. Sic Ovidius Eleg. 12. lib. 2. Amorum:

Ite triumphales circum mea tempora lauri:
Vicimus, in nostro est ecce Corinna sinu. &c.
Hæc est præcipuo victoria digna triumpho:
In qua, quæcumque est, sanguine præda caret. PASS.

Non dubito quin huc respexerit Claudianus in Fescenninis de Nuptiis Honorii & Mariæ:

Dicet quoties, Hoc mihi dulcius,
Quam flavos decies vincere Sarmatas! V.

v. 24. HÆC SPOLIA] Hæc opima præda detracta hostibus, & prælata in ferculis ingentis pretii. mox vocat *exuvias*. Ipse Eleg. 4. lib. 3.

Quum videam spoliis oneratos Cæsaris axes. PASS.

ibid. HÆC REGES] De regibus vinctis in triumpho, dictum est ad Elegiam 1. supra:
Regum auratis circumdata colla catenis. P.

ibid. HÆC MIHI CURRUS ERUNT] De curru ad Eleg. 16. lib. 1.

Cujus inaurati celebrarunt limina currus.

Eburnei primum, deinde inaurati, post aurei fuerunt. PASS.

Magna ego dona tua figam, Cytherea, columna,
Taleque fub noftro munere carmen erit:
Has pono ante tuam tibi, diva, Propertius ædem
Exuvias, tota nocte receptus amans.

Nunc

v. 25. MAGNA EGO DONA TUA FIGAM, CYTHEAEA, COLUMNA] Ponam & confecrabo magna donaria. Dona diis aut fufpendebantur, aut figebantur. Virgilius 9. Æneid.

Si qua tuis umquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, fi qua ipfe meis venatibus auxi,
Sufpendive tholo, aut facra ad faftigia fixi.

Idem 3. Æneid.

Ære cavo clipeum, magni geftamen Abantis,
Poftibus adverfis fige.

Ut igitur poftibus, ita & columnis templorum figebantur. de columnis Virgilius 7. Æneid.

Tectum auguftum, ingens, centum fublime columnis.

Nofter Eleg. 22. lib. 3.

I puer, atque aliqua citus hæc prepone columna.

Hanc tamen columnam ante templum pofitam fignificat, quum ait: *Has pono ante tuas* &c. PASS. Nofter prior cum Borrichiano habet *tua columna*. BROUKH.

v. 26. TALEQUE SUB NOSTRO MUNERE CARMEN ERIT] Libri plures habent *nomine*: fed perperam. exprimit enim nomen fuum in ipfo carmine *muneri* fubfcribendo. monuit & Scaliger curis fecundis. BROUKH. Dono & voto nomen dicantis fubfcribebatur. ut Eleg. 3. lib. 4.

Armaque quum tulero porta votiva Capena,
Subfcribam: Salvo grata puella viro.

Et latius dicendi locus verfu fequenti. Alii libri, *munere*, id eft, donario. nec male, quia & ei fubfcribebatur. PASS.

v. 27. HAS PONO ANTE TUAM TIBI, DIVA, PROPERTIUS ÆDEM EXUVIAS] *Hæc* legebat Nic. Heinfius Not. ad Ovid. Epift. Sapphus. recte. nam *τὸ exuvias*, quod fequitur, per appofitionem jungitur. & *hæc* pertinet ad *dona*, quod præcedit. *tuas ædes* habent omnes libri, etiam Gebhardo infpecti. *tuam ædem* nunc vulgo editur, nec male. Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 11.

Non ego victrices lauro redimire tabellas,
Nec Veneris media ponere in æde morer.

non tamen ut putes perpetuum: nam & *ædem* & *ædes* de locis facris ufurparunt antiqui. Apulejus Metam. L. 6. Cererem ita inducit loquentem ad fupplicem Pfychen: *Decede itaque iftis ædibus protinus: &, quod a me retenta cuftoditaque non fueris, optimi confule*. BROUKH. Sufcipientes vota, & ponentes & dicantes ita concipiebant verba. Virgilius 3. Æneid.

Ære cavo clipeum, magni geftamen Abantis,
Poftibus adverfis figo, & rem carmine figno:
Æneas hæc de Danais victoribus arma.

& Ecloga 7.

Setofi caput hoc apri tibi, Delia, parvus
Et ramofa Mycon vivacis cornua cervi.

Vide & Tibullum Eleg. 9. lib. 1. & Ovidium in Epift. Sapphus. Quum ait, *Has exuvias*, perftat in translatione triumphi; & *τὸ has* δεικτικῶς in facris. ut Virgilius Ecloga 7.

Sinum lactis, & hæc tibi liba, Priape, quotannis
Exfpectare fat eft.

Quas autem exuvias intelligit? An veftes fuas? ut Virgilius Ecloga 8.

Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit
Pignora cara fui.

An fpolia hoftibus & rivalibus detracta, id eft, fructum amoris fui? Sed eum non poteft. fupra vocavit, *magna dona*. PASS. Mens hujus loci eft: Hoc tibi ego donum, o Venus, pono, *exuviarum* & fpoliorum vicem lectorum tota ifta nocte, quam in Cynthiæ meæ amplexibus produxi. non eft abfimilis Catulli locus Carm. 63.

Dulcia nocturnæ portans veftigia rixæ,
Quam de virgineis gefferat exuviis. BROUKH.

Has pono Propertius. ἔλλειψις eft ita fupplenda, ego qui vocor Propertius. Ita Eleg. ult. lib. 4.

Num minus immites habui Cornelia Parcas?

VULP.

v. 28. TOTA NOCTE RECEPTUS AMANS] Admiffus & domum, & in lectum amicæ per totam noctem. Sic Eleg. 21. lib. 3.

Hofpitium tota nocte paravit Amor.

Receptus, ut Eleg. 22. infra:

Quum recipi quem non noverit, ille putat.

&

Nunc ad te, mea lux, veniat mea litore navis
Servata, an mediis sidat onusta vadis,
(Quod, si forte aliqua nobis mutabere culpa)
Vestibulum jaceam mortuus ante tuum.

ELE-

& Eleg. 33.

Nulla tamen lecto recipit se sola libenter.

Plautus Amphitr. 3, 2. *Si me illam amantem studeam ad sese recipere*. PASS. Dicebant & *excipere*. Ovidius Epist. Paridis v. 282.

Excipe me lecto, nocte silente, tuo. VULP.

v. 29. NUNC AD TE, MEA LUX, VENIAT MEA LITORE NAVIS SERVATA] *Litora*, videtur legendum. Cynthiam sua litora vocat. id est portum ac perfugium laborum omnium, in qua sola acquiescit. ut Elegia 17. lib. 2.

Nec mihi Cassiope solito visura carinam.

id est, meum sidus. Sic & Vetus Poeta apud Ciceronem 1. Tusc. *Sepulcrum vocat portum corporis*. & Cicero 2. Offic. *Senatum, nationum, regum ac populorum portum*. ἀπὸ κοινοῦ *mea*: *& mea navis servata*, ego ipse ereptus ex maris periculis. Virgilius 2. Georg.

Votaque servati solvent in litore nautæ.

Frequens allegoria a navi ad fortunam nostram. Tibullus Eleg. 5. lib. 1.

--- *Utere quæso*

Dum licet. in liquida nat tibi linter aqua.

Plautus Casina 3, 2.

Ibo intro, ut subducam navim rursus in pulvinarium.

id est, in tutum, in arenam litoris. *Mea lux*. Ovidius 3. Artis Amat. ὑποκοριστικῶς.

Scilicet Ajaci mulier mœstissima dixit,
Lux mea, quæque solent verba juvare viros.

PASS.

Hujus tetrastichi hæc fere sententia est: Nunc, perceptis de te tot tantisque gaudiis, Cynthia lux mea, quod fortunæ libuerit perpetiar non invitus. Navis mea servata, apud te requiescet, tamquam in tutissimo litore: si vero ea maris fluctibus obruatur, naufragi cadaver in vestibulo tuo jacebit: tuum erit rogo imponere ac sepelire. Penelope Ovidiana ad Ulixen:

Tu citius venias, portus & ara tuis.

& Leander ad Hero:

Illic est aptum nostræ navale carinæ.

hoc est, corpori meo natatione fesso. V.

v. 30. AN MEDIIS SIDAT ONUSTA VADIS] Oneris gravitate depressa subsidat, deorsum feratur, & hæreat in brevibus, & cumulis arenæ; de quibus dictum ad Eleg. 17. lib. 1. v. 10. Statius lib. 11. Thebaid.

Sicut erant (crates implicitæ) *ima pariter sedere profundo*.

Vide Eleg. 9. supra v. 30. PASS. *Sidunt, sedent, desidunt*, naves quæ merguntur, vel hærent in vadis. Cornelius Nepos in Vita Chabriæ: *Quo facto, circumfusus hostium concursu, quum fortissime pugnaret, navis rostro percussa cœpit sidere*. Vitruvius lib. 10. Architecturæ cap. ult. *Naves super aggerationem, quæ fuerat sub aqua, sederunt*. Pedo Albinovanus apud Senecam Rhetorem Suasoria 1.

Jam sidere limo
Navigia, & rapido desertam flumine classem.

Seneca Tragicus Agamemnone v. 494.

Illam (navim) *dehiscens pontus in præceps rapit.*
Hæc onere sidit.

Claudianus de IV. Consulatu Honorii v. 628. *Submersæ sedere rates*. De aliis ponderosis Varro lib. 3. R. R. cap. 9. *Ova plena sint atque utilia, necne, animadverti ajunt posse si demiseris in aquam. quod inane, natat: plenum, desidit*. VULP.

v. 31. (QUOD, SI FORTE ALIQUA NOBIS MUTABERE CULPA)] Ita in veteri libro, ut Eleg. 13. supra v. 13. Alii: *Et si forte*. *Aliqua culpa*, ambigue. sive mea culpa, sive tua, & alterutrius nostrûm delicto ac stupro. *Nobis mutabere*, a nobis alienaberis. sic Elegia 18. lib. 1. *Quæ te mihi carmina mutant?* An *nobis*, pro nostra, ut aliàs sæpe. PASS. Contra Seneca Hippolyto v. 665.

Respersa labe nulla, & intacta, innocens
Tibi mutor uni.

loquitur Phædra. Ceterum, hic subaudiendum videtur, *accidet, usuveniet*. Nempe sidet navis nostra & submergetur, si tu mutaberis. VULP.

v. 32. VESTIBULUM JACEAM MORTUUS ANTE TUUM] Sic Eleg. 5. lib. 3. v. ult. *Ante fores dominæ condar oportet*. & Elegia

gia 1. supra :

Ex hac ducentur funera nostra domo.

C. *Ælius Gallus* (verba sunt A. Gellii lib. 16. N. A. cap. 5.) *in libro de significatione verborum, quæ ad jus civile pertinent, secundo, vestibulum esse*, dicit, *non in ipsis ædibus, neque partem ædium, sed locum ante januam domus vacuum; per quem a via aditus accessusque ad ædis est, quum dextrâ sinistrâque inter januam tectaque, quæ sunt viæ juncta, spatium relinquitur; atque ipsa janua procul a via est, arcâ vacante intersitâ*. PASS. Theocritus Idyllio 28. quod *Amator Infelix* inscribitur, vertente Daniele Heinsio :

Ille fores pandit, mæstumque cadaver
Vestibulo videt in medio.

Lege fabulam Anaxaretes apud Nasonem lib. 14. Metam. VULP.

ELEGIA XV.

O Me felicem, o nox mihi candida, & o tu
Lectule deliciis facte beate meis.

Quam

ARGUMENTUM ELEGIÆ XV. LIBRI II.] Narrat voluptates suas; & amatorium vivendi genus aliis omnibus præfert. VULP.

v. 1. O ME FELICEM, NOX O MIHI CANDIDA] Ovidius in Epist. Paridis :

Te mihi, meque tibi communia gaudia jungent.
Candidior media nox erit illa die.

Martialis Epigr. 45. lib. 8.

Continget nox quando meis tam candida mensis?

Nox candida, felix & niveo signanda lapillo. alioqui color noctis fuscus est. Petronius : *Memphitides puellæ Tinctæ colore noctis*. PASS. Lege cum omnibus membranis, *o nox mihi candida*. non consulunt nasum suum, qui veteres poetas tam religiosos faciunt circa hiatus, neque cogitant literam M sæpissime non elidi. BROUKH. Amantes voto potiti, sibi felices videntur, & diis quodammodo pares. Audiamus tamen Ciceronem lib. 5. Tusc. Quæst. *Quid? elatus ille levitate, inanique lætitia, & exsultans & temere gestiens, nonne tanto miserior, quanto sibi videtur beatior?* Et S. Augustinum Enarrat. in Psalmum 118. Serm. 1. num. 1. *Quisquis libidinibus stuprisque corrumpitur, in hoc malo beatitudinem quærit; & se miserum putat quum ad suæ concupiscentiæ voluptatem lætitiamque non pervenit: beatum vero non dubitat jactare quum pervenit*. Chærea Terentianus Eunuchi 3,5,2. qui adamatam virginem temeraverat :

Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium? pro Juppiter,
Nunc est profecto, interfici quum perpeti me possum,
Ne hoc gaudium contaminet vita ægritudine aliqua.

Honestiores Senatus acclamationes apud Plinium Cæcilium Panegyr. Trajani cap. 74. *O te felicem! quod quum diceremus, non opes tuas, sed animum mirabamur. Est enim demum vera felicitas felicitate dignum videri.* Et inferius : *O nos felices!* VULP.

v. 2. LECTULE DELICIIS FACTE BEATE MEIS] Ita lectulum alloquitur Appulejus lib. 1. Miles. *Jam jam grabatule, inquam, animo meo carissime*. Catullus quoque in Epithalamio Carm. 60. *O cubile*, &c. Ovidius etiam in Epist. Ariadnæ :

Perfide, pars nostri, lectule, major ubi est?

& lib. 1. Trist. Eleg. 10.

Nec consuete meum lectule corpus habes.

Deliciis facte beate meis. Sic *felix lectulus*, Martialis Epigr. 38. lib. 10. *Facte beate*, ut Eleg. 6. supra :

Phryne tam multis facta beata viris.

Deliciis meis; delicatissimis gaudiis & amplexibus. Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 13.

Est qui nequitiam locus exigat: omnibus illum Deliciis imple: sit procul inde pudor.

Deliciæ & verborum sunt blanditiisimorum, & rerum suavissimarum. unde Catullus Carm. 73.

Si quis delicias diceret, aut faceret. PASS.

Palæstra ancilla apud Lucianum in Asino, ita juramentum concipit, amatorem ita allocuta : *μὰ τὴν κεφαλὴν τὴν σὴν, ἢ τὴν ἡδίσ. τὴν μακαρίαν κλίνην*. Et in ejusdem scriptoris Cataplo lectus & lucerna Megapenthis tyranni certiorem faciunt Rhadamanthum inferorum judicem severissimum de flagitiis & li-

Quam multa appofita narramus verba lucerna!
  Quantaque fublato lumine rixa fuit!
Nam modo nudatis mecum eft luctata papillis.
  Interdum tunica duxit operta moram.
Illa meos fomno lapfos patefecit ocellos
  Ore fuo, & dixit, Siccine lente jaces?

Quam

libidinibus domini fui. *Facte beate*. ita videtur dictum, ut a Perfio Sat. 3. v. 28.

Stemmate quod Tufco ramum millefime ducis.

&, *quod trabeate falutas*. πτῶσις ἀντὶ πτώσεως. VULP.

v. 3. QUAM MULTA APPOSITA NARRAMUS VERBA LUCERNA!] Ovidius lib. 3. Artis Amat.

Sera veni, pofitáque decens incede lucerná.

Martialis Epigr. 38. lib. 10.

O quæ prælia, quas utrimque pugnas
Felix lectulus, & lucerna vidit!

Narramus verba, blanditias dicimus, anticœnia & promulfides Veneris. Vide de his blanditiis aduotata ad Eleg. 20. lib. 3. v. 19. PASS. *Quam multa verba*. Virgilius 6. Æneid.

Quam multa in filvis avium fe millia condunt.

narramus, pro dicimus. Tibullus pariter Eleg. 5. lib. 1. *Narrat fcire nefanda mea*. ad quem locum vide Commentarium noftrum. V.

v. 4. QUANTAQUE SUBLATO LUMINE RIXA FUIT!] Remotâ lucernâ, non exftincta. nam mox fe nudam ait videre velle. Horatius Ode 6. lib. 3. *Nec eligit Cui donet impermiffa raptim Gaudia luminibus remotis*. *Rixa fuit*, velitatio inter nos. *Rixa nocturna* dicitur Catullo Carm. 65. Quid *rixa* vide ad Eleg. 16. lib. 1. v. 5. PASS. Gallienos Imperator in delicatis quibufdam verficulis edicit novorum conjugum pari, ne lucernam deliciarum teftem exftinguant:

Ludite; fed vigiles nolite exftinguere lychnos.
Omnia nocte vident: nil cras meminere lucernæ. VULP.

v. 5. NAM MODO NUDATIS MECUM EST LUCTATA PAPILLIS] Dictum ad Eleg. 1. fupra:

Seu nuda erepto mecum luctatur amictu.

Nudatis, tetectis. fic Eleg. 14. lib. 3.

Inter quos Helene nudis capere arma papillis
Fertur.

& Eleg. 3. lib. 4.

Felix Hippolyte! nudá tulit arma papillá.

Servius in lib. 11. Æneid. *Mamilla eft omnis eminentia uberis: Papilla breve illud unde lac trahitur*. Feftus: *Papillæ capitula mammarum, dictæ quod papularum fint fimiles*. [Papulæ autem funt rubra in cute exanthemata, fignum peftilentiæ, vel acutæ & malignæ febris. Memorat Virgilius libro 3. Georg. v. 564.] PASS. *Nam*. Incipit explicare rixæ amatoriæ rationem. Hoc propterea diftichon, & antecedens, perperam loco movit Broukhufius. VULP.

v. 6. INTERDUM TUNICA DUXIT OPERTA MORAM] Remorata eft meam cupiditatem, & moram injecit operi. *Duxit moram*. ut Virgilius 6. Æneid. *Nos flendo ducimus horas*. *Tunicá operta*, tecta tantum interiore vefte. Vide Ovidium Eleg. 5. lib. 1. Amor. *Tunicam ponere*, dixit Nofter Eleg. 2. fupra verfu antepænult. PASS.

v. 7. ILLA MEOS SOMNO LAPSOS PATEFECIT OCELLOS ORE SUO] Genus ofculi improbioris fignificat; de quo videndus Appulejus lib. 3. Fab. Milef. [Neque tamen a fimili genere ofculi abftinebant interdum ipfi pudici.] Albinovanus in Confolat. v. 33. Liviam Drufi matrem ita loquentem inducit:

Obvia progrediar, felixque per oppida dicar:
Collaque & hoc oculos illius ore premam.

Somno laffos. *graves* dixit Eleg. 29. infra. Vetus liber *lapfos*. quod & defendi poteft, ex Eleg. 10. lib. 1.

Quamvis labentes premeret mihi fomnus ocellos. PASS.

In uno Regio eft *lapfos*, in altero *lapfa*. Pafferatius quoque & Gebhardus in fuis *lapfos* invenerunt, ac probarunt. uti & Nic. Heinfius Not. ad Ovid. L. 3. Amor. Elegia 5. v. 1. & ad L. 3. Trift. Eleg. 3. v. 44. omnino recte. Nofter L. 1. Eleg. 10.

Quam-

Quam vario amplexu mutamus brachia! quantum
Oscula sunt labris nostra morata tuis!
Non juvat in cæco venerem corrumpere motu.
Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Ipse

Quamvis labentes premeret mihi somnus ocellos.
Domitii Enarrationes in Propertium laudat Beroaldus ad L. 2. Eleg. 1. ipso fine. BROUKH.

v. 8. ET DIXIT, SICCINE LENTE JACES?] Tria hæc pondus habent, singula ad increpationem. *Siccine:* Catullus Carm. 63.

Siccine me patriis abductam, perfide, ab oris,
Perfide, deserto liquisti in litore, Theseu?

Lente, segnis & iners ad Veneris militiam, ut dixi ad Eleg. 6. lib. 1. v. 12. Et, *jaces*, quasi mortuus. Ovidius Eleg. 6. lib. 3. Amor.

Hanc tamen in nullos tenui male languidus usus:
Et jacui pigro crimen onusque toro.
Truncus iners jacui, species, & inutile signum.
PASS.

Itali dicerent: *Così cen' giaci, dormiglione?* Locus est venustissimus apud Theocritum Idyllio 18. quod inscribitur Ἑλένης ἐπιθαλάμιος, a versu 9. quem locum respexisse videtur Propertius quum hæc scriberet. Miror, superiores interpretes non animadvertisse.

Οὕτω δὴ πρῴζα κατέδραθες ὦ φίλε γαμβρέ;
Ἦ ῥά τις ἐσσὶ λίαν βαρυγούνατος; ἦ ῥα φίλυπνος;
Ἦ ῥα πολύν τιν' ἔπινες, ὅτ' εἰς εὐνὰν κατεβάλλευ;
Εὕδειν μὰν χρῄζοντα, καθ' ὥραν αὐτὸν ἐχρῆν τυ,
Παῖδα δ' ἐᾶν σὺν παισὶ φιλοστόργῳ παρὰ ματρὶ
Παίσδειν ἐς βαθὺν ὄρθρον.

Itane crepusculo obdormivisti, o care sponse?
Numquid nimis gravia tibi sunt genua? num somniculosus es?
An vero multum adbibisti, quum in lectum conjectus es?
Nam volentem dormire, tempestive oportebat te dormire;
Puellam autem sinere cum ceteris *puellis apud caram matrem*
Ludere usque ad altum diluculum. VULP.

v. 9. QUAM VARIO AMPLEXU MUTAMUS BRACHIA!] *Mutare brachia*, est modo hac, modo illac brachia circumdare: ut tenax hedera hac & hac arborem implicat errans. Ita Eleg. 19. infra: *In assiduo mutem tua nomina lingua.* id est, sæpius te nominem. *Mutare*, quasi motare; a movendo. PASS. *Mutamus*, pro mutavimus. Eodem pacto Eleg. 1. lib. 4.

Me creat Archytæ soboles Babylonius Horos.

h. e. me creavit. Lucretius pariter lib. 1. v. 70.

Sed eo magis acrem
Virtutem irritat animi, confringere ut arcta
Naturæ primus portarum claustra cupiret.

pro irritavit. *Varius amplexus*, sunt ποικίλα τῆς ἀφροδίτης σχήματα. VULP.

ibid. QUANTUM OSCULA SUNT LABRIS NOSTRA MORATA TUIS!] Labella nostra tuis labellis hæserunt. Oscula hæc, *columbarum oscula* dicuntur. Gallienus Cæsar:

Non murmura vestra columbæ,
Brachia non hederæ, non vincant oscula conchæ.

Noster Eleg. 13. lib. 1.

Et cupere optatis animam deponere labris.

ubi vide adnotata. *Oscula* hic, pro labris, ut & Eleg. ult. lib. 4. v. 80. PASS. *Osculum* proprie est parvum os, *bocchino*. Ovidius 1. Metam. v. 498.

Videt igne micantes,
Sideribus similes, oculos. videt oscula; quæ non
Est vidisse satis.

Qui dissuaviari aliquem volunt, os contrahunt, & imminuunt; iccirco Latini τὸ φίλημα dixerunt *osculum*, μετωνυμικῶς. *Moræ osculi* mentionem facit Vetus Poeta non inelegans apud A. Gellium lib. 19. N. A. cap. 11. VULP.

v. 11. NON JUVAT] Insuave mihi est ac minus gratum. ut Eleg. 14. lib. 3.

Non juvat in media nomen habere via. PASS.

ibid. IN CÆCO VENEREM CORRUMPERE MOTU] Deteriora facere gaudia Veneris. ut Eleg. 33. infra:

Ah pereat quicumque meracas repperit uvas,
Corrupitque bonas nectare primus aquas.

Alii libri: *committere*. sic *jungere venerem* Tibullus dixit. *Cæco motu*; qui fit in tenebris. ut Plautus Asin. *Ne quid sui membra*

bri commoveos in tenebris. Motum Veneris memorat Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 10. P.

v. 12. SI NESCIS] Ut tu scias. Crede mihi. Virgilius Ecl. 3. *Si nescis, meus ille caper fuit*. Ovidius Epist. Paridis:

Ille ego, si nescis, verus amator eram.

Plautus pariter Curcul. 5, 7. *Ut tu scire possis meam sententiam*. PASS.

ibid. OCULI SUNT IN AMORE DUCES] Primi in amorem inducunt & illiciunt. Amor Hesychio *ὀμμάτειος*, id est *oculeus totus* dicitur, quia ex aspectu nascitur. vide notata ad Eleg. 1. lib. 1. v. 1. *Duces oculi*, ut Cicero Tuscul. 1. *Mors claris viris dux est in cælum*. PASS. Nemo fere est poeta, vel scriptor amœnior, quin hanc sententiam tractarit, vel attigerit saltem. Propertii tamen interpretes, cur eam hoc loco inculcet Umber noster, minus perviderunt. *Duces oculi* vocantur, quod sint illices, illecebrosi, pellaces, *ἀγωγοί*, ut Græci loqui amant. oculis enim præcipue formosarum capimur, inducimur & pertrahimur in amorem. Quamobrem Euripides Hippolyto: *Ἔρως ἔρως, ὃ κατ' ὀμμάτων στάζεις πόθον*. *Amor, Amor, qui per oculos desiderium instillas*. Achilles Tatius lib. 1. *ἐρωτικῶν*. *Ὀφθαλμὸς γὰρ φιλίας πρόξενος*. *Oculus enim, amoris conciliator est*. Plutarchus apud Stobæum Serm. 64. *Ἡ γὰρ ὄψις, λαβὴ τοῦ πάθους ἐστί*. *Visus enim veluti ansa est capiendi amoris*. Aristoteles lib. 9. Ethic. ad Nicomachum: *Μὴ γὰρ προησθεὶς τῇ ἰδέᾳ, οὐδεὶς ἐρᾷ*. *Nemo enim amore capitur, qui non fuerit ante forma delectatus*. Iccirco Juvenalis Satyra 4. v. 114. deridet senatorem quemdam cæcum,

Qui numquam visæ flagrabat amore puellæ.

Atque hæc quidem conveniunt in oculos & formam *τῆς ἐρωμένης* ab amatore spectatam. Sed præterea *oculi* ipsi amantium *sunt duces in amore*. quemadmodum Artemidorus in *Onirocriticis* eos appellat *τοῦ σώματος ὁδηγοὺς καὶ ἡγεμόνας*. Vere P. Syrus:

Amor, ut lacrima, oculis oritur, in pectus cadit.

Videsis Jani Gruteri Notas postumas ad eam sententiam. Musæus pariter de Leandro & Herone v. 94. *Ὀφθαλμὸς δ' ὁδός ἐστι*. *Oculus autem via est*. Philostratus in Epistolis appellat oculos *κακοὺς δᾳδούχους ἔρωτος*, *nimirum quod amori cereum luceant*. Cui concinit Nonnus Panopolites lib. 5. Dionysiac. v. 588.

Ὀφθαλμὸς προκέλευθος ἐγίνετο πομπὸς ἐρώτων.

Oculus præcursor factus est dux itineris amorum.

Propterea Zaleucus, qui leges tulit Locrensibus, oculos erui jusserat ei qui conjugem alterius corrupisset, tamquam præcipuum nequitiæ instrumentum. Vide Valerium Maximum lib. 6. cap. 5. Et magnis laudibus merito effertur Scipio Africanus, quod *virginem pulcherrimam, ad cujus aspectum concurrebatur, ad se vetuit adduci, patrique ejus ac sponso restitui jussit*. verba sunt Sexti Aurelii Victoris libro de Viris Illustribus. Nec minor Alexander Macedo, qui prœlio captam uxorem Darii Persarum regis tam sancte apud se habuit, ut ne aspicere quidem vellet. Id narrant A. Gellius lib. 6. cap. 8. ex Apione Græco, & Q. Curtius lib. 4. cap. 10. De eodem narrat Plutarchus in Vitarum Comparatione, quum vidisset mulieres Persicas eximia forma, celsisque corporibus, ita jocatum fuisse: *Ὡς εἰσὶν μεγάλαι ἀλγηδόνες ὀμμάτων Περσίδες*. *Quam ingentes oculorum dolores sunt Persides!* Hoc dictum Longinus *ἐν τῷ περὶ ὕψους* tribuit Herodoto, idque frigoris accusat: barbaros tamen & ebrios homines non dedecere affirmat. Sed cur Propertius hac sententia utitur, ubi de cæca Venere verba facit? Nonne amor quo Cynthiam deperibat jam vetus erat, consuetus, familiaris? Nihil igitur indigebat ducibus & illicibus oculis, quos oportet præsto esse in ipso amoris tirocinio. At hic (quod nemo interpretum assecutus est) *duces oculi*, sunt qui *apposita lucerna* velitationes illas nocturnas regunt, ne amantes huc illuc temere ferantur, & pugnent tamquam andabatæ. id autem in tenebris contingere solet. Si quis, amantium & novorum maritorum errores, qui exstincto lumine noctu accidunt, cognoscere cupit, legere ne gravetur scenam 2. actus 5. Casinæ Plautinæ, lepidam profecto, & elegantibus nequitiis plenam. Utrinsque igitur oculos, nimirum & suos & Cynthiæ poeta noster significat. Ubi nunc sunt qui levissima opera, sine ullius Commentarii subsidio, Latinos poetas se intelligere jactitant, nosque oleum & operam perdere ajunt, quod explicanda sumserimus quæ promta & expedita sunt? Hoc genus hominum loquax, malignum, arrogans, mo-

Ipse Paris nuda fertur periisse Lacæna,
  Quum Menelaeo surgeret e thalamo.
Nudus & Endymion Phœbi cepisse sororem
  Dicitur, & nudæ concubuisse deæ.

Quod

molestum, ferre debemus & floccifacere: nam, ut herba irrigua, in dies uberrime succrescit. Porro M. Tullius Tuscul. 4. *Alii autem metum præmolestiam appellabant, quod est quasi dux consequentis molestiæ.* V.

v. 13. IPSE PARIS NUDA FERTUR PERIISSE LACÆNA] Ipse Paris dearum judex fertur perdite Helenam amare cœpisse, quum nudam vidit. Ovidius lib. 1. A. A. non de Helena, sed de tribus deabus:

Luce deas, caloque Paris spectavit aperto,
Quum dixit Veneri, Vincis utramque, Venus.

Lacæna, Helena Spartana. Virgilius 2. Æneid.

Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacænæ.

Nuda. Aristophanes Lysistrata:

Οὔ γ᾽ ὢν Μενέλαος τᾶς Ἑλένας τὰ μᾶλά πα
Γυμνᾶς παρενιδὼν, ἐξέβαλ᾽ οἰῶ τὸ ξίφος.
Sic mala nudæ quum videret conjugis,
Abjecit ensem victus Atrides minor.

[Hoc sibi vult, aut ego fallor, Aristophanes. Quum Menelaus, Troja capta, & Helena recepta, pœnas de adultera sumere vellet, jamque in eo esset ut pugionem mulieri in pectore infigeret; reductis ejus tunicis, & visis mammis, misericordia tactus est, ferrumque abjecit. Mammas appellat mala, seu poma, Comicus poeta.] PASS. *Nudâ Lacænâ*. quum scilicet Helena, somno pulso, exiret e maritali thalamo, balneumque peteret, vel palæstram. nudæ enim Spartanæ mulieres cum viris in gymnasio luctabantur. Nudam etiam vocare possis Helenam, nondum regalibus vestimentis ornatam, & interiore tantum tunica tectam. vel pellucida veste obvolutam, quæ corpus nudaret potius quam celaret. Horatius Sat. 2. lib. 1. *Cois tibi pæne videre est Ut nudam*. Vel consuetudinem Spartanarum poeta indicat, quæ, tunicis diffutis, femora ostendebant: unde dictæ φαινομηρίδες. *Periisse*. Virgilius pariter Ecl. 8. *Ut vidi, ut perii!* VULP.

v. 14. QUUM MENELAEO SURGERET E THALAMO] Sic Eleg. 22. *Andromachæ lecto quum surgeret Hector*. Quid *thalamus*, dixi aliàs. PASS. Videtur hic *thalamus* lectum ipsum genialem significare, non cubiculum in quo lectus. *Menelaeo*. Ita Eleg. 1. hujus libri:

Et Ptolemæa litora capta Phari.

Quem derivandi modum nec oratores refugerunt. Cicero lib. 2. Tusc. Quæst. *In primisque refutetur ac rejiciatur Philoctetæus ille clamor*. VULP.

v. 15. NUDUS ET ENDYMION PHŒBI CEPISSE SOROREM DICITUR, ET N. C. D.] Pausanias Eliacorum initio, fabellam tangit Endymionis Aëthlii filii, quem Luna adamarit, ex qua quinquaginta filias susceperit. Licymnius Chius apud Athenæum lib. 13. cap. 6. Somnum ipsum ait captum Endymionis amore, eum sopivisse oculis apertis, quo perpetua eos videndi voluptate frueretur. Vide & Theocritum sub finem Idyllii 3. Apollodorus lib. 1. a Jove, ait, Endymionem impetrasse, optione omnium rerum data, ut perpetuo somno, & juventa frueretur, adamatumque a Luna. Strabo lib. 14. ad Latmium montem ostendi ait sepulcrum Endymionis. Vide proverbium: *Endymionis somnum dormis*. & Apollonium 4. Argon. Plinius cap. 9. lib. 2. A Luna ferunt adamatum Endymionem, quod varios ejus cursus primus observarit & deprehenderit. Interpres Germanici fabulam explicat, quod annis triginta cursum expleverit Lunæ; vel quia roris nocturni origo ad Lunam refertur, grati pastori Endymioni. Meminit Hyginus Fab. 271. & Plato in Phædone. Cicero 1. Tuscul. *Endymion a Luna in Latmo, qui est mons Cariæ, consopitus putatur, ut eum dormientem oscularetur*. Meminit idem 5. de Finibus, item Catullus de Coma Berenices, & Ovidius lib. 3. A. A. *Phœbi cepisse sororem*, pellexisse Lunam in amorem sui. Sic Eleg. 1. lib. 1. *Me cepit ocellis*. PASS.

v. 16. CONCUBUISSE] *Composuisse latus*, dixit Eleg. 2. supra. PASS.

v. 17.

Quod si pertendens animo vestita cubaris,
  Scissa veste meas experiere manus.
Quin etiam si me ulterius provexerit ira,
  Ostendes matri brachia læsa tuæ.
Necdum inclinatæ prohibent te ludere mammæ.
  Viderit hoc, si quam jam peperisse pudet.

Dum

v. 17. QUOD SI PERTENDENS ANIMO VESTITA CUBARIS] Quod si, accensâ vel admotâ iterum lucernâ, confugias ad indumentum, eoque tecta in lecto cubaveris, ne nudam te exhibeas; idque obstinato animo facias, ut mihi incommodes. VULP.

ibid. PERTENDENS ANIMO] Pertinaciæ periphrasis. Varro lib. 4. de L. L. *A qua re sit Pertinacia quum quæritur; ostenditur esse a pertendendo: in qua re sit impositum, dicitur, quum demonstratur, in qua non debet pertendi, & pertendit, Pertinaciam esse: quod in quo oporteat manere, si in eo perstet, Perseverantia sit.* Terentius Heautont. 5, 5, 9. *Video non licere, ut cœperam, hoc pertendere.* PASS.

ibid. VESTITA CUBARIS] Pro cubaveris, cubueris. Sic Eleg. sequenti:

Non quia septenas noctes sejuncta cubaris.

Vestita, tunicata. Noster Eleg. 21. lib. 3. eadem mente: *Extremo dormit amicta toro.* & Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Tecum interposita languida veste cubet.

[Sed ibi sermo de veste lecti stragula.] P.

v. 18. SCISSA VESTE] Negavit id se facturum Eleg. 5. supra v. 21. PASS.

ibid. MEAS EXPERIERE MANUS] Senties mihi esse violentas manus. Sic ipse Elegia 10. supra:

Senties illa tuas postmodo capta manus.

Aliter Cato de Re Rust. *Omnes articulos poteris experiri.* id est, movebis sanatus brassica. PASS.

v. 19. Q. E. SI ME ULTERIUS PROVEXERIT IRA] Id est, longius progredi fecerit impotentem animum. Provehere & provehi maritimum verbum. de quo dictum ad Elegiam 8. lib. 1.

Quam tibi provectas auferet unda rates. P.

v. 20. OSTENDES MATRI BRACHIA LÆSA TUÆ] Ex consuetudine puerorum & puellarum, qui accepta injuria ad matres questum eunt. Sic apud Anacreontem Cupido ad matrem conqueritur ab apicula vulnus acceptum. Ovidius 1. Metam.

Et tulit ad Clymenen Epaphi convicia matrem.

De matre Cynthiæ dictum Eleg. 3. supra:

Hæc tibi ne matrem forte dedisse putet. P.

Brachia læsa. furibundi enim amatores, ira vel zelotypia instigati, puellas verberabant, & vibices lividas in earum corpore relinquebant. Horatius ad Lydiam Ode 13. l. 1. *Seu tibi candidos Turparunt humeros immodicæ mero Rixæ.* Quæ deteriorem colorem rebus inducunt, ea lædere dicuntur. Ovidius lib. 3. A. A.

Polluit, ut seræ, lectis de vite racemis,
  Pallescunt frondes, quas nova læsit hiems.
  VULP.

v. 21. NECDUM] Nondum. Sic Eleg. 11. lib. 4. *Necdum ultra Tiberim belli sonus.* Et Eleg. 9. lib. 1.

Necdum etiam palles, vero nec tangeris igni. V.

ibid. NECDUM INCLINATÆ PROHIBENT TE LUDERE MAMMÆ] Propendentes, ut solent a partu. Lacte enim intumescunt; quo exhausto laxiores esse incipiunt. Laberius Catulario apud A. Gellium lib. 7. cap. 9.

Ego mirabar quomodo mammæ mihi descendiderant.

Prohibent ludere, ut anum jam factam. Horatius Ode 13. lib. 4. *Fis anus, & tamen Vis formosa videri: Ludisque & bibis impudens.* & Ode 15. lib. 3. *Maturo propior desine funeri Inter ludere virgines.* *Ludere*, vel παίζειν, *follostrer*: vel ἀφροδιάζειν. de quo dictum ad Eleg. 6. supra v. 4. PASS. *Inclinatæ mammæ.* tales Martialis *pannosas* vocat L. 3. Epigr. 72.

Aut tibi pannosæ pendent a pectore mammæ.

Contrarium est *stare*. Lucillius apud Nonium in *Stare*;

Hic corpus solidum invenies, hic stare papillas
Pectore marmoreo.

eum poetæ Auronci locum in animo habuit nescio quia Maximianus, quem inficeti quidam mortales pro Coro. Gallo venditant, Eleg. 5.

Urebant oculos duræ stantesque papillæ.

velles hooc nebulonem tam recto semper judicio scripsisse. BROUKH.

ibid. NECDUM INCLINATÆ PROHIBENT TE LUDERE MAMMÆ] Hæc ita connectuntor com superioribos. Ignoscerem pudori tuo, nec ægre ferrem te vestitam cubare, si tibi mammæ ob graviorem ætatem turpiter propenderent; vel si peperisses, atqoe a partu rogas oteri abscondere studeres: nunc autem ignoscere neqoeo, quum tibi ætate florenti stent mammæ, neque mater adhuc sis. *Inclinatæ mammæ*, aniles & flaccidæ. Lucilius lib. 4. Satyr.

Num censes καλλιπλόκαμον, καλλίσφυρον illam
Non licitum esse uterum, atque etiam inguina tangere mammis?

Callicratidas Atheniensis παιδεραστὴς, apud Locianom in Amoribus, inter cetera mulierum vitia hoc absqoe nota oon præterit. Πάντα δὲ τὰ ἐντὸς αὐτῆς, γυναικωνῖτιν τῆ προσώπῳ, χωρὶς ἤδη ἀμόρφως προπεπτωκότων μαζῶν, οὓς ἀεὶ περιφέρουσι δεσμώτας. *Omnia autem quæ intra ipsam sunt, cognitu faciliora quam facies, si excipias fœde propendentes istas mammas, quas semper circumferunt obligatas & vinctas.* Propterea Statius Papinius lib. 1. Silvar. Carm. 2. hoc vitium deprecatur Violantillæ L. Arruntii Stellæ uxori:

- - - Tuque ipse parenti
Parce puer, ne mollem uterum, ne stantia lædas
Pectora.

Medicus quidam ἀνώνυμος (cujus verba olim exscripsit Vir generosus ANTONIUS RAMBALDUS DE COLLALTO, mecumque communicavit pridie Kal. Decembris A. 1727. qoum ad me visendum & honestandum domom meam venisset, qoa erat erga omnes humanitate dum viveret, atque in me potissimum propensione) huic incommodo ita occurrit: *Hoc autem mammarum vitium* (putrium videlicet ac pendularum) *emendare potest hedera, sive cruda, modo contusa, atque ita mammis admota; sive in vino rubro incocta, usque eo ut parum liquoris supersit: & ita cum illo reliquo exiguo liquore admota. Verum hujus muliebris incommodi remedium longe certissimum & probatissimum est, squatina piscis mulieris mammis impositus. A quo narravit mihi Rondeletius, quum una essemus in comitatu Francisci Turnonii Cardinalis, mammas pendulas & flaccidas adeo contrahi & constringi, ut virginalium mammarum similitudinem gerant.* Nonous Panopolites miris epithetis hoc puellarom decos expressit. Libro enim 1. Dionysiac. v. 348. memorat ἀκαμπῆ μαζὸν, *mammam inflexilem*: libro autem 8. ἀκλινέας μαζοὺς, *mammas non inclinatas*; ut Propertius. VULP.

v. 22. VIDERIT HOC] Est alieno arbitrio rem permittentis per dissimulationem. Terentius Adelphis: *De istoc ipse viderit.* id est, curæ illi sit. Ovidius lib. 2. A. A.

Viderit Atrides: Helenen ego crimine solvo.

& lib. 1.

Viderit, Hæmoniæ si quis mala pabula terræ,
Et magicas artes posse juvare putat.

Cicero sæpe: *Sed ista Fortuna viderit.* PASS. Ovidius iterum Epist. Medeæ:

Viderit ista deus qui nunc mea pectora versat. VULP.

ibid. SI QUAM JAM PEPERISSE PUDET] *Si quam*, pro quam. Ita Eleg. 3. hujus libri:

Nec si qua Arabio lucet bombyce puella. VULP.

Si partus, & rugæ comites pudorem incotiuot. unde Ovidius 3. A. A. *Cui rugis uterum Lucina notavit.* [Noo solom autem pessimæ atque impiæ mulieres ventris rugas studiose celabant, postquam peperissent: verum etiam conceptum abigebant medicamentis, ne parerent. Idem Ovidius Amor. lib. 2. Eleg. 14.

Scilicet, ut careat rugarum crimine, venter
Sternetur pugnæ tristis arena tuæ?]

& in Noce:

Nunc uterum vitiat, quæ vult formosa videri;
Raraque in hoc ævo est, quæ velit esse parens.

Graviter Seneca Consolat. ad Helviam, cap. 16. *Numquam te fœcunditatis tuæ, quasi exprobraret ætatem, puduit: numquam more aliarum, quibus omnis commendatio ex forma petitur, tumescentem uterum abscondisti, quasi indecens onus, nec intra viscera tua conceptas spes liberorum elisisti.* PASS. Favorinus quoque philosophus apud Gellium lib. 12. N. A. cap. 1. muliebre hoc facinus detestatur. *Quod quidem*, inquit, *facinus eadem vecordia, qua quibusdam commenticiis fraudibus nituntur, ut fœtus quoque ipsi in corpore suo concepti aboriantur; ne æquor illud ventris irrugetur, ac de gravitate oneris & labore partus fatiscat.* Qoamobrem Juvenalis Sat. 6. v. 593.

Sed

Dum nos fata ſinunt, oculos ſatiemus amore.
 Nox tibi longa venit, nec reditura dies.
Atque utinam hærentes ſic nos vincire catena
 Velles, ut numquam ſolveret ulla dies.
Exemplo junctæ tibi ſint in amore columbæ,
 Maſculus & totum femina conjugium.

Errat,

Sed jacet aurato vix ulla puerpera lecto.
Locupletes enim ac delicatæ id ſæpius agebant. Porro lomenti, ſeu farinæ fabaceæ, uſus erat in coæquandis ejuſcemodi rugis. Martialis Epigr. 42. lib. 3.

Lomento rugas uteri quod condere tentas,
Polla; tibi ventrem, non mihi labra linis.

Marcellus etiam Sidetes ἐν ἰατρικοῖς περὶ ἰχθύων, a verſu 73. proponit καταπλασμα ad rugas uteri tollendas, vel potius prohibendas. Legitur fragmentum in Bibliotheca Græca Jo. Alberti Fabricii, lib. 1. cap. 3. VULP.

v. 23. DUM NOS FATA SINUNT] Dum nobis per fata licet. Sic Ovidius lib. 5. Triſt. Eleg. 4. *Dum me mea fata ſinebant.* Virgilius 4. Æneid.

Dulces exuviæ dum fata Deuſque ſinebant.

Vide Eleg. 19. lib. 1. verſu pænult. PASS.

ibid. OCULOS SATIAMUS AMORE] Ad ſaturitatem uſque paſcamus oculos, & expleamus jucundiſſimo ſpectaculo. Seneca Conſolat. ad Marciam cap. 18. *Satiare oculos ſpectaculo.* Euripides in Andromacha: Ὄμματ' ἐξενεπλήσαμεν. *oculos implevimus & ſatiavimus.* Homerus Odyſſ. λ. ἐνιπλησθῆναι ὀφθαλμοῖσιν, *expleri oculis.* Cornelius Tacitus: *Velata parte oris, ne ſatiaret aſpectum.* De patre filium aſpiciente, & oculos hoc jucundiſſimo paſcente ſpectaculo Catullus Carm. 63.

Cui languida nondum
Lumina ſunt nati cara ſaturata figura.

ubi vide adnotata. Dixerunt alii, *paſcere oculos, comedere oculis,* & Varro Eumenid. apud Nonium in *Ebrios, jejunis oculis.* P.

v. 24. NOX TIBI LONGA VENIT, NEC REDITURA DIES] Sic *longa nox* Horatio Ode 9. lib. 4. *longus ſomnus,* pro æternus, Ode 11. lib. 3. Catullus Carm. 5.

Soles occidere, & redire poſſunt:
Nobis quum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

Nec reditura dies. Subaudi, eſt. quia, ut ait Virgilius 10. Æneid. *Breve & irreparabile tempus Omnibus eſt vitæ.* Lucretius lib. 3.

Brevis eſt hic fructus homullis:
Jam fuerit, neque poſt umquam revocare licebit. PASS.

Pulchre Ovidius lib. 3. A. A. v. 63.

Nec, quæ præteriit, iterum revocabitur unda:
Nec, quæ præteriit, hora redire poteſt. V.

v. 25. ATQUE UTINAM HÆRENTES SIC NOS VINCIRE CATENA VELLES] Videtur ad Martis & Veneris catenas adludere. Ovidius Epiſt. Phædræ:

Illa coit firmâ generis junctura catenâ,
Impoſuit nodos cui Venus ipſa ſuos.

Tibullus lib. 4. Carm. 5.

Sed potius validâ teneamur uterque catenâ:
Nulla queat poſthac nos ſoluiſſe dies.

Hærentes. ita Lucretius lib. 4.

Nonne vides etiam quos mutua ſæpe voluptas
Vinxit, ut in vinclis communibus excrucientur?
Quum interea validis Veneris compagibus hærent. PASS.

Ovidius pariter lib. 2. A. A. v. 484.

Hæret adulterio cum cane nexa canis.

Hujus autem loci Propertiani ſententia genuina eſt: Atque utinam id fieri poſſet, ut amoris glutino ſic inter nos jungeremur, ut veterem illum Platonis hominem ſemper referremus. Nugæ amatorum. VULP.

v. 26. UT NUMQUAM SOLVERET ULLA DIES] Ipſi tempori vim agendi aliquid tribuit, aut potius negat. Sic Eleg. 24. infra:

At me non ætas mutabit tota Sibyllæ,
Non labor Alcidæ, non niger ille dies. P.

v. 27. EXEMPLO JUNCTÆ TIBI SINT IN AMORE COLUMBÆ] Imitare columbas; nos enim quid ſit agendum in amore, docent. Ab amore columbarum ſæpe petuntur exempla. Catullus Carm. 67.

Nec tantum niveo gaviſa eſt ulla columbo
Compar: ſeu quidquam dicitur improbius

Oſcu-

Errat, qui finem vesani quærit amoris.
Verus amor nullum novit habere modum.
Terra prius falso partu deludet arantes,
Et citius nigros Sol agitabit equos:

Flu-

Osculo mordenti semper decerpere rostro.
Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 6.
Oscula dat cupido blanda columba mari.
Mæcenas apud Senecam Epist. 115. *Feminæ cirro crispatæ labris columbantur*. Est & περιστερᾶ Græcis εἶδος φιλήματος. PASS. *Exemplo tibi sint columbæ*. Ita Horatius Sat. 1. L. 1.
--- Sicut
Parvola, nam exemplo est, magni formica laboris.
VULP.

v. 28. MASCULUS ET TUTUM FEMINA CONJUGIUM] Varro lib. 8. de L. L. *Itaque quædam aliter olim, & nunc: tum omnes mares & feminæ dicebantur columbæ; quod non erant in eo usu domestico quo nunc. Contra, propter domesticos usus, quod internovimus, appellatur mas, columbus, & femina, columba. Tutum conjugium*, ubi adulterii nulla suspicio. ut Eleg. 5. lib. 1.
Sitis & in tuto semper amore pares. P.
Unus columbus non nisi unam columbam in conjugio habet; vicissim una columba contenta est uno columbo. hoc est *totum* eorum conjugium; secus atque inter gallos & gallinas, aut coturnices, quarum amor multivolus est. *totum* exhibent omnes libri, nullo dissentiente. tamen Livinejus eam vocem ut ineptam traducit, reponitque *tutum*: quod Passeratius exponit, *ubi adulterii nulla suspicio*. non perviderunt isti mentem poetæ. Plinius L. 10. C. 34. *Pudicitia illis* (columbis) *prima, & neutri nota adulteria. conjugii fidem non violant, communemque servant domum*. itaque unus mas unaque femina *totum* componunt matrimonium: quod contra est in reliquarum avium venere vulgivaga. ideo Horatius inter ἀδύνατα posuit corruptam columbæ fidem Epodo 16.
Adulteretur & columba miluo.
Porphyrio: *Jucunde*, adulteretur: *quia dicitur columba nulli alii succumbere quam cui se semel junxit*. vide Ælianum L. 3. Hist. Anim. C. 44. BROUKH. *Totum conjugium*. Hæc lectio mihi adolescenti frigida videbatur, & valde suspecta erat. Existimabam, fuisse a manu Propertii, *notum*, hoc est, notæ fidei. Simile mendum exstat apud Martialem lib. 1. Epigr. 116.
Quædam me cupit (invide, Procille)
Toto candidior puella cycno.
ubi doctis viris legendum videtur, *Loto*; ne sententia frigeat. Legere malebam, *tutum conjugium*, cum Livinejo & Passeratio. est enim conjugium aliquod minus tutum, & cui timetur. Seneca in Hippolyto v. 340.
Si conjugio timuere suo,
Poscunt timidi prælia cervi.
Tutum femina conjugium, dici putabam, pro tuta femina conjux; nempe conjux pudica, cui maritus non timet. Nunc vero in Broukhusii sententiam pedibus eo; maxime quum legerim apud Varronem lib. 3. R. R. cap. 7. de columbis: *Parandum neque pullos, neque vetulas, totidem mares quot feminas*. Cur vero? nisi quia in reliquis animalium generibus multo plures parantur feminæ quam mares; quod unus mas multis feminis commisceatur. *Masculus & femina*. Plautus Cistellaria 4, 2, 39.
Bona femina, & malus masculus volunt te. V.

v. 29. ERRAT, QUI FINEM VESANI QUÆRIT AMORIS] Qui amorem magnum diducere vult, fallitur; quum *amantes diducere Non queat invitos Juppiter ipse duos*. PASS.

v. 30. VERUS AMOR NULLUM NOVIT HABERE MODUM] Hoc est quod dixit Elegia 19. lib. 1.
Trajicit & fati litora magnus amor.
Ibidem:
Non satis est ullo tempore longus amor.
Habere modum. sic Eleg. 17. lib. 3.
Nescitis captæ mentis habere modum. PASS.
Ovidius apud Senecam Controvers. x. *Facilius in amore finem impetres, quam modum*. Verum Propertius hoc loco *finem* & *modum* usurpare videtur tamquam unius rei vocabula, κατὰ συνωνυμίαν. VULP.

v. 31. TERRA PRIUS FALSO PARTU DELUDET ARANTES] Spem agricolarum fallet & frustrabitur. *Falso partu*. Aliud est Catullo Carm. 66.

Fal-

Fluminaque ad caput incipient revocare liquores,
Aridus & ſicco gurgite piſcis erit:

Qnam

Falſum mendaci ventre puerperium.
de ſuppoſito partu, aut nullo. hlc *falſo partu*, eſt editis pro ſemeote diverſis & diſſimilibus rebus; ut ſi pro frugibus ſatia arbores ferat, & pro ſatis arboribus fruges. Virgilius Ecl. 5.

Pro molli viola, pro purpureo narciſſo
Carduus, & ſpinis ſurgit paliurus acutis.

Partus terræ, fœtus, quia terra parens, & omnia parit; licet

Grandia ſæpe quibus mandavimus hordea ſulcis,
Infelix lolium & ſteriles dominentur avenæ.

Arantes, pro agricolis. ut Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 9.

Irrita decepti vota colentis erunt.

pro coloni. & Virgilius 6. Æneid. *Vitaque volantum*, pro volucrum. Similis locus eſt Eleg. 19. lib. 3.

Flamma per incenſas citius ſedetur ariſtas, &c. PASS.

Terra prius falſo partu d. a. Hoc ſemper & ubique terrarum evenire, *ἀδύνατον* eſt: nam alicubi & aliquando evenire poteſt, immo evenit reapſe. VULP.

v. 32. ET CITIUS NIGROS SOL AGITABIT EQUOS] Flectet, moderabitur, reget. agere currus & equos, ac etiam agitare dicimns; unde *agitatores* dicti, aurigæ peritiſſimi in circo & prœlio. Virgilius 2. Æneid. *Et equorum agitator Achillis Armiger Automedon.* & 1. Georg. *Agitator aſelli*. Idem 3. Georg.

Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.

Ridiculus Titius, qui legit, *pigros*. & merito ridetur a Scaligero. Noſter Eleg. 3. lib. 3.

Solis & atratis luxerit orbis equis.

Solis equi ignei ſunt & lucidiſſimi. Unde Tibullus Eleg. 5. lib. 2. in prodigiis numerat palleutes Solis equos.

Ipſum etiam Solem defectum lumine vidit
Jungere pallentes nubilus annus equos.

P. Rob. Titins mirifico acumine nobis repoſuit *pigros*, pro *nigros*, L. 8. Loc. Contr. Cap. 11. probe eo nomine depexus a Scaligero. Paſſeratius, dum Titium ridet, ipſe non perſpexit poetæ ſenſum, trahens hunc verſum ad defectum Solis. omnia, inquit Propertius, prius fient, quæ nullo modo fieri poſſuut, quam ego deſinam amare Cynthiam meam. ipſe ille Sol, cujus proprium eſt lucere, prius lucere deſinet, & æternis tenebris involvet hunc orbem. paria fere Ovidius L. 1. Triſt. Eleg. 7. niſi quod ibi de Sole paullo aliter. Ludovicus Areoſtus (*nel Canto 43. del Furioſo, ſtanza* 85.)

E giurs, che più toſto oſcuro il Sole
Vedraſſi, che gli ſia mai sì crudele,
Che rompa fede; e che vorria morire
Più toſto, ch'aver mai queſto deſire. BROUKH.

Defectus Solis, ſive ἔκλειψις, non eſt *ἀδύνατον*: quum in neceſſariis naturæ, quæ ſtato ac definito tempore eveninnt, numeretur. Miſſis ambagibns, *nigri equi*, ſunt equi Noctis; de quibus Tibullus in calce Eleg. 1. lib. 2. *Ludite; jam Nox jungit equos.* Hæc igitur eſt Propertii ſententia: Sol prius & Nox equos ſuos inter ſe commutabunt; ut deinceps equos Noctis piceos & obſcuros agitet Sol, Nox lucidos & niveos Solis. VULP.

v. 33. FLUMINAQUE AD CAPUT INCIPIENT REVOCARE LIQUORES] Ita Ovidius lib. 1. Triſt. Eleg. 7.

In caput alta ſuum labentur ab æquore retro
Flumina, converſis Solque recurret equis.

Noſter Eleg. 19. lib. 3.

Fluminaque ad fontis ſint reditura caput.

Caput aquæ illud eſt unde aqna naſcitur; ſi ex fonte naſcatur, ipſe fons: ſi ex flumine, vel lacn, prima incilia, & principia foſſarum. Ulpianus L. 1. §. *Caput aquæ*. D. *de aqua cot. & æſt.* Vide proverbium ἄνω ποταμῶν. Euripides in Medea: Ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί. Vide Laërtium in Diogene. *Revocare*; ut Virgilius 9. Æneid. *Revocatque pedem Tiberinus ab alto.* *Liquores*; ut Eleg. 14. lib. 1. *Pactoli liquores.* PASS. *Ad caput*. ad fontem. Ita Horatius Ode 1. libri 1. *Ad aquæ lene caput ſacræ.* Et Lucretius lib. 5. de fontium origine:

Percolatur enim virus, retroque remanat
Materies humoris, & ad caput amnibus omnis
Convenit.

Seneca pariter lib. 3. Nat. Quæſt. cap. 29.

Qui-

Quam possim nostros alio transferre calores.
Hujus ero vivus, mortuus hujus ero.
Quod mihi si secum tales concedere noctes
Illa velit, vitæ longus & annus erit.
Si dabit hæc multas, fiam immortalis in illis.
Nocte una quivis vel deus esse potest.

Qua-

Quidam existimant, terram quoque concuti, & dirupto solo novo fluminum capita detegere. Ludovicus Areostus hoc ἀδυνάτῳ usus Cantu 33.

Tu vedrai prima all' erta andare i fiumi,
Ch' ad altri mai ch' a te volga 'l pensiero.

Incipient revocare, pro revocabunt. sed τὸ *incipient* significat novum rerum ordinem, & insignem mutationem. Noster Eleg. 19. infra: *Incipiam captare feras.* VULP.

v. 34. ARIDUS ET SICCO GURGITE PISCIS ERIT] Ut Eleg. 32. infra:

Tu prius & fluctus poteris siccare marinos, &c.

Virgilius Ecloga 1.

Et freta destituent nudos in litore pisces.

Vide notata ad Eleg. 3. supra v. 5. PASS.

v. 35. QUAM POSSIM NOSTROS ALIO TRANSFERRE CALORES] Mutare dominam, & aliam amare. Sic Horatius Epodo 15.

Eheu translatos alio mærebis amores.

Vide adnotata ad Eleg. 12. lib. 1. v. 17. P. Lucretius pariter lib. 4.

Ærumna gravescit,
Si non prima novis conturbes vulnera plagis,
Volgivagaque vagus Venere ante recentia cures,
Aut alio possis animi traducere motus.

Nec dissimiliter Cicero Epist. 4. lib. 1. ad Famil. *Consulem enim frequenti senatu, in magna varietate, magnaque invidia eorum qui a te causam regiam alio transferebant, obtinebamus.* VULP.

v. 36. HUJUS ERO VIVUS, MORTUUS HUJUS ERO] Idem dixit Elegia superiore proxima:

Vestibulum jaceam mortuus ante tuum. P.

Versus mire simplex, & ad exprimendam animi affectionem accommodatus. Qui nubes tamen & inania captant, iis versus hujusmodi sordent, ac nimis vulgares videntur. *Mortuus hujus ero.* Sic Eleg. 19. l. 1.

Illic quidquid ero, semper tua dicar imago.
Trajicit & fati litora magnus amor. VULP.

v. 37. QUOD MIHI SI SECUM TALES CONCEDERE NOCTES ILLA VELIT] *Concedere & dare noctes*, benigne largiri. *Tales*, tam beatas, tam gaudiis cumulatas. ut supra:

Immortalis ero, si altera talis erit.

Vitæ longus & annus erit. Diu me vixisse arbitrabor si vel duodecim menses vixero in tantis voluptatibus. Simile illud quod e Cæcilii Hymnide profert M. Tullius lib. 2. de Finibus: *Mihi sex menses satis sunt vitæ: septimum Orco spondeo.* Et illud vulgatum: *Qui duxerit uxorem, uno mense felicem esse.* sed ille mensis multis est brevissimus. Ita Balbus Ciceroni lib. 8. ad Attic. Epist. 24. *Quod si erit factum, me satis vixisse arbitrabor.* PASS.

v. 37. CONCEDERE NOCTES] Horatius Epodo 15.

Nam si quid in Flacco viri est,
Non feret assiduas potiori te dare noctes. V.

v. 39. SI DABIT HÆC MULTAS, FIAM IMMORTALIS IN ILLIS. NOCTE UNA QUIVIS VEL DEUS ESSE POTEST] Vide Eleg. super. proximam v. 10. τὸ *in* vacat, ut aliàs sæpe. PASS. Cicero in L. Pison. C. 22. *Unus ille dies mihi quidem immortalitatis instar fuit, quum in patriam redii, quum senatum egressum vidi, populumque Romanum universum*, &c. v. ibi Abramus p. 688. a. locutio proverbialis est. pulcre ad Nostri mentem Pamphilus Terentianus Andr. 5, 5, 4.

Mihi immortalitas
Parta est, si nulla ægritudo huic gaudio intercesserit. BROUKH.

Huc pertinet illud Rufini lib. 7. Anthol. Epigr. 100.

Εὐδαίμων ὁ βλέπων σε· τρισόλβιος ὅστις ἀκούει.
Ἡμίθεος δ' ὁ φιλῶν· ἀθάνατος δ' ὁ συνών.

Felix, qui te videt: ter felix, qui te audit. Semideus, qui osculatur: immortalis, qui congreditur. VULP.

v. 40. NOCTE UNA QUIVIS VEL DEUS

ESSE

Qualem si cuncti vellent decurrere vitam,
Et pressi multo membra jacere mero:

Non

ESSE POTEST] Ex hac amantium insania Lucianus, seu quisquis est auctor, in Amoribus: Ἆρ' οὐκ ἂν ἡ μία νὺξ ἐκείνη τῷ Διὸς σκήπτρῳ ἐτιμᾶτο; *An non una nox Jovis sceptris æquipareretur? Vel deus.* etiam δαιμόνων ὑπέρτατος, summe felix. Plautus Curcul. 1, 3, 11. PHÆDR. *Est lepida!* PAL. *nimis lepida.* PHÆDR. *Sum deus.* PAL. *Immo homo haud magni pretii.* Neque solum libidinosi homines, verum etiam comedones id sibi nonnumquam pollicentur. Philemon Comicus ἐν τῷ Στρατιώτῃ apud Athenæum lib. 7. verbis coqui, ut videtur: Εἰ δ' ἔλαβον ἄρτι σκάρον .... Ἅπαντες ἂν φαγόντες ἐγένοντ' ἂν θεοί. *Si vero sumsissem recentem scarum .... Omnes qui comedissent, facti fuissent dii.* VULP.

V. 41. QUALEM SI CUNCTI VELLENT DECURRERE VITAM] Ad mortem usque, rerum omnium metam, deducere. Translatum a Circo: ideoque sæpe apud Ciceronem, *vitæ curriculum* legimus. Quæst. 1. Tuscul. *Nunc video calcem* (mortem) *ad quam quum sit decursum, nihil praterea sit extimescendum.* Idem in Catone: *Nec vero velim, quasi decurso spatio, a calce ad carceres revocari.* Et in Orat. pro Quintio: *Prope jam acta ætate decursaque.* Lucretius quoque lib. 3.

Ipse Epicurus obit decurso lumine vitæ. PASS.

V. 41. QUALEM SI CUNCTI VELLENT DECURRERE VITAM] Fingit sibi Propertius arbitratu suo rempublicam quamdam asotorum, & voluptati indulgentium, tamquam Epicuro præside, vel potius Aristippo; eamque admiratur & laudat, quasi humano generi minus noxiam futuram, quam sobriorum quidem, sed ambitioni servientium. Ἀνδρῶν enim ἐκ μεγάλων πόλις ὄλλυται. *Magni viri civitatem perdunt;* ut ait Solon in quadam Elegia. Contra, ut animadvertit Alciphron Epist. 34. lib. 1. Οὐδεὶς ἑταίραις ὁμιλῶν τυραννίδας ὀνειροπολεῖ καὶ στασιάζει τὰ κοινά· ἀλλὰ σπάσας τὸν ἑωθινὸν καὶ μεθυσθεὶς, εἰς ὥραν τετάρτην ἢ πέμπτην ἠρεμεῖ. *Nemo cum meretricibus consuetudinem habens tyrannides somniat, & seditionibus rempublicam turbat: sed matutino potu quis inebriatus, in tertiam aut quartam horam quiescit.* Horatius Epist. 18. lib. 1.

Eutrapelus, cuicumque nocere volebat,
Vestimenta dabat pretiosa. beatus enim jam
Cum pulcris tunicis sumet nova consilia & spes:
Dormiet in lucem, scorto postponet honestum
Officium, &c.

dabat, nimirum, ut ego interpretor, danda esse ajebat, ne Catonem imitatus aspero vitæ cultu, & *exigua toga textore*, viam ad honores & consulatus affectaret. Persius ita locutus in calce Sat. 1.

His mane edictum, post prandia Callirhoën do.

nempe mando, præcipio dari. Lydos propterea Cyrus bello victos exarmari jussit, & artes doceri ludicras, ne quando victoris imperium detrectarent. Legendi Herodotus in Clio, & Justinus Hist. Trogi lib. 1. cap. 7. Dionysius quoque tyrannus *filium Dionis sic educari jussit, ut, indulgendo, turpissimis imbueretur cupiditatibus. Nam puero priusquam pubes esset, scorta adducebantur, vino epulisque obruebatur, neque ullum tempus sobrio relinquebatur.* Verba sunt Nepotis in Dione. Metuebat enim sibi Dionysius ab indole pueri vivida & experrecta. Quapropter maxime indignum videbatur Ciceroni, socios Catilinæ, libidinibus ganeaque enervatos, de pernicie reipublicæ habere concilia. Sic enim Orat. 2. in Catil. *Quod si in vino & alea comissationes solum & scorta quærerent, essent illi quidem desperandi, sed tamen essent ferendi. hoc vero quis ferre possit, inertes homines fortissimis viris insidiari, stultissimos prudentissimis, ebrios sobriis, dormientes vigilantibus? qui mihi accubantes in conviviis, complexi mulieres impudicas, vino languidi, confecti cibo, redimiti sertis, unguentis obliti, debilitati stupris, eructant sermonibus suis cædem bonorum atque urbis incendia.* Aristoteles tamen lib. 5. τῶν πολιτικῶν ait, decoctores & nepotes hujusmodi, postquam sua prodegerunt, res novas quærere, & aut ipsos imminere tyrannidi, aut ad eam alios vocare. Aristoteli suffragatur Plato Dialogo 9. de Republica; Mæcenas item apud Dionem Cassium lib. 52. in celebri illa παραινέσει ad Augustum. Videndus etiam Torquatus Tassus, vir doctissimus, in eo Dialogo quem inscripsit, *Forno primo, ovvero della Nobiltà;*

ubi

Non ferrum crudele, neque esset bellica navis,
Nec nostra Actiacum verteret ossa mare.

Nec

ubi de moribus & naturæ tyranni disputationem instituit. Enimvero C. Julius Cæsar sobrius ad libertatem patriæ tollendam aggressus est. Sobrium, severum, & a voluptatibus alienum Carolum V. Imperatorem nobis describit Joannes Casa, scriptor gravissimus, in Oratione quadam pulcherrima. *Noi veggiamo adunque lui esser sollecito, e taciturno, ed astratto dagli uomini, e niun diletto, e niun diporto, e niuna consolazione avere nè curare.* Et inferius: *Nè altro opera, nè d' altro ha cura, che di torre, o, come altri stimano, di ritorre gli Stati, le Terre, e le Città de' vicini, e de' lontani, e all' Imperio o darle, o venderle; ed in ciò si consumano i suoi diletti, e le sue consolazioni tutte. Queste sono le sue caccie, questi gli uccelli, queste il ballare, e gli odori, e il vagheggiare, e gli amori, e i carnali appetiti, e le delizie sue.* VULP.

V. 42. ET PRESSI MULTO MEMBRA JACERE MERO] Sic Eleg. 16. lib. 3. *His pressus* (aquis) *Stygias vultum demisit in undas*, id est, oppressus, exstinctus. *Oneratus vino*, inquit Plautus. uno verbo *οἰνοβαρὴς* Græcis. Homerus Iliados α. Οἰνοβαρὴς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων. Plautus Pseud. 5, 2. de ebrio: *Unde onustum celocem agere te dicam?* Cicero Philipp. 3. dixit: *Obruere se vino*, *Multo*, copioso, ut Eleg. 3. lib. 1.

Ebria quum multo traherem vestigia Baccho. P. Etiam in Evangelio Lucæ cap. 21. v. 34. occurrit locutio non dissimilis; Προσέχετε δὲ ἑαυτοῖς, μήποτε βαρυνθῶσιν ὑμῶν αἱ καρδίαι ἐν κραιπάλῃ, καὶ μέθῃ. Horatius Sat. 2, lib. 2. v. 77.

--- Corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque prægravat una,
VULP.

V. 43. NON FERRUM CRUDELE, NEQUE ESSET BELLICA NAVIS] Ita nos in quinque libris exaratum reperimus. alii habent, *Non ferrum crudele esset, neque b. n.* numero laxiore, nec satis ad gravitatem Propertianam. Rident hæc, qui non intelligunt. rideant sane: ut tu Horatio crede, homini haudquaquam inepto,

Non quivis videt immodulata poëmata judex.
BROUKH.

Ferri usus esset innoxius; esset ferrum quidem, sed non crudele. Vide Tibullum Eleg. 10. lib. 1. Virgilius 1. Georg.

Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.
ita ferrum fit crudele. PASS.

ibid. NEQUE E. BELLICA NAVIS] Esset navis, sed non ad bellum instructa, & rostrata ac turribus munita; non apta ad ναυμαχίαν, sed ad peregrinationem & mercaturam tantum. Tibullus Eleg. 3. lib. 2.

Præda vago jussit geminare pericula ponto,
Bellica quum dubiis rostra dedit ratibus.
PASS.

Immo si omnes ebrietati, scortationi, otio, somno dediti essent, non solum res militaris, sed præterea mercatura, navigatio, agricultura, artes denique omnes funditus tollerentur. Verum poetæ noster argumento servit. VULP.

V. 44. NEC NOSTUA ACTIACUM VERTERET OSSA MARE] Ossa & corpora eorum qui Actiaca pugna occubuerunt, huc & illuc volveret. [Octavianus Cæsar M. Antonium, qui cum ipso de orbis terrarum imperio decertabat, & Cleopatram Ægypti reginam, apud Actium Epiri promontorium, navali prœlio vicerat.] Sic Virgilius 1. Æneid.

Ubi tot Simois correpta sub undis
Scuta virûm galeasque, & fortia corpora volvit.
Idem lib. 6.

Nunc me fluctus habet, versantque in litore venti.

Scaliger ex conjectura, *verreret*. non probo. Actiacum *mare*, pars Ionii. Vide Elegiam 6. lib. 4. & Eleg. ult. infra v. 61. P. Broukhusio quoque placet *verreret*, qui eam lectionem confirmat, Lucretii, Catulli, Virgilii, Valerii Catonis, Valerii Flacci, & Papinii Statii testimoniis. Nihilominus *verrere* sæpius videtur usurpari de maris superficie, aliisque corporibus quæ summo in æquore feruntur; vel de nubibus, quæ aguntur a vento; quam de ossibus, aut aliis gravibus, quæ in aqua merguntur, & subsidunt. Lucretius lib. 5. v. 1225.

Vis violenti per mare venti
Induperatorem classis super æquora verrit.
τὸ *super* satis indicat usum verbi. VULP.

V. 45.

Nec toties propriis circum oppugnata triumphis,
Laſſa foret crines ſolvere Roma ſuos.
Hæc certe merito poterunt laudare minores.
Læſerunt nullos pocula noſtra deos.

v. 45. NEC TOTIES PROPRIIS CIRCUM OPPUGNATA TRIUMPHIS, LASSA FORET CRINES SOLVERE ROMA SUOS] Horatius Epodo 16. eodem ſenſu :

Altera jam teritur bellis civilibus ætas :
Suis & ipſa Roma viribus ruit .

Noſter Eleg. 11. lib. 3.

Frangitur ipſa ſuis Roma ſuperba bonis .

Suis bonis , ut hic : *propriis triumphis* . Virgilius 6. Æneid.

Neu patriæ validas in viſcera vertite vires .

& Lucanus operis initio :

Populumque potentem
In ſua victrici converſum viſcera dextra .

Toties , quia , ut ait Cicero 8. Philipp. *quintum hoc bellum civile geritur* . adde quatuor alia e Suetonii Auguſto cap. 9. & Appiano . *Laſſa foret* , &c. lugendo cives ſuos tamquam liberos amiſſos . [nam in funeribus filiorum matres crinem ſolvebant .] Sic de Roma & Lucanus lib. 1.

Turrigero canos effundens vertice crines
Cæſarie lacera . PASS.

Ceteroqui ex bellis civilibus nullus triumphus *victori* decernebatur , etiamſi pars victa a ſenatu fuiſſent hoſtes judicati . imo ne ſupplicatio quidem umquam victoris cujuſquam literis poſtulata eſt . Vide Ciceronem Philippica 14. C. 8. Bene Lucanus L. 1.

Cumque ſuperba foret Babylon ſpolianda tropæis
Auſoniis , umbraque erraret Craſſus inulta ,
Bella geri placuit nullos habitura triumphos .
BROUKH.

Propriis oppugnata triumphis Roma . μετάληψις eſt . Triumphi ſcilicet acti de ducibus & gentibus exteris ſuperbos & inſolentes Romanos reddiderant . Hinc ob ſecuritatem corrupti mores : hinc luxus , ambitio , diſcordiæ , bella civilia , quæ libertati & reipublicæ exitio fuerunt . Graviſſime Juvenalis Sat. 6. v. 291.

Sævior armis
Luxuria incubuit , victumque ulciſcitur orbem . VULP.

v. 46. CRINES SOLVERE] v. Seneca Troad. v. 84. 98. BROUKH.

v. 47. HÆC CERTE MERITO POTERUNT LAUDARE MINORES] Laus non petitur a majoribus ; quia & eſſe deſierunt , & ſenes ſeveri ſunt . unde Eleg. 30. infra :

Iſta ſenes licet accuſent convivia duri .

Minores , inquit Servius in 8. Æneid. *non dicimus , niſi quum graduum deficit nomen* . Virgilius tamen dixit 8. Æneid. *Latique minores Servavere diem* . de Evandro hoſpite Herculis . Sed Hercules abierat ad deos : itaque poſteri erant ejus . Sic J. C. L. 4. *de in jus vocando* . §. *parentem* . *Supra tritavum qui ſpeciale nomen non habent , majores dicuntur* . PASS. *Hæc* . ſubaudi , quæ nos agimus ; voluptates noſtras & comiſſationes . *Minores :* longinqua poſteritas . Juvenalis Sat. 1. v. 147.

Nil erit ulterius noſtris quod moribus addat
Poſteritas : eadem cupient , facientque minores . VULP.

v. 48. LÆSERUNT NULLOS POCULA NOSTRA DEOS] Nulla in convivio numina violavimus perjuriis & impiis verbis . *Lædere* , violare ; unde *læſæ majeſtatis crimen* . Virgilius 1. Æneid. *Quo numine læſo* . Noſter Eleg. 16. lib. 1.

Te non ulla mea læſit petulantia linguæ .

Pocula , vina & convivia ; quia mero lingua fit procacior . ut Eleg. 9. ſupra v. 21. & 22. PASS. *Læſerunt nullos p. n. deos* . Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Parcite , cæleſtes : æquum eſt impune licere ,
Numina formoſis lædere veſtra ſemel . V.

Mihi aliquid gravius ſubeſſe ac facinoroſius videtur : & ſic intelligo , Nos , o Cynthia , dum ſimul fuimus , menſæ ſacra nullo temeravimus veneficio , ſed intra hilaritatem innoxiam conſtiterunt noſtra convivia . Sane *pocula* hoc ſæpe ſenſu ponuntur apud optimos quoſque ſcriptores . Noſter ſupra Eleg. 1.

Seu mihi ſint tangenda novercæ pocula Phædræ,
Pocula privigno nil nocitura ſuo .

Virgilius L. 2. Georg. v. 128.

Tu modo, dum licet, hunc fructum ne desere vitæ.
Omnia si dederis oscula, pauca dabis.

Ac

Pocula si quando sæva infecere noverca.

Cicero pro Cluentio dixit, *poculum dare*, pro venenum propinare, & *poculum mortis*, pro potione venenata. Tibullus lib. 3. Eleg. 5.

Nec mea mortiferis infecit pocula succis
Dextera, nec cuiquam tætra venena dedit.

quumque venenum facile detur in potione super mensam, ideo conviviali verbo *infundendi* utitur Romanæ eloquentiæ parens atroci sarcasmo in atrocissimo scelere, Philipp. 11. C. 6. *At hic nuper sororis filio infudit venenum, non dedit.* de Cynthiæ negotio disquiremus infra ad Eleg. 23. v. 67. [Eleg. 32. v. 27.] BROUKH.

v. 49. TU MODO] Sic Eleg. 20. infra:

Tu modo ne dubita de gravitate mea.

Dum licet; per fata videlicet, quæ nobis brevem lucis usuram concedunt. Horatius Ode 12. lib. 4.

Nigrorumque memor, dum licet, ignium
Misce stultitiam consiliis brevem.

Idem Ode 3. lib. 2. sic variavit:

Dum res, & ætas, & sororum
Fila trium patiuntur atra. VULP.

v. 49. DUM LICET] Ut Eleg. 5. v. 14. supra:

Dum licet, injusto subtrahe colla jugo.

Alii libri: *Dum lucet, fructum ne desere vitæ.* quæ lectio nec rejicienda. *lucet*, id est, lux hæc tibi cernitur. nam lucet nobis, dum vivimus integris sensibus: post mortem tenebræ. *Ne desere*, avide carpe; ut Eleg. prox. sequ. *Oblatas ne desere messes.* *Fructum vitæ* appellat, animo obsequi, esse, bibere, ludere. Lucretius lib. 3. docet, formulam fuisse usitatam quum indulgerent genio:

Hoc etiam faciunt, ubi discubuere, tenentque
Pocula sæpe, homines, & inumbrant ora coronis:
Ex animo ut dicant: Brevis est hic fructus homullis:
Jam fuerit, neque post umquam revocare licebit.

Sic Catullus Carm. 55. *Fructus projicies amoris omnes.* Vide Interpretem Persii Sat. 6. sub finem. PASS. Hæc est lectio primarum editionum, quum nondum illa perniciosa libido novandi, animos eruditorum afflasset. Aliqui codices, *Dum lucet, fructum n. d. v.* quod calide amplexatus Palmerius, & secutus est Passeratius. Nec neget quisquam, *lucem* sæpe pro *vita* poni. sed probandum erat, *lucere* ad eumdem modum poni pro *vivere*. nugæ hæ sunt & affaniæ, a quibus cavere discat erectior juventus. nihil hic debet refugi. BROUKH.

v. 49. HUNC FRUCTUM NE DESERE VITÆ] Voluptatem opinor; sine qua vitam sibi nullam putabant Epicuri de grege porci. Concinit Plautus Pseud. 5, 1, 9.

--- *Hoc*
Est homini quamobrem vitam amet. hic omnes
Voluptates; in hoc omnes venustates sunt:
Deis proximum esse arbitror.

lege reliqua, si tanti est. Ita nequissimus bipedum Heliogabalus *cum fructum vitæ* præcipuum existimabat si dignus atque aptus libidini plurimorum videretur; teste Lampridio in ejus monstri Vita cap. 5. Contra M. Antoninus, optimus princeps, lib. 6. de his quæ ad se ipsum, numero 30. *Εἷς καρπὸς τῆς ἐπιγείου ζωῆς διάθεσις ὁσία, ϗ πράξεις κοινωνικαί. Unus fructus est vitæ quam in terris agimus, animus sanctus, actiones societati hominum conducibiles.* Honeste etiam Cicero Philipp. 2. cap. 13. *Qui homines tam agrestes, qui se, quum eos* (Cæsaris percussores) *aspexerint, non maximum cepisse vitæ fructum putent?* Censorinus pariter de Die Natali cap. 3. *Ille enim* (dies) *mihi vitam, hic fructum vitæ atque ornamentum peperit.* VULP.

v. 50. OMNIA SI DEDERIS OSCULA, PAUCA DABIS] ὀξύμωρον *Omnia, pauca*: e desiderio amantis. *Omnia dederis*, ut Ovidius Epist. Paridis:

Omnia si dederis, numquam dabis Hectora fratrem.

sic dicitur, & *Omnia facere*. [*Dabis oscula.* Supra Eleg. 6.

Me lædit si multa tibi dedit oscula mater.] P.

v. 50. OMNIA SI DEDERIS OSCULA, PAUCA DABIS] Improbi enim amatores his nequitiis numquam satiantur. Vide Catullum Carm. 5. Vel notat vitæ brevitatem. Posset etiam ita interpungi:

Omnia, si dederis oscula pauca, dabis.

Ita locutus Cicero Epist. 9. lib. 16. *In hoc*

omnem

Ac veluti folia arentes liquere corollas,
Quæ passim calathis strata natare vides:
Sic nobis, qui nunc magnum spiramus amantes,
Forsitan includet crastina fata dies.

ELE-

omnem diligentiam si adhibueris, teque nobis incolumem præstiteris, omnia a te habebo. Idem Epist. 13. lib. 16. *Omnia a te data mihi putabo, si te valentem videro.* Brutus quoque Ciceroni Epist. 4. *Nimis credere videris spei tuæ: statimque ut quisque aliquid recte fecerit, omnia dare ac permittere.* Neque abit Ovidius lib. 2. Pontic. Epist. 8.

Non mihi divitias dando, majora dedisses.

Prior tamen interpunctio melior, & Elegiæ argumento magis apta. VULP.

v. 51. AC V. FOLIA ARENTES LIQUERE COROLLAS] E corollis defluxere, quum arescere cœperunt. Bene autem cum foliis homines comparat, ut Homerus Iliad. 6.

Οἵηπερ φύλλων γενεή, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν.

Relinqui autem a foliis corollas ait quum sponte folia decidunt, ut ex arboribus matura poma, & anima a corpore in senectute. De corollis conviviorum dictum ad Eleg. 3. lib. 1. & ad Eleg. 33. v. 37. & Eleg. ult. hujus libri v. 59. PASS.

Folia, τὰ πέταλα, ex quibus constant flores: unde οἱ τῶν βοτανικῶν παῖδες appellant flores μονοπετάλους, vel πολυπετάλους. Noster supra Eleg. 3.

Utque rosæ puro lacte natent folia.

& Ovidius lib. 13. Metam.

Candidior folio nivei, Galatea, ligustri. V.

v. 52. QUÆ PASSIM CALATHIS STRATA NATARE VIDES] Abundanter & ubique jacentia, inquit Servius ad illud Ecl. 7.

Strata jacent passim sua quæque sub arbore poma.

Calathis, poculis, calicibus. calathi enim hic sunt vasa potoria, non viminea. nec eos audio qui *cyathis* reposuerunt, quum calathos ineptos ei rei putarent. Virgilius Ecl. 5.

Vina novum fundam calathis arvisia nectar.

& 3. Georg.

Quod surgente die mulsere, horisque diurnis,
Sub noctem exportant calathis.

Natare, fluitare. ut Eleg. 3. supra v. 12. PASS.

v. 53. SIC NOBIS, QUI NUNC MAGNUM SPIRAMUS AMANTES] Spem ingentem animo concipimus, & fidimus, nos diu victuros, & fruituros his gaudiis nostris. Turnebus lib. 17. Advers. cap. 11. exponit, Qui magnam spem nobis proponimus: idemque ait, non deesse qui legant, *Magnum spiramus*, ut sit μέγα φρονοῦμεν. sic Virgilius 7. Æneid. *Rapta spirans immane securi.* Scaliger ita legit & exponit, μεγαλοφρονοῦμεν. Necnon & Lipsius lib. 1. Antiqu. Lect. cap. 20. *Magnum spiramus*, ut μέγα πνεῖν. Vide Junium Proverb. 46. Centur. 1. sed, *speramus*, legendum est. Ovidius 13. Metam. simili sententia:

Sit licet hoc ingens, quidquid speravit Ulixes.

Horatius de hac spe improba dixit, *Spem longam inchoare*, itemque *resecare*. Ode 11. lib. 4. *Terret ambustus Phaëthon avaras spes.* ibidem: *Semper ut te digna sequare: & ultra Quam licet, sperare, nefas putando.* &c. *Magnum sperare*, ut *magnum clamare*, apud Plautum Milite 3, 2. *magnum narrare*, apud Horatium Sat. 9. lib. 1. *magnum loqui*, apud eumdem Epist. ad Pisones. Valerius Maximus lib. 3. cap. 7. ex verbis Scipionis Africani: *Carthaginem magna sperantem leges nostras accipere jussi.* *Amantes*, pro inter nos amantes. ut Ovidius lib. 5. Fast.

Turbaque cælestes ambitiosa sumus. PASS.

Speramus habet editio princeps A. 1472. Nihilominus concinnius existimo *spiramus*; qua locutione usi Græci & Latini scriptores. Homerus Iliad. 11. v. 296.

Αὐτὸς δ᾽ ἐν πρώτοισι μέγα φρονέων ἐβεβήκει.

Euripides Andromacha v. 188.

Οἱ γὰρ πνέοντες μεγάλα, τοὺς κρείσσους λόγους
Πικρῶς φέρουσι τῶν ἐλασσόνων ὕπο.

ubi πνέοντες μεγάλα sunt divites & potentes. Lucianus Dialogo Mercurii & Apollinis: μέγα ἐπὶ τῷ κάλλει φρονεῖ. Æneas Gazæus Dialogo De Resurrectione Mortuorum: Αὐτὸς μὲν ὁ Σωκράτης ἐπὶ πενίᾳ μέγα φρονεῖ. *Ipse quidem Socrates in paupertate magnum spirat.* Porro Valerius Flaccus, Propertianâ sententiâ, lib. 2. Argonaut. v. 183.

Dum-

Dumque silent, ducuntque novo cum conjuge somnos,
Magnum aliquid spirabit amor?

Similiter Seneca libro 1. de Ira cap. 16. *Omnes quos vecors animus supra cogitationes extollit humanas, altum quidem & sublime spirare se credunt: ceterum nihil solidi subest.* Florus denique lib. 2. Hist. cap. 2. *Metello consule spirantibus altius Pœnis.* VULP. Plura Nic. Heinsius dabit ad Ovid. L. 5. Metam. v. 348. quem operæ erit vidisse. BROUKH.

v. 54. FORSITAN INCLUDET CRASTINA FATA DIES] Theocritus pariter in Hyla:

Οἱ θνατοὶ πελόμεσθα, τὸ δ' αὔριον οὐκ ἐσορῶμες.

Crastina dies includet fata. id est, fata nostra vitamque fatis datam finiet. [Venustissime dictum, quasi mortis indagine circum sæpti homines ultra præfinitam diem progredi vivendo non possint.] Includi dicuntur præterita, & quæ non amplius sunt in nostra manu. Horatius Ode 13. lib. 4. -- *Tempora quæ semel Notis condita fastis Inclusit volucris dies.* Idem Ode 4. lib. 2. *Cujus octavum trepidavit ætas Claudere lustrum.* Quæ includimus, ea non sinimus ultra progredi. Eadem mente dictum Elegia 18. lib. 3. *Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.* PASS. *Includet*, hoc est, finiet, definiet, terminabit; quam hujus verbi significatinnem Lexicographi omittunt. Silius Italicus lib. 13. Punic. v. 685.

Non segnis nobis, nec inultis, nate, peracta est
Illa suprema dies, & laude inclusimus ævum.

Cornelius Celsus lib. 1. cap. 2. *Ubi expletus est aliquis, facilius concoquit, si quidquid assumsit, potione aquæ frigidæ includit.* & infra cap. 8. *Deinde omnes potiones aqua frigida includere.* *Fata*, id est annos fatales, fato datos. Tibullus Eleg. 3. lib. 1. *Si fatales jam nunc explevimus annos.* Veteres pulchre imitatur Petrarcha Ode 39.

Nè possa il giorno che la vita serra
Antiveder per lo corporeo velo.

Contra Horatius Ode 24. lib. 1. *Non vanæ redeat sanguis imagini, Quam virga semel horrida, Non lenis precibus fata recludere, Nigro compulerit Mercurius gregi.* VULP.

ELEGIA XVI.

PRætor ab Illyricis venit modo, Cynthia, terris,
Maxima præda tibi, maxima cura mihi.

Non

ARGUMENTUM ELEGIÆ XVI. LIBRI II.] Rivalem prætorem, qui nuper ex provincia redierat, devovet: Cynthiæ avaritiam, levitatem, fastidium, nimium formæ cultum exagitat. VULP.

v. 1. PRÆTOR AB ILLYRICIS VENIT MODO, CYNTHIA, TERRIS] Quisquis ille prætor fuit, eum intelligit Eleg. 8. lib. 1.

An tibi sum gelida vilior Illyria?
Et tibi jam tanti, quicunque est, iste videtur,
Ut sine me vento quolibet ire velis?

ubi & dictum de Illyria. hodie Sclavoniam vocant. *Prætor*, id est, proprætor. Prætores a præeundo. Cicero 3. de Leg. & Varro lib. 2. de Vita Populi Romani apud Nonium. Prætorum autem nomine censebantur etiam consules & dictatores & proconsules, ut tradunt Livius & Festus. Ab Elegia 8. lib. 1. ad hanc Elegiam annue plus minus intercessit, ut annuum fuerit prætoris imperium in provincia. PASS.

v. 1. PRÆTOR] Vim hujus vocabuli colligere licet vel ex Cornelio Nepote in Miltiade. *Domi autem*, inquit, *creati decem prætores, qui exercitui præessent: in eis Miltiades.* Et inferius: *Huic Miltiadi ...... talis honos tributus est in porticu quæ Pœcile vocatur, quum pugna depingeretur Marathonia; ut in decem prætorum numero prima ejus imago poneretur, isque hortaretur milites; præliumque committeret.* Nempe ceteri prætores præibant suis quisque militibus: Miltiades toti exercitui, & ipsis prætoribus. VULP.

v. 2. MAXIMA PRÆDA TIBI, MAXIMA CURA MIHI] Cujus reditu ditesces, & ego conficiar angoribus. vide adnotata ad Elegiam 4. supra v. 15. *maxima cura*, id est, angoris & sollicitudinis caussa. ut Eleg. 6. supra v. 32. *Jurgia*, pro jurgiorum caussæ. P.

v. 3.

Non potuit ſaxo vitam poſuiſſe Cerauno?
  Ah, Neptune, tibi qualia dona darem!
Nunc ſine me plena fiunt convivia menſa.
  Nunc ſine me tota janua nocte patet.
Quare, ſi ſapis, oblatas ne deſere meſſes,
  Et ſtolidum pleno vellere carpe pecus.

Dein-

v. 3. NON POTUIT SAXO VITAM POSUISSE CERAUNO?] Tam durus fuit, ut ne ſaxo quidem Ceraunio vitam daret? Sic Virgilius 1. Æneid. *Me ne Iliacis occumbere campis Non potuiſſe? Ponere vitam*, ut Elegia 13. ſupra, *ponere animam*. ubi vide plura. *Saxum*, pro monte, vel rupe, aut ſcopulo, ut Eleg. 16. lib. 1. *ſaxo Sicano*. ubi & *Sicano*, pro, Sicanio, ut hic, *Ceraunо*, pro, Ceraunio. Aut eſt enallage numerorum. nam Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 11.

Et quibus emineant violenta Ceraunia ſaxis.

& Horatius Ode 3. lib. 1.

Infames ſcopulos Acroceraunia.

Ceraunia montes Epiri commemorat Pauſanias in Atticis, & *Ceraunios montes* in Eliacis. Idem in Atticis: ἄκρα τῆς ὠρῶν, ἃ Κεραύνια λέγουσι. Virgilius 1. Georg.

Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo Dejicit.

loquitur de Jove fulminante. Servius in 3. Æneid. *Ceraunia montes ſunt Epiri a crebris fulminibus dicti*. [nam κεραυνὸς Græcis fulmen.] V. Plinium lib. 3. H. N. cap. 22. & 23. De Cerauniis, ſive Acrocerauniis, bona ſunt quæ obſervat Barthius L. 57. Adv. C. 14. ſed cur ibidem in hoc Noſtri loco, *Vah Neptune*, legi jubeat, non ſatis capio. *Ah* particula eſt indignantis, increpantis, valde dolentis. Alia notio eſt particulæ *vah*. quod indignantis eſt, & ſtomachantis. Et ita uſi Plautus ac Terentius. quamquam non nego multimodis poni. ſed vocula eſt ſcenæ magis quam Elegiæ accommoda. Vide M. Valerium Probum L. 1. Gram. Inſtit. quo loco de interjectione agit. BROUKH.

ibid. VITAM POSUISSE] Naufragum, vivere deſiiſſe. Noſter Eleg. 26. lib. hujus: *Mihi ſi ponenda tuo ſit corpore vita*. VULP.

v. 4. AH, NEPTUNE, TIBI QUALIA DONA DAREM!] Sic Ovidius 3. Faſt.

Hei mihi, pro calo qualia dona fero!

Noſter Eleg. 8. ſupra: *Munera quanta dedi! Ah* non eſt hic dolentis, ſed optantis & exſultantis, ut in Curcul. Plauti 5, 2. *Qualia dona darem!* Qualem tibi referrem gratiam, ſi mari illo prætorem obruiſſes! quæ tibi vota perſolviſſem! Vide Horatium Epodo 10. Contra, ſervati e naufragio vota Neptuno ſolvebant. Vide eumdem Ode 5. lib. 1. Apud Plautum Rudente 2, 3. Neptunus dicitur magnis poculis lenonem invitaſſe; quia ei confregerat navim. PASS. *Ah, Neptune*. *Oh*, dixit Plautus Rudente 2, 3, 28.

Oh! Neptune lepide, ſalve:
Nec te aleator ullus eſt ſapientior. profecto
Nimis lepide jeciſti bolum: perjurum perdidiſti. &c.

Idem Moſtellaria 2, 2, 1.

Habeo, Neptune, gratiam magnam tibi,
Quom me amiſiſti a te vix vivom modo.
Verum ſi poſthac me pedem latum modo
Scies impoſiſſe in undam, haud cauſſa ilico'ſt,
Quod nunc voluiſti facere, quin facias mihi.

Qualia dona darem! Idem Pſeud. 4, 1, 18. *Quæ tibi dona dabo, & faciam, ſi hanc rem probe accuraſſis!* VULP.

v. 5. NUNC SINE ME PLENA FIUNT CONVIVIA MENSA] Dolenter, *ſine me*. ut Eleg. 8. lib. 1. v. 4. & 32. *Plena menſa*, dapibus affatim inſtructa. Plautus Menæchmis 1, 1.

Apud menſam plenam homini roſtrum deliges.

Suetonius in Caligula, cap. 24. *Pleno convivio ſingulas infra ſe collocabat*. Hac ipſa Elegia v. 8. *Pleno vellere pecus*. *Fiunt convivia*. Sic Catullus Carm. 47. *Vos convivia lauta ſumtuoſe De die facitis*. *Fiunt convivia ſine me*. ut Eleg. 9. v. 21. 22. & Eleg. 33. infra v. 25. & ſeqq. PASS.

v. 6. NUNC SINE ME TOTA JANUA NOCTE PATET] Queritur, rivali ſuo januam amicæ apertam, & ſibi clauſam, etiam Elegia 16. lib. 1. PASS.

v. 7. QUARE, SI SAPIS] In Amphitr.

Plau-

Deinde ubi consumto restabit munere pauper,
Dic alias iterum naviget Illyrias.

Cyn-

Plauti est minantis:

Istam canam largire, si sapis, esurientibus.

& alibi. Martialis Epigr. 41. lib. 2.

Ride, si sapis, o puella, ride:
Pelignus, puto, dixerat poeta. PASS.

ibid. OBLATAS NE DESERE MESSES] Magni faciendi lucri occasionem ne umittas. & ita: *Mihi istic metitur*, pro, mea res est. Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

At mihi parce, Venus, semper tibi dedita serviit
Mens mea. quid messes uris acerba tuas?

Ovidius Epist. Helenæ:

Sed nimium properas; & adhuc tua messis in herba est.

Verbam ἀμάω, id est, meto Græcis eadem translatione, pro fructum colligo, & rem faciu. vulgu *faire ses orges*. Urget autem *τὸ oblatas*; nam stultum ab offerentibas nolle sumere. Cicero 3. de Nat. Deor. de Dionysio tyranno: *Stultum a quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus & ultro dantibus nolle sumere.* de victoriulis, pateris, & coronis aureis, quæ statuæ deorum sustinebant, & porrigere videbantur. PASS. Lucianus Dialugo Glyceræ ac Thaïdus, vindemiæ translatiune usus est in re simili, de duabus meretriculis militem expilantibus: καὶ νῦν τρυγῶσιν αὐτόν. *& nunc vindemiant ipsum*. Sic loqui memini & Jeremiam Prophetam ἐν Θρήνοις. VULP.

v. 8. ET STULIDUM PLENO VELLERE CARPE PECUS] *Stolidum*, stultum Festus interpretatur. videtur translatum verbum a re rustica: stolones enim vocant agriculæ in arboribus fruticationem inutilem, inquit Plinius lib. 11. H. N. cap. 1. unde cugnomen Liciniæ genti. Ausunius certe pro stolidu venuste dixit stolonem, ut Plautus fruticem:

Sed jam non potes, o stolo, doceri.

Stolidum pecus, est ovillum genus; quod maxime ἀσύνετον. Vide Aristotelem 9. de Nat. Animal. cap. 3. Quamubrem Aristophanes in Vespis, ait de stolidis Atheniensibus: ἐκκλησιάζειν πρόβατα συγκαθήμενα. *in concione oves sedere.* [Bacchides meretrices Plautinæ hoc nomine appellant Nicobulum & Philuxenum senes, dumum ipsarum adventantes, actu 5. scena 2. ejus Comœdiæ. Satis est locum indicavisse.] *Pleno vellere*, valde villosum, unde *maxima præda*, ut supra dixit. *Carpe pecus*, id est, attonde ad cutem & ultra. Nun dixit Tunde pecus, sed, *Carpe*; quod acrius & viulentius est. quasi diceret, Lania & deglube. Scitum illud Tiberii: *Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere.* PASS. Plautus Mercatore 3, 1, 26.

Ovem tibi ancillam dabo natam annos sexaginta
Peculiarem. PAS. *mi senex, tam vetulam!*
LYS. *hem, istæc hercle ees est:*
Eam si curabis, perbona est, tondetur nimium scite.

Apud Lucianum pariter in Fugitivis deceptores quidam pseudo-philosuphi ἀποκείρουσι τὰ πρόβατα. Hi sunt mores meretricum. Terentius Hecyra 1, 1, 6.

SYRA. *Ergo propterea te sedulo*
Et moneo, & hortor, ne cujusquam misereat:
Quin spolies, mutiles, laceres, quemque nacta sis. VULP.

ibid. PECUS] Ita Cicero Philipp. 2. C. 12. *Sed stuporem hominis, vel dicam pecudis, attendite.* Idem Philipp. 8. Cap. 3. *Homines agrestes, si homines illi, ac non pecudes potius.* Cajus Cæsar Junium Silanum, hominem segnem ac locupletem, *pecudem auream* appellare solitus erat, ut narrat Tacitus L. 13. Annal. C. 1. BRUUKH.

v. 9. DEINDE UBI CUNSUMTO RESTABIT MUNERE PAUPER] Remanebit pauper, ut quasi sulus ille sibi reliquus & superstes sit, *dixeritque næniam de nobis*, ut loquitur Plautus. *Consumto munere*; quod nimirum illi, qui dederit, & tibi, quæ acceperis, perierit. ut apud Plautum Asin. juvenis quidam; *Ubi quæ dedi?* respondet lena pessima; *Abusa*. Eleganter idem in Truculentu: *Meretrix ut mare: quod des devorat, nec umquam abundat.* Sed est enallage numerorum, pro, *consumtis muneribus*; id est, exhausta omni facultate benignitatis & dandi muneris. ut Eleg. 20. lib. 1.

Proposito florem prætulit officio.

id est, flores. An *consumto munere*, est, eo umni quod acceperat, vel extorserat rapax prætor a provincialibus? *Restare*, de humine ipso. ut Cicero pro Sex. Roscio: *Caussam dicit is qui unus relictus ex eorum*

nefa-

Cynthia non ſequitur faſces, non quærit honores:
Semper amatorum ponderat illa ſinus.

At

nefaria tade reſtat . PASS. *Reſtare* , dicitur de illo qui , amicis pluribus & familiaribus elatis , ultimus in vita manet . Horatius Sat. 9. lib. 1.

Omnes compoſui . Felices ! nunc ego reſto .
Confice ; namque inſtat fatum mihi triſte - -

Ita hic prætor , quum acerbo quaſi funere rem ſuam extulerit , a te ſtrenue comeſam , o Cynthia , ſolus ipſe remanebit deplumis & nudus . VULP.

v. 10. DIC ALIAS ITERUM NAVIGET ILLYRIAS] In alias provincias claſſe redeat , non in hanc ipſam Illyrism , quam jam ſpoliavit . *Iterum navigare* , παλινδρομεῖν , quod *iterare curſus* dicitut Horatio . *Illyrias* ; mutavit numerum , ut Eleg. 11. lib. 1.

Proxima Miſenis æquore nobilibus .

Catullus quoque Carm. 45.

Unam Septimius miſellus Acmen
Mavult , quam Syrias Britanniasque .

τὸ *alias* , ſic dixit , ut vulgo , *aux autres* . & apud Tacitum : *Cedo alteram* . PASS. σαρκασμὸς eſt multo lepidiſſimus . quaſi dicat : Jubebis tunc , ut alias ſibi provincias paret ac fabricet , de quibus tam bene mereatur , quam de Illyria meritus eſt . Huc facit mirum in modum illud Plauti Truculento 2, 1, 23.

Dum habeat , tum amet : ubi nihil habeat ,
alium quæſtum capiat .

Porro *dicere* hic eſt edicere , jus dicere , imperare . vel eſt amarulentis jocis appetere ; unde *bona* , & *non bona dicta* . *Dic naviget* , omiſſo *ut* . Ovidius lib. 2. Artis Amat. v. 207.

Sive latrocinii ſub imagine calculus ibit ,
Fac pereat vitreo miles ab hoſte tuus . V.

ibid. DIC ALIAS ITERUM NAVIGET ILLYRIAS] Ut nova præda explere poſſit novam cupiditatem . ſane id jam tum vetus erat , & quotannis pecunia publica pauci quidam locupletabantur . *qua de re* Cicero pro Lege Manilia C. 22. graviſſime conqueritur . par erat ratio in ceteris provinciis . itaque Noſter iſti ſuo prætori non poterat viam diteſcendi magis compendioſam commonſtrare . BROUKH. Quum populi Romani imperium Italiæ terminis olim definiretur , civitates omnes in fœderatis quodammodo cenſebantur : ſingularum jura ſancta & integra erant . Sed poſtea , imperii finibus longiſſime propagatis , quum neque ſenatus provincias per ſe inſpicere , neque urbani magiſtratus gubernare jam poſſent , opus eſſe cœperunt prætores & proconſules qui ad eas regendas mitterentur . Ii vero omnium Romæ magiſtratuum , immo ſenatus ipſius & populi poteſtate in unum collecta , ſtatim ac provinciam ingreſſi fuerant , edicta ſua proponebant . Deinceps infinitam quamdam univerſarum pæne rerum licentiam ſibi ſumentes , quum ob loci longinquitatem id poſtulare videretur ipſa neceſſitas , iidem erant legum latores , iidem adminiſtri , judices , omnia . Specimen immoderatæ hujus poteſtatis hoc tempore videre eſt in dynaſtis quos rex Turcarum provinciis imperii ſui gubernandis præficere ſolet . VULP.

v. 11. CYNTHIA NON SEQUITUR FASCES] Non ambitioſa eſt , ſed avara . Lepide ; quia prætorem ſequitur , non ſequitur ejus faſcea & inſignia imperii , ſed ejus crumenam & pecuniam ; qua exhauſta eum ſtatim relinquet . Sequimur ea quæ cupimus . unde Cicero : *Sequi amœnitatem loci , quæſtum , laudem , voluptatem* . ductum a venatione . De faſcibus & ſecuribus dictum ad Eleg. 6. lib. 1. v. 19. Olim prætoribus duo viminei faſces : Plautus . poſt ſex ; unde Appianus in Syriacis vocat Proprætores & Proconſules ἑξαπελέκεις . PASS. *Non ſequitur faſces* . Virgilius Ecl. 2.

Torva leæna lupum ſequitur , lupus ipſe capellam ,
Florentem cytiſum ſequitur laſciva capella ,
Te Corydon , o Alexi . trahit ſua quemque voluptas .

Ita apud M. Tullium : *Sequi umbram platani , ſequi ætatem vini* : apud Tibullum , *ſequi ſomnos* . hoc eſt , delectari , exquirere ; *andar dietro* , ut nos Itali dicimus . Ceterum ſimilis querela eſt ſuaviſſimi Anacreontis , Ode 46. Γένος οὐδὲν εἰς ἔρωτα · Σοφίη , τρόπος , πατεῖται · Μόνον ἄργυρον βλέπουσιν . *Nobilitas flocci fit in amore : Sapientia & mores conculcantur : Solam pecuniam intuentur* (avaræ mulieres .) VULP.

ibid. NON CURAT HONORES] Non amat

At tu nunc nostro, Venus o, succurre dolori,
Rumpat ut assiduis membra libidinibus.
Ergo muneribus quivis mercatur amorem?
Juppiter, indigna merce puella perit.

Sem-

coli, ut Chelidon illa Verris, Siciliæ Prætoris. PASS.

ibid. NON QUÆRIT HONORES] In Groningano, & uno nostro *ita* est. quod mihi priore isto *curat* rectius videtur. BROUKH. Adsentior Broukhusio, politi judicii viro. *honores* enim hic sunt magistratus Romanorum, non cultus quo Cynthia se coli vellet si ambitiosa esset. Male igitur Passeratius. *Cynthia non quærit honores*, hoc est, in faciendo amatoru m delectu, non quærit, an ille sit prætor, vel ædilis, vel consul. Horatius ita locutus Sat. 6. lib. 1. v. 36.

Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus,
Omnes mortales curare & quærere cogit.

Tibullus pariter Panegyrico ad Messalam v. 30. de nobilitatis examine:

Nec quæris, quid quaque index sub imagine dicat. VULP.

v. 12. SEMPER AMATORUM PONDERAT ILLA SINUS] E collo pendebat veteribus crumena, ut ex Plauto intelligitur: inde in sinus demittebatur. unde sinus frequens mentio in condenda pecunia. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 10.

Quid puerum Veneris pretio prostare jubetis?
Quo pretium condat, non habet ille sinum.

[Nudus enim incedit. qui autem veste carent, carent etiam sinu, qui est in veste.] Juvenalis Sat. 1. *Quando Major avaritiæ patuit sinus?* Appulejus lib. 8. A. A. *Stipes æreas, immo vero & argenteas multis certatim offerentibus, sinu recepere patulo. Ponderat sinus*, expendit an graves sint ære. ut Virgilius Ecl. 1. *gravis ære dextra*. sic Plautus Amphitr. *Perii. pugnos ponderat*. PASS. *Sinus* hic videntur esse non laxitates inter plicas vestium, a quibus vestes ipsæ vocabantur *sinuosæ*, verum loculi, sacculi, βαλάντια vestibus adsuta, in quibus pecuniam circumferebant. Hæc hodie vocamus *tasche*, *scarselle*. Seneca Rhetor Controversia 21. de patre proditionis reo: *Unde tam graves paterni sinus? numquid ossa filii reportant?* Neque nummos tantum, sed & pugillares, & epistolæ his recondebantur. Florus Epitome Liviana lib. 26. *Litteras a senatu missas, quibus jubebatur parcere, antequam legeret, in sinu posuit, & lege agi jussit, & supplicium peregit*. Locus hic Propertii videtur ab Hesiodo sumtus ex Operibus & Diebus v. 373.

Μηδὲ γυνή σε νόον πυγοστόλος ἐξαπατάτω,
Αἱμύλα κωτίλλουσα, τεὴν διφῶσα καλιήν.
Ne vero mulier te clunes exornans decipiat,
Blande garriens, tuum inquirens sinum. V.

v. 13. AT TU NUNC NOSTRO, VENUS O, SUCCURRE DOLORI] Vel est ἀποστροφὴ, ut Eleg. 5. lib. 4.

Sed cape torquatæ, Venus o regina, columbæ
Ob meritum ante tuos guttura secta focos.

vel *o* per se stat optandi modo; ut Eleg. 1. supra: *Fruar o solus amore meo. Succurre*, subveni, opem fer. Tibullus Eleg. 3. lib. 1. *Nunc, dea, nunc succurre mihi. nostro dolori*: mihi dolenti. ut Eleg. 16. lib. 1. v. 11. levatur autem dolor ultione. PASS. Sic Franciscus Petrarcha Ode 49. *Soccorri alla mia guerra*. hoc est, mihi militanti. V.

v. 14. RUMPAT UT ASSIDUIS MEMBRA LIBIDINIBUS] Utinam prætor iste rivalis meus corpus enervet & elidat assiduo Veneris usu. Hic *membra*, τὰ αἰδοῖα, per enallagen numerorum. Tibullus Eleg. 4. lib. 1. vocat *vilia membra*. Scriptor Liberi Carminis, *seminale membrum*, & *membrum unde procreamur*. Paullo aliter Horatius Sat. 2. lib. 1. *tentigine rumpi*. Aliud omnino est in XII. Tabb. apud Festum, in *Talione*. *Si membrum rupsit, ni cum eo pacit talio esto*. PASS. *Membra* hic, si quid video, non sunt αἰδοῖα, sed totum corpus, quod venere numquam intermissa frangitur, & effœtum evadit. VULP.

v. 15. ERGO MUNERIBUS QUIVIS MERCATUR AMOREM?] Sic libri nonnulli; ut Eleg. ult. infra:

Felix, qui viles pomis mercaris amores.

Vulgo, *mercatur amicam*. τὸ *Ergo*, indignantis. ut Eleg. 7. lib. 3.

Ergo sollicitæ tu caussa, pecunia, vitæ es?

&

Semper in Oceanum mittit me quærere gemmas,
Et jubet ex ipsa tollere dona Tyro.
Atque utinam Romæ nemo esset dives, & ipse
Straminea posset dux habitare casa.

& Eleg. 22. libri ejusdem :

Ergo tam doctæ nobis periere tabellæ !

Muneribus mereari, ut Ovidius lib. 3. A. A.

Quum minime custos munere possit emi.

Noster Eleg. 20. infra :

Nec mihi muneribus nox ulla est emta beatis.

Vide quæ adnotavi ad Eleg. 2. lib. 1. v. 4. *Quivis*, etiam nauta, & miles, & liberti modo servi. ut Eleg. 6. supra :

Si cuivis nuptæ quidlibet esse licet.

hac de re vide Eleg. 5. lib. 4. v. 49. & seqq. PASS.

v. 16. JUPPITER] Exclamatio est per indignationem ; ut initio Pluti Aristophanis : ὦ Ζεῦ ϗ θεοί. quod Latinis, *Pró Juppiter*. Sæpe est admirantis. Catullus Carm. 1. *Doctis, Juppiter ! & laboriosis*. PASS.

ibid. INDIGNA MERCE PUELLA PERIT] Si legimus *indignum*, ut in veteri libro monet esse Palmerius, *perit*, agendi significatione sumetur pro deperit, sive perdite amat hominem indignum : vel *indignum* potest esse interjectio exclamantis. Sed malo : *perit merce indigna*. id est, ob indignam mercem indigne perit, quia ejus ægrotat fama vacillans, id est, perdit famam & pudorem. ut Ovidius Epist. Didûs :

Sed meriti famam, corpusque animumque pudicum
Quum male perdiderim, perdere verba leve est.

Lipsius lib. 3. Var. Lect. cap. 7. exponit : *Perit merce*, quasi deperit & valde cupit mercem & aurum. *Indigna*, improba, nefaria. ut *indignum facinus* Plauto & Terentio : vel magna, ut *indignas turres* dixit Ennius. *Merce*, muneribus, quæ quum accipit se ipsam vendit. Sic Ovidius Epist. Œnones :

Turpiter ingenuum munera corpus emunt. P.

v. 17. SEMPER IN OCEANUM MITTIT ME QUÆRERE GEMMAS, ET JUBET EX IPSA TOLLERE DONA TYRO] Gemmas & purpuram sæpe conjungunt ; ut Horatius Ode 13. lib. 4. *Nec Coæ referunt jam tibi purpuræ, Nec clari lapides tempora*. & Ode 16. lib. 2. *Otium non gemmis, neque purpura venale, nec auro*. De gemmis legi solitis in Rubro mari dictum ad Eleg. 14. lib. 1. v. 12. *Tollere dona ex ipsa Tyro*. sumere & auferre purpuram, quam sibi dem muneri. Tyros Phœniciæ urbs, conchylio & purpura nobilis. Noster Eleg. 13. lib. 3.

Et Tyros ostrinos præbet Cadmea colores.

Tibullus pariter Eleg. 3. lib. 2.

Illi selectos certent præbere colores
Africa puniceum, purpureumque Tyros. P.

Avarum animal femina, & exuviis amantium gaudens. Eadem habet Juvenalis Sat. 6. v. 148.

Interea calet, & regnat, poscitque maritum
Pastores & ovem Canusinam, ulmosque Falernas.
Quantulum in hoc? pueros omnes, ergastula tota.
Quodque domi non est, & habet vicinus, ematur.
Mense quidem brumæ, quum jam mercator Iason
Clausus, & armatis obstat casa candida nautis,
Grandia tolluntur crystallina, maxima rursus
Murrhina, deinde adamas, &c. VULP.

v. 17. MITTIT ME QUÆRERE GEMMAS] Ita Ovidius Epist. Penelopes v. 37.

Omnia namque tuo senior te quærere missus
Retulerat nato Nestor, & ille mihi.

ἑλληνισμός. VULP. Elegans locutio, ac bene illustrata NIC. Heinsio Not. ad Ovid. L. 5. Metam. v. 660. nihil huc adtulerant interpretes. BROUKH.

v. 19. ATQUE UTINAM ROMÆ NEMO ESSET DIVES, ET IPSE STRAMINEA POSSET DUX HABITARE CASA] Sic Tibullus Eleg. 4. lib. 2.

O pereat quicumque legit viridesque smaragdos,
Et niveam Tyrio murice tingit ovem.

Altius repetit originem mali. nam ex opibus luxuria, ex luxuria avaritia puellarum exsistit. præterea, si nemo dives, nemo donis puellas corrumperet. *Et ipse dux*, ἀντονομαστικῶς, ut *Juppiter ipse* Eleg. 7. supra. vide Eleg. 10. supra v. 4. *Posset habitare*, ut *posset amare* Eleg. 12. lib. 1. pro, amaret. *habitare*, cum sexto casu, ut Ele-

Numquam venales essent ad munus amicæ,
Atque una fieret cana puella domo.
Non quia septenas noctes sejuncta cubaris,
Candida tam fœdo brachia fusa viro:
Non quia peccaris testor te: sed quia vulgo
Formosis levitas semper amica fuit.

Bar-

gia 12. supra : *habitare medullis*. *Straminea casa*, tecta stramina, vel culmo. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 9.

Roma, nisi immensum vires promôsset in orbem,
Stramineis esset nunc quoque tecta casis.

Et lib. 3. Fast. ex persona Martis :

Quæ fuerit nostri si quæris regia nati,
Aspice de canna, straminibusque domum.

Scaliger legit, *Graminea*, ut cæspititiam casam significet ; de qua Virgilius Ecl. 1.

Pauperis & tuguri congestum cæspite culmen.

Alludit ad casam Romuli. Ovidius 1. Fast.

Dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum.

De ea casa Livius lib. 5. Dionysius Halicarnass. lib. 1. & P. Victor in 9. regione Urbis, PASS. Vitruvius lib. 2. cap. 1. *Item in Capitolio commonefacere potest & significare mores vetustatis Romuli casa in arce sacrorum, stramentis tecta*. BROUKH. *Ipse dux*. ipse princeps, qui nunc præsidet imperio Romano. Horatius quoque Ode 5. lib. 4. *ducem* appellat Augustum :

Lucem redde tuæ, dux bone, patriæ.

Optat Propertius, mutatis sæculi moribus, Cæsarem ipsum delectari vetusta simplicitate, ita ut vel stramineam casam æquo animo incolere possit, urbis conditorem imitatus. VULP.

v. 21. NUMQUAM VENALES ESSENT AD MUNUS AMICÆ] Hoc est quod dixit Eleg. 2. lib. 1. *se vendere muneribus*. *Numquam*, pro non : Donatus. Sed alii libri : *Non tam*. *Venales ad munus* dictum ut Eleg. 2. lib. 4. *Sobrius ad lites*. & Eleg. 10. supra : *Fortes ad prælia turmas*. & Eleg. 13. *Ad verum conscia terra sapit*. & Eleg. 22. infra :

Numquam ad formosas, invide, cœcus ero.

Vide Cantarum lib. 3. Nov. Lect. PASS. *Amicæ*, ἑταίρας. VULP.

v. 22. ATQUE UNA FIERET CANA PUELLA DOMO] *Atque*, non est hic connectentis : sed pro, *atqui*, vel, *sed* ; ut sæpe apud Sallustium. *Una*, pro eâdem, ut Elegia 24. infra v. 24. & Eleg. 26. v. 31. & 32. Plautus Milite Glor. *Ex uno puteo aqua aquæ non similior*. *fieret cana*, sanesceret. ut Eleg. 9. supra : *facta remansit anus*. Tibullus Eleg. 6. lib. 1.

Nos, Delia, amoris
Exemplum cana simus uterque coma.

& Simonides : Φίλη δὲ συμφιλεῦντι γηράσκει πόσει Τεκοῦσα καλόν. PASS. Alter Colbertinus, & Borrichianus, *Atque uno fieret cana puella viro*. ubi fortasse malles, *uno toro*. Has voculas, *viro* & *toro*, in veteribus membranis sæpissime confundi, prolatis in hanc rem plurimis exemplis, sagaciter ostendit ille veterum poetarum felix restitutor Nic. Heinsius in Nasonianis. BROUKH.

v. 23. NON QUIA SEPTENAS NOCTES SEJUNCTA CUBARIS] Votivam se fingebat Cynthia, & operatam Isidi, eaque specie jam septem noctes secubuerat, ut superessa tres tantum noctes viderentur : nam denariæ erant illæ ceremoniæ, ut dicimus ad Eleg. 33. infra. hic tamen cum aliquo concubuisse ait. PASS. *Sejuncta*, non Isidi operata, & a viri concubitu abstinens, vel abstinera te simulans ; ut Passeratius minus recta : verum a me sejuncta, & alium quempiam, fœdum hominem, puta prætorem istum, circumplexa. VULP.

v. 24. CANDIDA TAM FŒDO BRACHIA FUSA VIRO] Circumfusa & amplectens tam fœdum virum. Ovidius lib. 4. Metam. de complexu Salmacidis :

Et nunc hâc juveni, nunc circumfunditur illâ.

Est autem hic & aphæresis & synecdoche poetica. ut Horatius *Stratus membra*. PASS.

v. 25. NON QUIA PECCARIS TESTOR TE] Appello, inclamo, increpo. Ut dictum ad

Eleg.

Barbarus excuſſis agitat veſtigia lumbis,
Et ſubito felix nunc mea regna tenet.

Ad-

Eleg. 1. ſupra v. 37. Vide Lipſium lib. 3. Var. Lect. cap. 7. qui ait uſurpatum pro, *deteſtor*. *Peccoris*, ut Eleg. 6. ſupra v. 40. *Peccare pudet*. PASS. Non tibi potiſſimum ſuccenſeo, quod ruperis obligatam fidem, quod mihi neſcio quem antepoſueris: ſed univerſo generi formoſarum iraſcor, quæ uno amatore parum contentæ, volunt ſe a pluribus coli & locupletari. *Vulgo*, paſſim puellis omnibus. Terentius Heautont. 5, 2, 4.

Quid ego tantum ſceleris admiſi miſer? vulgo faciunt. VULP.

v. 26. FORMOSIS LEVITAS SEMPER AMICA FUIT] Vide notata ad Elegiam 5. ſupra v. 28. & Eleg. 15. lib. 1. v. 1. Ovidius lib. 2. Faſt.

Fœdera ſervaſſet, ſi non formoſa fuiſſet. P.

v. 27. BARBARUS] Non civis & notus, quod minus dolendum eſſet, ſed barbarus neſcio quis, & gente & moribus immanis. Sic Eleg. 5. lib. 4. lena ſuadet puellæ, ne eos aſpernetur *quorum titulus per barbara colla pependit*. PASS. Mea quidem ſententia, *barbarus* hic vocatur non homo peregrinus, incultæ nationis & efferæ: notat enim poeta Romanum prætorem: ſed illitteratus, inelegans, a manſuetioribus Muſis alienus. Ita Eleg. 5. ſupra:

Ruſticus hæc aliquis tam turpia prœlia quærat,
Cujus non hederæ circuïere caput.

Virgilius pariter Ecl. 1. v. 71.

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has ſegetes?

milites enim plerumque ἄμουσοι & ἀγράμματοι. VULP.

ibid. EXCUSSIS AGITAT VESTIGIA LUMBIS] *Agitat veſtigia*, dictum obſcœne, pro, movet pedes in Veneris certamine. Sic Plauto in Caſina, *Conturbare pedes*. & Ciceroni Epiſt. 1. lib. 2. ad Attic. *Tollere pedes*. *Veſtigia*, pro pedibus, ut Eleg. 3. lib. 1. v. 9. *Excuſſis*, quatiendo vibratis; vel exhauſtis Venere. Appulejus lib. 2. A. A. *Lumbis ſenſim vibrantibus mobilem ſpinam quatiens*. *Lumbi*, ψοαί, ἰξύς, ὀσφύς. vulgo, *le rable*. Iſidorus lib. 11. Orig. *Lumbi, ob libidinis laſciviam dicti; quia in viris cauſſa corporea voluptatis in lumbis eſt: ut in umbilico mulieribus*. Feſtus: *Lumbago, vitium & debilitas lumborum*. PASS. *Agitare veſtigia*, Paſſeratio eſt, movere pedes in Veneris certamine; Turnebo, magnifice incedere, L. 17. Adv. C. 11. nec non Adr. Behotio L. 2. Apoph. C. 19. qui & Turnebum defendit contra non neminem aliter ſentientem. iſte non nemo Caſpar Schoppius eſt, L. 3. Veriſ. C. 16. videndus, uti & ſacerrimo Commentario in Priap. Carm. 18. Ego expono: Barbarus iſte, me excluſo, agitat & calcat mea veſtigia, quæ in tuo lecto reſtant, inque iis volutat ſe ſe interea dum lumbos excutit, & clunem movet. τὸ *veſtigia* explicatum eſt ſupra ad Eleg. 7. v. 95. *agitare* hic valet, premere, calcare: nec tamen ſine metaphora paullo liberiore. τὸ *mea* tam ad *veſtigia* referri debet, quam ad *regna*, quod proxime ſequitur. nam ita ſolent poetæ. Virgilius L. 11. Æneid.

Unam ex virginibus ſociis, ſacraque caterva
Compellabat, & has triſtis Latonia voces
Ore dabat.

Signanter ibi Donatus: *Triſtis poſitum eſt, & remanſiſſe putatur incertum, an triſtis Latonia virgo voces daret, an triſtes voces. Dictum hoc melius adverti non potuit, niſi morem poetæ retinentes, quem ubique ſervavit, bis intelligamus triſtis: ut, qualis anima fuit, talia habuiſſe videatur & verba. proinde, triſtis Latonia voces triſtes emittebat*. BROUKH.

v. 28. ET SUBITO FELIX NUNC MEA REGNA TENET] Repente, & quaſi ſomnio beatus. Poteſt eſſe ὑφεν, *ſubito-felix*, ut *ſubito-ſanus*. & τὸ *ſubito-felix* invidioſe: nam νεοπλούτους, ſive repente divites, ut Auſonius loquitur, invidiæ obnoxios ſcribunt Ariſtoteles 2. Rhet. & Plutarchus Sympoſ. *Tenet mea regna*, poſſidet lectum amicæ, in quo paullo ante regnabam. nam regnum noſtrum vocamus ubi dominamur, quamvis exiguum ſit. ut Eleg. 7. lib. 4.

Longa mea in libris regna fuere tuis.

Ibidem:

Et quererer lecti frigida regna mei.

Et Eleg. 2. libri ejuſdem:

Unus erat fratrum maxima regna focus.

Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Tunc

Adſpice quid donis Eriphyla invenit amaris,
Arſerit & quantis nupta Creuſa malis.
Nullane ſedabit noſtros injuria fletus?
An dolor hic vitiis neſcit abeſſe ſuis?
Tot jam abiere dies, quum me nec cura theatri,
Nec tetigit campi, nec mea Muſa juvat.

Ah

Tunc flebis, quum me vinctum puer alter habebis,
Et geret in gremio regna ſuperba tuo.

Cicero 1. de Orat. *Id, niſi hic in tuo regno eſſemus, non tuliſſem*, pro, apud te, & in villa tua. & lib. 14. Epiſt. ad Atticum: *Puteolana & Cumana regna*, id eſt, villulas, Italiæ ocellos. & Epiſt. 1. lib. 1. ad Atticum: *Regnum judiciale Aquili*. P. Auſonius quoque eleganter admodum:

Salve herediolum, majorum regna meorum,
Quod proavus, quod avus, quod pater incoluit. VULP.

v. 29. ADSPICE QUID DONIS ERIPHYLA INVENIT AMARIS] Præſentis exempli τὸ *Adſpice*, ut & infra hic: *Cerne ducem*. Vide Eleg. 2. lib. 1. v. 9. *Invenit*, ſibi comparavit, & arceſſivit. Virgilius 2. Æneid. *Ipſe manu mortem inveniam*. & Plautus Amphitr. *Veni huc, invenies infortunium*. *Donis*, monili a Polynice accepto. vide fabulam apud Servium ad illud 6. Æneid. *Mæſtamque Eriphylen*, &c. Homerum Odyſſeæ 11. Apollodorum lib. 3. Hyginum Fab. 73. Ciceronem 6. In Verrem, & 1. de Inventione, Statium 2. Thebaid. & Pauſaniam multis locis. Tangit Ovidius 3. A. A. & lib. 1. Amor. Eleg. 10. Horatius Ode 16. lib. 3. Interpres autem Juvenalis novam de Eriphyla fabulam narrat. *Amaris*, funeſtis, exitioſis. Eleg. 10. lib. 4. *Si Junonis ſacrum faceretis amara*. PASS. *Eriphyla*, terminatione Latina, ut *Dirce* Plauto, pro, *Dirce*. Fabulam dabit noſter Index. *Amaris*, quæ primum dulcia fuerunt avaræ mulieri, deinde ob triſtem exitum facta ſunt amara. Sic Eleg. 12. lib. 3.

Illa quidem interea fama tabeſcet inani,
Hæc tua ne virtus fiet amara tibi.

quod attulit Brouhkuſius. VULP.

v. 30. ARSERIT ET QUANTIS NUPTA CREUSA MALIS] Vel quantis doloribus, vel quanta & ſua & ſuorum pernicie. Medea apud Euripidem: κακῶς ὄλωλε, id eſt, male periit (Creuſa) & quiſquis attigerit ea dona. Apollodorus lib. 1. Diodorus Siculus, Hyginus Fab. 25. Plinius lib. 2. cap. 105. Appulejus lib. 1. A. A. Sed Apollodoro & Diodoro vocatur *Glauca*. Ovidius 1. A. A.

Cui non defleta eſt Ephyrea flamma Creuſa?

Idem in Ibin:

Ut nova Phaſiaca compreſſa eſt nupta corona;
Utque pater nuptæ, cumque parente domus.

Vide & Horatium Epodo 5. PASS. Κρέουσα, eſt *regnatrix*, quemadmodum Κρέων pater ejus, *regnator*. Vide Indicem noſtrum. V.

v. 31. NULLANE SEDABIT NOSTROS INJURIA FLETUS?] Sic fere Eleg. 16. lib. 1.

Nullane finis erit noſtro conceſſa dolori?

Sedabit fletus, compeſcet ocellos. lacrimis & curis finem imponet. Euripides in Medea: στυγίους λύπας μούσῃ καὶ ᾠδαῖς παύειν. triſtes ægritudines Muſâ & cantu ſedare, & ceſſatum ducere. Tangit autem Græcorum proverbium: Ὕβρις ἔρωτος λύσις. *Injuria ſolvit amorem*. Noſter Eleg. 23. lib. 3.

Flebo ego diſcedens: ſed fletum injuria vincit.

At Eleg. 24. infra ait: *Numquam me injuria mutat*. PASS.

ibid. NULLANE S. N. INJURIA F.] Numquamne contemtus a domina, diſcam eam viciſſim contemnere? VULP.

v. 32. AN DOLOR HIC VITIIS NESCIT ABESSE SUIS?] *Dolor*, id eſt, ex accepta injuria vulnus animi. ut Eleg. 18. lib. 1. v. 13. & Eleg. 5. ſupra v. 10. Ovidius 2. A. A.

Perfer & obdura: dolor hic tibi proderit olim.

Vitiis neſcit abeſſe, perpetuo hæret, five ſeparari non poteſt. *vitia* vocat curas & amorem, cujus comites miſeriæ. Vide adnotata ad illud Eleg. 1. ſupra: *Hoc ſi quis vitium poterit mihi demere*. PASS.

v. 33. TOT JAM ABIERE DIES, QUUM ME NEC CURA THEATRI, NEC TETIGIT CAM-

Ah pudeat certe, pudeat: nisi forte, quod ajunt,
Turpis amor surdis auribus esse solet.
Cerne ducem, modo qui fremitu complevit inani
Actia damnatis æquora militibus.

Hunc

CAMPI, NEC MEA MUSA JUVAT] Sic Elegia 20. infra:

Septima jam plenæ deducitur orbita Lunæ,
Quum de me & de te compita nulla tacent.

id est, ex quo. Cicero Cæsari lib. 9. ad Attic. Epist. 13. *Aliquot sunt anni quum vos duos delegi. Abiere dies*, effluxere. Catullus in Epithalamio Manlii: *Sed moraris, abit dies.* Terentius Eunucho: *Dum hæc dicit, abit hora. Cura theatri*, studium spectandi ludos, venationes, munera. *theatri* autem, pro amphitheatri. Quid & unde theatrum, docet Marcilius in Martialis librum De Spectaculis. vide & Eleg. 22. infra v. 4. *Nec campi cura me tetigit;* non me movit, aut cepit. Virgilius 12. Æneid. *Miseri te si qua parentis Tangere cura potest. Campi* Martii, sive Martialis in Cœlio monte, de quo Festus in *Martialis*. Campi autem curam abjiciebant, qui amore fracti erant. qua de re Horatius Ode 8. lib. 1. *Nec mea Musa juvat*. Ingentis perturbationis indicium, quum sua poetam Musa non juvat. Sic Catullus ad Manlium:

Nec potis est dulces Musarum expromere fœtus
Mens animi: tantis fluctuat ipsa malis.

Alii libri habent: *Mensa*. [perperam.] P.

v. 34. CAMPI] Subaudi *Martii*, ubi juventus Romana honestis exercitationibus operam dabat. Vegetius lib. 1. de R. M. cap. 10. hujus campi situm describit: *Romani campum Martium Tiberi vicinum delegerunt, in quo juventus post exercitium armorum, sudorem, pulveremque dilueret; ac lassitudinem, cursusque laborem natando deponeret.* Legendus & Strabo lib. 5. Geographiæ. VULP.

v. 35. AH PUDEAT CERTE, PUDEAT] Pudore ab hac turpitudine revocari debeam. ut Eleg. 24. infra: *Sed me Fallaci dominæ jam pudet esse jocum.* & Eleg. 23. lib. 3.

Risus eram positis inter convivia mensis. P.

ibid. NISI FORTE, QUOD AJUNT, TURPIS AMOR SURDIS AURIBUS ESSE SOLET] Bene utitur exceptione; nam, ut ait Plautus in Milite Glor. *Novo modo tu homo amas; siquidem te quicquam quod faxis pudet.* Allegorica parœmia, & similis illi proverbio: *Suum cuique pulchrum*. Sententia est: Amo quidem turpiter, sed quum turpitudo ea, & amicæ crimen mihi narratur, non audio, nec credo. ut Eleg. 20. infra:

De te quodcumque ad surdas mihi dicitur aures.

Afranius Vopisco apud Charisium lib. 2. in *Surde: Amantes, quibus animi non sunt integri, surde audiunt.* PASS.

ibid. QUOD AJUNT] Similiter infra Elegia 21.

Uxorem quondam magni Minois, ut ajunt,
Corrupit torvi candida forma bovis.

Vidi quibus hæc locutio plebejum saperet. tamen aliter visum antiquis. Lucretius L. 3.

Illud enim falsa fertur ratione, quod ajunt,
Immortalem animam mutato corpore flecti.

Donatus in Phormionem Terentii a, 3. AJUNT *dicimus, quum proverbium significamus*. atque ita Tullius, Euripidis sibi aptans effatum, Philipp. 12. C. 2. *Cujusvis hominis est errare: nullius, nisi insipientis, in errore perseverare. posteriores enim cogitationes, ut ajunt, sapientiores solent esse.* BROUKH.

v. 36. TURPIS AMOR SURDIS AURIBUS ESSE SOLET] Neque mala inimicorum verba, neque amicorum audit vera consilia: immo ipsos monentes odio habet. Horatius Epodo 11. *Ex quo (amore) expedire non amicorum queant Libera consilia, Nec contumeliæ graves.* Menander quoque in Patruelibus apud Stobæum cap. 64. Φύσει γὰρ ἐσ' ἔρως τῶ νυθετῶντος κωφὸν. *Ingenio suo amor ad consilia surdus.* VULP.

v. 37. CERNE DUCEM, MODO QUI FREMITU COMPLEVIT INANI ACTIA DAMNATIS ÆQUORA MILITIBUS] Antea dixit *Adspice*, nunc *Cerne*. id est exemplo tibi sit. *Ducem*, ut Eleg. 10. supra v. 4. *Fremitu inani:* vano terrore, vanisque minis. Est enim minantium & indignantium fremitus. De his minis Noster Eleg. 11. lib. 3. & Eleg. 6. lib. 4. & Horatius Ode 37. lib. 1. & Virgilius 8. Æneid. *Actia æquora*, ut Elegia 15. supra:

Nec

Hunc infamis amor versis dare terga carinis
 Jussit, & extremo quærere in orbe fugam.
Cæsaris hæc virtus, & gloria Cæsaris hæc est:
 Illa qua vicit, condidit arma manu.

Sed

Nec nostra Actiacum verteret ossa mare.
Damnatis militibus. An sceleratis & sontibus, ut Eleg. 7. lib. 4.
Dicet damnatas ignea testa manus?
an destinatis jam morti, ut Eleg. 6. lib. 4.
Altera classis erat Teucro damnata Quirino?
An quia Antonius cum suis judicatus hostis a senatu? an quia etiam damnati Gabinii militibus usus est? PASS. Quos Senatus cum duce Antonio hostes judicaverat, Noster modeste vocat milites: Cicero vero & Plancus & Cassius *latrones* appellant *fervintes*, *perditos*, *fœdissimos*, *importunissimos*, *parricidas*, &c. ipsumque illud bellum pro *latrocinio* habent. Vide L. 10. ad famil. Ep. 5. 6. 14. 15. 23. 24. 27. L. 12. Ep. 12. 25. Floro quoque *fax & turbo sæculi* Antonius dicitur, & *scopulus*, *& nodus*, *& mora publicæ securitatis*, L. 4. capp. 3. 9. BROUKH.

v. 39. HUNC INFAMIS AMOR VERSIS DARE TERGA CARINIS JUSSIT, ET EXTREMO QUÆRERE IN ORBE FUGAM] *Infamis amor*, sive, ut paullo ante, *turpis*, quia reginam meretricem amabat Antonius. Noster Elegia 9. lib. 3. *Incesti meretrix regina Canopi*. Ibid. *Conjugii obsceni pretium*. *Jussit*, coegit; ut Eleg. 2. lib. 1. v. 13. *Dare terga*: *occipitium & armos ostendere*; ut Varro apud Nonium. *versis carinis*, proris ab hoste in Ægyptum aversis. ut Eleg. 11. lib. 3.
Leucadius versas acies memorabit Apollo.
Vel pro eversis, & demersis. hoc autem posterius malo. Horatius Ode 37. lib. 1. *Sed minuit furorem Vix una sospes navis ab ignibus*. Notum ex Plutarcho ut fugientem Cleopatram secutus sit Antonius. Sic *versa regna* Eleg. ult. pro, eversa. & Virgilius 1. Æneid. *Tyrias olim quæ verteret arces*. id est, everteret. *Externo orbe*, peregrina barbaraque regione, scilicet Ægypto: unde *Barbara Memphis*. *Orbis* autem etiam de parte orbis dicitur. ut Ovidius 3. Fast. *Eoo dives ab orbe redit*. Apud eumdem occurrit, *diversus orbis*, *alter orbis*, *meus orbis Crete*; apud Virgilium, *uterque orbis Europæ atque Asiæ*; apud Albinovanum, *orbis novus*, *orbis ignotus*; apud Senecam & Plinium denique, *noster orbis*, *notus nobis orbis*. At vetus liber, *extremo*; quod valde placet. ut apud Virgilium 2. Georg. *Extremi sinus orbis*. de India, & Serica regione. Ovidius lib. 2. Metam.
Nilus in extremum fugit perterritus orbem.
Atqui Nili recessus quærebant victi Antonius & Cleopatra. Virgilius 8. Æneid. Horatius Ode 37. lib. 1. Plutarchus in Antonio, & Noster ipse Eleg. 6. lib. 4. & Elegia 11. lib. 3. PASS. *Extremum orbem*, vocat Ægyptum Ovidius; & *ultimum* etiam, Epist. Hypermnestræ; *ultimas terras* Cornelius Nepos in Attico. *Quærere fugam*, pulcerrima locutio. est hoc ultimæ desperationis, ubi fugitur sine consilio, tantum ut fugiatur. Noster suo debet Ciceroni, Philipp. 5. C. 16. *Nondum ullos duces habebamus, non copias: nullum erat consilium publicum, nulla libertas: dandæ cervices erant crudelitati nefariæ: fugam quærebamus omnes, quæ ipsa exitum non habebat*. Virgilius 2. Georg. v. 123.
Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi sinus orbis.
Hispaniam Calpurnius *extremum orbem* vocat Ecloga 4. v. 4. 3. 49. BROUKH.

v. 41. CÆSARIS HÆC VIRTUS, ET GLORIA CÆSARIS HÆC EST] Virtus ad bellum: gloria & adorea ad pacem & clementiam in victos; de qua Cicero pro Marcello. Virgilius 6. Æneid.
Parcere subjectis, & debellare superbos.
Horatius Carmine sæculari:
Quique vos bubus veneratur albis
Clarus Anchisæ, Venerisque sanguis,
Imperet bellante prior, jacentem
Lenis in hostem. PASS.

ibid. CÆSARIS HÆC VIRTUS, ET G. C. H. E.] Versus elegantissimæ simplicitatis, quales non semel occurrunt apud Propertium. VULP.

v. 42. ILLA QUA VICIT, CONDIDIT ARMA MANU] Eadem manu & bellum & pacem confecit. elegans διλογία, ut Eleg. 1. supra:

-- *Qua*

Sed quascumque tibi vestes, quoscumque zmaragdos,
Quosve dedit flavo lumine chrysolithos:
Hæc videam rapidas in vanum ferre procellas.
Quæ tibi terra, velim, quæ tibi fiat aqua.

Non

-- Quo cuspide vulnus
Senserat, hoc ipso cuspide fessit opem.

Lucanus Panegyr. ad Pisonem:

Ignea quin etiam superûm pater arma recondit,
Et Ganymedea repetens convivia mensa
Pocula sumit eâ, qua gessit fulmina, dextra.

Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 2.

Vincula fert illa, qua tulit arma, manu.

Condidit arma. ut Horatius in Carm. sæculari: *Condito mitis placidusque telo.* Condit arma, qui recondit, & iis uti non vult, ut pacis tempore fieri solet. Tibullus lib. 1. Eleg. 10.

Pace bidens vomerque nitent: at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.

De Jano Quirini clauso ab Augusto post Actiacam victoriam, pace terra marique parta, vide Horatium Ode ult. lib. 4. Suetonium in Octav. cap. 22. [Dionem Cassium lib. 53. & 54.] Ovidius 1. Fast. sub ipsum finem:

Gratia diis domuique tuæ; religata catenis
Jampridem vestra sub pede bella jacent.

ARMA MANU. ea syllabarum complosione MA MA, delectari videntur poetæ. ut Eleg. 13. lib. 1. v. 16. Eleg. 1. hujus libri v. 18. item Tibullus Eleg. 1. lib. 1. *Facili grandia poma manu.* & alia id genus. PASS. De quibus copiose nos ad Tibullum Eleg. 1. lib. 1. v. 5. VULP.

v. 42. ILLA QUA VICIT, C. A. M.] Simillime Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 2.

Qua vicit, victos protegit ille manu. VULP.

v. 43. SED QUASCUMQUE TIBI VESTES, QUOSCUMQUE ZMARAGDOS] *Sed*, pro At, vel Igitur. ut Eleg. 6. v. 35. & est imprecantis hoc loco. *Quascumque vestes*, Coas nempe aut Tyrias, ut Eleg. 1. supra. *Smaragdos.* notus & vulgo lapillus. Smaragdis tertia tribuitur auctoritas a Plinio lib. 37. cap. 5. *Virides smaragdos* dixit Tibullus Elegia 4. lib. 2. PASS. Veteres semper *Zmaragdos* scribebant: neque umquam aliter in vocabulis Græcæ originis, quæ a duabus consonis *sm* incipiebant. lapis Romanus apud Gruterum DLXXVI. 5.

D M
ZMARAGDI
L. DOMITIA. POLLIN
CVBICVLAR
EX. COLLEG
CVRANTE. NICOSTRATO
AMICO
B M

non sunt negligenda quæ super hac ratione scribendi notarunt viri doctissimi Jo. Pierius Valerianus in L. 7. Æneid. Virg. v. 648. Achilles Statius in Tibull. L. 2. Eleg. 4. Cl. Dausquius Orthogr. Volum. 2. tract. 21. Is. Vossius Obs. ad Catull. p. 321. Marq. Gudius in Phædr. L. 3. fab. 18. Lambinus in Lucret. 2. 1122. p. 548. v. Turnebus XVI. Adv. 2. Tibullus 1, 10, 12. Valerius Cato Dir. v. 36. 46. BROUKH.

v. 44. QUOSVE DEDIT FLAVO LUMINE CHRYSOLITHOS] Alludit ad etymon. Plinius lib. 37. H. N. cap. 9. *Chrysolithos Æthiopia mittit, aureo colore translucentes.* Idem cap. 11. *Color appellavit chrysolithos aureos.* PASS.

v. 45. HÆC VIDEAM RAPIDAS IN VANUM FERRE PROCELLAS] Ut oculos scilicet satiem ultione. *rapidas procellas*, & celeres & cum impetu omnia verrentes. Virgilius 1. Æneid. de ventis:

--- Maria, ac terras, cælumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.

ita & *rapidi fluvii*. *In vanum.* an in nihilum? an in auras & aërem, id est inane, ubi vana hæc fiant, id est, evanescant? alludit ad proverbium: *ventis tradere.* num legendum, *in ventum?* Sic Virgilius Æneid. XI. *Inque notos vocem vertêre procellæ.* Dictum *in vanum*, ut *in cassum*, & Eleg. 26. infra:

Velaque in incertum frigidus Auster agat.

& *in plenum* Eleg. 5. lib. 3. v. 28. Seneca de Tranquillit. Animi cap. 9. *Ut tela in vanum cadant.* Statius Papinius: *Peritura movere Auxilia, & mæstos in vanum ferre labores.* PASS. *In vanum.* subaudi, aëra, qui

Non semper placidus perjuros ridet amantes
Juppiter, & surda negligit aure preces.

Vi-

qui facile ab obviis corporibus rumpitur. Hinc *vana* larvæ, *vana* somnia; nempe levia, tenuia. Horatius Ode 23. lib. 3. *An vitiis carentem Ludit imago Vana, quæ portâ fugiens eburnâ Somnium ducit?* Egregie vero Dantes Aligherius Inferni Cantu 6.

Noi passavam su per l' ombre, ch' adona
La greve pioggia, e ponevam le piante
Sopra lor vanità, che par persona. VULP.

v. 46. QUÆ TIBI TERRA, VELIM, QUÆ TIBI FIAT AQUA] Id est, hæc atque illa munera. *Quæ* gemma, *fiat aqua: quæ* aurum & purpura, fiat *terra*. Scaliger legendum putat, *Quo*. *Fiat terra*, ut Eleg. 9. supra:

Ille vir in medio fiat amore lapis.

Plautus Rudente 4, 7. *Id omne ut fiat cinis*. Parissimum huic illud Ovidii lib. 3. Amor. Eleg. 7.

O si neglecti quisquam deus ultor amoris
Tam male quæsitas pulvere mutet opes!

& verba Menelai Græcorum ignaviam increpantis, quod nullus eorum auderet congredi cum Hectore ad singulare certamen provocante, Iliados 11. v. 99.

Ἀλλ᾽ ὑμεῖς μὲν πάντες, ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.
Sed vos quidem omnes aqua & terra fiatis.
(moriamini.)

quæ Plutarchus in Homeri vita, & Alexander Aphrodisiensis referunt ad naturam rerum, omnia scilicet ex aqua & terra oriri, & in eadem resolvi. PASS. Omnes libri habent *Quæ*, bis repetitum. tamen *Qua* videtur convenientius. *velim* quoque est in omnibus, nullo dissentiente. quare vix admiserim Scaligeri *precor*. Tibullus L. 1. Eleg. 10. [9.]

Illa velim rapida Volcanus carmina flamma
Torreat, & liquida deleat amnis aqua.

quæ irrita vovebant antiqui, in cinerem, pulverem, aquam verti optabant. vide Ach. Statium, & Jan. Gebhardum, ad laudatam Tibulli Elegiam: & Passeratium hoc loco. Homeri verba, Passeratio adducta, interpretatur Macrobius L. 1. in Somnium Scipionis C. 6. p. 23. BROUKH.

ibid. QUÆ TIBI TERRA, VELIM, QUÆ TIBI FIAT AQUA] Non dubito, hanc genuinam hujus loci esse lectionem. Sed quid significet τὸ *quæ*, absit dicto invidia, nullus interpretum satis perspexit. *Quæ* positum pro *aliqua*. nempe aliqua earum gemmarum aut vestium quas muneri tibi misit rivalis meus, aqua fiat; aliqua, terra. Horatius Epist. ad Pisones v. 361. loco plane singulari, sed minus intellecto:

Ut pictura, poesis erit: quæ, si propius stes,
Te capiet magis, & quædam, si longius abstes.

Quæ, pro quædam. hoc autem postea subjungitur. Virgilius pariter 6. Æneid. v. 532.

Pelagine venis erroribus actus?
An monitu divûm? an quæ te fortuna fatigat?

Item Cicero lib. 2. de Nat. Deor. *Aut vero alia quæ natura mentis & rationis expers hæc efficere potuit?* & pro T. Annio Milone: *Num quæ rogatio lata? num quæ nova quæstio decreta est?* Adde Terentium Andria 1, 3, 9. *Quo jure, quaque injuria præcipitem me in pistrinum dabit*. & Livium lib. 2. Hist. *Quod ubi cui militi inciderat, collegam appellabat*. nempe *alicui*. Joannes Boccatius Latinam hanc elegantiam imitatus videtur (*nella Novella d' Ambrogiuolo*): *E donolle che in gioje, e che in vasellamento d' oro e d' ariento, e che in danari, quello che valse* &c. Quod pertinet ad sententiam, terram & aquam fieri, nihil aliud est quam funditus interire, φθείρεσθαι εἰς ὕλην πρώτην. Fuerunt enim qui docerent, terram & aquam esse rerum omnium principia, in quæ rursus omnia dissolvantur. Sex. Empiricus in Hypotyp. Pyrrhoniis duos affert versus huc pertinentes:

Ἐκ γαίης γὰρ πάντα, καὶ εἰς γῆν πάντα τελευτᾷ.
Ex terra omnia sunt, in terramque omnia tendunt.

Πάντες γὰρ γαίης τε, καὶ ὕδατος ἐκγενόμεσθα.
Scilicet ex terra, atque unda progignimur omnes.

Ceterum excellentiore significatione Salvianus lib. 1. adversus Avaritiam cap. 8. *Nos facere ex divitiis aquas cupimus ignem extinguentes*. VULP.

v. 47. NON SEMPER PLACIDUS PERJUROS RIDET AMANTES JUPPITER] Sic Horatius Ode 9. lib. 2. *Non semper imbres nubibus hispidos Manant in agros*. *placidus*, facilis, lenis. *Ridet perjuros amantes*, ludum jocumque

Vidiſtin' toto ſonitus percurrere cælo?
Fulminaque ætherea deſiluiſſe domo?

Non

que putat amantium perjuria, neque ullo ſupplicio digna. Ovidius lib. 1. A.A. Propertium ſodalem ſuum imitatur:

Juppiter ex alto perjuria videt amantum,
Et jubet Æolios irrita ferre notos.

Prior vero Tibullus Eleg. 4. lib. 1.

Nec jurare time. Veneris perjuria venti
Irrita per terras, & freta ſumma ferunt.
Gratia magna Jovi. vetuit pater ipſe valere,
Juraſſet cupide quidquid ineptus amor.

Hac de re vide Platonem in Convivio, & Horatium Ode 8. lib. 2. PASS.

v. 48. ET SURDA NEGLIGIT AURE PRECES] Sic Eleg. 23. lib. 3.

Exciderint ſurdo tot mea vota Jovi.

nam ſurdus, qui audire non vult. *negligit preces*, aſpernatur, repudiat. & *preces*, quia ſunt Jovis filiæ Homero. *Preces* autem ambigue, vel imprecationes additas jurijurando, ut *Si fallo*, hoc mihi aut illud eveniat: vel querelas illorum qui perjuriis amicarum decepti ultionem expoſcunt. Sic Horatius dixit Epodo 5. *Miſit Thyeſteos preces.* & Virgilius 4. Æneid. *Noſtras audite preces.* PASS.

v. 49. VIDISTIN' TOTO SONITUS PERCURRERE CÆLO?] κατάχρησις, pro audiſti, ut Eleg. 6. ſupra v. 16. Sic Virgilius 4. Æneid. *Verba vocantis Viſa viri.* Attius Chryſippo apud Nonium:

Vox illius certe eſt, idem ennnes cernimus.

Sonitus de tonitru. Ennius: *Qui templa cæli ſumma ſonitu concutit.* Juppiter ſcilicet. [Hæc verba Ennii uſurpat adoleſcens Terentianus Eunucho 3, 5.] Seneca in Quæſt. Nat. *Tonitrua nihil aliud quam icti aëris ſonitus. Percurrere cælo.* ut Lucretius lib. 5. *Magnum percurrunt murmura cælum.* Virgilius 8. Æneid.

Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.
PASS.

Vidiſtis eſt in libris; lapſu prono. loquitur autem poeta ad ſolam Cynthiam. inde ſupra *adſpice*, *cerne*. pro *toto* reponit Nic. Heinſius *mote*; & *procurrere* ubi nunc eſt *percurrere*. Not. ad Ovid. L. 3. Faſt. v. 347. nihil verius puto. ſane *procurrere* verbum eſt militare, & plus aliquid notat quam *percurrere*. tonitrua autem ipſa ſunt tela armati Jovis. Cæſar quum alibi, tum L. 3. Bel. Civ. C. 91. *Hæc cum* (Craſtinus) *dixiſſet; primus ex dextro cornu procurrit.* initium eſt ibi decretoriæ illius pugnæ Pharſalicæ. Virgilius L. 12. Æn. *Agmina contra Procurrunt Laurentum.* vide & Juſtinum L. 9. C. 8. hæc adſtruunt Heinſii lectionem. tamen vulgatam tueri videntur Lucretius L. 5. & Virgilius L. 8. Æn. a Paſſeratio allati. iſtud autem Noſtri *ſonitus* haudquaquam eſt mutandum in *tonitrus*, quod volebat aliquando amicus quidam meus, vir doctus ac diſertus. nihil mutant membranæ; & amabant eam vocem Romani ſcriptores. Poſt Ennium ac Terentium Virgilius L. 6. Æneid.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Jovis & ſonitus imitatur Olympi.

atque ita paſſim nativi lepôris artifex Lucretius. BROUKH.

v. 50. FULMINAQUE ÆTHEREA DESILUISSE DOMO] De cælo repente decidiſſe. An *diſſiluiſſe?* Virgilius 11. Æneid. *Nec fulmine tanti Diſſultant crepitus. Ætherea domus*, cælum. Horatius ita locutus Ode 3. & 28. lib. 1. Item Ode 12. lib. 2. *Unde periculum Fulgens pertimuit domus Saturni veteris.* P. Lege *diſſiluiſſe*, auctoribus noſtris membranis, & codice Groningano. Paſſeratius quoque ita conjecerat. Lucretius L. 6.

Hoc etiam pacta tonitru concuſſa videntur
Omnia ſæpe gravi tremere, & divolſa repente
Maxima diſſiluiſſe capacis mœnia mundi.
BROUKH.

Deſiluiſſe, magis placet. nam paullo poſt:

Nec ſic de nihilo fulminis ira cadit.

cadit, hoc eſt, e cælo in terram deſilit. *Ætherea domo.* Sic Horatius Ode 3. lib. 1. *Poſt ignem ætherea domo Subductum macies & nova febrium Terris incubuit cohors.* Virgilius etiam Æneid. 10.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi.

Item Ovidius 1. Faſt.

Felices animæ, quibus hæc cognoſcere primum,
Inque domos ſuperas ſcandere curæ fuit.

Homerus non ſemel: Θεοὶ οὐράνια δώματ' ἔχοντες. VULP.

Non hæc Pleïades faciunt, neque aquosus Orion:
Nec sic de nihilo fulminis ira cadit.
Perjuras tunc ille solet punire puellas,
Deceptus quoniam flevit & ipse deus.

Qua-

v. 51. NON HÆC PLEÏADES FACIUNT, NEQUE AQUOSUS ORION] Quæ tamen tempestatem concitant, ut docet Horatius Ode 14. lib. 4. *Indomitas prope qualis undas Exercet Auster Pleiadum choro Scindente nubes.* vide Plinium lib. 2. N. H. cap. 52. de fulminibus a sideribus venientibus. Noster Eleg. 3. lib. 3.

Pleïadum spissa cur coit igne chorus.

Statius 9. Thebaid.

- - *Quum Pleïadas haurit* (tempestas)
Aut nigrum trepidis impingit Oriona nautis.

De Pleïadibus, quæ *Peliades* veteribus, id est columbæ, plura vide apud Athenæum lib. 11. & Aratum ἐν Φαινομένοις, Nostrum item Eleg. 8. lib. 1. v. 10. *Aquosus Orion*, pluvius, nimbosus. Virgilius 1. Æneid.

Quum subito assurgens fluctu nimbosus Orion
In vada cæca tulit.

& 4. Æneid.

Dum pelago desævit hiems, & aquosus Orion.

Plinius lib. 18. N. H. cap. 28. *Tempestates ab horridis sideribus exeunt, ut Arcturo, Orione, Hædis.* & sæpe alibi. De Orionis fabula Apollodorus lib. 1. Homerus lib. 5. & 11. Odysseæ, Ovidius lib. 5. Fast. Hyginus lib. 2. in Fab. *Orion*, & in Fab. 195. qui situm ejus describit in Poetico Astronomico; denique Palæphatus. Vulgo ab urina οὔρον dictus perhibetur. quidam ab ὀρίνω, turbo, concito. Collocatus est in cælo juxta Tauri sidus. PASS.

v. 52. NEC SIC DE NIHILO FULMINIS IRA CADIT] Id est, fulmen iracundum desilit. vide Eleg. 5. v. 22. supra, & Elegia 3. v. 16. *non de nihilo*, id est, *consulto*; ut loquitur Eleg. ult. infra v. 54. P. *Fulminis ira*. Horatius Ode 3. lib. 1. *Neque Per nostrum patimur scelus Iracunda Jovem ponere fulmina*. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg 5.

Risit, & ex animo dedit optima (oscula): *qualia possent*
Excutere irata tela trisulca Jovi.

Etiam Franciscus Petrarcha (*nel Sonetto 10.*) fulmen vocare videtur *ira di Giove*:

L' ira di Giove per ventosa pioggia.

Cadit. Sic Virgilius 1. Georg. v. 487.

Non aliàs cælo ceciderunt plura sereno
Fulgura.

Latinos imitatur Torquatus Tassus Gothifredi Cantu 7. strophe 9.

- *Siccome il folgore non cade*
In basso pian, ma sull' eccelse cime. VULP.

v. 53. PERJURAS TUNC ILLE SOLET PUNIRE PUELLAS] κατ' ἔμφασιν ille deus ὅρκιος & πίστιος, quia *fœdera fulmine sancit*. Vide Junium Proverb. 35. Centur. 4. in fine. P. Aristophanes in Nebulis v. 394.

Ἀλλ' ὁ κεραυνὸς πόθεν αὖ φέρεται λάμπων πυρί; τοῦτο δίδαξον.

- -

Τοῦτον γὰρ δὴ φανερῶς ὁ Ζεὺς ἵησ' ἐπὶ τοὺς ἐπιόρκους.

Lege reliqua, si vacat. VULP.

v. 54. DECEPTUS QUONIAM FLEVIT ET IPSE DEUS] Doluit & questus est de perfidia mulierum. Flere deos, id est lacrimare, negat Ovidius 2. Metam. *Neque enim cælestia tingi Ora licet lacrimis*. Virgilius tamen 10. Æneid. lacrimantem inducit Herculem, & Venerem 1. Æneid. Ovidius ipse in Epicedio Tibulli, ex aliorum tamen sententia:

Avertit vultus, Erycis quæ possidet arces:
Sunt quoque qui lacrimas continuisse, negent.

Noster Eleg. ult. lib. 4. de Divo Augusto flente Corneliam: *Lacrimas vidimus ire deo*. *Ipse*, ut Eleg. 7. v. 4. PASS. Rex deorum Juppiter optavit amplecti mulierculam, & sibi ab ea condici: decipi potuit promissis fallacibus, deceptus flevit, ut puer inultus. O stultam profecto, ineptam, absurdam veterum superstitionem! Lege apud Broukhusium in Adnotationibus ad hunc locum, lacrimantem Junonem, Venerem, Minervam, Dianam, Auroram, Nymphas, Thetin; quin etiam Herculem, Martem, Apollinem, Bacchum, Eumenidas, Plutonem. Narranti præsto sunt poetarum testimonia. VULP.

v. 55.

Quare ne tibi sit tanti Sidonia vestis,
Ut timeas, quoties nubilus Auster erit.

EL I-

v. 55. QUARE NE TIBI SIT TANTI SIDONIA VESTIS] Sic claudit Eleg. 5. 9. 19.l.1. [Male igitur Scaliger, & pravo judicio, huic Elegiæ attexit sequentem.] *Ne tibi sit tanti*, ne tam magno emas. dictum ad Eleg. 6. lib. 1. *Sidonia*, pro Tyria, quia Tyro vicina Sidon. Sic Virgilius 4. Æn.

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Noster Eleg. 10. lib. 4. v. 47. *Sidonia palla*. PASS. Alteram syllabam in *Sidonia* producit etiam Silius Italicus lib. 5. v. 474.

Hæsit in opposita cuspis Sidonia ligno.

Corripiunt Tibullus, & Papinius; ille Elegia 3. lib. 3. *Quæ Sidonia murice lana rubet*: hic initio Thebaidos: *Sidonios raptus*. VULP.

v. 56. UT TIMEAS, QUOTIES NUBILUS AUSTER ERIT] Perjuris & impiis comes timor. Ovidius Epist. Didûs:

Protinus occurrent falsæ perjuria linguæ,
Quæque cadent, in te fulmina missa putes.

Juvenalis Sat. 13.

Hi sunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent
Quum tonat, exanimes primo quoque murmure cæli.

Vide Suetonium Calig. cap. 51. *Quoties nubilus Auster erit*. διλογία: nam & *quoties nubilus Auster erit*, id est, flabit; & *quoties Auster erit nubilus*. potest enim esse Auster, ut non sit nubilus. Horatius Ode 7. lib. 1.

Albus ut obscuro deterget nubila cælo
Sæpe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos.

Sane sine nubibus tonitru non fit, & nubes agit Auster. Ideo Cyclopes in 8. Æn. fabricando fulmini

Treis imbris torti radios, treis nubis aquosæ
Addiderant, rutili treis ignis, & alitis Austri.

vide plura ad Eleg. 5. supra v. 12. PASS. *Quoties nubilus Auster erit*. hoc est, quoties flabit. Verbo substantivo, quum de ventis sermo est, haud raro utuntur scriptores. Cicero in Lucullo: *Erat constitutum, si ventus esset, Lucullo in Neapolitanum, mihi in Pompejanum navigare*. Idem Epist. 7. lib. 16. *Iis enim ventis istinc navigatur, qui si essent, nos Corcyræ non sederemus*. Et Epist. 25. lib. 12. μετεωρολογικῶς: *Sed quicumque venti erunt, ars nostra certe non aberit*. Martialis Epigr. 28. lib. 14.

Accipe quæ nimios vincant umbracula soles.
Sit licet & ventus, te tua vela tegent.

Arnobius lib. 1. Contra Gentes: *Quid enim si hoc pacto navigationis cupidissimus conquereretur, ventos jamdiu non esse, & cæli conquievisse flaturas?* Sic etiam Græci. Auctor Geoponicorum lib. 7. cap. 7. initio: βορείων ὄντων ἀνέμων. *quum sunt venti Boreales*. Interdum vero ablativum usurpant, quem possis absolutum vocare, ad idem significandum. Cicero lib. 2. de Divinat. *Humor allapsus extrinsecus, potest, ut in tectoriis videmus, Austro, sudorem imitari*. Subaudi, flante. Seneca pariter lib. 1. Nat. Quæst. cap. 2. *In balneis quoque circa lucernam tale quiddam aspici solet, ob aëris densi obscuritatem: frequentissime autem Austro, quum cælum maxime grave & spissum est*. Iterum Cicero Epist. 9. lib. 16. *Austro lenissimo*. Horatius Sat. 8. lib. 2.

In primis Lucanus aper leni fuit Austro
Captus, ut ajebat cœnæ pater.

Cæsar lib. 5. Belli Gallici cap. 8. *Leni Africo profectus*. Eodem pacto dicebant, *imber est, aquæ sunt, tempestates malæ sunt*. Ovidius lib. 5. Metam. v. 282. *Imber erat*. T. Livius lib. 35. *Aquæ ingentes eo anno fuerunt*. Cato de R. R. cap. 2. *Tempestates malas fuisse*. & paullo post: *Quum tempestates pluviæ fuerint*. Præterea occurrunt apud bonos auctores, *æstas est, hiems est*. Cornelius Celsus lib. 4. Medic. cap. 3. *Si æstas est*. & cap. 8. *Si hiems est*. Item alia plurima varios temporum eventus significantia. Cicero lib. 2. de Nat. Deor. *Si est calor, a Sole se opponunt*. Virgilius Ecl. 5. *Ante focum, si frigus erit*. Ulpianus L. 1. D. de feriis: *Quum messes vindemiæque sunt*. Virgilius Ecl. 5. *Si messis (erit)*. Cato de R. R. cap. 155. *Prima autumnitate, quum pulvis est*. Ovidius 6. Metam. v. 494. *Lux erat*. Homerus Odysseæ lib. 19. v. 64.

Νήησαν ξύλα πολλὰ, φόως ἔμεν ἠδὲ θέρεσθαι.

Congregarunt ligna, ut lumen esset, & calefierent.

Ho-

Horatius Epodo 15.

Nox erat, & cælo fulgebat Luna sereno.

Its & Virgilius aliquoties. Apud Sex. Empiricum: Εἰ νύξ ἐστι, σκότος ἐστί. Ovidius Epist. Ariadnæ: *Luna fuit*. Martialis Epigr. 21. lib. 8.

Jam, Cæsar, vel nocte veni: sint astra licebit,
Non deerit populo te veniente dies.

quam lectionem tuetur J. Frid. Gronovius adversus alios qui legunt: *stent astra licebit*. Porro, *Sole*, & *quum Sol est*; *Luce*, & *quum lux est*, vel *quum lucet*; plura item similia sunt ἰσοδύναμα. Ovidius in A. A. *Frigore soles, Sole juvant umbræ*. Propertius Eleg. 7. lib. 4.

Luce jubent leges Lethæa ad stagna reverti.

Tibullus Eleg. 1. lib. 2.

Ad juvenem tenebris sola puella venit.

Lucretius lib. 1.

- - - Vere rosam, frumenta calore,
Vites autumno fundi suadente videmus.

Addam & alia. Cornelius Celsus lib. 3. cap. 6. *Ubi vere febris fuit*. & infra cap. 15. *Si sitis est*. Multus est hic scriptor in hoc loquendi genere. Ovidius Epist. Briseid.

Bellum erat: ille ferox positis secessit ab armis.

Cicero Epist. 12. lib. 16. *Sin autem erit bellum, video me castris, & certis legionibus præfuturum*. L. Calpurnius Piso Frugi apud Varronem lib. 4. de L. L. *Tertia est Janualis porta, dicta ab Jano; & ideo ibi positum Jani signum, & jus institutum a Numa Pompilio, ut sit clausa semper, nisi quum bellum sit*. Suetonius in Julio cap. 28. *Pax erat*. Cicero Epist. 25. lib. 12. *Eo die non fuit senatus, neque postero*. Denique T. Livius lib. 7. *Eorum* (decemvirum Sibyllinorum) *monitu lectisternium fuit*.

Ceterum, quod pertinet ad sententiam, hic Propertii locus unus est ex elegantioribus, & magis urbanis. Torquatus Tassus ad eum respexisse videtur Epigrammate quodam Italico, sed ut puellam ad voluptates invitaret, non ut a perjurio deterreret. Ejus initium est:

Odi, Filli, che tuona; odi, che 'n gelo
Il vapor di lassù converso piove:
Ma che curar dobbiam che faccia Giove?
Godiam noi quì, s' egli è turbato in cielo.

VULP.

ELEGIA XVII.

MEntiri noctem, promissis ducere amantem,
Hoc erit infectas sanguine habere manus.

Ho-

ARGUMENTUM ELEGIÆ XVII. LIBRI II.] Puellæ fallaciam, & suas miserias conqueritur. VULP.

v. 1. MENTIRI NOCTEM] Scaliger hanc Elegiam cum superiore connectit [sed perperam]. *Mentiri noctem*, est noctem polliceri & fidem fallere. ut Tibullus Eleg. 8. lib. 1.

Vel quum promittit subita, sed perfida fallit.

& Horatius Sat. 5. lib. 1.

Hic ego mendacem stultissimus usque puellam
Ad mediam noctem exspecto.

Mentiri cum quarto casu. Horatius Epist. 7. lib. 1. *Spem mentita seges*. Virgilius Ecl. 4.

Nec varios discet mentiri lana colores. PASS.

Horatius pariter Epist. 1. lib. 1. *Nox longa, quibus mentitur amica*. VULP.

ibid. PROMISSIS DUCERE AMANTEM] Spe inani lactare & protrahere; ut Mars ab Anna ducitur promissis apud Ovidium 3. Fast. & Attius Alcmæone apud Nonium in *Vanant*, & in *Lactare*: *Tenuat frustrando; lactans, vanans protrahit*. PASS. Locutio efficax, & bonis Latinitatis auctoribus valde usitata. Terentius Andria 2, 2, 9. *Id voluit, nos sic necopinantes duci falso gaudio*. Idem eadem Comœd. 4, 1, 20. *Etiam nunc me ducere istis dictis postulas!* & ibid. 4, 1, 24. *Nisi me lactasses amantem, & falsa spe produceres*. Cæsar lib. 1. Belli Gallici cap. 16. *Ubi se diutius duci intellexit, & diem instare, qua die frumentum militibus metiri oporteret*. Virgilius Ecl. 9.

Caussando, nostros in longum ducis amores.

Cicero pro Quintio: *Annum & sex menses nihil petis, quiescis: conditionibus hunc, quum potest, producit*. *Extrahere* dixit idem Ep. 4. lib. 1. *Res ab adversariis nostris extracta est variis calumniis*. Eodem pacto dicebant, *Bellum ducere*. Cicero Epist. 3. lib. 7. *Suadere*

Horum ego sum vates, quoties desertus amaras
Explevi noctes, fractus utroque toro.
Vel tu Tantalea moveare ad flumina sorte,
Ut liquor arenti fallat ab ore sitim:

Vel

dere institui ut bellum duceret. Pompejus videlicet cum Cæsare pugnaturus. Sic & Livius loquitur lib. 22. *In ducendo bello sedulo tempus terere*. & alibi sæpius. Qui etiam verbo *extrahere* usus est eadem significatione lib. 2. *Tum vero eludi atque extrahi se multitudo putare*. Denique Silius Italicus lib. 5. Punic. v. 97.

Si certare dolis, & bellum ducere cordi est.

Hoc est quod Itali dicunt: *menar per lunga a forza di promesse*. vel *mandare alcuno d' oggi in domani*. Laurentius Lippius in poemate jocoso (*nel Malmantile racquistato, Canto* 1. *Stanza* 5.)

Ma poi ch' ella la vuole, ed io ho promesse,
Non vo' mandarla più d' oggi in domani. V.

v. 2. HOC ERIT INFECTAS SANGUINE HABERE MANUS] Id est parricidii, vel saltem homicidii, instar erit. Ridicule. ut Stoici de gallo gallinaceo, quum non esset opus interfecto. Cicero pro Murena. & Offic. lib. 2. ex Catone quum quæreretur, *Quid esset fœnerari: quid*, inquit, *hominem occidere?* Contra *Puras manus habere*, dixit Horatius Ode pænult. lib. 1. & Noster Eleg. 32. infra. Herodotus autem in Clio; de eo qui fratrem occiderat: οὐ καθαρὰς χεῖρας ἐών. *Infectas*, tinctas, imbutas. Albinovanus ad Liviam: *Infecta aqua sanguine nigro*. Appulejus lib. 8. Asini: *Nec non etiam manus infectas sanguine humano*. PASS. Veterum imitator diligentissimus Petrus Bembus, in quodam Epigrammate Italico amatorio, hunc Propertii versum ita expressit:

Questo è le mani aver tinte di sangue. V.

v. 3. HORUM EGO SUM VATES] Hæc ego certo scio [& affirmare possum, tamquam vates aliquis.] ut infra Eleg. 21.

Sed tibi jam videor Dodona verior augur.

& hoc est quod dixit Eleg. 9. lib. 1.

Non me Chaoniæ vincant in amore columbæ
Dicere quos juvenes quæque puella domet.
Me dolor & lacrimæ merito fecere peritum.

Terentius Phorm. 3, 2, 7. *P. Non mihi credis*. D. *Hariolare*. id est, vera dicis. εἰρωνικῶς. Contra Cicero Epist. 16. lib. 2. ad famil. *Sed ego hæc fortasse vaticinor, & meliores habebunt exitus*. PASS.

ibid. QUOTIES DESERTUS AMARAS EXPLEVI NOCTES] Relictus & proditus ab amica noctes totas exegi insomnes. Tibullus Eleg. 3. lib. 1. *Si fatales jam nunc explevimus annos*. Suetonius in Cæsare cap. 26. *Quando imperii tempus expleri cœpisset*: id est, præteriri, transigi. PASS.

v. 4. FRACTUS UTROQUE TORO] Sic Elegia 14. lib. 1.

Et miserum toto juvenem versare cubili.

& Eleg. 22. infra:

Quanta illum toto versant suspiria lecto!

ubi *toto lecto*, & *toto cubili*, ut hic: *utroque toro*. *Fractus*, plus est quam fessus. *ruptus & motus*. ut alibi: *Seu morior fato, non turpi fractus amore*. Utroque toro, id est, priore simul, & interiore parte lecti; sive *utraque sponda*, ut ait Scaliger. Albinovanus ad Liviam:

Et subito tentasque manu, sperasque receptum:
Quæris & in vacui parte priore tori.

qui locus est viri. Noster Eleg. 21. lib. 3. *Extremo dormit amica toro*. Suetonius in Julio cap. 49. *Spondam interiorem regiæ lecticæ*. sed hoc alio pertinet. An & terrâ, & lecto? PASS. Unicus interpres hujus loci Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 14.

Cur pressus prior est, interiorque torus? V.

v. 5. VEL TU TANTALEA MOVEARE AD FLUMINA SORTE] Vertas te ad aquam captandam ea lege qua Tantalus. ut ait Eleg. 9. lib. 1. *In medio flumine quærit aquam*. Sed vetus lil r: *Movearis flumina*. Græcanica, inquit Scaliger, locutio; id est, licet te moveant flumina Tantali, & ærumnosa sitis. ideo dicat paullo post, *admirere*. nam admirari est moveri. *moveri* autem *aliquam rem*, purum putum Græcum est, ἐξίστασθαί τι. [Sic Horatius Epist. 1. lib. 1. *Magna coronari contemnat Olympia*] *Sorte*, conditione dura & iniqua. Eleg. 22. infra: *Excludit quoniam sors mea*. Et sors, lex pœnæ fato constitutæ. Virgilius 6. Æn.

Ul-

Vel tu Siſyphios licet admirere labores,
Difficile ut toto monte volutet onus:
Durius in terris nihil eſt quod vivat amante,
Nec, modo ſi ſapias, quod minus eſſe velis.

Quem

Ultra vires ſortemque ſenectæ. & lib. 12. *Turni ſortem miſeratur iniquam*. PASS. Scaliger in ſuo invenerat, *movearis frumina*; & Græcanicam, ut ait, locutionem multis ibi explicat. quæ in iterata editione bene omiſit. pace Viri ſummi, *Tantalea ſors ad flumina*, eſt Propertiana locutio, & valet idem quod *infelix Tantalus ſtans in aquis*. ſic *virtus Catonis*, *ſapientia Lælii*, *robur Herculis*, & id genus ſexcenta. BROUKH.

v. 6. UT LIQUOR ARENTI FALLAT AB ORE SITIM] Fruſtretur ſitim, & ab ore ſicco Tantali fugiat. *fallere*, fruſtrari & effugere. ut Eleg. 3. lib. 1. *fallebam ſtamine ſomnum*. Horatius pariter Ode 4. lib. 4. *Quos opimus Fallere & effugere eſt triumphus*. *Arenti ore*. Virgilius 4. Georg. *Terram ſicco ſpuit ore viator Aridus*. & 5. Æneid. *Creber anhelitus artus Aridaque ora quatit*. Noſter Eleg. 10. lib. 4. *Sicco torquet ſitis ora palato*. Apollonius Rhodius lib. 4. Argon. δίψῃ καρχαλέος. Tibullus denique Eleg. 4. lib. 1.

Et Canis arenti torreat arva ſiti. PASS.

v. 7. VEL TU SISYPHIOS LICET ADMIRERE LABORES] Cum admiratione & ſtupore ſpectes, nec ſine miſeratione. *Labores*, ut Horatius Ode 14. lib. 2. *Damnatusque longi Siſyphus Æolides laboris*. De Siſypho vide Pauſaniam Corinthiacis, Apollodorum lib. 1. Bibl. Hyginum Fab. 60. Homerum lib. 6. Iliad. Lucretium lib. 3. P. & Indicem noſtrum Propertianum. VULP.

v. 8. DIFFICILE UT TOTO MONTE VOLUTET ONUS] Ἀνακόλουθον. hoc enim ſententiæ reſpondet, non verbis; quaſi dixerit Siſyphium laborem, id eſt: Siſyphum ipſum laborioſum, niſi *volutet* poſitum ſit pro, volutetur. ut Eleg. 1. lib. 1. *ducere ſidera*, pro, duci. *Onus*, ſaxum; ut Eleg. 20. infra:

Tumque ego Siſyphio ſaxa labore geram.

Horatius Epodo ult.

Optat ſupremo collocare Siſyphus
In monte ſaxum: ſed vetant leges Jovis.

Vide Junium Proverb. 92. Centur. 7. Ovidius in Ibin:

Siſyphe, cui tradas revolubile pondus, habebis. PASS.

v. 9. DURIUS IN TERRIS NIHIL EST QUOD VIVAT AMANTE] *Durius* vel nomen, vel adverbium. Si nomen, eſt, miſerius, laborioſius. Ovidius 1. Metam.

Inde genus durum ſumus, experienſque laborum.

Virgilius 1. Georg. *Unde homines nati durum genus*. Calvus: *Durum rus fugit & laborioſum*. Si adverbium, *quod vivat durius*, id eſt, duriore conditione & aſperiore. Eadem dilogia in *vivat*. *Quod vivat in terris, nihil eſt durius amante*. id eſt, nullum animal. & *nihil eſt in terris, quod quidem vivat, amante durius*. nam inanima, ut ſaxa, adamas, ferrum duriora ſunt. *In terris*, ut Eleg. 2. ſupra:

Cur hæc in terris facies humana moratur? P.

Durius vivat. adverbium cenſeo; quum Terentius dixerit Andria 1, 1, 47.

Primum hæc pudice vitam, parce, ac duriter
Agebat. VULP.

v. 10. NEC, MODO SI SAPIAS, QUOD MINUS ESSE VELIS] ἀναςροφὴ, pro, *ſi modo ſapias*. ut Eleg. 18. lib. 1.

Si modo ſola queant ſaxa tenere fidem.

& *ſapias*, quod tamen nefas in amore. *hoc eſt enim dare operam ut cum ratione inſanias*. *Quod minus eſſe velis*: quod minus eligas, ſi optio detur. & eſt apoſtrophe ad abſentem. PASS. Catullus contra Carm. 105.

Quis me uno vivit felicior? aut magis eſt me
Optandus vitâ?

Fuerunt enim ſemper & qui alienam ſortem ſuæ præoptarent, & qui ſua contenti viverent; hi tamen multo pauciores. Hadrianus Cæſar, apud Spartianum, Floro poetæ ſcribenti ad ſe, *Ego nolo Cæſar eſſe, Ambulare per Britannos, Scythicas pati pruinas*, reſcripſit, *Ego nolo Florus eſſe, Ambulare per tabernas, Latitare per popinas, Culices pati rotundos*. Huc pertinet ſapiens illud monitum Val. Martialis Epigr. 47. lib. 10.

Quod ſis, eſſe velis, nihilque malis. VULP.

v. 11.

Quem modo felicem invidia admirante ferebant,
Nunc decimo admittor vix ego quoque die.
Nunc jacere e duro corpus juvat, impia, ſaxo,
Sumere & in noſtras trita venena manus.
Nunc licet in triviis ſicca requieſcere Luna,
Aut per rimoſas mittere verba fores.

Quod

v. 11. QUEM MODO FELICEM INVIDIA ADMIRANTE FEREBANT, NUNC DECIMO ADMITTOR VIX EGO QUOQUE DIE] Sic Elegia 18. lib. 1.

Qui modo felices inter numerabar amantes,
Nunc in amore tuo cogor habere notam.

De invidia Eleg. 12. lib. 1. *Invidiæ fuimus.* & Eleg. 25. infra :

Invidiam quod habet, non ſolet eſſe diu.

Admirante invidia, dictum, ut Horat. Sat. 1. lib. 2. *invita fatebitur uſque Invidia.* & dicta eſt invidia ab invidendo; ideſt, intuendo & admirando. Cicero 3. Tuſc. *Ego modo felix uſque ad invidiam, nunc miſer uſque ad miſericordiam.* nam nihil miſerabilius quam ex beato miſer. *ferebant*, vel prædicabant, vel tollebant in cælum. *Admittor*, recipior domo & lecto. dixi ad Eleg. 16. lib. 1. v. 19. *Decimo quoque die.* non temere ſic ait : nam aſtu meretricio tractabat Cynthia Propertium ob denarias cæremonias, de quibus dictum ſupra ad illud Elegiæ ſuperioris,

Nox quia ſeptenas noctes ſejuncta cubarit, &c.

Decimo quoque die; ut Attius Prometheo, apud Ciceronem 2. Tuſc.

Jam tertio me quoque funeſto die,
Triſti advolans, aduncis lacerans unguibus
Jovis ſatelles paſtu dilaniat fero. PASS.

Tertio quoque die, legitur apud Cornel. Celſum lib. 2. cap. 4. VULP.

v. 13. NUNC JACERE E DURO CORPUS JUVAT, IMPIA, SAXO] Ad præcipitium ex deſperatione; ut apud Virgilium Ecl. 8.

Præceps aërii ſpeculo de montis in undas
Deferar.

Plautus Trinummo 2,1. *Nam qui in amore præcipitavit, pejus perit quam ſi ſaxo ſaliat.* Alludit autem ad Leucadiam petram & ſaltum Sapphicum. E ſaxo dejiciebantur etiam ſontes; quod Plutarchus, ἐκ πέτρας ταρπηΐας καταῤῥίπτειν. & *e ſaxo Tarpejo dejicere*, Livius. Horatius quoque Sat. 6. lib. 1.

Tune Syri, Damæ, aut Dionyſi filius, audes
Dejicere e ſaxo cives, aut tradere Cadmo?

Juvat, id eſt, libet. ut Eleg. 4. lib. 1.

Sunt majora, quibus, Baſſe, perire juvat.

Virgilius 4. Æneid. *Sic ſic juvat ire ſub umbras.* quia mors ſcilicet vitâ dulcior. *Impia*, vel crudelis, vel perjura. ut Eleg. 9. ſupra :

At tu non una potuiſti nocte vacare,
Impia. PASS.

v. 14. SUMERE ET IN NOSTRAS TRITA VENENA MANUS] Notum de terendi veneni more Phocionis ἀπόφθεγμα; quum enim ejus ſocii in carcere exhauſiſſent omne tritum venenum, & negaſſet carnifex ſe aliud triturum niſi ſibi duodecim argenti drachmæ numerarentur, amicum quemdam oravit Phocion, ut ſua cauſſa eam ſolveret pecuniam; *Quando*, inquit, *Athenis ne mori quidem gratis licet.* Sed alii libri : *Tetra.* ut & Eleg. 24. infra :

Tetra venena libens, & naufragus ebibat undas.

Sumere in manus venena, eſt poculum capere & tractare, ut bibas. quod Eleg. 1. ſupra dixit, *tangere poculum.* Corn. Tacitus lib. 2. Annalium, venenum epotum *mortem ſponte ſumtam* appellavit. *Sumere in manus*, ut Cicero 2. Tuſc. *Epicurum & Metrodorum nemo fere, præter ſuos, in manus ſumit.* PASS. *Tetra* dici quæcumque ſunt fœda, polluta, nocentia, crudelia, præcipue autem venena, monuit diligentiſſimus Broukhuſius. VULP.

v. 15. NUNC LICET IN TRIVIIS SICCA REQUIESCERE LUNA] In triviis pernoctant interdum amantes, ut dixi ad Eleg. 16. lib. 1. v. 40. *Licet;* neceſſe eſt, cogor; ut Eleg. 9. ſupra v. pænult. *Sicca Luna.* Turnebus lib. 17. Adv. cap. 11. *Sicca* exponit, decreſcente, ex Plinio cap. 9. lib. 17. *Fimum*, inquit, *terra miſcere plurimum refert*,

Quod quamvis ita sit, dominam mutare cavebo.
Tum flebit, quum in me senserit esse fidem.

fert, *Favonio flante*, *ac Luna sitiente*. Mox: *Quacumque tempore facere libeat*, *curandum ut ab occasu æquinoctiali*, *flante vento fiat*, *Lunaque decrescente ac sicca*. Sed cur *sicca* potissimum *Luna* dixit? quia sub id tempus ventus magis sævire solet. Horatius Ode 25. lib. 1. *Thracio bacchante magis sub inter-lunia vento*, Aridior enim, siccior, & jejunior Luna videatur fortasse, quod tunc radiis Solis careat: nam *τὸν ἥλιον σελήνη πίνει*, inquit Anacreon. Aliter Eleg. 28. infra:

Incipit & sicco fervere terra Cane. PASS.

Editio princeps anni 1472. præfert, *Nec licet*; quod fortasse probum est; ut sententia sit: Nec mihi licet vel in trivio, nocte illuni ac tenebrosa, tecum requiescere, nedum sub tecto, & in thalamo. quod tamen Propertio non semel datum fatetur umbra Cynthiæ Eleg. 7. lib. 4.

Sæpe Venus trivio commissa, *& pectore mixta*
Fecerunt tepidas pallia nostra vias. VULP.

v. 16. AUT PER RIMOSAS MITTERE VERBA FORES] Sic Eleg. 16. lib. 1. v. 27. *Trajicere voculam*. *Mittere verba*, ut ipse Eleg. 7. lib. 4. *Spirantesque animos*, *& vocem misit*. & Horatius in Epist. ad Pisones: *Nescit vox missa reverti*. PASS.

v. 17. QUOD QUAMVIS ITA SIT, DOMINAM MUTARE CAVEBO] Non committam, ut alio amores transferam. *mutare dominam*, ut Eleg. 12. lib. 1. *mutare calores*. Sic Varro lib. 2. R. R. cap. 2. *dominum mutare*. Scaliger ridicule ex conjectura: *Domina mutire*. Quum vero ait poeta: *Quod quamvis ita sit*, idem valet quod *Quare*, & est colligentis, unde sæpe in epilogis Ciceronis: *Quæ quum ita sint*. dixit etiam: *Quod quum ita sit*, pro Cæcinna. PASS. *Dominam mutare*. Sic legendum, vel ex pentametro liquet:

Tum flebit, *quum in me senserit esse fidem*.

id est tunc misericordia commovebitur, & mihi propitia fiet, quum videbit, me quamvis indignis modis acceptum, ab illa tamen non discedere, neque aliam quærere. VULP.

v. 18. T. F. QUUM IN ME SENSERIT ESSE FIDEM] *In me*, omnes libri [& editio princeps anni 1472.] non *mi*; Virgilius ita locutus Ecl. 3.

Quin age, *si quid habes*; *in me mora non erit ulla*.

Ovidius Epist. Œnones:

Et minus est in te, quam summa pondus aristæ.

Idem Epist. Sapphus:

Est in te facies, *sunt apti lusibus anni*.

Sic etiam Tullius frequentissime. BROUKH. *Quum mi senserit esse fidem*. id est, plane cognorit experta cum suo dolore, me certum & constantem fuisse. ut Eleg. 23. lib. 3.

Ungue meam morsa sæpe querere fidem.

& Eleg. 12. lib. 1.

Mi neque amare aliam, *neque ab hac discedere fas est*.

Esse mihi fidem, dictum ut a Lucano:

Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur. PASS.

ELEGIA XVIII.

ASsiduæ multis odium peperere querelæ.
Frangitur in tacito femina sæpe viro.

Si

ARGUMENTUM ELEGIÆ XVIII. LIBRI II.] Blanditur puellæ. Auroræ ac Tithoni exemplum affert, ut eam sibi conciliet. Nimium formæ cultum, & præcipue fucum, in feminis damnat. VULP.

v. 1. ASSIDUÆ MULTIS ODIUM PEPERERE QUERELÆ] Id est, amoris loco caussa odii fuere. ut Terentius in Andria 1, 1. *Veritas odium parit*. vide notata ad Eleg. 18. lib. 1. v. 23. *Odium pro gratia redditur*, inquit Cornelius Tacitus. queri autem ideo non audent amantes. unde Eleg. 1. lib. 1.

Sit

Si quid vidisti, semper vidisse negato:
  Aut si quid doluit forte, dolere nega.
Quid si jam canis ætas mea cáneret annis?
  Et faceret scissas languida ruga genas?

At

Sit modo libertas quæ velit ira loqui.

Et Eleg. 18. lib. 1. abit in solitudinem, ut queri possit:

Hæc certe deserta loca, & taciturna querenti.

Huc pertinet illud Albinovani ad Liviam:

Regna dea immitis parce irritare querendo. Pass.

Odiosos multos & molestos puellis effecerunt. *μισοῦσι γὰρ αἱ γυναῖκες τοὺς ἐγκληματικοὺς ἄνδρας.* Vulp.

v. 2. Frangitur in tacito femina sæpa viro] Quum puella videt amatorem tacere, mutire, & omnia pati, licet durissima, vincitur. ut Eleg. 5. supra:

Omne in amore malum, si patiare, leve est.

& Eleg. 10. lib. 1.

At quo sis humilis magis, & subjectus amori,
Hoc magis effectu sæpe fruare bono.

Frangi dicuntur ingenia naturâ dura: ut flecti, mollia. Noster Eleg. 18. infra:

Frangitur & Juno, si qua puella perit.

Tibullus Eleg. 8. lib. 1.

Desistas lacrimare, puer: non frangitur illa.

Cicero in Bruto: *Injuria accepta, fregit tamen C. Gracchum patientiâ Octavius. Frangi in aliqua.* ut Eleg. 4. supra: *Gaudeat in puero.* Pass. Non abludit Horatius Epist. 17. lib. 1. ubi Scævam docet artes quibus amicitia principum comparatur:

Coram rege suo de paupertate tacentes
Plus poscente ferent. Vulp.

v. 3. Si quid vidisti, semper vidisse negato] *τὸ quid* obscœnum aliquid notat. Ovidius lib. 2. Trist. v. 103.

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?

notavimus plura ad Eleg. 4. supra v. 2. Est autem proverbiale ἐξύμαρον, ut apud Plautum Milite 2, 1. *Quod viderit, non viderit.* & Terentium Eunucho 4, 4. *Quod scis, nescis.* & Heautont. *Quod scis, nescias, si sapis.* Ovidius lib. 2. A. A. in hanc sententiam:

Dicta erit isse foras, quum tu fortasse videbis
  (eam domi)
Isse foras, & te falsa videre puta.

& Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Si quid & imprudens adspexerit, occulat ille,
Perque deos omnes se meminisse neget. P.

Longe ante alios Homerus Hymno in Mercurium v. 92.

Καί τε ἰδὼν μὴ ἰδὼν εἶναι, καὶ κωφὸς, ἀκούσας.
Atque videns non videns sis, & surdus esto, audiens. Vulp.

v. 4. Aut si quid doluit forte, dolere nega] Ovidius lib. 2. A. A. eadem mente:

Rivalem patienter habe: victoria tecum
Stabit: eris magni victor in arte Jovis. P.

Dolere nega. Ut Arria illa uxor Pæti, mulier fortissima, de qua Plinius junior Epist. 16. lib. 3. *Præclarum illud ejusdem ferrum stringere, perfodere pectus, extrahere pugionem, porrigere marito, addere vocem immortalem ac pæne divinam:* Pæte, Non Dolet. Martialis quoque lib. 1. Epigr. 14. eamdem viraginem ita loquentem inducit:

Si qua fides, vulnus quod feci, non dolet, inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

nimio acumine sententiam corrumpit. Huc referri possunt etiam verba Ovidii Remed. Amor. v. 493.

Et sanum simula; ne si quid forte dolebit,
Sentiat: & ride quum tibi flendus eris.

At ibi alia caussa est simulationis. Ceterum hi quatuor versus hujus Elegiæ, nisi forte addendi sint superiori, μιμητικῶς videntur poni, ut vel Cynthia ipsa eos pronuntiet, vel amicus aliquis Propertii: nam poeta ex persona sua deinceps ad querelas redit. Vulp.

v. 5. Quid si jam canis ætas mea candeat annis?] Increpatio, & argumentum a comparatione minorum, ut Eleg. 9. supra:

Quid si longinquos retinerer miles ad Indos?

& Eleg. 9. lib. 1. *Quid si non esset facilis tibi copia? Canis ætas mea candeat annis.* senectute ego canescam. sic Tibullus Eleg. ult. lib. 1.

Sic ego sim: liceatque caput candescere canis.

Vetus liber, *Caneat*, unde canesco. & liber Scaligeri *Cáneret*, tertia conjugatione, ut

At non Tithoni spernens Aurora senectam
Desertum Eoa passa jacere domo est.
Illum sæpe suis decedens fovit in ulnis,
Quam prius abjunctos sedula lavit equos.

Illum

Eleg. 1. lib. 1. *Annuet*, pro, annuit. alioqui erit enallage temporum & modorum. Cani anni, ob *capitis nives*, ut loquitur Horatius. Catullus aliter Carm. 93.

Zmyrnam cana diu sæcula pervoluent. PASS.

Cluerer habent nostri libri, & Colbertini, eum Borrichiano. recte. *faceret* est in iisdem, nec non in Regiis. *candeat*, & *faciat*, præfert Groninganus: illud etiam Regii. BROUKH. *Cantat*, editio princeps. V.

v. 6. ET FACERET SCISSAS LANGUIDA RUGA GENAS.] Id est, ruga flaccida scinderet, sive sulcaret faciem. *Facere scissum*, pro, scindere. ut Plautus Amphitr. *Facere fugam*, pro, fugere. & alibi: *Cantinhaue orbas liberis ovet*; pro, orbant. Lucillius, opinor, apud Ciceronem 2. de Orat.

Quid Decius? Nuculam, an confixum vis facere? inquit.

id est, configere. Idem apud Sosipatrum, in *Mu*:

Non laudare hominem quemquam, neque Mu facere umquam.

id est, mutire. Sic *Facere calceos elixos*, pro, elixare, Varronis est apud Nonium, in *Elixum*: *Facere urbem vastam*, Attii apud Festum, in *Vastum*; id est, vastare. ubi fallitur Festus: *Facere udas genas*, pro, udefacere, madefacere; Ovidii. *Facere moram*, pro morari. *Facere tepidas vias*, pro tepefacere; *Facere nuda pectora*, pro nudare; sunt ipsius Propertii. *Genas*. Plinius H. N. lib. 11. cap. 37. *Infra oculos malæ sunt, quas prisci genas vocabant.* PASS. Adde Plautum Prol. Amphitr. v. 103. *Gravidam Alcumenam uxorem fecit suam.* & aliis locis ejusdem Comœdiæ. In Pseudolo etiam 4, 4. *Qui te nunc senecem facit.* Terentius pariter Phorm. 5, 8. *Faxo mactatum*, pro mactabo. Sic *missum facere*, id est mittere. vide Hadr. Turnebum in libello de jocis Ciceronianis ad lib. 2. de Oratore. Sic *reliquum facere*, pro relinquere. *Æva coctus fieret*, legitur in Fragmento Petronii Traguriano, pro coqueretur. Et in Testamento ludicro M. Grunnii Corocottæ Porcelli: *Magirus cocus dixit: Transi, puer; adfer mihi de culina cultrum, ut hunc porcellum faciam cruentum.* Homerus etiam Hymno in Dioscuros v. 10. locutione usus non dissimili: --- ἐπ' ἀκρωτήρια βάντες Πρύμνης, τὴν δ' ἄνεμός τε μέγας, ἢ κῦμα θαλάσσης Θῆκαν ὑποβρυχίην. *fastigiis conscensis Puppis, quam ventusque magnus, & unda maris Fecerunt submersam.* VULP.

v. 7. AT NON TITHONI SPERNENS AURORA SENECTAM DESERTUM EOA PASSA JACERE DOMO EST] Apta verba dissimilitudini, *At non*, ut ostensum ad Eleg. 15. lib. 1. v. 9. *Aurora*. Varro lib. 6. de L. L. *Aurora dicitur ante Solis ortum, ab eo quod ab igne Solis tum aurea aër aurescit.* *Spernens Tithoni senectam*, id est Tithonum senem; ut antea v. 5. *ætas mea*. & Juvenalis Sat. 4. *Crispi jucunda senectus.* *Non passa est*, non sivit; ut Eleg. 13. lib. 1.

Nec tibi præteritos passa est succedere fastus.

Jacere desertum, solum, in viduo lecto sive cœlibe. ut Eleg. sup. v. 3. *Eoa domo*, in regia sua, in extremo oriente; ut Eleg. 6. lib. 1. *domos Memnonias*. Apud Homerum Iliad. 20. Tithonus dicitur filius Laomedontis. & in Hymno Veneris, ab Aurora raptus, cui ea impetravit immortalitatem, sed oblita petere perpetuam juventam. Horatius propterea Ode 16. lib. 2. *Longa Tithonum minuit senectus.* Exstabat olim Varronis Satyra *Tithonus*, περὶ γήρως. Servius ad illud 1. Georg.

Tithoni croceum linquens Aurora cubile,

conversum ait in cicadam. PASS.

v. 9. ILLUM SÆPE SUIS DECEDENS FOVIT IN ULNIS] Decedere, est peracto suo tempore & munere abire, & alteri cedere, ut prætores & proconsules solent. Virgilius Ecl. 3.

Et Sol crescentes decedens duplicat umbras.

Idem Ecl. 8.

Frigida jam cœlo noctis decesserat umbra.

Fovit in ulnis, admovit gremio eum amplexa, ut frigentem calefaceret. Albinovanus ad Liviam:

Frigida nec fovit membra tepente sinu.

No-

Illum ad vicinos quum amplexa quiesceret Indos,
Maturos iterum est questa redire dies.
Illa deos, currum conscendens, dixit iniquos:
Invitum & terris præstitit officium:

Cui

Noster Eleg. 22. infra:

Altera jam cupidis teneat, foveatque lacertis.

Tibullus Eleg. 6. lib. 1.

Nescio quem tacitd callida nocte fovet.

Fovit in ulnis, ut Catullus Epigr. ad Coloniam:

Nec sapit pueri instar
Bimuli, tremula patris dormientis in ulna.

Ulnæ ἀπὸ τῶν ὠλένων, inquit Servius, id est, brachiis. unde Homero λευκώλενος Ἥρη. PASS.

v. 10. QUAM PRIUS ABJUNCTOS SEDULA LAVIT EQUOS] Anastrophe, pro, priusquam. ut Plautus Asin. 2, 4. *Quam credidi anno post exegi*. id est, anno postquam. Sic Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 9. *Hoc quoque quam volui plus est*. *Sedula*, satagens & festinans desiderio nimio. de quo verbo dictum ad illud Eleg. 3. lib. 1.

Luna moraturis sedula luminibus.

Lavit equos. itinere confecto moris est aurigis lavare equos sudori & pulveri abstergendo, & lassitudini simul. Tibullus Elegia 4. lib. 3.

Jam Nox ætherium nigris emensa quadrigis
Mundum, cæruleo laverat amne rotas.

Idem Eleg. 5. lib. 2.

Solis anhelantes abluit amnis equos.

Ovidius 4. Fast.

Postera quum cælo motis Pallantias astris
Fulserit, & niveos Luna laverit equos.

Valerius Maximus lib. 1. Memorab. cap. 8. *Castor & Pollux suum equorumque sudorem ad lacum Juturnæ abluisse visi sunt*. Auroræ autem modo bigas tribuunt, quum suis equis scilicet vehitur: modo quadrigas, quum equis Solis. Vide Maronem lib. 5. & 6. Æneid. Noster Eleg. 13. lib. 3.

Quos Aurora suis rubra colorat equis.

Lampum & Phaëthonta equos Auroræ vocat Homerus lib. 23. Odysseæ v. 246. *Abjunctos*. sic recte Scaliger. quod & olim putaram. nam jungere, abjungere, interjungere, verba sunt aurigarum. Junguntur equi ad opus & iter: abjunguntur, quum opere solvuntur: interjunguntur, quum recreantur cibo ad tempus. Virgil. 3. Georg.

--- *It tristis arator*
Mœrentem abjungens fraterna morte juvencum.

Vetus Glossarium: *Abjugassere*, ἀποζεῦξαι. PASS.

v. 11. ILLUM AD VICINOS QUUM AMPLEXA QUIESCERET INDOS] *Vicinos Indos* vocat,

Quos Aurora suis rubra colorat equis.

ut ait ipse Eleg. 11. lib. 3. unde Tibullus Carm. 2. lib. 4.

-- *quascumque niger rubro de litore conchas*
Proximus Eois colligit Indus aquis.

Virgilius quoque 3. Æneid. *Tendere ad Indos, Auroramque sequi*. PASS.

v. 12. MATUROS ITERUM EST QUESTA REDIRE DIES] Querens maturius redire tempus matutinum. Ovidius contra lib. 1. Amor. Eleg. 13. sic ad Auroram:

Illum dum refugis (Tithonum) *longo quod marcet ab ævo,*
Surgis ad invisas a sene mane rotas.

Iterum redire, rursus oriri. [nam, ut ait Catullus Carm. 5.

Soles occidere, & redire possunt]

τὸ *Iterum* vacat. ut & Eleg. 33. infra:

Tristia jam redeunt iterum solennia nobis.

sic Terentius in Prologo Hecyræ, *Iterum referre (fabulam)*; & Virgilius 4. Æneid. *Rursusque resurgens Sævit Amor*. *Maturos dies*, an celeres, & suo judicio nimium properantes, ut maturare interdum, pro celerare? an tempore suo quasi orientes, & prope adultos, ut *matura virgo?* translatum a fructibus. Ausonius in Rosa:

Errabam riguis per quadra & compita in hortis,
Maturo cupiens me vegetare die. PASS.

v. 13. ILLA DEOS, CURRUM CONSCENDENS, DIXIT INIQUOS] Id est, iniquitatem deorum accusavit, a quibus surgere cogeretur a voluptate sua ad laborem. Sic Homerus lib. 5. Odysseæ v. 118.

Σχέτλιοί ἐστε θεοί, ζηλήμονες ἔξοχον ἄλλων,
Οἵτε θεαῖς ἀγάασθαι παρ' ἀνδράσιν εὐνάζεσθαι.

Im-

Cui majora senis Tithoni gaudia vivi,
Quam gravis amisso Memnone luctus erat.
Cum sene non puduit talem dormire puellam,
Et canæ toties oscula ferre comæ.
At tu etiam juvenem odisti me perfida, quum sis
Ipsa anus haud longa curva futura die.

Quin

Improbi estis, dii, invidi præ aliis,
Qui deabus invidetis cum viris dormire.

Virgilius Ecl. 5.

Atque deos atque astra vocat crudelia mater.
PASS.

v. 14. INVITUM ET TERRIS PRÆSTITIT OFFICIUM] Id est, ipsa invita reduxit diem, quod ipsius munus est & officium. ut Eleg. 15. lib. 1. *Fletum invitis ducere luminibus. Officium præstare.* Ita Eleg. 15. infra:

Adspice uti cælo modo Sol, modo Luna ministret.

& Eleg. 16. lib. 3. *Luna ministrat iter.* Officium est quod quis efficere debet, ut Aurora diluculum; id autem a quoque exigitur. unde Sol apud Ovidium 2. Metam.

Pascimur, & fulget tenebris Aurora fugatis.

& mox:

Datque animum in luctus, & luctibus adjicit iram,
Officiumque negat mundo.

Officium scilicet ἀναβολὴν & λαμπαδηφόρον. P.

v. 15. QUUM MAJORA SENIS TITHONI GAUDIA VIVI, QUAM GRAVIS AMISSO MEMNONE LUCTUS ERAT.] *Quum*, pro, quandoquidem, ut Eleg. 6. supra v. 15. & *Quum erat*, pro, quum esset. qua de locutione vide Servium in 2. Æneid. Sententia itaque est: Ex vivo Tithono, licet sene, plus voluptatis capiebat, quam mæroris ex mortuo filio. Memnon Auroræ filius. Virgilius 1. Æneid. De luctu Auroræ eo amisso, Ovidius in Epicedio Tibulli:

Memnona si mater, mater ploravit Achillem.

& lib. 13. Metam.

Non vacat Auroræ, quanquam iisdem faverat armis,
Cladibus & casu Trojæque Hecubæque moveri.
Cura deam propior, luctusque domesticus angit
Memnonis amissi, Phrygiis quem lutea campis
Vidit Achillea pereuntem cuspide mater.

ac mox:

Luctibus est Aurora suis intenta, piasque
Nunc quoque dat lacrimas, & toto rorat in orbe.

De rebus gestis a Memnone legendus Q. Calaber, & Hyginus Fab. 112. PASS. *Cui majora senis T. g. v.* Passeratius *cum* accipit pro *quandoquidem.* atqui Scaliger jam tunc ediderat *cui*; quod verum est, & ego etiam in quinque libris inveni. noster primus habet *qui*, & Borrichianus item: quod tantumdem valet juxta labentium temporum scripturam; interdum quoque pro *quoi* ponitur. *Cui*, codices Gebhardi. BROUKH.

v. 17. CUM SENE NON PUDUIT TALEM DORMIRE PUELLAM] Alludit ad colorem Auroræ, quæ a Nævio in Alcestide *Pudoricolor* vocatur apud A. Gellium lib. 19. cap. 7. ut filius ejus Memnon *Nocticolor.* Ovidius quoque lib. 1. Amor. Eleg. 13.

Jurgia finieram: scires audisse; rubebat:
Nec tamen assueto tardior ortu dies.

Ab amandis vero senibus abhorrent puellæ. Tibullus Eleg. 9. lib. 1. *Senis amplexus culta puella fugit.* Plautus in Bacchid. *Odiosum est mortem amplexarier.* id est, senem. *Talem puellam*, tam formosam. & *puella* de dea Aurora; ut Eleg. 11. lib. 3. *Lydia puella*; de regina. PASS.

v. 18. ET CANÆ TOTIES OSCULA FERRE COMÆ] Si *comæ* legimus, vel synecdoche erit, pro cano capiti: vel simpliciter de comæ osculo intelligemus; ut Appulejus lib. 5. A. A. *Proximus in eam qua fine summum cacumen capillus ascendit, mellitissimum illud savium impressi.* Si *genæ*, vel malis, vel oculis ipsis. PASS. Minime mutandum *comæ*, utpote quod affectum exprimat multo ardentiorem, quam istud *genæ.* Appulejus autem, a Passeratio allatus, expressit Titinnium, veterem comicum:

Laudor, quod osculavi privignæ caput.
BROUKH.

v. 19. AT TU ETIAM JUVENEM ODISTI ME,

Quin ego deminuo curam, quod sæpe Cupido
Huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.
Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,
Ludis & externo tincta nitore caput.

ME, PERFIDA, QUUM SIS IPSA ANUS HAUD LONGA CURVA FUTURA DIE] *Etiam*, pro adhuc, & quod magis est, *Odisti me juvenem*. fugis me vigentem membris præviridantibus. Sic Eleg. 1. supra v. 73. *Nostra spes invidiosa juventa*. *Quum sis ipsa anus*, adeoque deformis. Sic & Eleg. 32. infra v. 6. Cynthiam anum vocat. *Curva futura*, quia senectus inflectit corpus. Terentius Eunucho: *Incurvus, tremulus, labiis demissis, gemens*. Ovidius 3. Metam. de Junone in anum conversa:

Sulcavitque cutem rugis, & curva trementi
Membra tulit gressu.

Vide Fulgentium de prisco sermone in voce *Silicernios*, & Nonium in *Silicernium*. Hinc Plauti jocus in Curcul. 1, 2. de anu curva senio, & bibente: *Bibit arcus; pluet, credo, hodie*. PASS. Non hoc sibi vult Propertius: Quum sis jam anus, & brevi curva etiam futura sis: sed hoc potius: Quum paucis annis futura sis anus curva. Matura enim ætate erat Cynthia, non tamen adhuc anus. VULP. Pariter infra Eleg. 23.

Appia cur toties te via ducit anum?

lib. autem 3. Eleg. 23. ominatur ei atque imprecatur imminens brevi senium & dispendium formæ. itaque tum nondum erat anus. neque colligi potest ex lib. 4. Eleg. 7. Cynthiam fuisse tam provectæ ætatis, quum moreretur. est autem valde inurbana ferocia, senium exprobrare puellæ amatæ, prudentius amorum magister Art. L. 2.

Nec quotus annus eat, nec quo sit nata require
Consule: quæ rigidus munera Censor habet,
Præcipue, si flore caret, meliusque peractum
Tempus, & albentes jam legit illa comas.

quam sit hoc amarum mulierculis detriti floris, sæpe videas apud Horatium. in primis vero L. 1. Ode 25. & L. 4. Ode 13. quæ tota est aurea. BROUKH.

v. 21. QUIN EGO DEMINUO CURAM, QUOD SÆPE CUPIDO HUIC MALUS ESSE SOLET, CUI BONUS ANTE FUIT] Duo consolantur Propertium: unum, quod mox anus facta Cynthia ei pœnas dabit: alterum, quod sint amoris vices, & superba vicissim fastidietur. Ergo, *quin*, pro, quinetiam sive præterea, ut supra Eleg. 10. v. 15. *Deminuo curam*; id ægritudinem meam levat, hoc me recreat, reficit & consolatur. Horatius Ode 11. lib. 4. *Minuentur atræ Carmine curæ*. Eadem sententia est Eleg. 9. lib. 1. v. 23. ubi vide adnotata. *Cupido bonus & malus*, ut bona & mala fortuna. *Bonus*, levis, facilis, secundus. *Malus*, adversus, difficilis. ut Plautus Asin. 1, 2.

Bene merenti mala es, male merenti bona es.

vide adnotata ad Eleg. 10. lib. 1. v. 28. P. Hoc distichon perperam loco moverunt, ad initium Elegiæ retrahentes, non sine detrimento sententiæ, Scaliger, & Broukhusius. VULP.

v. 23. NUNC ETIAM INFECTOS DEMENS IMITARE BRITANNOS] τὸ *demens* est objurgantis, ut Eleg. 8. lib. 1. v. 1. infra hac Elegia, *Inepte*. *Britannos infectos*. Sic locutus & Cæsar 5. de Bello Gallico: *Omnes se Britanni glasto inficiunt, quod cæruleum efficit colorem, atque hoc horribiliore sunt in pugna aspectu*. Pro *glasto*, vetus liber *ultro*. unde Faber in Semestr. *nitro*; Victorius, *luteo*; [alii, *vitro*.] Sed ex Plinio lib. 22. N. H. cap. 1. patet, rectum esse, *glasto*. *Simile plantagini*, inquit, *glastum in Gallia vocatur, quo Britannorum conjuges nurusque oblitæ*. Sed id colorem Æthiopum ait imitari. De Britannis Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 16. *Scythiam, Cilicasque feros, viridesque Britannos*. Et Martialis in Apophoretis, Lemmate 99. PASS. Idem poeta Hispanus Epigr. 33. lib. 8.

Et mutat Latias spuma Batava comas.

Genus videlicet σμήγματος ad inficiendos capillos, vel rutilandos. Cynthia quoque his medicamentis ætatem jam vergentem, & canos dissimulabat. VULP.

v. 24. LUDIS ET EXTERNO TINCTA NITORE CAPUT] Libidini indulges, infectum caput habens peregrino colore & fuco. Sic Eleg. 15. lib. 1.

Et potes externos manibus componere crines.

Ut natura dedit, sic omnis recta figura.
Turpis Romano Belgicus ore color.
Illi sub terris fiant mala multa puellæ,
Quæ mentita suas vertit inepta comas.

De

ubi vide adnotata. De Coma infecta Germanis herbis, & venali ante ædes Herculis & Musarum Ovidius 3. A. A. non longe ab initio. PASS. *Ludis*. Horatius pariter de anu ineptiente, Ode 13. lib. 4. *Ludisque, & bibis impudens*. Hæc mulierum vitia pulchre describit, acriterque reprehendit Xenophon Œconomici cap. 17. VULP.

v. 25. UT NATURA DEDIT, SIC OMNIS RECTA FIGURA] Nativa forma cuique pulchra. vide in hanc sententiam totam Elegiam 2. lib. 1. *Natura dedit*, ut Eleg. 22. infra:

Unicuique dedit vitium natura creato,

Et Eleg. ult. lib. 4. *Mi naturæ dedit leges*. *Recta figura* honesta & pulchra forma, quam mox *bonam* vocat hac Elegia. ut enim candida pro formosa, sic & recta. Ipse Elegia ult. hujus libri:

Despicis & magnos recta puella deos.

Turnebus lib. 26. Adv. cap. 12. docet, rectum dici de simplici decore, ex Cicerone & Seneca. Eleganter Catullus Carm. 85.

Quintia formosa est multis: mihi candida, longa,
Recta est. hæc ego sic singula confiteor.
Totum illud, formosa, nego. PASS.

v. 26. TURPIS ROMANO BELGICUS ORE COLOR] *Color Belgicus*, id est Britannicus, non decet faciem Romanam. *Color Belgicus*, mox *cæruleus fucus* vocatur, quem esse Britannorum colorem artificiosum supra ex Cæsare docuimus. sic & *color*, pro, fuco. Seneca Consolat. ad Helv. cap. 16. *Faciem lenociniis & coloribus polluere*. *Belgas* autem pro Britannis posuit ob viciniam. Sic Virgilius 3. Georg.

Belgica vel molli melius feret esseda collo.

quæ & Noster Eleg. 1. supra *esseda Britanna* vocat. Sic *Armeniæ tigres*, pro Hyrcanis; *Arabius bombyx*, pro, Sericus. Belgæ Galliæ populi a Matrona & Sequana ad Rhenum. vide Cæsarem lib. 1. Belli Gallici. *Ore*, pro ori. ut Eleg. 8. lib. 4.

Quum temere anguineæ creditur ore manus.
PASS.

Modo habuimus *infectos Britannos*. itaque *Belgicus color* idem est qui *Britannicus*: non propter viciniam, ut Passeratius putabat, sed propter originem. J. Cæsar L. 5. Belli Gallici cap. 12. *Britanniæ pars interior ab iis incolitur quos natos in insula ipsa memoria proditum dicunt. maritima pars ab iis qui prædæ ac belli inferendi caussa ex Belgio transierunt, qui omnes fere iis nominibus civitatum appellantur quibus orti ex civitatibus eo pervenerunt, & bello illato ibi remanserunt, atque agros colere cœperunt*. Sic Noster supra Eleg. 1. *esseda Britanna* vocat, quæ Virgilius *Belgica* vocaverat L. 3. Georg. Junius Philargyrius *Gallica* exponit. quæ tamen omnia eodem redeunt. BROUKH. *Color*. Ita Ovidius lib. 3. A. A. v. 163.

Femina canitiem Germanis inficit herbis;
Et melior vero quæritur arte color. VULP.

v. 27. ILLI SUB TERRIS FIANT MALA MULTA PUELLÆ] Apud inferos dolores & cruciatus perferat. *Sub terris*, ut Eleg. 3. lib. 3. *Sub terris sint jura deum*. unde *subterranea regna*, Juvenali Sat. 2. *Fiant mala*, ut *facere contumeliam & injuriam*. PASS. Cicero L. 1. Tuscul. Quæst. C. 16. *In terram enim cadentibus corporibus, hisque humo tectis, e quo dictum est humari, sub terra censebant reliquam vitam agi mortuorum. quam eorum opinionem magni errores consecuti sunt: quos auxerunt poetæ*. BROUKH. *Fiant mala multa*. Græca locutio: πολλὰ γένοιτο κακά. Contra D. Joannes Chrysostomus Homilia 5. in Epist. D. Pauli ad Titum: πολλὰ ὑμῖν γένοιτο ἀγαθά. *multa vobis fiant, vel eveniant, bona*. VULP.

v. 28. QUÆ MENTITA SUAS VERTIT INEPTA COMAS] τὸ *suas* per dilogiam, & *vertit suas comas*, & *mentita suas*. id est, quæ suas esse finxit, quum alienæ essent, vel arte tinxit, & naturam ipsam vertit. *Vertit comas*; vel omnino mutavit suis relictis & assumtis alienis: ut Virgilius 12. Æneid.

Non vocem mutare viris, non vertere vestes.

ita dictum videtur, *vertere pellem*, unde

versi-

De me, mi certe poteris formosa videri,
Mi formosa sat es, si modo sæpe venis.
An si cæruleo quædam sua tempora fuco
Tinxerit, idcirco cærula forma bona est?

Quum

versipelles : vel colorem tantum vertit, velut e nigro rutilum faciendo, aut cæruleum. Tertullianus de Cultu Feminarum : *Video quasdam & capillum croco vertere. pudet eas etiam nationis suæ, quod non Germanæ, aut Gallæ sint procreatæ : ita patriam capillo transferunt. Inepta ;* ut Ovidius lib. 2. A. A.

Quid toties positas fingis, inepta, comas?

Et proprie ; ineptus enim est qui non videt quid sit aptum & decens. vide Ciceronem 2. de Orat. PASS. *Suas vertis comas.* Horatius pariter Sat. 8. lib. 2. *Vertere pallor Tum parochi faciem.* Hoc Tibullus dixit mutare Eleg. 8. lib. 1.

Coma tum mutatur, ut annos
Dissimulet viridi cortice tincta nucis. V.

v. 29. DE ME, MI CERTE POTERIS FORMOSA VIDERI] *De me*, id est, quod ad me attinet ; ut Eleg. 32. infra : *Sed de me minus est.* Cicero Epist. 12. lib. 3. ad famil. *De me autem, suscipe paullisper meas partes.* & Epist. 1. lib. 6. *De te autem ipso, Torquate, est tuum sic agitare animo. Certe*, pro saltem ; ut Eleg. 8. supra : *Certe vertuntur amores.* PASS. Hoc sibi vult poeta : Noli causari, o Cynthia, te ornari & fucari mihi ; quantum enim ad me attinet, omnem hanc tingendi capilli curam potes deponere. formosa mihi eris etiam neglectis comis, & suo colore nitentibus, dummodo copiam tui facias. Ita locutus Cicero pro P. Sextio, ubi docet, qui sint optimates : *Qui integri sunt, & sani, & bene de rebus domesticis constituti.* Et Epist. 5. lib. 1. ad famil. *Nos quum maxime consilio, studio, labore, gratia de caussa regia niteremur*, &c. Item Varro lib. 3. R. R. cap. 2. *Mihi ad lacum Velini eunti de controversiis Interamnatium & Reatinorum.* id est, ob controversias. & Scriptor de Bello Cæsaris Hispaniensi cap. 7. *De levi armatura, & equitatu, longe & virtute & numero nostri erant superiores.* VULP.

v. 30. MI FORMOSA SATIS : SI MODO SÆPE VENIS] παλιλλογία. *Sæpe venis* videtur esse ὅρος, ut Eleg. 25. infra :

Excludis quoniam sors mea, sæpe venis.

Sic Virgilius Ecl. 7.

Sæpius at si me, Lycida formose, revisas.

Venire & vocari, verba stupri, ut *duci* & *perduci*. Scaliger aliter exponit ; sed errat. PASS. Nic. Heinsius legebat, *Mi formosa sat es*, Not. ad Ovid. L. 2. Art. Amat. v. 11. laudo, & sequor. deinde, *si modo sæpe venis*, perperam a Scaligero expositum, rectius interpretatur : est enim *venire* honestum verbum in re stupri, Propertio admodum familiare. viderat & Passeratius. τὸ *venire*, ad faventes ac præsentes deos transtulit Papinius Carm. 1. L. 5. Silv. & Martialis Epigr. 1. L. 8. BROUKH. *Mi formosa sat es.* Plautus quoque Sticho 5, 4, 55. *Satis mihi pulchra es.* VULP.

v. 31. AN SI CÆRULEO QUÆDAM SUA TEMPORA FUCO TINXERIT, IDCIRCO CÆRULA FORMA BONA EST?] Argumentum a dissentaneis, ut Eleg. 21. infra v. 27. *Quædam*, contemtim. ut Eleg. 13. lib. 1. v. 7. *Tinxerit tempora*, infecerit comas, vel faciem. quid *tempora*, aliàs adnotavi. *Fuco cæruleo*, colore Belgico, quem cæruleum esse ; id est, subviridem & glaucum ; docuimus supra. Servius ad illud 7. Æneid. *Tot per vada cærula venit ; Cæruleum*, inquit, *est viride cum nigro, ut mare.* sane etiam viride subflavum, unde *Caruleus cucumis* Eleg. 2. lib. 4. Quod poeta de Britannis, id etiam de Indis commemorat Solinus Polyhist. *Indis*, inquit, *omnibus promissa cæsaries, non sine fuco cærulei, aut crocei coloris. Forma bona*, ut supra, *Recta figura.* Sic Eleg. 28. infra :

Palladis aut oculos ausa negare bonos.

Suetonius in Caligula cap. 33. *Quoties uxoris vel amiculæ collum exoscularetur ; addebat : Tam bona cervix simul atque jussero, demetur.* & Terentius Andria 1, 1. *Adolescentulam forma bona* dixit. PASS. *Cærula forma.* ita *cærula species.* Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 19. de simulacris Solis apud Ægyptios : *Alterum ...... cærula specie, alterum clara fingunt.* VULP.

Quum tibi nec frater, nec sit tibi filius ullus:
  Frater ego, & tibi sim filius unus ego.
Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus,
  Nec nimis ornata fronte sedere velis.
Credam ego narranti, noli committere, famæ.
  Et terram rumor transilit, & maria.

ELE-

v. 33. QUUM TIBI NEC FRATER, NEC SIT TIBI FILIUS ULLUS: FRATER EGO, ET TIBI SIM FILIUS UNUS EGO] παλιλογία insignis. Sententiâ geminâ germanâ dixit Eleg. 11. lib. 1.

Tu mihi sola domus, tu Cynthia sola parentes.

Frater ego. nequitiæ verbum, inquit Lipsius lib. 2. Variar. cap. 1. sic & *Soror* Petronio. Ovidius non dissimiliter 10. Metam. in fabula Myrrhæ:

Forsan & ætatis quoque nomine Filia dixit:
Dixit & illa Pater; sceleri ne nomina desint.

P. Ovidius Epist. Briseid. hunc Nostri locum videtur imitatus:

Tot tamen amissis te compensavimus unum.
Tu dominus, tu vir, tu mihi frater eras.

In his autem vocabulis, *frater*, *filius*, nihil obscœnum hic est, si quid sapio. Sententia scilicet est: Quum fratribus omnino careas, qui te custodire possint, neque filium habeas, cui bono exemplo esse debeas; velim ego tibi esse & frater & filius, quem verearis. VULP.

v. 35. IPSE TUUS SEMPER TIBI SIT CUSTODIA LECTUS] *Lectus*, pro fide lecto conjugioque promissa. ut Eleg. 6. supra:

Felix Admeti conjux, & lectus Ulixis.

ubi plura exempla adnotavi. Et *lectus*, inquit, quod is conscius sit. *Tibi sit custodia*; id est, te mihi pudicam servet: nam, ut ait Eleg. 6. supra: *Nihil invitæ tristis custodia prodest*. *Lectus custodia*; ut Persius Sat. 5.

Quum primum pavido custos mihi purpura cessit. PASS.

Fortasse commendat Cynthiæ secessum intra domesticos parietes; de quo est doctum Alciati Emblema 115.

Alma Venus, quænam hæc facies? quid denotat illa
Testudo, molli quam pede, diva, premis?
Me sic effinxit Phidias, feminque referri
Femineum nostra jussit ab effigie.
Quodque manere domi, & tacitas docet esse puellas,
Supposuit pedibus talia signa meis.

Noster Eleg. 12. lib. 3. de Penelope: *Casta domi persederat uxor*. VULP.

v. 36. NEC NIMIS ORNATA FRONTE SEDERE VELIS] Potest esse synecdoche, *ornata fronte*. nam dixit, *Tincta caput*, &

Turpis Romano Belgicus ore color.

vel, ut Eleg. 2. lib. 1. v. 1. *Ornato capillo*. An simpliciter: *Ornata fronte*, quia frons gemmis ornabatur, tamquam corymbis? Tibullus de Baccho Eleg. 7. lib. 1. *Frons redimita corymbis*. Contra Noster Eleg. 22. infra: *Puris in frontibus*. id est, omni ornatu carentibus. Quid vero est *sedere*? an lenta esse mihi? ut Eleg. 14. supra:

Nec mihi ploranti lenta sedere potest.

An *sedere*, in theatro conspici? Eleg. 22. infra:

Candida non tecta pectore si qua sedet.

An quia *sedere*, ut *stare*, meretricum est? Plautus Pœnulo: *An ibi vis inter istas versarier Prosedas, pistorum amicas?* Ibid. *Quæ tibi olent stabulum, statumque & sellam & sessibulum merum*. *Velis sedere*, pro sedeas, ut Eleg. seq. v. ult.

Absenti nemo non nocuisse velit. PASS.

Sedebant mulieres etiam honestæ in thalamo. Plura scriptorum testimonia congessit elegantissimus Broukhusius. Præterea in circo, theatro, amphitheatro. VULP.

v. 37. CREDAM EGO NARRANTI, NOLI COMMITTERE, FAMÆ] Id est, Cave committas, tuaque culpa facias, ut credam famæ, de te, tuaque levitate narranti. vel, Cave id tradas famæ servandum, ut arcanum, & tamquam tacituræ. narrabit enim, quia garrula est. vide Eleg. 32. v. 8. *Narranti famæ*, ut Eleg. 20. lib. 3.

Et caput argutæ præbeat historiæ.

& inest in *committendi* verbo cum fide pericu-

riculum. sic Eleg. 6. lib. 3.

Quid faciam? obductis committam me ne tenebris?

Narranti famæ, pro garrulæ: nam, ut ait Festus, a fando dicta, ut φήμη Græcis ἀπὸ τῆς φάσεως. Sed & interpungi potest: *Credam ego narranti*, tibi, scilicet. Quid? an custode te non egere? an te pudicam esse? an te satis ornatam & formosam esse? P. Hic Passeratius fluctus movet in simpulo; multa miscet, nihil expedit. Simplex & aperta sententia est: Credam ego famæ de te narranti: propterea noli committere, nempe noli peccare, & fidem mihi obligatam rumpere. Breves hujusmodi παρενθέσεις & efficaces amat Horatius. Epist. 18. lib. 1. *Mea* (*contendere noli*) *Stultitiam patiuntur opes*. & Sat. 1. lib. 2.

Qui me commôrit (melius non tangere, clamo) Flebit, & insignis tota cantabitur urbe.

Porro *committere*, pro delinquere, peccare, facinus facere, Ciceroni frequens. VULP.

v. 38. ET TERRAM RUMOR TRANSILIT, ET MARIA] Fama velocissime totum orbem percurrit. Plautus apud Festum in *Citiar*: *Nullam rem citiorem esse apud homines quam famam reor*. Virgilius item 4. Æneid.

Fama malum quo non aliud velocius ullum.

unde Cicero in Epist. *Famam ipsam celeritate superare*. *Terras & maria*. id est spatia omnia quæ homines peragrant. Ovidius 12. Metam.

Ipsa quid in cælo rerum, pelagoque geratur,
Et tellure videt, totumque inquirit in orbem.

Transilire, ut Eleg. 20. infra:

Ferratam Danaës transiliamque domum.

Rumorem vero & famam confundit, quæ alii distinguunt; ut Cornelius Fronto: *Fama judicat, rumor tumultuatur*. PASS.

ELEGIA XIX.

ETsi me invito discedis, Cynthia, Roma,
Lætor, quod sine me devia rura colis.
Nullus erit castis juvenis corruptor in agris,
Qui te blanditiis non sinat esse probam.

Nulla

ARGUMENTUM ELEGIÆ XIX. LIBRI II.] Ad Cynthiam rus euntem. Caussam affert, quare illam rusticari non ægre ferat. V.

v. 1. ETSI ME INVITO DISCEDIS, CYNTHIA, ROMA, LÆTOR, QUOD SINE ME DEVIA RURA COLIS] Quamvis me prope repugnante & tristi discedis, hoc tamen jucundum est, quod te in agros potissimum confers. miscet pugnantia: *Invitus lætor*. ut M. Antonius initio Epist. ad Hirtium & Cæsarem, & Cicero initio Epist. ult. lib. 15. ad famil. *In ea voluptate hunc accepi dolorem*. Ejusdem argumenti est Elegia 32. infra, nisi quod ait, non urbem, sed conspectum suum Cynthiam fugere. Argumentum Elegiæ 3. lib. 2. Tibulli huic Elegiæ contrarium est. *τὸ sine me* non refertur ad, *lætor*: nam non lætatur id, sine se Cynthiam esse, & mox significat se adfuturum: sed ad *discedis*. *Devia rura*, a via turbaque hominum remota. *solos montes*, & *solas silvas* mox vocabit. Juvenalis Sat. 14. *Inventâ per devia rura lacertâ*. *Rura colis*. Tibullus pariter Eleg. 5. lib. 1.

Rura colam, frugumque aderit mea Delia custos.

Et Virgilius Ecl. 2. *Sordida rura Atque humiles habitare casas*. PASS. *Lætor, quod sine me d. r. c.* Quandoquidem aliquanto tempore sine me rure futura es, id saltem me consolatur, in abdito loco te morari velle, a meis rivalibus longe remotam. VULP. *colis*. fortasse *coles*. BROUKH.

v. 3. NULLUS ERIT CASTIS JUVENIS CORRUPTOR IN AGRIS] Nemo illic te corrumpet, & pudicitiæ tuæ insidiabitur; quia attenta ac pudica est vita rusticana; & in agris caste vivitur, quia illinc absunt otium & luxuria. Virgilius 2. Georg. de agricolis: *Casta pudicitiam servat domus*. Tibullus tamen Eleg. 1. lib. 2. Amorem in agris natum ait. *Corruptor*, adulter blandus. Cicero 5. in Verrem: *Corruptorem & adulterum adducere*. & 2. in Catil. *Corruptor ju-*

Bbb 2 ven-

ventusis. Juvenalis Sat. 1. *Nurus corruptor avara*. [& Sat. 10. v. 304.

--- *Prodiga corruptoris*
Improbitas ipsos audet censare parentes.] P.

Castis in agris. Mores agricolarum Cato laudat cap. 1. libelli de R. R. *At ex agricolis & viri fortissimi, & milites strenuissimi gignuntur, maximeque pius quaestus stabilissimusque consequitur, minimeque invidiosus. Minimeque male cogitantes sunt qui in eo studio occupati sunt*. Cui consentit Varro l. 3. de R. R. cap. 1. *Nec sine caussa Terram eamdem appellabant Matrem & Cererem, & qui eam colerent, piam & utilem agere vitam credebant, atque eos solos reliquos esse ex stirpe Saturni regis*. Quibus concinit M. Tullius pro Sex. Roscio: *Cupiditates porro quae possunt esse in eo qui (ut ipse accusator objecit) ruri semper habitarit, & in agro colendo vixerit? quae vita maxime disjuncta a cupiditate, & cum officia conjuncta*. Item Ludovicus Areostus Cantu 43. Rolandi Furentis, in fabula de Doctore:

La prega, che non faccia, se non sente
Ch' egli ci sia, nella città dimora,
Ma nella villa; ove più agiatamente
Viver potrà d' ogni commercio fuora.
Questa dicea però che l' umil gente,
Che nel gregge, e ne' campi gli lavora,
Non gli era avvisa, che le caste voglie
Contaminar potessero alla moglie.

Nos quoque in Elegia quadam, Cupidinem allocuti:

Hic (ruri) *labor insanas depellit pectora curas;*
Otia nec blandis artibus apta vides.
Hic tenuis victus, hic usti solibus artus:
Hic riget aestivo pulvere densa coma.
Nil agis. auratas alio converte sagittas,
Cordaque deliciis pervia quaere tuis.

Ipsemet Juvenalis Sat. 6. reliquis consentire videtur:

Magna tamen fama est cujusdam rure paterno
Viventis. vivat Gabiis, ut vixit in agro,
Vivat Fidenis, & agello cede paterno.

sed postea dubitat:

Quis tamen affirmet, nihil actum in montibus, aut in
Speluncis? adeon' senuerunt Juppiter & Mars?

Quam suspicionem auget Seneca in Hippolyto v. 774.

Quid deserta petis? tutior aviis
Non est forma locis. te nemore abditum,
Quum Titan medium constituit diem,
Cinget turba licens, Najades improbae,
Formosos solitae claudere fontibus:
Et somnis facient insidias tuis
Lasciva nemorum dea,
Montivagique Panes.

Sed profecto salaces homines fabularum ambagibus, & deorum prodigiis occulebant flagitia sua: ut Mars ille Romanae gentis pater, qui Rheam Silviam constupravit. Lepide ingeniosissimus poetarum 3. Metamorph. ex ore Junonis in vetulam conversae, ac Semelen alloquentis:

--- *Opto*
Juppiter ut sit, ait; metuo tamen omnia. multi
Nomine divorum thalamos iniere pudicos.

Corruptor. M. Seneca Controvers. 1. lib. 2. *Quae malam faciem habent, pudicae sunt: non animus illis deest, sed corruptor*. VULP.

V. 4. QUI TE BLANDITIIS NON SINAT ESSE PROBAM] Per quem tibi non liceat esse pudicae. *Blanditiis*; muneribus, precibus, lacrimis, benignis verbis. Eleg. 9. lib. 1.

Quisquis es, assiduas o fuge blanditias.

ad quem locum plura. *Non sinat*. vetus liber: *Non sinit*, a sinim, is; ut edim, edis. & sic apud Virgilium accipiunt 2. Æneid. *Haud ille sinit superi regnator Olympi*. Sed est praesentis temporis. *Non sinat*. ut Elegia 2. lib. 1.

Nec sinere in propriis membra nitere bonis.

Ovidius pariter Epist. Penelopes:

Forsitan & narres, quam sit tibi rustica conjux,
Quae tantum lanas non sinat esse rudes.

Probam, pudicam. Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 13.

Sic tibi mens melior, saltemque imitere pudicas:
Teque probam, quamvis non erit, esse putem. PASS.

Idem Ovidius lib. 1. Fast. 414. de Sileno:

Nequitia est, quae te non sinit esse senem.

Tibullus quoque ita locutus lib. 4. Carm. 8.

Hic animum sensusque meos abducta relinquo,
Arbitrii quoniam non sinis esse mei. VULP.

Sinit ἀρχαϊκῶς pro *sinat*; Scaliger, Passeratius: & Gebhardus, e suis membranis. sic *edit* est, pro *edat*, apud Horatium Epod. 3. v. 3. ubi videndi Lambinus ac Torrentius. in nostris omnibus est *sinat*. quod ego sequendum duxi prae archaismo non necessario, & quem Ovidius in hoc ipso verbo semper evitavit. quid, quod vero simile est, fuisse aberrationem librarii? nam in aliis libris *sinet* legebatur. etiam primitus cusi *sinat* habent. BROUKH. Omnium princeps

Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras,
  Nec tibi clamatæ somnus amarus erit.
Sola eris, & solos spectabis, Cynthia, montes,
  Et pecus, & fines pauperis agricolæ.
Illic te nulli poterunt corrumpere ludi:
  Fanaque peccatis plurima caussa tuis.

Illic

ceps Editio anni 1472. plane singularem lectionem exhibet :

Qui te blanditiis non sinat esse meam. V.

v. 5. NULLA NEQUE ANTE TUAS ORIETUR RIXA FENESTRAS] Negationes duæ pro una, Græcorum more : pro, nec ulla. sic Virgilius Ecl. 5. *Nulla neque amnem Libavit quadrupes*. Plautus Bacchid. *Neque ego haud committam*. Solebant autem amantes non januam tantum amicæ, sed etiam fenestras pulsare noctu. Horatius Ode 25. lib. 1. *Parcius junctas quatiunt fenestras Ictibus crebris juvenes protervi*. Noster Eleg. 20. lib. 3.

Nec flenti, dominæ patefiant nocte fenestræ. P. Dantes Aligherius (Inferni Cantu 2.) hunc loquendi modum adhibuit :

Io son fatto da Dio, sua mercè, tale,
Che la vostra miseria non mi tange,
Nè fiamma d' esto incendio non m' assale. V.

v. 6. NEC TIBI CLAMATÆ SOMNUS AMARUS ERIT] Eleg. 16. lib. 1. v. 22. *Tristis somnus*, qui hic *amarus*. *Clamata*, sæpe & cum clamore vocatæ. ut Eleg. 17. lib. 1.

Illa meum extremo clamasset pulvere nomen.

De hoc more Eleg. 14. supra v. 11. PASS. Noster Eleg. 9. lib. 4.

Territa vicinas Teïa clamat aquas.

Inclamare idem fere valet. Cicero lib. 2. de Iuventione : *Ille autem cujus gladio occisio erat facta, multo ante lucem surrexit, comitem illum suum inclamavit semel & sæpius. illum somno impeditum non respondere existimavit*. VULP.

v. 7. SOLA ERIS, ET SOLOS SPECTABIS, CYNTHIA, MONTES] παλιλλογία cum mutatione generis & casuum. Sic Eleg. 7. supra :

Tu mihi sola places: placeam tibi, Cynthia, solus.

Solos montes, incultos. Virgilius 11. Æneid.

Pastorum & solis exegi montibus ævum.

& Tibullus Eleg. 5. lib. 1. *In sola pascere monte pecus*. [τὸ *pecus* significat greges.] P. Contra *solitarius* Appulejo notat solum, sive unum, nullo alio homine comitatum. L. 3. Metam. *Nec enim verisimile est hominem solitarium tres tam validos evitasse juvenes. prohinc tormentis veritas eruenda*. BROUKH.

v. 8. ET PECUS] Horatius Epodo 2. de hoc spectaculo :

Has inter epulas ut juvat pastas oves
Videre properantes domum! PASS.

ibid. ET FINES PAUPERIS AGRICOLÆ] Vel privatorum terminos, vel pagi & omnium villarum simul. *Pauperis agricolæ*. inopis coloni. Horatius Ode 14. lib. 2. *Sive reges, Sive inopes erimus coloni*. & Ode 35. lib. 1. *Te pauper ambit sollicita prece Ruris colonus*. PASS.

v. 9. ILLIC TE NULLI POTERUNT CORRUMPERE LUDI] Ut Eleg. 8. lib. 1.

Nam me non ullæ poterunt corrumpere tædæ.

Ludi, spectacula, & theatra, & circus. unde stuprorum examina, ut docet Tertullianus in lib. de Spectaculis. Ovidius lib. 1. A. A.

Sed tu præcipue curvis venare theatris :
Hæc loca sunt voto fertiliora tuo.
Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsæ.
Ille locus casti damna pudoris habet.

& lib. 2. Trist.

Veneris ad ludos, ludi quoque semina præbent
Nequitiæ. PASS.

v. 10. FANAQUE PECCATIS PLURIMA CAUSSA TUIS] Quæ tibi stupri occasionem sæpissime obtulerunt. unde Ovidius lib. 2. Trist.

Quis locus est templis augustior? hæc quoque vitet,
In culpam si qua est ingeniosa suam.

& lib. 1. A. A. v. 77.

Nec fuge linigeræ Memphitica templa juvencæ
Multas illa facit, quod fuit ipsa Jovi.

Quid *fanum*, dixi ad Eleg. 6. supra v. 35. PASS.

v. 11.

Illic aſſidue tauros ſpectabis arantes,
Et vitem docta ponere falce comas.
Atque ibi rara feres inculto tura ſacello,
Hædus ubi agreſtes corruet ante focos.

Pro-

v. 11. ILLIC ASSIDUE TAUROS SPECTABIS ARANTES] *Tauros*, pro boves quoslibet, etiam exſectos. Ita Eleg. 3. ſupra: *Primo taurus detrectat aratra*. Confer Ovidium in Remediis Amoris a v. 169.

Rura quoque oblectant animos, ſtudiumque colendi:
Qualibet huic curæ cedere cura poteſt.
Colla jube domitos oneri ſupponere tauros;
Saucies ut duram vomer aduncus humum. &c.
VULP.

v. 12. ET VITEM DOCTA PONERE FALCE COMAS] Id eſt, putari, non tantum avelli frondes: quia etiam ſine falce carpuntur & avelluntur frondes, ac pampini; quæ *pampinatio* dicitur Columellæ cap. 27. lib. 4. ut illa, *putatio*. Virgilius 12. Æneid. *Poſuitque comas & brachia ferro*. Ovidius 11. Metam. *Poſitis te frondibus arbor Tonſa comas luxit*. Sic *ponere ungues*, Horatius A. P. 297. De ſtringendis putandiſque vitibus vide Virgilium 2. Georg. *Docta falce*, id eſt, falce docti & periti vinitoris. Sic Elegia 30. infra:

Et medius docta cuſpide Bacchus erit.

Tibullus Eleg. 1. lib. 2.

Illic indocto primum ſe exercuit arcu.
Hei mihi quam doctas nunc habet ille manus!

[& Eleg. 8. lib. 1.

Quid (tibi prodeſt) *ſucco ſplendente genas oneraſſe? quid ungues*
Artificis docta ſubſecuiſſe manu?]

Scaliger legit *doctam*, ut jungatur cum verbo *ponere*. Sic Eleg. 3. ſupra:

Par Aganippeæ ludere docta lyra.

Vitem doctam, quæ didicit, ſive adſuevit putari. Tibullus lib. 4. Carm. 1.

Hic & colla jugo didicit ſubmittere taurus,
Et lenta excelſos vitis conſcendere ramos.

De falce vinitoria, quæ *ſarpa* dicitur, quia ſarpere, purgare, lege Columellam lib. 4. cap. 25. PASS. Noſtri libri omnes habent *docta*, & editiones primæ. Ovidius lib. 1. A. A. dixit ad eumdem modum:

Sit coma, ſit doctâ barba reſecta manu.
BROUKH.

Pari elegantia Valerius Flaccus Argon. lib. 1. v. 121.

Simul undique cernit
Delatum nemus, & doctâ reſonare bipenni
Litora. VULP.

v. 13. ATQUE IBI RARA FERES INCULTO TURA SACELLO, HÆDUS UBI AGRESTES CORRUET ANTE FOCOS] *τὸ ibi* eſt temporis adverbium, pro, tunc; ut & *ubi*, pro, quum. *Feres*, offeres, dabis. ut dixit Eleg. 10. ſupra v. 24. Sic Albinovanus ad Liviam: *Tura ferenda rogo*. *Rara tura*, quia raro adolentur, inquit Beroaldus. An *rara*, quia quotannis ſemel offerebant? *Paſtorem luſtrare quotannis*, dixit Tibullus Eleg. 1. lib. 1. An potius quot menſibus? Idem Eleg. 3. lib. 1.

At mihi contingat patrios celebrare penates,
Reddereque antiquo menſtrua tura Lari.

Ture placabantur Lares naſcente Luna. Horatius Ode 13. lib. 3. *Inculto ſacello*. an inornato, ut ſunt ſine ornatu ruſtica ſacella? an quia *deſertis ceſſant ſacraria lucis*, ut ait Eleg. 13. lib. 3. & Eleg. 6. ſupra:

Sed non immerito velavit aranea fanum,
Et mala deſertos occupat herba deos.

Erant autem ſacella urbana, & ruſticana, Fuerunt ſacella & in lucis. Feſtus: *Sacella diis ſacrata loca ſine tecto*. De hoc verbo Gellius lib. 6. N. A. cap. 12. qui ridet Trebatii etymon. *Hædus*, capellæ fœtus, qui Fauno immolabatur in ſacellis & lucis. Horatius Ode 4. lib. 1.

Nunc & in umbroſis Fauno decet immolare lucis
Seu poſcat agna, ſive malit hædo.

& Ode 18. lib. 3. *Si tener pleno cadit hædus anno*. Varro lib. 4. de L. L. *Hircus, quod Sabini fircus; & quod illic fedus, in Latio rure hedus. quod in urbe, ut in multis a addito, hædus*. *Corruet*, mactabitur. *Ante focos*, ut Eleg. 6. lib. 4.

Et cadat ante meos icta juvenca focos.

& Virgilius 1. Æneid.

Multa tibi ante aras noſtrâ cadet hoſtia dextrâ.

Agreſtes focos, aras ruſticorum. unde aræ & foci

Protinus & nuda choreas imitabere ſura,
Omnia ab externo ſint modo tuta viro.
Ipſe ego venabor. jam nunc me ſacra Dianæ
Suſcipere, & Veneri ponere vota juvat.

In-

foci conjungi ſolent. Sic Eleg. *6.* lib. 4.

Terque focum circa laneus orbis eat.

id eſt, circum aram. An *agreſtes* propter Faunum? Ovidius 4. Faſt. v. 755.

Da veniam culpæ: nec, dum degrandinat, obſit
Agreſti Fauno ſuppoſuiſſe pecus.

An *focos*, pro, Lares & Penates? Noſter Eleg. ult. lib. 4.

Me neque cenſuræ legem molliſſe, nec ullo
Labe mea veſtros erubuiſſe focos. PASS.

ibid. RARA FERES I. TURA SACELLO] Tura dabis ſacello ruſtico, in quo non dantur frequenter, niſi quum urbanis libuit ruſticari. agricolæ enim verbenis defungebantur. Sacella autem in fundis ſuis habebant homines lautiores. Id liquet vel ex Cicerone pro Milone C. 31. Plinio Cæcilio Epiſt. *39.* lib. *9.* & Apulejo in Apologis. BROUKH.

v. 14. HÆDUS U. AGRESTES CORRUET A. FOCOS] Neque idibus Febraariis, neque nonis Decembribus, diebus Fauno ſacris, credibile eſt Cynthiam voluiſſe ruſticari. itaque ſatius videtur ut Fontinalia intelligamus; quæ erant tertiadecima die Octobris; uti videre eſt in inſigni illa tabula faſtorum Kalendarium apud Gruterum Inſcript. p. CXXXIII. quam ego contuli cum emendatiſſimo autographo Stephani Vinandi Pighii noſtratis. Fontibus autem fiebat hædo. Vide Horatium lib. 3. Ode 13. Huc facit ara marmorea, Romæ olim ad portam Capenam, cujus epigramma Gruterus habet, XCIII. II. in ejus aræ dorſo hædi caput inſculptum erat, eo quod eſſet Nymphis Fontanis ſacra. obſervavit idem ille inſignis Pighius præfatione in L. *7.* Annal. Roman. BROUKH.

v. 15. PROTINUS ET NUDA CHOREAS IMITABERE SURA] Id eſt, continuo, & ſine intermiſſione choreas duces, exemplo Nympharum: & arte facies, quod illæ natura. Sic Virgilius Ecl. 5.

Saltantes Satyros imitabitur Alpheſibœus.

Et Noſter Elegia ſuperiore, *Imitere Britannos*. Hinc mimi ac ludii, ab imitatione ſimii dicti Auſonio:

Daphnen & Nioben ſaltavit ſimius idem,
Ligneus ut Daphne, ſaxeus ut Niobe.

Nuda ſura, non pede nudo, ſed cothurno induta ad ſummam ſuram uſque habito Nympharum. de quo plura dixi ad illud Catulli:

Mollia nudatæ tollentem tegmina ſuræ.

Sura, γαςροκνήμιον; quod ex altera parte tibiæ. vulgo: *Le mollet de la jambe*. PASS.

v. 16. OMNIA AB EXTERNO SINT MODO TUTA VIRO] Sic Eleg. *7.* lib. 1.

Sint modo fata meis mollia carminibus.

Externo viro, adultero. Eleg.*6.*ſupra v. *6.* & Eleg.1.lib.1. v. antep. Ovidius Epiſt. Paridis:

Si bona magna putaret,
Quæ tenet, externo crederet illa viro?

Tuta, defenſa ac munita; ut Eleg. *6.* ſupra v. 40.

Quam peccare pudet, Cynthia, tuta ſat eſt. P.

Omnia ab. De hoc vocalium concurſu dixi ad Tibullum Eleg. *6.* lib. 1. *Externo viro*. ſic *externa puella* pro, pellices, dixit Noſter Eleg. 8. lib. 4. VULP.

v. 17. IPSE EGO VENABOR] Sic Virgilius 8. Æneid.

Ipſe ego te ripis, & recto flumine ducam.

Et Cicero lib. 3. ad Attic. Epiſt. 15. *Sed tu tantum lacrimas præbuiſti dolori meo, quod erat amoris, tamquam ipſe ego.* PASS.

ibid. JAM NUNC ME SACRA DIANÆ SUSCIPERE, ET VENERI PONERE VOTA JUVAT] *Jam nunc*, ſine mora. Horatius Ode *6.* lib. 3. de puella præcocis libidinis, *Fingitur artubus jam nunc*. Noſter Eleg. ult. lib. 4.

Diſcite venturam jam nunc ſentire ſenectam.

Suſcipere ſacra Dianæ, eſt vovere vel polliceri capita vel cornua aprorum, aut cervorum; quod mox explicat, *& reddere pinu Cornua*. qui ſuſcipit ſacra, ſibi quiddam oneris imponit, quia pollicetur ſe ſacra facturum, & id debet. unde infra Eleg. 28.

Munera Dianæ debita redde choros.

de verbo *ſuſcipere* vide plura ad Eleg. *9.* ſupra v. 25. *Et Veneri ponere vota*. Ludit

præ-

Incipiam captare feras, & reddere pinu
Cornua, & audaces ipse monere canes.

Non

præter exspectationem. suscipiam sacra Dianæ, & vota ponam Veneri. ut servus quidam in Aulul. Plauti 4, 2.

Si reperero, o Fides,
Mulsi conjugalem plenam faciam tibi fideliam.
Id adeo tibi faciam: verum ego mihi bibam,
ubi id fecero.

Veneri, & ob communem amantium tutelam: & ob tutelam hortorum. Varro & Festus. *Ponere vota*. ut Eleg. 10. supra v. 22.

Ponitur hic imos ante coreus pedes. PASS.

Sacra Dianæ suscipere. Ita & Cicero loquitur, Interrogat. in Vatinium C. 6. *quum inaudita ac nefaria sacra susceperis*, &c. quum sis initiatus sacris nefariis. BROUKH. *Veneri ponere vota juvat*. Ex amatore venator, sacra Dianæ suscipiam, ut aa me locupletet prædâ: Veneri autem vota ponam, quod me voti compotem olim fecerit. Nullus hic jocus παρὰ προσδοκίαν, ut putabat Passeratius. Eodem pacto Plautus prologo Rudentis v. 60. *Ait se se Veneri velle votum solvere*. Neque abit Horatius Ode 26. lib. 3. *Arma, defunctumque bello Barbiton hic paries habebit, Lævum marinæ qui Veneris latus Custodit*. Neque Persius Sat. 2.

Dicite, Pontifices, in sancto quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ a virgine pupæ.

Imagunculas enim cereas, ligneas, vel ex alia materia, dicabant Veneri virgines grandiores & nupturæ; quo se ludicra puellularum missa facere testabantur. Vide & Andreæ Naugerii Epigr. 17. quod incipit:

Jam telas, calathosque, omnesque perosa labores &c.

Ita qui navigare desierant, vel ex naufragio evaserant, tabellas votivas Neptuno suspendebant. Horatius Ode 5. lib. 1. *Me tabulâ sacer Votivâ paries indicat uvida Suspendisse potenti Vestimenta maris deo*. Et gladiatores rude donati, in templo Herculis arma figebant. Idem Epist. 1. lib. 1.

Vejanius armis
Herculis ad postem fixis latet abditus agro,
Ne populum extremâ toties exoret arenâ.

Ponere vota, sic dictum a Propertio, ut ab Auctore Liberi Carminis Epigr. 20.

Hæc quæcumque tibi posui vernacula poma,
De Sacra nulli dixeris esse Via.

Et a Silio Italico lib. 4. Punic. v. 200.

Occumbis Sarmens, flavam qui ponere victor
Cæsariem crinemque tibi, Gradive, vovebat
Auro certantem, & rutilum sub vertice nodum.

VULP.

v. 19. INCIPIAM CAPTARE FERAS] Hoc est quod dixit, *venabor*. Nam capto, θηρεύω. Captator, venator, θηρευτής: Vetus Glossarium. & *captare* est insidiantis. ideo sequitur, *Excipere lepores*. Vim verbi *captare* explicat Plautus in Amphitr. *Tu si me impudicitiæ captas, non potes capere*. Et duo genera venationis tangit, vi & fraudibus. Vi, *audaces monere canes*: fraude, *excipere lepores*. Virgilius 1. Georg.

Tum laqueis captare feras, & fallere visco
Inventum.

Horatius Epodo 2.

Aut trudit acres hinc & hinc multa cane
Apros in obstantes plagas.
Aut amite levi rara tendit retia
Turdis edacibus dolos.
Pavidumque leporem, & advenam laqueo gruem
Jucunda captat præmia.

ubi de venatione inter voluptates rei rusticæ. PASS.

ibid. REDDERE PINU CORNUA] Ut promissa debita Dianæ, figere sacræ ei arbori, pinui scilicet. Pinus non tantum sacra Pani; ut Virgilius Ecl. 7.

Hic arguta sacrâ pendebit fistula pinu:

sed etiam ipsi Dianæ, ut apud Horatium Ode 22. lib. 3. *Montium custos nemorumque virgo --- Imminens villæ tua pinus esto*. *Reddere*, est solvere, etiam in sacris. ut Eleg. 28. infra:

Munera Dianæ debita redde choros.
Redde etiam excubias divæ nunc, ante juvencæ.

Cornua vero ferarum figebantur a venatoribus voti reis. Appulejus lib. 1. Florid. *Aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus redimita*. *Pinu*, pro pinui, ut Elegia 1. supra, *manu*, pro manui v. 66. P. Ita Catullus de Coma Berenices: *cælesti reddita cætu*, pro cœtui. Noster Eleg. 11. lib. 1.

Alternæ facilis cedere lympha manu.

Ceterum Dianæ venationum deæ suspendebant ex arbore capita & cornua ferarum

occi-

Non tamen ut vaftos aufim tentare leones,
Aut celer agreftes cominus ire fues.

Hæc

occifarum. Virgilius Ecl. 7.

Setofi caput hoc apri tibi, Delia, parvus
Et ramofa Mycon vivacis cornua cervi. V.

v. 20. AUDACES IPSE MONERE CANES] Id eft, acres & animofos; ut Virgilius *acrem* modo, & modo *audacem Turnum* vocat. Idem: *Genus acre luporum, Atque canum.* *Monere canes*, eft clamore in feras incitare. Ovidius dixit 10. Metam.

Per juga, per filvas, dumos & faxa vagatur:
Hortaturque canes.

& in Epift. Phædræ:

Hortari celeres per juga fumma canes.

Sic & Appolejus lib. 8. A. A. *Canes jubilationibus & hujufmodi vocibus in aliquem inhortari.* PASS. *Ipfe.* non operâ famuli ufus, verum ipfe per me. Sic Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

Ipfe feram teneras maturo tempore vites. V.

v. 21. NON TAMEN UT VASTOS AUSIM TENTARE LEONES] Sic Eleg. 13. fupra v. 5.

Non ut Pieriæ quercus mea verba fequantur.

Aufim. dixi Eleg. 5. fupra v. 24. *Tentare*, aggredi: & conatum habet vehementem nocendi, ut diximus ad illud Eleg. 12.

Intactas ifto fatius tentare veneno.

& conjunctum cum periculo: ut apud Horatium, *Tentabo Bofporum*; &, *Aerias tentaffe domos.* Palmerios ex veteri libro, *Temerare.* *Vaftos leones.* referendum ad vires ingentes leonum, omnia fternentes; ut *vafto impetu* apud Horatium. Ovidius quoque lib. 10. Metam.

Impetus eft fulvis & vafta leonibus ira.

ubi Venus Adonin monet ne leonibus aut apris congrediatur. Ita Virgilius 5. Æneid. *Vafta vires.* PASS. Broukhufius probat Palmerii lectionem *temerare*, periculofa nempe & temeraria audacia aggredi, violare, & quafi foperbe contemnere. Auctorum etiam exemplis probare conatur: fed non perfuadet. VULP. Quid fiet τῷ *leones*? illi certe in Italia nulli erant. credo mendum latére in hac voce, atque aliam aliquam feram fuiffe nominatam, cujus venatio fit periculofa, itidem ut aprorum. BROUKH. Acuta fimul & vera hæc viri diligentiffimi, & judicio præftantis animadverfio. Hanc tamen ego effe arbitror poetæ fententiam: Venabor quidem & aucupabor, fed nullo meo periculo. nec me ftatim parem leonibus & apris figendis putavero, ubicumque terrarum in eos incidere poffim, quod lepufculos & aviculas ruri captaverim, & facile ceperim. Vel dicemus, peccaviffe hoc loco Propertium, non contra leges poeticas, fed adverfus hiftoriam naturalem; de quibus poetarum erroribus difputat Voffius pater lib. 1. Inft. Poetic. cap. 3. *Vaftos leones.* Pindarus Ode 4. Nemeorum, λέοντας vocat θρασυομαχίας. *audaces in pugna.* *Tentare*, pro, cubili excitare, exagitare. Italice, *fluzzicare*, *attizzare.* V.

v. 22. AUT CELER AGRESTES COMINUS IRE SUES] Celeritate opus eft, & agili motu corporis in aprorum venatione. unde Horatius Ode 12. lib. 3. *Celer alto latitantem fruticeto excipere aprum.* *Cominus ire*, congredi. Nofter Eleg. 1. lib. 3.

Fluminaque Hæmonio cominus ifle viro.

Ovidius 5. Faft.

At poftquam virtus annis adolevit, in apros
Audet, & hirfutas cominus ire feras.

& in fragmento Halieutici:

Ipfa fequi natura docet (feras) vel cominus ire.

Propertius Eleg. 1. lib. 4. abfque *cominus* dixit:

Vel licet armatis hoftis inermis eat.

Agreftes fues, id eft feros. ut Eleg. 33. infra *Agreftis figura.* *Silvatici fues* dicuntur Varroni apud Nonium in *Venabulum.* vide Plinium lib. 8. H. N. cap. 53. PASS. Huc facit pulcher locus Aufonii Epift. 4. v. 26.

An cum fratre vages dumeta per avia cervos
Circumdas maculis, & multa indagine pinnæ?
Aut fpumantis apri curfum clamoribus urges,
Subfidifque fero? Mene tamen, ufque recufes
Stringere fulmineo venabula cominus hofti.

& infra v. 39.

Sed tu parce feris venatibus, & fuge nota
Crimina filvarum: ne fis Cinyreia proles,
Accedafque iterum Veneri plorandus Adonis.

Lege Ovidium lib. 10. Metam. a verfu 539. ad 551. VULP.

Hæc igitur mihi sit lepores audacia molles
Excipere, & structo figere avem calamo:

Qua

v. 23. HÆC IGITUR MIHI SIT LEPORES AUDACIA MOLLES EXCIPERE] *Mihi*, pro mea. ut Eleg. 17. lib. 1.

Nec mihi Cassiope solito visura carinam.

Excipere lepores; ex insidiis adoriri & capere. Virgilius Ecl. 3.

Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis?

Cicero pro Sex. Roscio: *Arbitrantur isti vos hic tales viros sedere, qui excipiatis eos qui e suis manibus effugerint.* Vide Servium; & Nonium in *excipere*. *Excipere*, venatorum est, ut δέχεσθαι Græcis. *Excipi* etiam dicuntur apri, quum venabulis transeuntes figuntur, Horatii Ode 12. lib. 3. *Lepores* dicuntur *molles* non ob villorum, sed ob ingenii mollitiem. *Molles* enim imbelles, ut Eleg. 3. lib. 4.

Et texit galeâ barbara molle caput.

Mollities autem leporum ad parum viros transfertur. unde apud Terentium Eunucho: *Lepus tute es, & pulpamentum quæris?* quod a Græcis petitum, Δασύπους κρεῶν ἐπιθυμεῖ. Ideo Veneri sacer lepus. Philostratus in Imaginibus. & apud Ovidium 10. Metam.

--- *tutaque animalia prædæ;*
Aut pronos lepores, aut celsum in cornua cervum,
Aut agitat damas.

Apris autem & leonibus Venus abstinet. PASS.

v. 24. STRICTO FIGERE AVEM CALAMO] *Figere*, est, configere, confodere. Attius Philocteta: *Figebat tardus celeres, stans volantes.* Virgilius 6. Æneid. *Fixeris aripedem cervam licet.* *stricto calamo*, id est, sagittâ destrictâ, & emissâ. ut *stricto gladio*, Cicero 1. Philipp. & Virgilius 12. Æneid. *Pare gladios stringunt manibus.* Calamus, pro sagitta, quia calamis populi Orientis bella conficiebant, ut scribit Plinius lib. 16. H.N. cap. 36. Horatius Ode 15. lib. 1. *Calami spicula Gnosii.* Est & calamus piscatorius, de quo Eleg. 2. lib. 4. *Suppetat hoc, pisces calamo prædabor.* Tibullus Eleg. ult. lib. 2. *Hæc* (spes) *captat arundine pisces.* Beroaldus monet, exponi posse de genere aucupii quo auceps calamos sublatos avibus subjiciebat; de quo Martialis lib. ult. Epig. 218.

Non tantum calamis, sed cantu fallitur ales,
Pallida dum tacitâ crescit arundo manu.

Nescio an eodem pertineat quod scribit Noster Eleg. 13. lib. 3.

Sive petas calamo præmia, sive cane.

& Eleg. 2. lib. 4.

--- *sed arundine sumta*
Faunus plumosæ sum deus aucupiæ.

Petronius Arbiter Satyr. *Ecce etiam per antennam pelagiæ consederant volucres, quas textis arundinibus peritus artifex tetigit.* Pro *stricto* vetus liber, *structo*, ut calamorum sit ordo & series. PASS. *Figere avem structo calamo*, (ita enim legit) Salmasius Exercit. Plinian. p. 83. 765. editionis recentatæ, exponit de calamo aucupatorio, vel crescente arundine, quæ aves tangebat ac veluti fixas vinctasque capiendas dabat. ut *figere* hic sit *defigere*, & illigatam visco reddere immobilem. Valerius Flaccus L. 6. admodum belle describit hoc aucupii genus:

Qualem populeæ fidentem nexibus umbræ,
Si quis avem summi deducat ab aëre rami,
Ante manu tacitâ cui plurima crevit harundo:
Illa dolis viscoque super correpta sequaci
Implorat ramos, atque irrita concitat alas.

quæ postrema verba habent aliquid Senecæ L. 3. de Ira C. 16. *Sic laqueos fera dum jactat, adstringit: sic aves viscum, dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt.* Videndus & Gonsalius de Salas ad Petron. p. 264. qui tamen hunc locum capit de venatione quæ aves arundine transfixas dejicit. miror. fere enim quæcumque adfert, spectant ad arundines viscatas. neque aliter intelligendum arbitror nostrum Aurelium L. 3. Eleg. 11. v. 46.

Et me Pana tibi comitem de rupe vocato,
Sive petas calamo præmia, sive cane.

& vidit ante me Douza Schediasm. succid. p. 68. nec tamen plane vidit. BROUKH. Id aucupii genus describit etiam Silius Italicus lib. 7. a versu 674.

Ut qui viscatos populatur harundine lucos,
Dum nemoris celsi procera cacumina sensim
Substructâ certat tacitus contingere metâ,
Sublimem calamo sequitur crescente volucrem.

Ad quem locum ita Nic. Heinsius: *Elegantissi-*

Qua formosa suo Clitumnus flumina luco
Integit, & niveos abluit unda boves.

Tu

tissime profecte. Dum enim viscatæ harundini aliæ ex aliis harundines, atque illæ crassiores crassioresque substruebantur, formam metæ reddebant ac pyramidis. & post multa: *Apud Valerium Flaccum quoque lib. 3. ubi venatrices Nymphas describit, fortasse legendum v. 524.*

Et manica virides & structâ myrtus avenâ, quum nunc circumferatur strictâ myrtus habenâ. *Extremæ enim harundinum crescentium compagi frondentem ramum sive myrteum sive alium quemcumque, visco illitum inserebant: cui dum insidebant, aves glutine adstringerentur.* Meminit etiam Æsopus in Fabula quæ inscribitur Ἰξευτὴς καὶ ἔχις. Ἰξευτὴς, inquit, ἰξὸν ἀναλαβὼν καὶ καλάμους, πρὸς ἄγραν ἐξῆλθεν· ἰδὼν δὲ κίχλαν ἐφ' ὑψηλοῦ δένδρου καθεζομένην, καὶ τοὺς καλάμους ἀλλήλοις ἐπὶ μῆκος συνάψας, ἄνω πρὸς αὐτὴν συλλαβεῖν ἐσκόπει. id est: *Auceps visco sumto & arundinibus aucupatum exiit. Viso autem turdo super alta arbore sedente, & arundinibus inter se in longitudinem conjunctis, sursum, eum comprehensurus, suspiciebat.* Alii Græci scriptores συνθέτους καὶ πηκτοὺς καλάμους vocant. Martialis ita expressit Epigr. 54. lib. 9.

Si crescente levis traheretur arundine præda,
Pinguis & implicitas virga teneret aves.

Pinguis virga, nempe visco illita. Legi possunt Raderus ad eum locum, Oppianus lib. 3. Cyneget. v. 487. Isidorus vetus poeta Anthologiæ lib. 3. cap. 26. Epigr. 2. & 3. atqne ibi Brodæus, Appulejus lib. 11. A.A. Grnterns in Appendice Not. ad Martialis Epigr. 54. lib. 9. J. F. Gronovius Observ. lib. 3. cap. 18. & ad Auctorem Octaviæ v. 412. Denique Arnoldus Drakenborch ad Silii lib. 7. 674. testatur, illius aucupii schema exhibere gemmam apud Gorlæum in Dactyl. tomo II. num. 480. Edit. Gronov. Alludit Plautus Bacchid. 1, 1, 17. *Duæ unum expetitis palumbum. perii, arundo alas verberat.* VULP.

v. 25. QUA FORMOSA SUO CLITUMNUS FLUMINA LUCO INTEGIT, ET NIVEOS ABLUIT UNDA BOVES] Servius in illud 2. Georg. *Hinc albi, Clitumne, greges. Clitumnus*, inquit, *fluvius in Mevania, quæ pars est Umbriæ in Hetruria, cujus aquas animalia quæ potaverint, albos fetus creant.* Noster Eleg. 22. lib. 3.

Hic Anio Tiburte fluis, Clitumnus ab Umbro Tramite.

Suetonius in Caligula cap. 43. *Quum ad visendum nemus, flumenque Clitumni Mevaniam processisset.* *Qua*, regione scilicet vel parte. *Integit flumina*, opacat umbrâ arborum. sic Eleg. 23. infra: *Quæ porticus illam Integit.* unde *integumenta*. Scaliger id explicat de specu Clitumni. *Formosa flumina*, flumen suum amœnum. sic *formosis undis* Eleg. 20. lib. 1. v. 41. ubi vide adnotata. *Suo luco*. Cornelius Tacitua lib. 1. Annal. sub finem, lucos ait & aras patriis amnibus dicari consuevisse. vide infra Elegia ult. v. 67. Si *sua* retinemus, quod est in libris quibusdam, *s* & *l* seqnentes producunt brevem. *Et niveos abluit unda boves*. id est, ablnendo candidos facit; quamvis non ablutione, sed ipso potu candidi reddi scribantur. Plinius l. 2. N. H. cap. 103. *In Falisco, omnis aqua pota candidos boves facit. in Bœotia amnis Melas, oves nigras: rufas juxta Ilium Xanthus, unde & nomen amni.* Statius 1. Silv. Soter. pro Rutil. Gall.

Aut præstent niveos Clitumna novalia tauros.

Servius loco prænotato: *Alii, fetus ejus gregis qui inde biberit, candidos effici tradunt.* PASS.

ibid. CLITUMNUS FLUMINA LUCO INTEGIT] Junius Philargyrius in Virgil. L. 2. Georg. *Clitumnus & deus & lacus in finibus Spoletinorum, ex quo bibentia pecora alba fiunt.* Apud Clitumnum, templum Jovis erat, qui a loco nominabatur *Jupiter Clitumnus*. Vibius Sequester de Fluminibus: *Clitumnus Umbriæ, ubi Juppiter eodem nomine est.* Sane dii sua sæpe cognomina sortiebantur a locis, in quibus præcipue honore colerentur. sic *Jupiter Anxurus, Jupiter Capitolinus*, in Historiis atque Inscriptionibus; *Juno Lucina; Apollo Sandalarius; Hercules Saxanus, Tiburtinus, Epitrapezius*; quæque alia sunt hoc genus sexcenta. Clitumni ædem sacram, marmoream, & antiquissimam, more Corinthio pulcerrime constructam, memorat ac describit Steph. Vinandus Pighius in Hercule Prodicio, p. 272. quæ an eadem sit quod exiguum illud templum e

Tu quoties aliquid conabere, vita, memento
  Venturum paucis me tibi luciferis.
Sic me nec solæ poterunt avertere silvæ,
  Nec vaga muscosis flumina fusa jugis:
Quin ego in assidua mutem tua nomina lingua,
  Absenti nemo ne nocuisse velit.

ELE-

marmore candido, structuræ Corinthiæ, quod descripsit nuper Maxim. Misson, Itineris Italici parte 1. Epist. 20. lectori expendendum relinquo. certe non potest esse *templum* illud *priscum & religiosum* cujus meminit Plinius Cæcilius L. 8. Epist. 8. quem locum noli committere quin consulas; unice enim huc facit. BROUKH.

v. 27. TU QUOTIES ALIQUID CONABERE, VITA, MEMENTO VENTURUM PAUCIS ME TIBI LUCIFERIS.] *τὸ aliquid*, est stupri; ut Eleg. 4. v. 2. dictum. [Ovidius pariter lib. 3. Amor. Eleg. 2.

Risit, & argutis quiddam promisit ocellis.]

& *conabere*, ut Horatius Ode 6. lib. 3. *Incestos amores De tenero meditatur ungui. Aliquid conabere*, parabis peccare. Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Nec tibi celandi spes sit peccare paranti.
Est deus, occultos qui vetat esse dolos.

Paucis luciferis. intra paucos dies. Sic Catullus Carm. 13.

Cœnabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi dii favent, diebus.

Cicero lib. 5. ad Attic. Epist. 17. *Paucis diebus habebam certos homines, quibus darem litteras.* & mox: *Paucis diebus perscribam ad te omnia. Luciferi*, ut *soles*, pro diebus. Ovidius 1. Fast.

Non habet officium lucifer omnis idem.

& lib. 2.

Nec tamen hoc ultra, quam quot de mense supersunt
Luciferi. PASS.

Ita Plautus Asin. 4, 1, 19. *Ni quatriduo Abalienaris, quo abs te argentum acceperis*, id est, post quatriduum. Aliquando hæc locutio pertinet ad tempus præteritum. Cicero de Senectute: *His paucis diebus* (P. Scipio) *pontifex maximus factus est.* Ovidius Epist. Canaces:

Quid puer admisit tam paucis editus horis?

nempe ante horas tam paucas. VULP.

v. 29. SIC ME NEC SOLÆ POTERUNT AVERTERE SILVÆ] Ovidius pariter Eleg. 9. lib. 1. de amante:

Ibit in adversos montes, duplicataque nimbo
Flumina.

τὸ sic, an ea conditione? an vicissim? an itaque? ut Eleg. 16. lib. 1. *Sic ego nunc dominæ vitiis*, &c. Aliàs, *hic*, legitur, id est, tunc, vel ruri. *Solæ silvæ*, eoque formidabiles; ut Virgilius 11. Æneid. *Juga longa petebat Solorum nemorum. Avertere*, absterrere, prohibere. ut Eleg. 22. lib. 3.

Quod mihi non patrii poterant avertere amici.
PASS.

Veteres æmulatus Petrarcha (*nel Sonetto* 143.)

Per mezzo i boschi inospiti, e selvaggi,
Ove vanno a gran rischio uomini ed armi,
Vo sicur' io; che non può spaventarmi
Altri che 'l Sol che ha d' Amor vivo i raggi.
VULP.

v. 30. NEC VAGA MUSCOSIS FLUMINA FUSA JUGIS] Flumina ipsa fundi a diis eorum præsidibus urna finguntur. Virgilius Æneid. 7.

Cælataque amnem fundens pater Inachus urna.

Muscosis jugis, musco circumlitis. Sic Elegia 30. infra:

Roscida muscosis antra subire jugis.

Virgilius Ecl. 7. *Muscosi fontes.* ubi Servius: *Muscosi, lanugine viridiore cooperti.* P. *Flumina fusa.* Nos quoque ita lusimus in Carmine quodam trochaico nuptiali:

Audiat Benacus, urna qui reclinis aurea
Limpidum lacum virentes fundit inter Najades. VULP.

v. 31. QUIN EGO IN ASSIDUA MUTEM TUA NOMINA LINGUA] Quin ego te appellem, tecumque loquar etiam absens. Montes, silvas, flumina formosam Cynthiam resonare assidue docebo; atque ita linguis fasci-

fascinantibus, & maligne laudantibus obstrepere non desinam, ne tibi nocere possint. Hæc fuit veterum superstitio. Illud apud Ovidium simile Epist. Herûs v. 39.

Quid loquor interea tam longo tempore, quæris?
Nil, nisi Leandri nomen, in ore meo est.

Et lib. 3. Trist. Eleg. 3. ad uxorem:

Te loquor absentem: vox te mea nominat unam:
Nulla venit sine te nox mihi, nulla dies. V.

ibid. QUIN EGO IN ASSIDUA MUTEM TUA NOMINA LINGUA] Quo minus varie te & continuo appellem, mutatis verbis: mea Cynthia, mea lux, mea vita, mea voluptas. Sic Eleg. 15. supra dixit: *Vario amplexu mutamus brachia*. An, ut Terentius Andria & Phorm. dixit, *Commutare verba*, de jurgio & altercatione? idest, modo tibi sic blandiar, mea lux, meæ deliciæ: modo irascar, levem, perfidam, impiam appellans? An mutem tuum nomen, id est τὸ Cynthia, cum silvis & fluminum ripis mihi respondentibus; ut Eleg. 18. lib. 1. v. pænult. Sunt qui, *mutam*, exponant versum. id est, frequenter habeam in ore. PASS.

v. 32. ABSENTI NEMO NON NOCUISSE VELLET] Imprecatur sibi omnes infensos, si tum abfuerit a Cynthia. Vetus liber: *Ne nocuisse velit*, pro, ne noceat. Scaliger legit *Ne*, & duas negationes ait positas pro una; ita: *Absenti tibi*, a *Cynthia*, *nemo noceat*. PASS.

ELEGIA XX.

QUid fles abducta gravius Briseïde? quid fles
Anxia captiva tristius Andromacha?
Quidve mea de fraude deos, insana, fatigas?
Quid quereris nostram sic cecidisse fidem?

Non

ARGUMENTUM ELEGIÆ XX. LIBRI II.] Apud amicam falso crimine accusatus, illi se purgat. VULP.

v. 1. QUID FLES ABDUCTA GRAVIUS BRISEIDE?] Vide adnotata ad Eleg. 8. supra v. 29. PASS. Horatius pariter Ode 7. lib. 3. *Quid fles, Asterie?* VULP.

v. 2. ANXIA CAPTIVA TRISTIUS ANDROMACHA?] Querulam eam inducunt poetæ; ut Homerus Iliad. 22. & 24. Euripides in Andromacha, Ovidius Eleg. 1. lib. 4. Trist. v. 29. & 30. & Virgilius 3. Æneid. ab eo versu: *Nate Deâ*, *vivisne?* & ab illo:

O felix una ante alias Priameïa virgo.

Indidem forte contigisse Pyrrho dicitur: -- *quæ fortitus non pertulit ullos*. PASS.

v. 3. QUIDVE MEA DE FRAUDE DEOS, INSANA, FATIGAS?] Id est, propter me deos obtundis tuis querelis? ut Eleg. ult. lib. 4.

Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges.

An in me? ut Virg. 6. Æneid. *Cui tantum de te licuit? De fraude mea*, ob meam noxam, culpam, crimen. Virgilius 9. Æn. *Mea fraus omnis*. Vide Ulpianum L. *Aliud*. *de Verb. Signif.* & L. *Quum autem*. §. *Excipitur*. *de Ædilit. edicto*. & Servium in 12. Æneid. *Fatigat deos*. diis ipsis molesta es, πράγματα παρέχεις. nam assiduæ querelæ pariunt odium. Sic Horatius Ode 2. lib. 1. *Prece qua fatigent Virgines sanctæ minus audientem Carmina Vestam?* Afranius apud Nonium in *Supplicíis*: *Nullam profecto accessi ad aram quin suppliciis, donis, precibus, plorans, obsecrans, nequicquam defatigarem*. Sic dicitur & *obtundit*, & *enecat*. *Insana*, amens animi præ ira; quia *molliter irasci non solet*, ut ait Eleg. 5. lib. 2. & *Ira furor brevis est*. PASS. Alii, *vesana*: sed *insana* est in omnibus libris. *fatigat*; ita Valerius Flaccus L. 4.

Exit ubi e scopulis, media inter pabula diri
Vulturis, ipse etiam gemitu mæstoque fatigat
Voce Jovem.

Papinius L. 2. Thebaid.

Certant lætitia, superesque in vota fatigant
Inachidæ.

Lutatius ibi: FATIGANT. *diu invocant*. Iterum Papinius L. 9.

Et nunc illa meas ingentem plangit ad aras
Invidiam, surdasque fores & limina lassat.

Lutatius: *roganda fatigat*. *ut Horatius: Prece*

qua

Non tam nocturna volucris funesta querela
Attica Cecropiis obstrepit in foliis:

Nec

qua fatigent, &c. Creber est in hoc verbo Justinus. cujus singulos locos coacervare nihil est necesse. BROUKH. Adde Livium lib. 27. prope finem: *Matronæ, quia nihil in ipsis opis erat, in preces obtestationesque versæ; per omnia delubra vagæ suppliciis votisque fatigavere deos*. Seneca Epist. 31. *Turpe est etiamnum deos fatigare*. Silius Italicus lib. 6. v. 572.

--- ipsis
Oscula vulneribus figunt, superasque fatigant.

Denique Tacitus lib. 1. Hist. de Galba: *Fatigabat alieni jam imperii deos*. VULP.

v. 4. QUID QUERERIS NOSTRAM SIC CECIDISSE FIDEM?] Alio modo Eleg. 23. l. 3.

Ungue meam morso sæpe querere fidem.

τὸ sic, ita, valde, prorsus. Virgilius 1. Æneid. *Sic vertice cœli Constitit*. Idem l. 12.

Sic omnes amor unus habet decernere ferro.

id est, adeo, & omnino. nam nihil præcessit. Sallustius in Catil. *Sic quisque hostem ferire, murum conscendere*. *Cecidisse fidem*. nullam vim habere amplius, periisse. ut Eleg. 3. supra: *Cecidit spiritus ille tuus*. & Livius lib. 6. *Haud irritæ cecidere minæ*. Alio sensu Cicero pro lege Manilia dixit: *Solutione impedita Romæ fidem concidisse*. P.

v. 5. NON TAM NOCTURNA VOLUCRIS FUNESTA QUERELA ATTICA CECROPIIS OBSTREPIT IN FOLIIS.] Sic Eleg. 3. supra: *Nec me tam facies*, &c. *Nocturna querela*, cantu querulo, quem noctu fundit; ut *nocturna Cytæis* Eleg. 4. supra. *Funesta volucris*, quæ hic dicatur, incertum. An noctua, quæ νυκτερὶν γλαῦξ Arato? est enim avis Attica, & insigne Athenarum; eâque notâ percussi nummi Atheniensium. notum proverbium, γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας. *Funesta* enim noctua, non volatu, quo felix; unde proverbium, *Noctua volat*; sed cantu. Noster Eleg. 3. lib. 4.

Sive in finitima gemuit stans noctua tigno.

Ausonius:

Cecropiis ignota sonis ferale sonans u.

Plautus Menæchm. *Noctua Teu Teu canit*. unde hic querela, & ea nocturna. An philomela, seu luscinia, quæ flebiliter gemit? *Infelix avis* ea dicitur Horatio Ode 12. lib. 4. & eadem Attica, Pandionis filia: & noctu etiam queritur apud Virgilium 4. Georg. De Progne & hirundine Beroaldus exponit, ridicule: quum hirundo non canat in foliis, neque sedeat in arboribus. *Obstrepit*, strepitu suo facit ne cetera audiri possint, ut Eleg. 16. lib. 1. v. antepænult. [& hoc quidem oelle convenit in lusciniam.] *Cecropiis in foliis*, an in ramis oleæ, quæ Cecropia & Attica arbor? an cujusvis arboris Attici soli? *Cecropia folia*, ut Eleg. 33. infra, *Cecropii coloni*. vide Plinium lib. 7. H. N. cap. 56. PASS. Venustius omnino comparatur Cynthiæ fletus cantui lusciniæ, quam noctuæ, avis importunæ, & mali ominis. Philomela certe apud Virgilium 4. Georg.

Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat, & mæstis late loca questibus implet.

Consentit Sophocles Trachiniis v. 980. Ἔκλαιον, ὀξύφωνος ὡς ἀηδών. *Plorabant, veluti arguta luscinia*. Favet præterea Varronis etymologia lib. 4. de L. L. *Lusciola*, inquit, *quod luctuose canere existimatur, atque esse ex Attica Progne in luctu facta avis*. Non tamen hic dissimulanda sunt verba Platonis in Phædone: Καὶ οὐ λογίζονται ὅτι οὐδὲν ὄρνεον ᾄδει ὅταν πεινῇ ἢ ῥιγοῖ, ἢ τινα ἄλλην λύπην λυπῆται, οὐδὲ αὐτὴ ἥ τε ἀηδὼν καὶ χελιδὼν, καὶ ὁ ἔποψ, ἅ δή φασι διὰ λύπην θρηνοῦντα ᾄδειν. *Nec animadvertunt, avem nullam canere quum esuriit, aut friget, aliove quopiam doloris genere afficitur: non ipsam lusciniam, non hirundinem, non upupam, quas ajunt præ dolore canere solitas*. Vulgarem opinionem secutus Petrarcha (*nel Sonetto 10.*)

E 'l rosignuol, che dolcemente all' ombra
Tutte le notti si lamenta, e piagne,
D' amorosi pensieri il cor n' ingombra.

Et rursus (*nel Sonetto 270.*)

Quel rosignuol, che sì soave piagne
Forse suoi figli, o sua cara consorte,
Di dolcezza empie il cielo, e le campagne
Con tante note sì pietose, e scorte:
E tutta notte par che m' accompagne,
E mi rammente la mia dura sorte.

Volucris Attica Cecropiis obstrepit in foliis. Unicus interpres fuerit Martialis Epig. 54. l. 1.

Sic ubi multisona fervet sacer Atthide lucus,
Improba Cecropias offendit pica querelas.

Con-

Nec tantum Niobe bis ſex ad buſta ſuperba
Sollicito lacrimas depluit e Sipylo.

Me

Confer Homerum lib. 19. Odyſſeæ, a verſu 518. & Hymno in Pana v. 16. Catullum Carm. 64. & Pedonem Albinovanum Conſolat. ad Liviam v. 105. & ejuſdem Elegiæ locum pulcherrimum, a verſu 317. V.

v. 7. NEC TANTUM NIOBE BIS SEX AD BUSTA SUPERBA SOLLICITO LACRIMANS DEFLUIT A SIPYLO] De numero liberorum Niobes varia traduntur. Homerus ſex mares & totidem feminas liberos Niobes facit lib. ult. Iliad. item Statius 6. Thebaid. Hyginus vero Fab. 11. & Apollodorus lib. 3. ſeptem mares & ſeptem filias nominant; quibus Ovidius concinit 6. Metam. ubi hanc fabulam narrat. item Auſonius Epiſt. 27.

Bis ſeptem natis genitrix læta atque ſuperba
Tot dnxi mater funera, quot genui.

Heſiodus decem mares & decem feminas facit, ut idem ait Apollodorus. Herodotus duos mares & tres feminas. Addit Apollodorus, Amphiona e maribus, & e feminis Chlorio ſervatos: & Teleſillam poetriam duas filias incolumes ſcripſiſſe, Amyclam & Melibœam. Cicero 3. Tuſcul. *Niobe fingitur lapidea propter æternum in luctu ſilentium. Bis ſex ad buſta;* ad duodecim natorum funera. ut Eleg. 1. lib. 4.

Namque meam ſervant nunc duo buſta fidem.

Ibidem ſequitur, *duo funera. Superba;* quæ ante ſuperba fuerat. De ejus ſuperbia vide Ovidium loco prænotato; ubi vel hic verſus inſolentiam ejus indicat, quum ait:

Major ſum quam cui poſſit fortuna nocere.

& in Epiſt. Acontii:

Quæque ſuperba parens, ſaxo per corpus oborto.

Vide & Ælianum lib. 12. V. H. & Auſonium loco antedicto. *Lacrimans deſluit.* id eſt flendo tota liquitur, & manat perpetuo fletu. Palmerius ex vet. lib. *Lacrimas depluit.* ſed depluere, finem pluviæ ſignificat; ut detonare, degrandinare. *A Sipylo ſollicito.* epitheton rei mutæ, & ſimul hypallage, pro ipſa Niobe ſollicita. ut Elegia 16. lib. 1.

Sollicitas trivio pervigilare moras.

Permiſcet autem fabulam. in Sipylo Niobe quum flet, longe abeſt a liberorum buſtis, quæ ad Thebas. Ovidius lib. 6. Metam.

Intra quoque viſcera ſaxum eſt.
Flet tamen, & validi circumdata turbine venti
In patriam rapta eſt, ubi fixa cacumine montis
Liquitur, & lacrimis etiam nunc marmora manant.

Hyginus Fab. 9. de Niobe: *At genitrix liberis orba, flendo lapidea facta eſſe dicitur in monte Sipylo.* Vide Homerum Iliad. lib. ult. & Apollodorum lib. 3. Biblioth. Sipylum urbem ſubverſam regnante Tantalo, ſcribit Strabo lib. 1. & 12. *Sipylum*, inquit Plinius lib. 5. H. N. cap. 29. *antea Tantalis vocabatur, caput Mæoniæ; unde dicti Magnetes a Sipylo.* PASS. NIC. Heinſius Notis ad L. 1. Metam. Ovidii v. 572. in hoc Propertii diſticho, pro *a* legit *e*. recte. pro *lacrimas; lacrimæ* reponit, exemplo Maroniano, L. 4. Georg.

Nec de concuſſa tantum pluit ilice glandis.

& bene corrigit errorem Paſſeratii, *depluere* ſignificare credentis finem pluviæ, ut *detonare, degrandinare:* ita ut totum diſtichon ſcribatur hoc modo:

Nec tantum Niobe bis ſex ad buſta ſuperba
Sollicito lacrimæ depluit e Sipylo.

depluere etiam Scaliger edidit, quamquam omiſit monere. *De* autem particula auget ſæpe atque intendit vim verborum, quibus præponitur. Ita Horatius dixit *ventos deprœliantes, deſævit, delitigat.* Mihi ſic videbatur:

Nec tantas Niobe bis ſex ad buſta ſuperba
Sollicito lacrimas depluit e Sipylo.

tantas, id eſt, *tot;* idque ex imitatione Græci ſermonis; in qua Noſter plurimus eſt. Plautus Caſina 3, 5.

Tanta facta modo mira veris modis intus vidi.

Lucanus L. 9.

Numquam ſe tanto vulture cælum
Induit, aut plures preſſerunt aëra pennæ.

pro, *tot vulturibus.* Sequitur, *bis ſex ad buſta*, quomodo omnes noſtri. in quibuſdam libris lectum fuiſſe, *bis ſeptem ad buſta*, teſtatur Beroaldus, quem ſuper numero liberorum Niobes conſulere potes. BROUKH. Luſciniæ fletum ac Niobes conjungit etiam Sophocles in Electra v. 147.

Ἀλλ᾽ ἐμέ γ᾽ ἁ στονόεσσ᾽ ἄραρε φρένας
Ἃ Ἴτυν αἰὲν Ἴτυν ὀλοφύρεται

Ὅρ-

Me licet æratis adſtringant brachia nodis,
Sint mea vel Danaës condita membra domo:
In

Ο῎ρνις ἀτυζομένα Διὸς ἄγγελος.
Ἰὼ παντλάμων
Νιόβα, σὲ δ' ἔγωγε νέμω θεὸν,
Ἅτ' ἐν τάφῳ πετραίῳ
Αἰαῖ δακρύεις. hoc eſt:
Sed mibi, quo magis libeat lugere, animum addit Miſera, quæ Ityn, ſemper Ityn deplorat Avicula mæſta, Jovis nuntia. O multis modis infeliciſſima Niobe, te ego ut deam colo, Quæ in lapidem mutata Hei hei ſemper luget. Bis ſex ad buſta ſuperba. Memorabilia ſunt de hac re A. Gellii verba lib. 20. N. A. cap. 7. *Mira & prope adeo ridicula diverſitas fabulæ apud Græcos poetas deprehenditur ſuper numero Niobæ filiorum. nam Homerus pueros, puellaſque ejus bis ſenos dicit fuiſſe, Euripides bis ſeptenos, Sappho bis novenos, Bacchylides, & Pindarus bis denos, quidam alii ſcriptores tres fuiſſe ſoles dixerunt.* Sed aliter etiam Propertius explicari poteſt: Niobe ab interitu duodecim filiorum ſuperbiâ tamen intumeſcebat, quum ſe, poſt ingentem cladem, Latonæ gemelliparæ jactaret parem, duobus filiis adhuc ſuperſtitibus. *Lacrimas depluit e Sipylo.* Seneca Agamemnone v. 371. *Stat nunc Sipyli vertice ſummo Flebile ſaxum; Et adhuc lacrimas marmora fundunt Antiqua novas.* Pauſanias in Atticis cap. 21. teſtatur, ſe, Nioben ut videret, in Sipylum montem aſcendiſſe. Silex & prærupta crepido imminebat: quæ prope ſtanti, neque mulieris, neque lugentis formam oſtentaret: qui vero procul adſpexiſſet, mulierem lacrimantem & mœrentem videre ſibi videretur. VULP.

v. 9. ME LICET ÆRATIS ADSTRINGANT BRACHIA NODIS] *τὸ adſtringant* referri poteſt ad lictores & lorarios, ut *τὸ brachia*: vel lictorum brachia me adſtringant: vel *me adſtringant brachia*, pro mihi adſtringant homines lorarii. ἐλλειπτικῶς. ut Eleg. 1. ſupra:

Idem Caucaſea ſolvet de rupe Promethei
Brachia.

Plautus Captivis 3, 5. *Aſtringite iſti vehementer manus.* & *me*, pro mi, id eſt, mihi. Lucillius apud Feſtum in *me*; pro mihi:

Nunc ad te redeo, ut quæ res me impendet, agatur.

Vel *τὸ me* vacare poteſt. Sic Lucretius lib. 1. ex vet. lib.

Quippe etenim quam multa ſibi me fingere poſſim.

Et in Briſſonii Formulis: *Quando ego me eſſe deſiero. Æratis*, pro æreis. ut mox: *Æratas catenas.* & Eleg. 32. infra: *Ærato muro.* & Eleg. 1. lib. 4. *Ærata pilâ.* id eſt, ſphærâ æneâ, de qua Claudianus. Sic *auratis catenis*, pro aureis Eleg. 1. ſupra. *Nodis*, catenis. ut Virgilius 1. Æneid.

--- *Furor impius intus*
Sæva ſedens ſuper arma, & centum vinctus aënis
Poſt tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

[ubi Servius: *Non centum nodis, ſed catenis, quas circumlocutione ſignificavit; quia ſunt catenæ nodi plures.*] PASS. Homerus longe antea lib. 1. Odyſſeæ:

Οὔτι ἔτι δηρόν γε φίλης ἀπὸ πατρίδος αἴης
Ἔσσεται, οὐδ' εἴπερ τε σιδήρεα δέσματ' ἔχῃσι·
Φράσσεται ὥς κε νέηται.
Non jam diu cara a patria terra
Erit, neque ſi etiam ferrea vincula detineant;
Videbit ut redeat.

Æratis nodis, & paullo poſt, *Æratas catenas*, pro, ferreis, & ferreas. ut idem Homerus non ſemel uſurpare videtur χαλκὸν ἀντὶ τοῦ σιδήρου. VULP.

v. 10. SINT MEA VEL DANAES CONDITA MEMBRA DOMO] Fabula eſt apud Horatium Ode 16. lib. 3. Meminit & Homerus Iliad. ξ. Pindarus in Pythiis, Sophocles in Antigona, Apollodorus lib. 2. Terentius Eunucho 3,5. Ovidius 4. Metam. Hyginus Fab. 63. Noſter Eleg. 32. infra: *Ærata Danaë circumdata muro. Mea membra*; nempe ego. ut Eleg. 16. lib. 3.

Ut timeam audaces in mea membra manus.

Sic *mea præcordia, mea oſſa, mea ira, mea mors*, identidem. *Condita*, incluſa. ut dicitur, *Condi in carcerem.* & *τὸ vel*, exempli cauſâ; ut hic infra: *Tunc me vel tragicæ vexetis Erinnyes.* & Eleg. 3. ſupra:

Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles.
Vel Priamo belli cauſſa probanda fuit. P.

V. 11.

In te ego & æratas rumpam, mea vita, catenas,
  Ferratam Danaës transiliamque domum.
De te quodcumque, ad surdas mihi dicitur aures:
  Tu modo ne dubita de gravitate mea.
Ossa tibi juro per matris, & ossa parentis:
  (Si fallo, cinis heu sit mihi uterque gravis)

v. 11. IN TE &c.] Elegans usus est hujus præpositionis. Cicero pro Milone C. 23. *Miseros interdum cives, optime de republica meritos, in quibus homines non modo res præclarissimas obliviscuntur, sed etiam nefarias suspicantur!* BROUKH. *In te rumpam catenas.* τὸ *te* quartum casum esse arbitror, locutionem vero ἐλλειπτικὴν. tamquam si diceret poeta, In te ruens, contendens maximo impetu, vincula omnia perfringam. Horatius pariter Epodo 1. *Libenter hoc & omne militabitur Bellum in tuæ spem gratiæ.* Et Sat. 2. lib. 1. v. 18. *At in se Pro quæstu sumtum facit hic.* VULP.

ibid. ÆRATAS RUMPAM, MEA VITA, CATENAS] Vetus liber, *ferratas*. supra v. 9. dixit, *æratis nodis*. *rumpam*, perfringam; ut Eleg. 15. lib. 1.

Sanguinis & cari vincula rupit amor. PASS.

v. 12. FERRATAM DANAES TRANSILIAMQUE DOMUM] *Ferratam*, ferream. Ovidius lib. 4. Amor. Eleg. 7.

Dum merces aberat, durus pater, ipsa severa,
  Ærati postes, ferrea turris erat.

Turris ahenea; Horatius Ode 16. lib. 3. & Ovidius Eleg. ult. lib. 2. Amor. Sophocles in Antigona vocat αὐλὰς χαλκοδέτους. id est, septa ære vincta. *Lapideum murum* Hyginus Fab. 63. Apollodorus loco ante dicto, ὑπὸ γῆν θάλαμον κατασκευάσας χάλκεον. Plautus Persa 4, 4. huc alludit:

Ferreas ædes commutes, limina indas ferrea.

Transiliam domum. ut Eleg. 18. supra v. ult.

Et terras rumor transilit, & maria. PASS.

v. 13. DE TE QUODCUMQUE, AD SURDAS MIHI DICITUR AURES] Quidquid mihi de te narratur, narratur surdo. Caussam affert Eleg. 16. supra:

Turpis amor surdis auribus esse solet. PASS.

v. 14. TU MODO NE DUBITA DE GRAVITATE MEA] Id est, constantia & fide. Sæpe Cicero ita loquitur. & 3. de Finibus utrumque conjungit: *Gravitas animi atque constantia.* Idem alibi ludit eo verbo ex translatione: *Homo non tam auctoritate gravi, quam corpore.* PASS. Contra *levitas*, est animi volubilitas, inconstantia, propositi subita mutatio; quo vitio mulieres laborant. Noster Eleg. 15. lib. 1.

Sæpe ego multa tuæ levitatis dura timebam.

& Eleg. 16. hujus libri:

Formosis levitas semper amica fuit. VULP.

v. 15. OSSA TIBI JURO PER MATRIS, ET OSSA PARENTIS] Religiose affirmo, & quasi deo teste. Sanctissimum jurisjurandi genus per cineres & ossa. Suetonius libro de Claris Rhetoribus de C. Albutio Silo: *Jura per patris matrisque cineres, qui inconditi jacent.* Ovidius Epist. Briseid.

Per tamen ossa viri subito male tecta sepulcro,
  Semper judiciis ossa verenda meis &c.

Tibullus Eleg. 7. lib. 2.

Parce per immatura tuæ, precor, ossa sororis.

& Noster Eleg. ult. lib. 4. *Testor majorum cineres.* PASS.

v. 16. SI FALLO, CINIS HEU SIT MIHI UTERQUE GRAVIS] Formula & quasi sanctio pœnæ, & imprecatio addi solita jurijurando: *Si quid mentior;* ut adnot. ad Eleg. 15. lib. 1. vel: *Si fallo*, &, *Si sciens fallo.* Cicero in Lucullo. Festus in *Lapidem*. Noster Elegia 7. & ult. lib. 4. *Cinis uterque*, pro utriusque; ut Eleg. 8. supra: *Uterque cruor.* & *cinis*, pro Manibus, sive umbris mortuorum. Sic Eleg. ult. lib. 4.

Hæc cura & cineri spirat inusta meo.

Sit mihi gravis, infestus & iratus. ut Elegia 7. lib. 3.

Attulimus graves in sua fata manus.

Martialis Epigr. 85. lib. 11.

Non iracundis fecit gravis unguibus uxor.

Addidit, *heu*, quia ad mentionem suorum, quos amisit, ingemuit. ut Eleg. 24. infra v. 36. PASS. *Si fallo;* si pejero, si deci-

Me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras.
Ambos una fides auferet, una dies.
Quod si nec nomen, nec me tua forma teneret,
Posset servitium mite tenere tuum.

Se-

cipiendi & fallendi caussâ juro, Plautus Amph. 3, 2, 50.

Mane, arbitratu tuo jusjurandum dabo:
Me meam pudicam esse uxorem arbitrarier.
Id ego si fallo, tum te, summe Juppiter,
Quæso, Amphitruoni ut semper iratus sies.

Briseis Ovidiana:

Nulla Mycenæum sociasse cubilia mecum
Juro. fallentem deseruisse velis.

Livius pariter lib. 2. Hist. *Centurio erat M. Flavolejus, inter primores pugnæ flagitator, Victor, inquit, M. Fabi, revertar ex acie. Si fallat, Jovem patrem, Gradivumque Martem, aliosque iratos invocat deos. Idem deinceps omnis exercitus in se quisque jurat,* Huc pertinet P. Scipionis, fatalis in Carthaginienses ducis, pulcherrimum juramentum, apud eumdem Livium lib. 22. *Ex mei animi sententia,* inquit, *juro, ut ego rempublicam non deseram, neque alium civem Romanum deserere patiar. Si sciens fallo, tum me Juppiter Opt. Max. domum, familiam, remque meam pessimo leto afficiat. In hæc verba, L. Cæcili, jures postulo, cæterique qui adestis: qui non juraverit, in se hunc gladium strictum esse sciat.* Vide Paullum Manutium ad Epist. 1. lib. 7. Ciceronis. Dii quoque ipsi dicebantur falli a perjuris hominibus. id animadvertit Nic. Heinsius ad v. 37. Phyllidis Ovidianæ. Hinc novam facem præluceo poetæ Venusino Ode 8. lib. 2. quam scripsit in puellam perjuram. Locus ibi obscurus est: *Expedit matris cineres opertos Fallere.* Inquit vir quidam doctus: *Promissa matri sepultæ non implere.* At quæ statim sequuntur, hanc explicationem respuunt: *& toto taciturno noctis Signa cum cælo, gelidaque divos Morte carentes.* Quid enim promiserat Barine sideribus, aut diis immortalibus? nihil profecto. Eorum potius testimonio usa fuerat, ut amatores deciperet. Quamobrem permittit Horatius puellæ, ut per cineres matris falsum juret, si quidem hujusmodi perjuria ei bene cederent, *nec uno turpior ungui fieret.* Confirmat Propertius hanc explicationem quum subjicit: *Si fallo,* id est, si pejero. Ita Eleg. 7. lib. 4.

Juro ego fatorum nulli revocabile carmen,
Tergeminusque canis sic mihi molle sonet:
Me servasse fidem. Si fallo, vipera nostris
Sibilet in tumulis, & super ossa cubet.

Fallere igitur Flacco, non ex animi sui sententia jurare. Juramentum hujusmodi, per cineres patris aut matris, veteribus usitatum. Seneca Rhetor Præfat. lib. 3. Controvers. *Placet,* inquit, *tibi rem jurando transigi? jura: sed ego jusjurandum dabo. Juro per patris cineres, qui inconditi sunt.* Porcius Latro apud eumdem Controv. 1. lib. 1. *Ergo fame morientem videbo, per cujus cineres juraturus sum?* VULP.

v. 17. ME TIBI AD EXTREMAS MANSURUM, VITA, TENEBRAS] *Tibi,* pro tuum, ut dictum ad Eleg. 17. lib. 1. v. 3. *Ad tenebras,* ambigue. vel etiam apud Orcum; qua de re Eleg. 19. lib. 1. vel usque ad atram mortis diem. *Tenebræ,* pro morte & inferis. Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

Jam veniet tenebris Mors adoperta caput.

& Catullus Carm. 3. *At vobis male sit, malæ tenebræ Orci.* Sic *nox,* pro morte Elegia 15. supra. *Extremas;* exposui ad Elegiam 11. supra v. 4. PASS.

v. 18. AMBOS UNA FIDES AUFERET, UNA DIES] Uterque simul pari fide, & fato efferemur. διλογία in verbo *Auferet;* nam dies aufert, non fides. sed fides ipsa aufertur, ut Eleg. 11. supra v. 4. Persimile est illud Eleg. 28. infra:

Una ratis fati nostros portabit amores.

Ejusdem est argumenti & Ode Horatii 17. lib. 2. *Una dies,* ut Lucretius lib. 5. *Tria talia texta Una dies dabit exitio.* PASS. Noster Eleg. 13. lib. 1.

Una dies omnes potuit præcurrere amantes.

Eleg. 11, lib. 3.

Tantum operis belli sustulit una dies. VULP.

v. 19. QUOD SI NEC NOMEN, NEC ME TUA FORMA TENERET, POSSET SERVITIUM MITE TENERE TUUM] Incipit Propertius Cynthiæ iratæ ac dolenti blandissime palpa-

ri;

Septima jam plenæ deducitur orbita Lunæ:
Quum de me, & de te compita nulla tacent.

ri; ut non fine cauffa *blandum* eum appellaverit Ovidius. VULP. Sic Eleg. 4. lib. 1. cum forma & ingenuo colore conjunxit *multis decus artibus*. & Eleg. 20. lib. 3.

Eſt tibi forma potens, ſunt caſtæ Palladis artes,
Splendidaque a docto fama refulget avo.

Nomen, pro decus & fama, ut dixi ad Eleg. 1. ſupra v. 21. *Forma*, facies candida, de qua Eleg. 3. ſupra. *Teneret*, retineret, fixum haberet clavo Cupidinis. Sic Eleg. 7. lib. 4.

Si te non totum Chloridos herba tenet.

Servitium mite. Juſta & clemens ſervitus, ut ait Terentius in Andria 1, 1. Hæc autem per aſſentationem & ad tempus dicuntur. Contra enim Eleg. 5. lib. 1. *ſervitium puellæ ſuæ* appellavit *grave*: & Eleg. 15. lib. 3. *ſuperbum*. PASS. *Nomen*; ſcilicet genus, nobilitas, familia honeſtiſſima in qua nata es. Catullus pariter Carm. 60. *Non decet Tam vetus ſine liberis Nomen eſſe*. Ovidius quoque Epiſt. Hypſipyles:

Si te nobilitas, generoſaque nomina tangunt,
En ego Minoa nata Thoante feror.

Et lib. 1. Pontic. Eleg. 2.

Maxime, qui tanti menſuram nominis imples,
Et ſuperas animi nobilitate genus.

Ita uſurpavit & Cicero in Oratione pro Cn. Plancio: *Eſt tuum nomen utraque familia conſulare. Non dubitas igitur quin omnes qui favent nobilitati, qui id putant eſſe pulcherrimum, qui imaginibus, qui nominibus veſtris ducuntur, te ædilem fecerint. Servitium tuum*. hoc eſt, quod ego tibi ſervio. Sic apud Livium lib. 38. *Tolerabilior regia ſervitus fuerat*. nempe quam civitates genteſque cis Taurum incolentes regi Antiocho ſervierant. Nec diſſimiliter Virgilius lib. 11. Æneid.

Vota deûm primo victor ſolvebat Eoo.

id eſt, vota diis facta. *Servitium mite*; ſaltem ob aſſuetudinem. Eleg. 4. lib. 1.

Quid me non pateris vitæ quodcumque ſequetur
Hoc magis aſſueta vivere ſervitio?

Contra, πικρὰν δουλείαν ἢ ἰσχυρὰν δουλεύειν Græci dicebant, ſi quis difficili domino, aſpere ac duriter imperanti ſerviret. *Servitium acre* vocat Perſius Sat. 5. VULP.

v. 21. SEPTIMA JAM PLENÆ DEDUCITUR ORBITA LUNÆ: QUUM DE ME, ET DE TE COMPITA NULLA TACENT] *Septima orbita*, ſeptimus Lunæ curſus; ſeptimas menſis. Sic Eleg. 25. infra:

Septima quam metam triverit ante rota.

Orbita, pro rota & curriculo, ut *veſtigium*, pro pede. nam orbita ab orbe rotæ dicta, ut ait Iſidorus lib. 15. Etym. Virgilius 3. Georg.

Juvat ire jugis, qua nulla priorum
Caſtaliam molli divertitur orbita clivo.

Pro *orbita*, *ſigna rota* dixit Eleg. 1. lib. 4. An *orbita*, pro orbis; id eſt ſidus ipſum rotundum? Cornelius Severus in Ætna:

Solis ſcire modum, & quanto minor orbita
Lunæ ſit.

Sic *orbis Solis* Eleg. 5. lib. 3. & *rota Solis* Lucretio. *Plena Luna*; quum orbe pleno fulget, tota radiis Solis illuſtrata. Noſter Eleg. 3. lib. 3.

Qua venit exoriens, qua deficit: unde coactis
Cornibus in plenum menſtrua Luna redit.

Deducitur, ad extremum ducitur, ut a carceribus ad calcem. Sic Ovidius initio Metamorph.

Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.

An, quia quum plena eſt, deduci ejus lumen ac minui incipit: ut *deducere flumina*, & *vocem*, & *verſum*, id eſt tenuare? Alio modo *deducta Luna* Eleg. 1. lib. 1. *Quum*; ex quo. Eleg. 16. ſupra v. 33. *Compita nulla tacent*. Sic Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 1.

Nequitiam vinoſa tuam convivia narrant,
Narrant in multas compita ſecta vias.

Ἀσιγήτως, *non tacent*; pro, nihil aliud homines in compitis loquuntur. *Tacent de me*; ut Catullus Carm. 90.

Lesbia mi dicit ſemper male: nec tacet umquam
De me.

Compita, pro ipſis hominibus. Horatius Sat. 3. lib. 2. *Unde frequentia Mercuriale impoſuere mihi cognomen compita. Compita*, inquit Varro 5. de L. L. *quod multæ viæ in unum competant & conveniant*. Servius: *Compita, trivia & quadrivia*. Ovidius 1. Faſt.

Ora vides Hecates in tres vergentia partes,
Servet ut in ternas compita ſecta vias. P.

Interea nobis nonnumquam janua mollis,
Nonnumquam lecti copia facta tui.
Nec mihi muneribus nox ulla eſt emta beatis.
Quidquid eram, hoc animi gratia magna tui.
Quum te tam multi peterent, tu me una petiſti.
Poſſum ego naturæ non meminiſſe tuæ?

Tunc

v. 23. INTEREA NOBIS NONNUMQUAM JANUA MOLLIS] Contrarii argumenti eſt Elegia 16. lib. 1. Et Eleg. 17. v. 12. ſupra vix decimo quoque die ſe admitti ſcripſit. PASS.

v. 24. NONNUMQUAM LECTI COPIA FACTA TUI] Id eſt, mihi per te licuit tuum cubile ſcandere. *Nonnumquam*, ut in Elegia 14. & 15. ſupra. *Copia*, ἀκωλύτως. ut Eleg. 6. lib. 3. *Si qua data eſt furandæ copia noctis*. & Eleg. 33. infra:

Elevat aſſiduos copia longa viros.

Terentius Phorm. 1, 2. *Obſecrat, ut ſibi ejus faciat copiam*. Ovidius 3. Metam.

Ante, ait, emoriar quam ſit tibi copia noſtri.
Retulit illa nihil, niſi Sit tibi copia noſtri. P.

v. 25. NEC MIHI MUNERIBUS NOX ULLA EST EMTA BEATIS] Contra Eleg. 8. ſupra v. 11. *Munera quanta dedi! Nox emta*; id eſt, voluptas nocturna. Sic Eleg. 5. lib. 4. *Complexus emta*. & *Oſcula emta* Eleg. 13. lib. 3. ubi & *Nox pretioſa* dicitur. vide Eleg. 16. ſupra v. 15. *Muneribus beatis*; amplis, qualia beati & divites ſolent dare. Catullus Carm. 67.

Ne amplius a miſero dona beata petas.

Horatius Ode 25. lib. 1. *Icci, beatis nunc Arabum invides Gazis*. Et Ovidius lib. 2. Faſt.

Parva petunt Manes: pietas pro divite grata eſt
Munere. PASS.

v. 26. QUIDQUID ERAM, HOC ANIMI GRATIA MAGNA TUI] Hoc eſt, Id totum benevolentiæ tuæ acceptum fero. vide adnotata ad Eleg. 11. lib. 1. v. 26. *Gratia*, ἡ χάρις, beneficium, cujus gratia comes. Plautus Captivis 3, 5. *Ab eo petito iſtam gratiam*. Terentius Hecyra 3, 3. *Hanc gratiam te, uti ſibi des, rogat*. Tibullus Elegia 4. lib. 1. *Gratia magna Jovi*. PASS. Idem aliter dixit Ovidius lib. 2. Triſt. Eleg. 5.

Si quid adhuc ego ſum, muneris omne tui eſt.

Horatius pariter Ode 3. lib. 4. Muſæ gratias agens:

Quod ſpiro, & placeo (ſi placeo) tuum eſt. V.

v. 27. QUUM TE TAM MULTI PETERENT, TU ME UNA PETISTI] De multitudine ea vide Eleg. 6. ſupra v. 1. & ſeqq. *Tu me una petiſti*, ſola ſolum. & videtur voluiſſe dicere, me unum petiſti. De verbo *petere* dixi ad Eleg. 9. ſupra v. 23. PASS.

v. 28. POSSUM EGO NATURÆ NON MEMINISSE TUÆ?] Egóne, inquit, umquam in animum inducam, ut obliviſcar tam benigni animi & liberalis ingenii? Sic Homerus Iliad. 10.

Πῶς ἂν ἔπειτ' Ὀδυσσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην;

quod Attius Νυκτεγερσίᾳ vertit apud Nonium in accuſativo: *An ego Ulixen obliviſcar umquam, aut quemquam præponi velim?* Virgilius 4. Æneid. *Neque me meminiſſe pigebit Eliſſæ, Dum memor ipſe mei*. PASS. *Naturæ non meminiſſe tuæ*. tam facilis, tam benignæ. *natura* hic eſt indoles, ingenium. Corn. Nepos Alcib. C. 1. *Ut omnes admirarentur, in uno homine tantam eſſe diſſimilitudinem, tamque diverſam naturam*. idem Attic. C. 5. *Habebat avunculum Q. Cæcilium, equitem Rom. familiarem L. Luculli, divitem, difficillima natura*. Cicero L. 3. Epiſt. 5. ad Appium: *Etſi de tua prolixa beneficaque natura limavit aliquid poſterior annus, propter quamdam triſtitiam temporum*. Etiam cum *conſuetudine* jungit, quæ eſt quædam quaſi altera natura, pro Milon. C. 14. *Reliquum eſt ut jam illum natura ipſius conſuetudoque defendat: hunc autem hæc eadem coarguant: nihil per vim umquam Clodius, omnia per vim Milo*. Idem alibi *naturæ bonitatem*, *naturæ aſperitatem & immanitatem* dixit. BROUKH. *Poſſum ego*. Sic Eleg. 8. lib. 2.

Poſſum ego in alterius poſitam ſpectare lacerto?

Matius Ciceroni Epiſt. 8. lib. 11. *Poſſum igi-*

Tunc me vel tragicæ vexetis Erinnyes, & me
Inferno damnes, Æace, judicio.
Atque inter Tityi volucres mea pœna vagetur:
Tumque ego Sisyphio saxa labore geram.

Nec

igitur, qui omnes voluerim incolumes, eum a quo id impetratum est, perisse non indignavi? Cicero pariter lib. 3. ad Attic. Epist. 10. *Possum oblivisci qui fuerim? non sentire qui sim?* & lib. 1. ad Q. Fratrem Epist. 3. *Tibi ego possem irasci? Natura tua.* Eadem significatione apud Ciceronem sæpius. Epist. 9. lib. 1. *Habui non temporum solum rationem meorum, sed etiam naturæ.* & inferius: *Novi temperantiam & moderationem naturæ tuæ.* Epist. 21. lib. 13. *Peto a te in majorem modum pro nostra necessitudine .... ipsos quorum nomina scripsi, ut quam honorificentissime pro tua natura & quam liberalissime tractes.* & Epist. 78. ejusdem libri: *Cognitum per te ipsum, qua tua natura est, dignum tua amicitia atque hospitio judicabis.* Idem in Lucullo: *Non modo stultitiam meam, sed etiam mores, & naturam condemnandam puta.* & pro Q. Ligario: *Longiorem orationem caussa forsitan postulat, tua certe natura breviorem.* loquitur de clementia C. Cæsaris. Livius pariter lib. 22. Hist. *Si mediusfidius ipse in nos mitis Hannibal contra naturam suam esse velit.* M. quoque Seneca Controv. 16. *Misericors sum, non possum occidere hominem. Gratulare, pater, naturæ meæ. numquam ejusmodi filius parricidium faciet.* Martialis denique Epigr. 83. lib. 6.

Si tua sit summo, Cæsar, natura Tonanti,
Utetur tarta fulmine tota manus.

Græci scriptores *φύσιν* eodem fere modo usurpant. Isocrates πρὸς Νικόκλεα: *Φίλους κτῶ μὴ πάντας τοὺς βουλομένους, ἀλλὰ τοὺς τῆς σῆς φύσεως ἀξίους ὄντας. In amicitiam recipe non quoslibet, sed tua natura dignos.* Plato lib. 2. de Republ. *Καὶ ἐγὼ ἀκούσας, ἀεὶ μὲν δὴ τὴν φύσιν τοῦ τε Γλαύκωνος καὶ τοῦ Ἀδειμάντου ἠγάμην, ἀτὰρ οὖν τότε πάνυ γε ἥσθην. Postquam hæc ego audissem, quum alias Glauconis & Adimanti naturam admiratus essem, tum vero maxime eo tempore.* Nonnumquam vero in deteriorem partem adhibent; sicut Hippocrates lib. de Arte cap. 1. *Ἀλλὰ κατάγγελσιν μᾶλλον φύσιος, ἢ ἀτεχνίης. Sed declaratio potius naturæ, vel ignorantiæ artis.* loquitur de iis qui quum ipsi nihil præstent laude dignum, aliorum inventa calumniantur: lævi homines,

Sinistra quos in lucem natura extulit;

ut ait Phædrus Prol. lib. 3. Fabb. v. 41. Hoc genus nostro sæculo, tamquam herba irrigua, uberrime succrevit. Porro *natura* non de animi ingenio solum, sed etiam de corporis temperie dicitur. Terentius Eunucho:

Tametsi bona est natura, reddunt curatura junceam.

Manum de tabula: video enim parcæ eruditionis amatores pandiculari atque oscitare. VULP.

v. 29. TUNC ME VEL TRAGICÆ VEXETIS ERINNYES] Tragicæ, quales inducuntur in tragœdiis, Oreste, Alcmæone, Pentheo, Athamante. *Erinnyes*, Furiæ, Eumenides. dictæ vel *ἀπὸ τοῦ ἐριννύειν*, quod est Arcadibus furere, vel *ἀπὸ τοῦ ἐρρεῖν τὸν νοῦν*, id est, a corrumpenda mente. Pausanias in Arcadicis. Idem in Atticis tradit, *σεμνὰς θεὰς* vocatas fuisse ab Atheniensibus: Æschylum autem primum finxisse implicitos earum crines serpentibus. Hesiodus in Theogonia Telluris filias facit e Cæli genitalibus. PASS.

ibid. ET ME INFERNO DAMNES, ÆACE, JUDICIO] Id est, sententia apud inferos lata, sontem videri, & parum cavisse, pronunties. *Inferna judicia*, ut Eleg. 9. lib. 1. v. 20. *Inferna rata*. De Æaco Noster Eleg. ult. lib. 4.

Aut si quis posita judex sedet Æacus urna,
In mea sortitâ judicet ossa pilâ.

Ovidius lib. 13. Metam.

Æacus huic pater est, qui jura silentibus illic
Reddit, ubi Æoliden saxum grave Sisyphon urget.

Horatius Ode 13. lib. 2.

Quam pæne furvæ regna Proserpinæ,
Et judicantem vidimus Æacum!

Apollodorus lib. 3. hunc Jovis & Æginæ filium esse, & servare claves Plutonis ait. P.

v. 31. ATQUE INTER TITYI VOLUCRES

MEA

Nec tu supplicibus me sis venerata tabellis.
Ultima talis erit, quæ mea prima fides.
Hoc mihi perpetuo jus est, quod solus amator
Nec cito desisto, nec temere incipio.

ELE-

MEA PŒNA VAGETUR] Id est, ego damnatus & addictus supplicio, sive ego cruciarius vager & verser inter vultures Tityi. Sic Eleg. 7. lib. 3. *Argenni pœna*, id est, ipse morte affectus & submersus. sic *nostræ vita*, id est, mihi vivo. & alia id genus passim. *Vagetur*, nusquam consistat, huc illuc versetur. Sed vetus liber, *Mea penna vagetur*. scilicet avis mea, meus vultur, mihi infestus. ut dicitur: *deo irato meo*, & *meus carnifex*. *Penna*, pro ave. Eleg. 8. lib. 3. *Felicibus edita pennis*. De volucribus Tityi Ovidius in Ibin, Virgilius 6. Æn. Noster Eleg. 3. lib. 3. Tibullus Eleg. 3. lib. 1. Homerus 11. Odyssex, Horatius Ode 4. l. 3. Lucretius lib. 3. & Apollodorus lib. 1. Demetrius vero Pindari Scholiastes ait, serpentes jecur ejus depascere & lancinare. P. *Inter Tityi volucres*. & hic multum discrepant fabulatores; aliis unum, aliis binos vultures ponentibus. immania est hyperbole Papinii L. 11. Thebaid. ipso initio:

Quantus Apollineæ temerator matris Averno
Tenditur: ipsæ horrent, si quando pectore ab alto
Emergunt volucres, immensaque membra jacentis
Spectant, dum miseræ crescunt in pabula fibræ.

Lutatius: VOLUCRES, *secundum Homerum, qui dicit, viscera Tityonis gemino vulture exedi; non uno, ut Virgilius dicit*. admodum bona sunt quæ huc facientia Lucretius habet L. 3. v. 999. BROUKH. I. T. *volucres mea pœna vagetur*. Pulchre & eleganter dictum de vulture circumvolante. nempe, inter vultures jecur Tityi devorantes volitet vultur aliquis, mea pœna, hoc est supplicio meo destinatus, qui me pariter depascat. Fallitur enim Passeratius, qui fingit cruciarium ipsum vagari. Tityum enim & Prometheum, illum vulturi, hunc aquilæ expositum, fingunt fabulæ supinos & porrectos jacere, non vagos huc illuc ire. Neque necesse est ut legamus *penna*; quod sane invenustum est. VULP.

v. 32. TUMQUE EGO SISYPHIO SAXA LABORE GERAM] Eleg. 17. supra v. 8. dixit, *Difficile onus*, quod hic *saxa*, per enallagen numerorum, ut Eleg. 1. *dolia*, pro dolium v. 67. & *regna*, pro regnum Eleg. 9. supra v. 49. PASS.

v. 33. NEC TU SUPPLICIBUS ME SIS VENERATA TABELLIS] Nolim tu mihi supplices, quum jure tuo mihi possis imperare. *Sis venerata*, pro venereris, ut adnot. Elegia 13. supra v. 41. *Supplicibus tabellis; Precantibus verbis*, Ovidio: *Supplicibus libellis*, Martiali. *Tabellis*, epistolis; [unde tabellarii, qui portabant epistolas.] Plautus Pseud. *Salutem mittit per ceram & linum litterasque interpretes*. PASS. *Venerari*, hic est precari, ut Eleg. 4. lib. 1. *adorare*. Lar familiaris apud Plautum prologo Aulular. *Sed mihi avus hujus obsecrans concredidit Thesaurum auri clam omnes, venerans me ut id servarem sibi*. Idem Rudente 5, 2, 61. *Venus, veneror te, ut omnes miseri lenones sient*. Horatius Sat. 6. lib. 2.

Si venerer stultus nihil horum: O si angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum! &c.

Idem Sat. 2. lib. ejusd. παθητικῶς:

Ac venerata Ceres, ut culmo surgeret alto,
Explicuit vino contractæ seria frontis. VULP.

v. 34. ULTIMA TALIS ERIT, QUÆ MEA PRIMA FIDES] Id est, fidus & certus initio tibi fui: fidus certusque ad extremum permanebo. vide Eleg. 12. lib. 1. v. ult. *Talis, quæ*, ἀνακόλουθον. debuerat enim sequi, *qualis*. PASS.

v. 35. HOC MIHI PERPETUO JUS EST] Id est, ita mihi proprium, ut eripi, aut mutari non possit. Sic Statius: *Hoc mihi jus, nec fata vetant*. *Perpetuo-jus*, hyphen; ut Eleg. 9. lib. 2. *perpetuo-libera*. Alludit autem ad edicta prætorum, quæ olim annua, post perpetua esse cœperunt: vel, quæ eodem anno prætores mutabant, deinde coacti toto anno eadem servare. Lipsius cap. 12. lib. 2. V. L. vult *Perpetuum* legere, quasi non & *perpetuo-jus* legatur

etiam

etiam apud Ciceronem 3. Offic. ex Pacuvii vel Attii Amorum judicio : *Fidei sacratæ jus perpetuo falleret*. Sic apud Terentium Eunucho 4, 5. *Non ego dicebam perpetua ut illi dares*, (filiam uxorem) id est, propriam dicares. Plautus in prol. Amphitr.

Perpetua facere ut sit comœdia. PASS.

ibid. QUOD SOLUS AMATOR] Pro amans. ut Eleg. 3. supra v. 16. & Eleg. 16. v. 11. & Eleg. prox. seq. v. 4. & 14. PASS. Amans & *amator* ita fere differunt ut ebrius & ebriosus, ædificans & ædificator. Nihilominus hæc interdum scriptores promiscue usurpant. VULP.

v. 36. NEC CITO DESISTO, NEC TEMERE INCIPIO] Ut arbores quæ cito surgunt, cito & intereunt : quæ tarde oriuntur, diutius manent; sic de perturbationibus animi sentiendum. Exemplum in ira quorumdam, ut Q. Ciceronis, & pueri apud Horatium Epist. ad Pisones : *Iram Colligit & ponit temere*. [& sui ipsius Epist. 20. lib. 1.

Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.]

Huc pertinet illud Suetonii in Aug. cap. 66. *Amicitias neque facile admisit, & constantissime retinuit*. Non statim amare desinere, nec facile amore capi, id est, proprie diligere [quasi deligere ; quod Itali dicunt *amare con iscelta e discernimento*.] P. Hunc versum eleganter extulit Paullus Manutius, homo omnium Italorum disertissimus, L. 7. Epist. 1. *Noli vereri, ne illi ex animo effluas. non enim is est, qui vel temere amet, vel temere amare desinat. novi judicium in deligendis hominibus : novi constantiam in tuendis*. Augusti virtutem in amicitiis parandis & retinendis, venustissime ad suam in amando constantiam traduxit, petitis de nostro poeta coloribus, Franciscus Malherba Poemat. L. 5.

Je ne ressemble point à ces foibles esprits,
Qui bien-tost délivrez, comme ils sont bien-tost pris,
En leur fidelité n'ont rien que du langage ;
Toute sorte d'objets les touche également ;
Quant à moy, je dispute avant que je m'engage,
Mais quand je l'ay promis j'aime eternellement.

quos versiculos eo adscripsi lubentius, quod sciebam vix ullos alios æqua se probasse suo auctori : quamquam in eo non habuit sibi adsentientem interpretem suum Ægidium Menagium. BROUSH.

ELEGIA XXI.

AT quantum de me Panthi tibi pagina finxit,
Tantum illi Pantho ne sit amica Venus.

Sed

ARGUMENTUM ELEGIÆ XXI. LIBRI II.] Rivali cuidam suo, qui ipsum apud Cynthiam violatæ fidei accusaverat, male precatur, eumque vicissim accusat. VULP.

v. 1. AH QUANTUM DE ME PANTHI TIBI PAGINA FINXIT] Scaliger hæc cum superioribus conjungit, & *At* legit ; sed non animadvertit, *Ah*, sæpe imprecantis esse apud Propertium, ut adnot. ad Eleg. 6. supra v. 31. *Finxit tibi*, apud te me calumniatus est. & *finxit de me*, ut Cicero : *Affirmare de aliquo*. vel *de me*, est *in me*, ut Eleg. prox. sup. v. 13. *Fingere*, insimulare falso, ut Eleg. 12. lib. 1. v. 1. adnot. *Pagina Panthi*, liber, versiculi ; ut Eleg. ult. infra, *Pagina Calvi*. & Eleg. 23. lib. 3. *Mea pagina*. & Eleg. 1. ejusd. libri *Pagina nostra*. & Eleg. 3.

Cur tua præscriptos evecta est pagina gyros?

Virgilius Ecl. 6.

Nec Phœbo gratior ulla est
Quam sibi quæ Vari præscripsit pagina nomen.

Festus : *Pagina dicta, quod in libris suam quæque obtineat regionem, ut pagi : vel a pagendo, quia in illis versus paguntur, id est, figantur*. Hinc per synecdochen pro libro aut versiculis. Scripserat autem aliquid ad Cynthiam Panthus, ut in suspicionem violatæ fidei Propertium adduceret, idque versiculis ; ut in Eleg. 18. lib. 1.

Quid tantum merui? quæ te mihi carmina mutant?

ideo Eleg. sup. ait :

Quidve mea de fraude deos, insana, fatigas?

PASS.

Ah quantum de me. Scaliger mallet, *At*

quan-

Sed tibi jam videor Dodona verior augur?
Uxorem ille tuus pulcer amator habet.
Tot noctes periere. nihil pudet? adspice, cantat
Liber: tu nimium credula sola jaces.

Et

quantum. nihil verius: & iduneis exemplis quam-plurimis firmavit Nic. Heinsius Not. ad Epist. 12. Nasonis, quæ est Medeæ, v. 1. *At tibi Colcherum, memini, regina vacavi*. quem versum, ut hoc obiter moneam, pariter laudat, explicata vocula *at*, Antonius Volscus, ad Propertii L. 1. Eleg. 17. adeo nonnumquam olitor opportuna loquitur. BROUKH.

v. 2. TANTUM ILLI PANTHO NON SIT AMICA VENUS] Ita Venerem iratam habeat, ac sit invenustus. & *τὸ illi* contemtim; ut Eleg. 9. supra v. 48. *Non sit amica*. alii libri: *Ne sit amica*. Virgilius 2. Æneid. *Male numen amicum Confusam eripuit mentem*. Contra Horatius Ode 1. lib. 2. *Juno, & deorum quisquis amicior Afris*. P. *Non sit amica*. Horatius Sat. 2. lib. 1. v. 19. *Vix credere possis Quam sibi non sit amicus*. VULP.

v. 3. SED TIBI JAM VIDEOR DODONA VERIOR AUGUR?] Incipit recriminari accusatorem suum. Putaveram adolescens, hunc versum, & qui sequuntur ultimo tenue distichu hujus Elegiæ, *μίμησιν* esse epistulæ Panthi missæ ad Cynthiam. Sed nunc id mihi parum veri simile videtur: saltem amplius deliberandum censeo. Est autem irrisiu quædam. Italice diceres: *Non sono io stato verace indovino?* VULP. Ergu nunc tandem vates tibi videor, ipso Juvis Dodunæi oraculo certiur. Persimilis locus est Eleg. 17. supra v. 3. De oraculu Jovis Dodonæi vide proverbium, *Dodonaeum æs*; Plinium initio lib. 4. H. N. & cap. 13. lib. 36. in fine, Strabonem lib. 7. Callimachum Hymno in Delum v. 94. & adnotata ad Eleg. 9. lib. 1. v. 5. PASS.

v. 4. UXOREM ILLE TUUS PULCER AMATOR HABET] Sequitur v. 10. *Maritus* est. Formulam veru censoriam tangit: *Ex animi tui sententia uxorem habes?* Cicero 2. de Orat. & Gellius cap. ult. lib. 4. Sic & Terentius Adelphis: *Et, quod fortunatum isti putant, Uxorem numquam habui*. *Pulcher amator*. ἐρωτικῶς. Neque vero scio an de hoc Panthu sint intelligenda illa Eleg. 16. supra:

Candida tam fœdo brachia fusa viro.

Eadem ironia usus Crassus apud Ciceronem 2. de Orat. *Audiamus pulchellum puerum*. Cicero lib. 2. ad Attic. Epist. 17. *Sed hoc apud pulchelli furorem non valet satis*. quamvis ludat in cognomine Clodii. Et Terentius Eun. 3, 2. *Perpulchra, credo, dona: haud nostris similia*. PASS. *Ille tuus pulcer amator*. *τὸ ille* additur ad invidiam & contemtum. Supra Eleg. 3.

Hæsisti; cecidit spiritus ille tuus.

& infra Eleg. 24.

Ille tuus pennas tam cito vertit Amor? V.

v. 5. TOT NOCTES PERIERE] Tibi sine fructu consumtæ sunt. Sic supra Eleg. 16. *Tot jam abiere dies*. Quintilianus Declamat. 1. *Et tot jam abiere noctes? Perire* dicuntur quæ prætereunt sine fructu; ut Eleg. 12. supra:

Et levibus curis magna perire bona. PASS.

Immo, effudisti gratiam quam collegeras tot noctibus tuis Panthu liberaliter concessis; neque enim ille parem tibi voluntatem tribuit, neque dicit, Gratum est. Catullus Carm. 8.

Miser Catulle, desinas ineptire,
Et quod vides perisse, perditum ducas.

Elegantissime Lucretius lib. 3. v. 953.

Sin ea quæ fructus cumque es, periere profusa;
Vitaque in offensu est; cur amplius addere quæris,
Rursum quod pereat male, & ingratum occidat omne?

& paullo ante v. 949.

Pertusum congesta quasi in vas,
Commoda perfluxere, atque ingrata interiere.
VULP.

ibid. NIHIL PUDET] In genere dixit vehementius quam si eum nominasset. Sic Virgilius 4. Æneid. *Nusquam tuta fides*. Horatius pariter Epist. 1. lib. 2. *Clament periisse pudorem Cuncti pene patres*. Iste tuus amator, inquit, nihil commovetur: frontem perfricuit: os ei canis ferreum: inverecundum animi ingenium possidet, ut ait

En-

Et nunc inter eos tu sermo es: te ille superbus
Dicit se invito sæpe fuisse domi.
Dispeream, si quidquam aliud, quam gloria de te
Quæritur. has laudes ille maritus habet.

Ennius Cresphonte. Terentius Andria: *Ecquid te pudet?* Plautus Asin. & Pseud. *Nihilne te pudet?* PASS.

ibid. ADSPICE, CANTAT LIBER] *τὸ adspice*, præsentis exempli, ut adnotavi ad Elegiam 2. lib. 1. v. 9. *Cantat*, securo animo est. Juvenalis Sat. 10.

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Liber, solutus amore, & curis expeditus. ut Eleg. 2. sup. *Liber eram*. Ut autem nemo saltat sobrius, ita nemo sollicitus cantat. unde illud Ciceronis 2. de Orat. *Quid ploras, pater? Mirum*, inquit, *ni cantem: condemnatus sum*. uno verò verbo *Liber*, eum vincit non amare. nam, ut ait Elegia 23. infra:

Nullus liber erit, si quis amare volet. PASS.

v. 6. TU NIMIUM CREDULA] Infra: *Nimium facilis aurem præbere*. Sic *nimium temerarius* Eleg. 8. supra. Et simplicitas illa stultitiæ proxima. Eleganter Ovidius Epist. Heleonæ: *Credulitas damno solet esse puellis*. PASS.

ibid. SOLA JACES] Deserta es: infra. Sic Terentius sc. ult. Phorm. *Dum tu dormis*. id est, sola relicta jaces. PASS. Ita Paris apud Ovidium Epist. 16. v. 315.

Sola jaces vidua tam longa nocte cubili;
In vidua jaceo solus & ipse toro. VULP.

v. 7. ET NUNC INTER EOS TU SERMO ES] Inter maritum & uxorem to fabula & risus. *τὸ Inter*, familiare aliquid & secretum notat. ut Eleg. 19. lib. 1. v. pænult. & Eleg. 13. ejusdem lib. v. 20. Sic Cicero; *Quod inter nos liceat*. id est, dum soli sumus. *Sermo es*; ut Eleg. 24. infra:

Tu loqueris, quum sis jam nota fabula libro.

Vide adnot. ad Eleg. 5. lib. 1. v. 26. PASS. Urbanissime. Plautus Pseud. 1, 5.

Si de damnosis, aut de amatoribus
Dictator fiat nunc Athenis Atticis,
Nemo antecedat filio, credo, meo:
Ita nunc per urbem solus sermo est omnibus.

Cicero pro Rabir. Post. C. 14. *Cataplus ille Puteolanus, sermo illius temporis, vectorumque cursus atque ostentatio, tum subinvisum apud malevolos Postumi nomen propter opinionem pecuniæ nescio quam, æstatem unam, non plures, aures referse istis sermonibus*. BROUKH. Nos quoque in Elegia quadam:

Tum te contemnet, meliori juncta marito;
Inter & amborum gaudia risus eris. V.

ibid. TE ILLE SUPERBUS] Ferox, qui mox fastidit. ut Eleg. ult. lib. 3. *Fastus patiere superbos*. Catullus Carm. 29.

Et ille nunc superbus, & superfluens. PASS.

v. 8. DICIT SE INVITO SAEPE FUISSE DOMI] An domi suæ? ut domum Panthi Cynthia ventitarit; quod est prostibuli, ductari, vocari, venire domum. An domi Cynthiæ? ac sane domi esse dicitur quæ parata est; *nec finit esse moram, si quis adire velit*. Catullus Carm. 32. *Neu tibi libeat foras abire*. Plautus Milite 2, 2. de caussis quas fingunt mulieres excludendis amatoribus:

Non domi est, abiit ambulatum, dormit, ornatur, lavat,
Prandet, potat, occupata est, opera non est, non potest.

Notus jocus Scipionis Africani se negantis Ennio esse domi. Ovidius lib. 2. A. A.

Dicta erit isse foras, quam tu fortasse videbis;
Isse foras, & te falsa videre puta. PASS.

Se invito. nempe, ut beneficio tuo nihil debeat, & ne ipsa id illi imputare possis, affirmat, te domi fuisse, quod volueris, non quod ille jusserit & condixerit. Sic Eleg. 15. lib. 1.

Quis te cogebat multos pallere colores? VULP.

v. 9. DISPEREAM, SI QUIDQUAM ALIUD, QUAM GLORIA DE TE QUÆRITUR. HAS LAUDES ILLE MARITUS HABET] Emoriar, nisi hoc unum agatur, ut de te triomphet. *Dispereo*, ut discrucior, dispudet, distædet, disrumpor; ubi *dis*, pro valde, inquit Charisius. Catullus Carm. 90. *Dispeream, me nisi Lesbia amat*. *Gloria*, insignis fama. ut Eleg. 13. lib. 1.

Dum sibi deceptis augetur fama puellis.

Et *εἰρωνικῶς gloria* & *laudes*; nam *turpia prælia* cum puella, ut dixit Eleg. 5. supra. &

Colchida sic hospes quondam decepit Iason:
Ejecta est; tenuit namque Creusa domum.

more inhonesta, Eleg. 8. supra. Sic Virgilius 4. Æneid.

Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis.

Item lib. 2.

Nullum memorabile nomen
Feminea in pœna est, nec habet victoria laudem.

PASS.

Similis Ovidii sententia Epist. Medeæ v. 175.

Forsitan &, stulta dum te jactare marita
Quæris, & injustis auribus apta loqui,
In faciem, moresque meos nova crimina fingat.
Rideat, & vitiis læta sit illa meis. V.

v. 11. COLCHIDA SIC HOSPES QUONDAM DECEPIT IASON] Ovidius lib. 3. A. A.

Phasiadem matrem fallax dimisit Iason:
Venit in Æsonios altera nupta sinus.

Addidit *hospes* ad augendam invidiam; ut Virgilius 4. Æneid. *Cui me moribundam deseris, hospes?* Noster iterum Eleg. 34. infra:

Hospes in hospitium Menelao venit adulter.

PASS.

v. 12. EJECTA EST; TENUIT NAMQUE CREUSA DOMUM] Id est, repudio exacta, ut loquitur Attius apud Festum: *Repudio ejecta ab Argis jamdudum exsulo*. Cicero 2. Philipp. *Mimam illam suas res sibi habere jussit: ex XII. tabb. claves ademit, exegit*. *Tenuit domum*. id est, familiam ejus possedit, facta ejus materfamilias. *Tenere domum*, ut *ducere familiam*. Sic Virgilius, *Regna teneret*. Item:

Sola domum, & tantas servabat filia sedes.

Sed vulgatæ hujus lectionis auctor Beroaldus; quum vetus liber habeat:

Excepta est tenui namque Creusa domo.

id est, venit & admissa est in exilem ac pauperem Jasonis domum Creusa. Siquidem apud Euripidem Jason Medeæ se purgans, divortii caussam adfert, quod ipse pauper divitem ducere cogatur. *Tenuis domus*, Horatio *exilis*. Sic Noster Eleg. 1. lib. 4. *In tenues cogeris ipse lares*. PASS. Heinsius & Bynæus de sanitate hujus loci frustra dubitant. quod enim Creusa ipso nuptiarum die conflagraverit, id non efficit quin domum Jasonis tenuerit, quum *tenere*, nonnumquam sit *attingere*. Virgilius 6. Æn.

Jamque propinquabam terræ, & jam tuta tenebam.

Ovidius 6. Metam. v. 709.

Nec prius aërii cursus suppressit habenas,
Quam Ciconum tenuit populos & mœnia raptor.

Idem 8. Metam. v. 5.

Ante exspectatum portus tenuere petitos.

Quid, si tenemus & illa quæ mox amissuri sumus? Quid, si domus pro amante nonnumquam sumitur? Noster supra Eleg. 16.

Atque una fieret cana puella domo.

id est, in unius amoribus consenesceret. Quod autem Passeratius lectionis vulgatæ auctorem facit Beroaldum, id mihi satis non liquet: princeps enim omnium editio a. 1472. habet:

Ejecta est tenuis namque Creusa domo;

errore manifesto; qui tamen indicet veram lectionem. Neque assentiri possum elegantissimo Broukhusio legenti:

Electa est tenui namque Creusa domo.

quod Sisyphi domus, ex qua Creon pater Creusæ, tenuis, & valde despecta esset apud Græcos. Fuerunt quidem Sisyphi nepotes fraudulenti, sed nihilominus potentes & locupletes. Medeam ipsam loquentem audiamus apud Ovidium Epist. 12. Heroid. v. 53.

Quam tibi nunc longe regnum dotale Creusæ,
Et socer, & magni nata Creontis erunt?

& rursus v. 103.

Dotis opes ubi tunc? ubi tunc tibi regia conjux?
Quique maris gemini distinet Isthmos aquas?

& v. 203.

Dos mea, tu sospes: dos est mea, Graia juventus.
I nunc, Sisyphias, improbe, confer opes.
Quod vivis; quod habes nuptam socerumque potentem;
Hoc ipsum, ingratus quod potes esse, meum est.

Frustra quis confugiat ad εἰρωνείαν, ut vim argumenti elevet. Deinde τὸ *Electa*, quod Broukhusio placet, frigidum & importunum mihi videtur: contra *Ejecta*, magnam habet efficacitatem, atque historiæ convenit. Medea iterum v. 133.

Ausus es ô (justo desunt sua verba dolori)
Ausus es, Æsonia, dicere, cede domo.
Jussa domo cessi, natis comitata duobus.

Quid est, rogo, ejici, si hoc non est? Ceterum recte monent Interpretes, Creusam

Sic a Dulichio juvene est elusa Calypso:
Vidit amatorem pandere vela suum.
Ah nimium faciles aurem præbere puellæ,
Discite desertæ non temere esse bonæ.
Nunc quoque, qui restet, jampridem quæritur alter.
Experta in primo stulta cavere potes.

vero nomine Glaucen vocatam. Videndi, præter alios, Apollodorus, Diodorus Siculus, & Lutatius ad L. 5. Thebaid. Papinii v. 403. VULP.

v. 13. SIC A DULICHIO JUVENE EST ELUSA CALYPSO] Fabulam hanc narravimus ad Eleg. 15. lib. 1. v. 9. *Eludere*, inquit Donatus, *gladiatorum est, quum vicerunt & ludo finem imposuerunt*. Sic elusit Ulixes Calypso: postquam lusit cum ea & eam ludos fecit, reliquit. Ovidius 6. Metam.

Mæonis elusam designat imagine tauri
Europam.

Horatius Sat. ult. lib. 1. *Davoque Chremeta Eludente senem*. Plautus Curcul. *Unde habeas anulum, quem hic te elusit*. id est, tibi surripuit, vel in aleæ ludo lucratus est. Sententia est: ut Ulixes reliquit Calypso propter uxorem Penelopen, sic & te hic maritus relinquet. PASS.

v. 14. VIDIT AMATORAM PANOERE VELA SUUM] τὸ, *vidit*, inquit, quia animi vulnus ab oculis; ut Eleg. 8. v. 5. & Eleg. 13. v. 49. sup. & Eleg. 20. lib. 3.

Credis eum jam posse tuæ meminisse figuræ,
Vidisti a lecto quem dare vela tuo?

Pandere vela, est ea explicare & dare ventis. Cicero Tusc. 1. *Passis velis pervehi in portum*. & Tusc. 4. *Pandere vela orationis*. P.

v. 15. AH NIMIUM FACILES AUREM PRÆBERE PUELLÆ] Sic Ovidius lib. 6. Fast.

O nimium faciles! o toto pectore captæ!

Faciles præbere aurem, quod ante dixit *Credulæ*. *Præbere aurem*, benigne ac libenter audire, ideoque credere. Horatius Sat. 1. lib. 1.

Neque se fore posthac
Tam facilem dicat, votis ut præbeat aurem.

id est, annuat. PASS. Sulmonensis poeta lib. 2. Fast. v. 45.

Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putetis aqua! VULP.

v. 16. DISCITE DESERTÆ NON TEMERE ESSE BONÆ] Mementote & adsuescite ei rei, malo vestro doctæ; ut Eleg. 5. lib. 1.

Tum grave servitium nostræ cogere puellæ
Discere.

Desertæ, solæ relictæ; quæ credulæ solæ jacetis. ut Eleg. 3. lib. 1. *Graviter mecum deserta querebar*. *Non-temere*, ut Eleg. sup. v. ult. nec-temere, conjungendum. *Bonæ*, benignæ & propitiæ amanti. ut Eleg. 13. sup. v. 15. PASS. Ubi editiones pleræque habent *temere*, ibi lacuna est in editione principe. *Bonæ*, liberales cum quadam simplicitate proxima stultitiæ, parum cautæ. *Bonitas* interdum eadem significatione sumitur. Cicero pro Q. Roscio Comœdo: *Quum Roscius Fannium fraudasse arguatur, utrumque incredibile est, & Roscium quidquam per avaritiam appetisse, & Fannium quidquam per se bonitate amisisse*. Et infra [illegible]: *Largitus est scilicet homo liberalis, & dissolutus, & bonitate affluens Fannius Roscio? sic puto*. VULP.

v. 17. HUIC QUOQUE QUI RESTAT, JAMPRIDEM QUÆRITUR ALTER] Alii libri, *Nunc quoque*: alii, *hic quoque*, quod idem valet, & probo. Vel *huic quæritur*. id est Cynthiæ, vel a Cynthia quæritur alter, *qui restat quoque*, hoc est, refractarius est. vel *alter huic*, id est, alter ab hoc. id est, a me, qui resto & remaneo constans in amore; ut Eleg. 25. infra:

At nullo dominæ teritur sub limine amor, qui
Restat, & immeritas sustinet aure minas.

An alter, qui quæritur, restat, resistit, repugnat, pedem strait? Eleg. 6. lib. 3.

Dum pugnant Danai, dum restat barbarus
Hector.

Et sic Eleg. 9. sup.

Hic etiam petitur qui te prius ipse reliquit.

& τὸ *quæritur*, ut & *petitur*, verbum est ultro ambientis & impudicæ, ut adnotat.

Nos quocumque loco, nos omni tempore tecum
Sive ægra pariter, ſive valente ſumus.

& ad Eleg. 13. L. 1. *Alter*, mœchus quoque, ut dixi aliàs. PASS. *Huic quoque, qui reſtat*. puta prætori, de quo Eleg. 16. ſupra. *quæritur alter*: ſubaudi, *ſucceſſor*. VULP. Locus valde obſcurus. --- Mihi non vana conjectura legendum videtur,

Nunc quoque, qui reſtet, jampridem quæritur alter.

hoc ſenſu: Quamvis, o Cynthia, deberes iſta ſapere, nihilominus poſt hunc deſaltorem, etiam novum neſcio quem quæris, qui reſtet apud te, qui te conſtanter amet. id vero quam non ſit tutum quum in primo experta fueris, malo tuo cavere potes. *Reſtare*, eſt manere in veſtigio, nec quoquam progredi. Terentius Andr. 2, 6.

Hic nunc me credit aliquam ſibi fallaciam
Portare, & ea me hic reſtitiſſe gratia. BROUKH.

v. 18. EXPERTA IN PRIMO STULTA CAVERE POTEST] Etiam ſtulta, quum experta eſt unius perfidiam, diſcere poteſt non eſſe aliis credendum. & *cavere*, eſt diffidentiæ, opponiturque credulitati. Vide proverbium, *Male accepto ſtultus ſapit*. De Prometheo Heſiodus ἐν ἔργοις: παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω. *Experta in primo*, ideo dixit, quia plures quærit Cynthia. Experiri in aliquo; Cicero pro Plancio 1 *Omnia quæ dico de Plancio, dico expertus in nobis*. P. *Stulta cavere potes*. *Tuta* eſt in noſtro primo, itemque in Borrichiano. ſic & unus Gebhardi. tale propemodum eſt illud L. 1. Eleg. 20.

Formoſum Nymphis credere tutus Hylam.
BROUKH.

v. 19. NOS QUOCUMQUE LOCO, NOS OMNI TEMPORE TECUM SIVE ÆGRA PARITER, SIVE VALENTE SUMUS] Nos ubique & Romæ & peregri & ſemper in læta & adverſa fortuna tecum permanebimus, ſive ægra fueris, ſive ſana & incolumis, quod eſt firmæ amicitiæ ſignum. *Tecum pariter*, ut *Tecum una*, & *Tecum ſimul*. Plautus Curcul. *Ame pariter ſimul*. & in Aſin. *Mecum pariter potant*. De Cynthia ægrotante Eleg. 9. ſup. PASS. Notanda locutio rarior, *omni tempore*. Noſter lib. 3. Eleg. 9.

Et tibi ad effectum vires det Cæſar, & omni
Tempore tam faciles inſinuentur opes.

Sic etiam Lucretius loquitur I. 27.

Memmiadæ noſtro, quem tu, dea, tempore in omni
Omnibus ornatum voluiſti excellere rebus.

Sic & Cicero aliquoties. BROUKH.

ELEGIA XXII.

SCis here mi multas pariter placuiſſe puellas,
Scis mihi, Demophoon, multa venire mala.

Nulla

ARGUMENTUM ELEGIÆ XXII. LIBRI II.] Ad Demophoontem: Se multarum amoribus facile capi, neque hoc vitium ſuis commodis carere. VULP.

v. 1. SCIS HERE ME MULTAS PARITER PLACUISSE PUELLAS, SCIS MIHI, DEMOPHOON, MULTA VENIRE MALA] Ita Ovidius Eleg. 8. lib. 1. Amor.

Scis here te, mea lux, juveni placuiſſe beato.

id eſt, heri, χθὶς, heſterno die. & lib. 3. Faſt.

Hic here Phryxeæ vellera preſſit ovis.

Chariſius lib. 2. *Heri quidem here putant dici debere*. ſic veſpere, veſperi: luce, luci: rure, ruri: peregre, peregri. utitur Terentius Eunucho, & Plautus ubique. Ariſtoteles lib. 9. Ethic. cap. 10. negat, amorem magnum eſſe poſſe inter plures. Puellæ vero multæ multa mala, duobus modis, & quia amores multi, multa mala, ut Eleg. 4. ſup. v. 10. aut quia femina ipſa res mala eſt. Plautus Curcul. initio actus 5.

Antiquom poetam audivi ſcripſiſſe in tragœdia,
Mulieres duas pejores eſſe, quam unam.

vide quæ adnotavi ad Eleg. 1. lib. 1. v. 35. P. *Scis m. D. multa venire mala*. nempe quia mul-

Nulla meis frustra lustrantur compita plantis.
Omnia in exitium nata theatra meum.
Sive aliquis molli deducit candida gestu
Brachia, seu varios incinit ore modos.

In-

multas puellas viderat simul, quarum nulla displicebat. multarum autem amorem esse pejorem quam unius, ipse infra testatur, Eleg. 19. [25.] *At vos, qui officia in multos* &c. non bene ceperant hunc locum Marollius, & Marollii infelix exscriptor Silvius. BROUKH. *Scis here mi m. p. p. p.* Nimis lepidum & venustum est lemma huic Elegiæ appositum in Editione omnium principe anni 1472. AD *heremium demophoontem;* quod scilicet barbarus ille, quisquis fuit, qui eam curavit, bene tamen de Propertio meritus, invenerat in codice mss. pro *here mi*, *heremi* conjunctim. Putavit igitur esse nomen viri, cui cognomen esset Demophoon. res ridicula sane & jocosa. *Pariter;* vel æque, ut nulla magis, nulla minus placeret; vel simul, & eodem tempore, ut penderem animi, & quo me verterem nescirem. *Placuisse*, formosas mihi visas esse, fortasse in ludis & theatris. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 4. quæ tota in hoc argumento versatur:

Illa placet gestu, numerosaque brachia ducit,
Et tenerum molli torquet ab arte latus.

Demophoon. quis hic fuerit, prorsus obscurum. Aut poeta nomen finxit, aut servum quemdam, vel libertum appellat. nisi malumus Græcum aliquem hominem Romæ commorantem intelligere, quo Propertius familiariter uteretur amorum suorum conscio. Demophoon vocabatur filius Thesei, regis Athenarum, qui Phyllidem, Thraciæ reginam, prius amatam postea deseruit. Vide Ovidium Epist. 2. Heroid. VULP.

v. 3. NULLA MEIS FRUSTRA LUSTRANTUR COMPITA PLANTIS] Sententia est: Numquam frustra adeo compita, ad ludos compitalitios spectandos, quos vicorum magistri prætextati faciebant. nam de iis hunc locum recte Scaliger intelligit. legendus Varro 5. de L. L. Festus in *Compitalia*, in *Pila*, & in *Lanea*, Servius in 2. Georg. Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 6. *Hac Compitalia, id est ubi eos qui peregre moriuntur colunt, Partutorium dicitur.* verba sunt Charisii lib. 1. *Non frustra;* non ab re, nec de nihilo. hoc enim est quod dixit sup. Eleg. 3.

Non sum de nihilo blandus amator ego.

Lustrantur, obeuntur, peragrantur. ut not. ad Eleg. 10. sup. *Plantis*, pedibus, ut Elegia 4. sup.

Ibat & expenso planta morata gradu.

Planta, quasi planca, quod plana sit. P.

v. 3. O NIMIS EXITIO NATA THEATRA MEO] Alii libri:

Omnia in exitium nata theatra meum.

τὸ ὁ dolentis est. ut & Virgilius in fine 5. Æneid.

O nimium cælo & pelago confise sereno.

Nata exitio meo, in meam perniciem reperta. exitium olim quicumque exitus: nunc pessimus: Festus. Natum, ut partum, dicitur etiam de inanimis. ut Eleg. 1. sup. *nascitur historia.* Catullus Carm. 10. *Quod illic Natum dicitur, ære comparasti Ad lecticam homines.* Cicero, *natum bellum*, *nata lex*, *nata judicia*. A quo reperta theatra, vide Donatum in Terentium, & Horatium in Epist. ad Pisones. De theatris, amoris occasionem præbentibus, Noster Eleg. 8. lib. 4. v. 77. Ovidius lib. 2. Trist.

Ut tandem fatear, ludi quoque semina præbent
Nequitiæ: tolli tota theatra jube.

vide eumdem lib. 2. Amor. Eleg. 2. & 7. & lib. 1. & 3. A. A. ubi versus ille memorabilis:

Quid faciet custos, quum sint tot in urbe theatra?

Scaliger ergo fallitur, qui theatrorum factam mentionem a Propertio putat propter fabulas [moribus noxias] quæ agebantur. PASS. Meliorem lectionem e suis promit Passeratius:

Omnia in exitium nata theatra meum.

τὸ *omnia theatra* respondet τῷ *nulla compita*. BROUKH. Sic Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 5.

Heu mihi perpetuum nata puella malum! V.

v. 5. SIVE ALIQUIS MOLLI DEDUCIT CANDIDA GESTU BRACHIA, SEU VARIOS INCINIT

Interea nostri quærunt sibi vulnus ocelli,
Candida non tecto pectore si qua sedet.

Sive

NIT ORE MODOS] Id est, sive ludius, sive tibicen in scena. *Deducit brachia* ludius: id est deorsum ducit saltando, vel extendit. ut Eleg. 16. infra: *ducere manus*. Noster Eleg. 20. sup. de motu cursuque sideris:

Septima jam plena deducitur orbita Luna.

Donatus in Eunuchum: *Ducimur ad supplicium, deducimur ad lætitiam*. An legendum *diducit*; id est, in diversas partes ducit, & movet? Statius 3. Silvar. ad Claudiam uxorem:

Candida seu molli diducit brachia motu.

Molli, lento, flexibili, facili, vel effeminato. Sic *mollis Ionia*, Eleg. 6. lib. 1. & *mollia tympana*, Eleg. 15. lib. 3. quæ molles gestant. *Gestu*, actione, motuque corporis argnto. unde gestire & gesticulari. verbum rhetorum est & histrionum. Festus: *Gestus est quo indicatur quid geritur*. hoc Græcis est χειρονομεῖν; & χειρονόμος, histrio, ac ludius; & χειρονομία, hæc gesticulatio. a qua, opinor, Hortensius dictus *Dionysia gesticulatrix*. Juvenalis Sat. 6.

Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo.

Brachia candida; vide Eleg. 16. supra v. 24. *Seu variis incinit ore modos*. Ore canit tibicen quum inflat tibias: sed & digitorum ministerio opus est. ut Eleg. 9. lib. 4. *Incinere*, ut Græcis ἐπᾴδειν. est autem verbum proprium tibicinum. A. Gellius lib. 4. N. A. cap. 13. *Creditum hoc est a plerisque, ischiaci quum maxime doleant, tum si modulis levibus tibicen incinat, minui dolorem*. Idem lib. 4. cap. 13. dixit *incentiones tibiarum*. Hinc *incentivæ tibiæ* Varroni lib. 1. R. R. cap. 1. dextræ sunt, ut *succentivæ*, sinistræ. *Varii modi*, ex discrimine tibiarum; nam dextrarum tibiarum modi graves fuerunt, qui seriam comœdiæ dictionem indicabant; leves & acuti sinistrarum & serranarum, quibus jocus ostendebatur. modi mixti, & utrarumque simul tibiarum, mixtam joco gravitatem ostendebant. Donatus in Terentium. Hinc in Comœdiis: *Modos fecit Flaccus tibiis paribus dextris & sinistris*. vide Martianum Capellam de Nupt. Philolog. cap. 117. ubi de modulatione, sive μελοποιΐα. Appulejus lib. 10. A. A. *In varios modulos lascivo concinente tibia*. *Modi* differunt a numeris; nam, ut ait Cicero in Orat. *Quidquid sub aurium mensuram cadit, id numerus dicitur, etiamsi absit a versu: modus æstimatur sono & intervallo vocum & concentu*. Plato lib. 3. de Republ. Τὸ μέλος ἐκ τριῶν ἐστὶ συγκείμενον, λόγου τε, καὶ ἁρμονίας, καὶ ῥυθμοῦ. P. *Ducere brachia*, & *deducere*, in re saltatoria proprie dicebant, notante Nic. Heinsio ad Ovid. Remed. Amor. v. 334. BROUKH. *Candida brachia*. muliebria potius quam virilia. Notat fortasse hoc epitheto saltatores illos, tamquam cinædos, & male viros. Huc pertinent verba Julii Firmici lib. 6. Matheseos: *Cum effeminati corporis mollitie cinædos efficient, & qui veterum fabularum exitus in scenis sæpe saltantes imitentur*. Candor proprius est hominum in umbra viventium: dedecet autem milites, nautas, athletas, agricolas, qui in sole & pulvere laborant & exercentur. vide Nasonem lib. 3. A. Am. a v. 713. Homerus identidem H'ρην, *Junonem*, vocat λευκώλενον; *candidis brachiis*. Possit aliquis suspicari, corruptam hoc loco lectionem esse, & ἀντὶ τοῦ *candida*, aliud epithetum positum fuisse a Propertio; quum ea vox proximo disticho iterum occurrat. V. *Incinit ore modos*. unus noster cum Borrichiano *injicit*, alter *inicit*. Gebhardus quoque *injicit* invenerat in membranis Commelini. itaque *injicere modos* idem esset, quod *jacere modos*, compositum pro simplici. sic *jactare cantica* infra est L. 4. Eleg. 5. & *jacere verba* L. 2. Eleg. 8. & L. 4. Eleg. ult. Lucretius lib. 4. dixit *jacere vocem*, Cicero lib. 1. de Divinat. ex Arato, *jacere querelas*. creber in hoc verbo Tacitus. sed tamen præplacet vulgata. BROUKH.

v. 7. INTEREA NOSTRI QUÆRUNT SIBI VULNUS OCELLI] Malum sibi arcessunt jumento suo, spectando scilicet. *quærunt vulnus*, ut Eleg. 5. sup. *prœlia quærat*. *vulnus ocelli quærunt*, quia radiis repercussis, tamquam sagittis Cupidinis, sauciantur. *Vulnere amoris* nihil magis tritum apud poetas. Oculi dicuntur vulnerari, dolere, ut & aures. Cælius Ciceroni Epist. 14. lib. 8. ad famil. *Numquam oculi sibi doluissent, si in repulsa vultum Domitii vidisses*. Noster Elegia 15. infra:

Quan-

Sive vagi crines puris in frontibus errant,
Indica quos medio vertice gemma tenet.

Quæ

Quantum sic cruciat lumina vestra dolor! P.

v. 8. CANDIDA NON-TECTO PECTORE SI QUA SEDET] In luctu honestum est retegere pectus, ut notatum ad Eleg. 13. sup. v. 27. aliàs meretricium; ut Eleg. 8. lib. 4. *Nudabant pectora cæca*. Hinc Pallas *pectus aperta* fingitur Eleg. 2. sup. Contra Eleg. 23. infra, de muliere venali: *resecto quæ libera vadit amictu*. *Sedet*, in theatro scilicet, unde *consessus caveæ*. Ovidius lib. 1. A. A.

In gradibus sedit populus de cæspite factis.

vide adnot. ad Eleg. 18. sup. v. 36. PASS. Versus par apud Tibullum Eleg. 6. lib. 1.

Neve cubet laxo pectus aperta sinu.

Sedet, in suprema theatri cavea, unde spectabant mulieres, a maribus sejunctæ. Hinc *sessor*, pro spectator. Horatius Epist. 2. lib. 2. v. 130.

In vacuo lætus sessor plausorque theatro.

Idem Epist. ad Pisones v. 154.

Si plausoris eges aulæa manentis, & usque
Sessuri, donec cantor, Vos plaudite, dicat.

ubi Bentlejus legere mavult *fautoris*. V.

v. 9. SIVE VAGI CRINES PURIS IN FRONTIBUS ERRANT] Sparsi & soluti huc & illuc vento impelluntur; ut Horatius Ode 28. lib. 1. *vagæ arenæ*. Ovidius 2. Metam. *Utque vagi crines per colla jacebant, In dextras abiere jubas*. Virgilius dixit *fluentes*. vide adnot. ad Eleg. 1. sup. v. 7. *Vagi errant*; ut Appulejus de asino adstricto molæ: *Vagari errore certo*. *Puris in frontibus*. Turnebus lib. 4. Adv. cap. 23. & lib. 17. cap. 11. exponit de puri capitis discrimine, ut & illum versum Ovidii lib. 3. A. A.

Longa probat facies capitis discrimina puri.

Pura frons, aperta, sine ornatu; ut purus campus, purum forum, [pura vestis] hasta pura, sine ferro scilicet. ornari enim frons interdum solebat. propterea dixit Elegia 18. sup.

Nec nimis ornata fronte sedere velis.

Columella de Cultu Hortorum: eleganter: *Ubi jam puro discrimine pectita tellus*. PASS. Istos prominulos cincinnos *antias* vocabant veteres, & *caprones*. Apulejus Florid. L. 1. *Jam primum, inquit, crines ejus præmulsis antiis, & promulsis capronis anteventuli & propenduli*. & L. 5. Metam. *Videt capitis aurei genialem cæsariem ambrosia temulentam, cervices lacteas genasque purpureas pererrantes crinium globos, decoriter impeditos, alios antependulos, alios retropendulos: quorum splendore nimio fulgurante, & ipsum lumen lucernæ vacillabat*. Festus: *Capronæ, equorum jubæ in frontem devexæ, dictæ quasi a capite pronæ*. sed & hominum comæ ita dictæ. Nonius: *Capronæ dicuntur comæ quæ ante frontem sunt, quasi a capite pronæ*. Lucilius Sat. L. 15.

Aptari caput, atque comas fluitare capronas,
Altas, frontibus immissas, ut mos fuit illis.

BROUKH.

Vagi crines. Huc pertinent illa Nonni Panopolitæ Dionysiac. lib. 1. v. 523.

Καὶ ποτὲ μὲν χαίτησιν ἐς ἄργυφα κύκλα προσώπου,
Πῇ δὲ βαρυσμαράγγοις ἀλήμονα βότρυν ἐθείρης
Δέρκεται.

Et interdum gratiosæ in candidos circulos frontis,
Interdum gravicrinis vagam uvam capilli
Adspicis.

Capillos hujusmodi antependulos Græcæ mulieres olim cerussa oblitos gerebant. Eubulus testis in Stephanopolidibus apud Athenæum lib. 13.

Ἐπὶ τῷ προσώπῳ δ' αἱ τρίχες φορούμεναι
Ἔξωσι πολιαῖς ἀνάπλεῳ ψιμμυθίου.

Qui vero capillus in facie volitat Cano similis, cerussa plenus est. *Puris in frontibus*. nitidis, atque eboris in morem splendentibus. ἐλεφαντίνη μετώπη mentio fit ab Anacreonte Ode 28. vel serenis & placidis. Horatius Ode 5. lib. 2. *Albo sic humero nitens, Ut pura nocturno renidet Luna mari*. VULP.

v. 10. INDICA QUOS MEDIO VERTICE GEMMA TENET] Nodo religatos ad verticem capitis crines innuit, cui gemma addita ornatus causâ. Appulejus L. 2. Metam. *Uberes enim crines leniter emisses & cervice dependulos, ac deinde per colla dispositos, sensimque sinuato patagio residentes, paullisper ad finem conglobatos, in summum verticem nodus adstrinxerat*. Horatius Ode 11. lib. 2. *Maturet in comtum Lacænæ More comam religata nodum*. *Tutulum* autem in vertice collectos crines vocabant Romanæ mulieres, ut Græ-

cæ

Quæ ſi forte aliquid vultu mihi dura negarat,
  Frigida de tota fronte cadebat aqua.
Quæris, Demophoon, cur ſim tam mollis in omnes?
  Quod quæris, quare non habet ullus amor?
Cur aliquis ſacris laniat ſua brachia cultris?
  Et Phrygis inſanos cæditur ad numeros?

Uni-

cæ corymbon. vide illud Catulli Carm. 63. *Solvent a vertice crines. Indica gemma*, ut *Indie conchis* Eleg. 8. lib. 1. v. 40. PASS. Pulcre illuſtrat hunc locum Lucillæ Auguſtæ ſtatua apud Boiſſardum T. 3. Autiq. p. 150. BROUKH.

v. 11. QUÆ SI FORTE ALIQUID VULTU MIHI DURA NEGARAT] Id eſt, renuerat. oris enim habitu, fronte & ſuperciliis annuimus & renuimus. nam, ut ait Cicero 3. de Orat. *Imago animi vultus eſt; indices oculi*. & in Piſonem: *Vultus tacitus quidam mentis ſermo*. Idem lib. 3. ad famil. Epiſt. 8. *Vultu ſignificaſſe me tibi non eſſe amicum*. *Dura negarat*, ut mox:

Aut ſi et dura, nega, ſin et non dura, venito.

& eſt hypallage pro duro vultu: ut *ingrata fronte* Eleg. 10. lib. 1. v. 23. PASS. *Aliquid*, pro re aliqua minus pudica. dictum eſt alibi. VULP.

v. 12. FRIGIDA DE TOTA FRONTE CADEBAT AQUA] Indicium animi valde æſtuantis. Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 13.

Mens abit, & morior, quoties peccaſſe fateris,
Perque meos artus frigida gutta fluit.

Vide Theocritum initio Idyllii 2. & Valerii Æditui Epigramma apud Gellium lib. 19. cap. 9. Alius ſudor eſt ab externo calore, alius ab æſtu animi & tremore. hinc jocus Plauti in Aſin. 2, 2.

Pro monſtro extemplo eſt quando qui ſudat, tremit.

alludit enim ad *ſudiculum*, flagelli genus Feſto, dictum quod vapulantes ſudantes facit. PASS. Lege ſis etiam Papinium L. 1. Achill. Appulejum L. 1. & 2. Metam. Lucretium L. 3. Senecam Troad. v. 487. nobiliſſimam illam Catulli Odam: *Ille mi par eſſe deo videtur*. denique Taubmannum ad Plautum p. 120. a. In rationem ſudoris frigidi inquirit doctiſſimus Lud. Cælius L. 6. Ant. Lect. C. 4. & 5. BROUKH.

v. 13. QUÆRIS, DEMOPHOON, CUR SIM TAM MOLLIS IN OMNES?] Scire vis ex me cur ſim tam facilis erga omnes puellas? *mollis*, facilis. dixi Eleg. 20. ſup. v. 23. PASS.

v. 14. QUOD QUÆRIS, QUARE NON HABET ULLUS AMOR?] Qui quærit cur aliquid fiat, rationem ſibi reddi vult: at nulla eſt in amore ratio. dictum ad Eleg. 1. lib. 1. v. 6. PASS. Interroganti non reſpondet poeta, ſed ei contra quæſtionem aliam proponit, quaſi dicat; Tu, o Demophoon, ex me ſciſcitaris, cur variis amoribus ſim obnoxius: ego viciſſim te interrogo, quare nulla humanarum voluptatum rationem habet quam quæris? omnes enim in id quod placet impetu ferimur, non ratione. Sic in Carm. Libero, Epigr. 8.

Cur obſcœna mihi pars ſit ſine veſte, requiris:
Quæro, tegat nullus cur ſua ſigna deus.

Seneca pariter lib. 1. Nat. Quæſt. cap. 1. *Ignium multæ variæque facies ſunt. Ariſtoteles quoddam genus illorum Capram vocat. Si me interrogaveris, quare: prior mihi rationem reddas oportet, quare Hædi vocentur*. Idem lib. 7. ejuſd. operis cap. 26. & 27. *Cometarum corpus ipſum corrotundatur, ſplendor autem longior quam ceterorum ſiderum apparet. Quare? inquit. Dic tu mihi prius, quare Lunæ diſſimillimum Soli lumen accipiat, quum accipiat a Sole. quare modo rubeat, modo palleat*. &c. VULP.

v. 15. CUR ALIQUIS SACRIS LANIAT SUA BRACHIA CULTRIS?] Intellige hæc de Bellonariis & fanaticis, quibus laniare brachia moris fuit. Auctores ſunt Tibullus Eleg. 6. lib. 1. Seneca de Vita Beata cap. 27. Lucanus lib. 1. Pharſ. Statius lib. 10. Thebaid. Juvenalis Sat. 6. Lactantius lib. 1. Div. Inſt. cap. 21. De iis dixit Cicero in Piſonem: *Cruentare corpus ſuum*. Horatius Sat. 3. lib. 2.

Hunc

Unicuique dedit vitium natura creato.
Mi natura aliquid ſemper amare dedit.

Me

Hunc circumtenuit gaudens Bellona cruentis.
Aliud eſt de Gallis ſe ſe exſecantibus. *Laniat brachia.* ut Cicero 2. de Orat. *Lacerat lacertum Largii mordax Memmius.* A laniando & lanii & laniſtæ, ut ait Donatus. ductum a lana trahenda, auctore Feſto in *Dilaniare*, diſcindere. *Sacris cultris*, ambiguo epitheto, ut & Eleg. 9. lib. 3.

Brachia ſpectavi ſacris admorſa colubris.

Sacri cultri, & quorum in ſacris uſus, quia ſunt victimariorum; vide Ovidium 1. Faſt. & *ſacri* etiam diri. Martialis Epigr. 85. lib. 11.

Alba minus ſævis lacerantur brachia cultris
Quum furit ad Phrygios enthea turba modos.

Gladios, ſecures, bipennes vocarunt hos cultros Appulejus & Lactantius locis prænotatis. Iſidorus lib. 20. Orig. cap. 14. *Cultelli a cultura, quod iis utebantur in putatione vitium ante falcem inventam.* PASS. Unus noſter unuſque Colbertinus *laniat ſibi brachia.* De his fanaticis multas res bonas habet Janus Parrhaſius ad Claudianum L. 1. de R. P. eo loco,

Conticuere chori: Corybas non impulit enſem;
Non buxus, neu æra ſonant. BROUKH.

v. 16. ET PHRYGIS INSANOS CÆDITUR AD NUMEROS?] Ad modos tibicinis Phrygii inſaniam cientes. ut Eleg. 14. ſup. *inſano amore. Ad numeros cæditur*, ut Eleg. 1. lib. 4. *Ad calamos exta litabat ovis.* Cicero 2. de Legib. *Cervices & oculos torquere ad modos tibicinis.* Tibullus Eleg. 4. lib. 1.

Et ſecet ad Phrygios vilia membra modos.

De tibiæ Phrygiæ cantu ad inſaniam concitandam Lucretius lib. 2.

Et Phrygio ſtimulat numero cava tibia mentes.

Vide narrationem Quintiliani lib. 1. cap. 17. de tibicine qui Phrygium canens adegit neſcio quem ad inſaniam. Legendus Ariſtoteles lib. 8. Politic. Plato 3. de Rep. Athenæus lib. 14. ex Heraclide Pontico, & Lucianus in Harmonide; qui harmoniæ Phrygiæ τὸ ἔνθεον; id eſt, animorum concitationem tribuit: Lydiæ τὸ Βακχικὸν: Doriæ τὸ σεμνὸν: Jonicæ τὸ γλαφυρὸν. Horatius Epodo 9. *Sonante mixtum tibiis carmen lyra, Hac Dorium, illis barbarum.* ubi τὸ *barbarum* eſt Phrygium. Huc refer & illud Euripidis in Trojadibus πλαγαῖς Φρυγίαις. P. De tibia Phrygia diximus ad Galliambum Catulli v. 22. VULP.

v. 17. UNICUIQUE DEDIT VITIUM NATURA CREATO] Horatius pariter Sat. 3. lib. 1.

Nam vitiis nemo ſine naſcitur, optimus ille eſt
Qui minimis urgetur.

Creato, nato & a ſe genito, mortali. Lucanus Panegyr. ad Piſonem: *Si deeſſet tibi forte creato Nobilitas.* PASS. Adde Lucretium lib. 1.

Semine quando opus eſt rebus, quo quæque creata
Aëris in teneras poſſint proferrier auras.

& Manilium lib. 1. Aſtron. v. 515.

Omnia mortali mutantur lege creata. VULP.

v. 18. ME FORTUNA ALIQUID SEMPER AMARE DEDIT] In amore, ut in ceteris jus habet fortuna, quia *vertuntur amores*, & *in amore rota eſt.* Vide Eleg. 6. lib. 1. v. 25. Ægiræ in ædicula quadam ſigno Fortunæ, Amaltheæ cornu præferentis, adſiſtebat Cupidinis ſimulacrum. id refert Pauſanias in Achaicis. τὸ *aliquid* ſignificat incertum amorem & vulgivagam Venerem. Plautus Curcul. *Jam edes aliquid. Nolo hercle aliquid: certum quam aliquid mavolo.* Ovidius Epiſt. Sapphûs eadem ſententia:

Molle meum levibus cor eſt violabile telis;
Et ſemper cauſſa eſt, cur ego ſemper amem.

Amare aliquid, ut *amare multa* Eleg. 26. infra v. 28. PASS. Qua ratione Propertius fortunæ tranſcribit, quod modo dedit naturæ? Gebhardus invenerat veram lectionem in membranis Comelini,

Mi natura aliquid ſemper amare dedit.

nihil certius. & ſane mirum eſt quantopere ſibi placuerint librarii in commutandis vocibus *naturæ* ac *fortunæ*. Vide ſis notam eruditiſſimi Victorii ad hæc verba Ciceronis L. 4. ad famil. Epiſt. 12. *Tamen quoniam caſus & natura in nobis dominantur.* Mentem Noſtri extulit Petronius: *Nemo noſtrûm non peccat: homines ſumus, non dii.* Iſtud *unicuique creato* Græca forma procuſum eſt, ut recte obſervavit poſt Caſaubonum præſtantiſſimus Gentilis in illud Appuleji Apol. *Nihil eſſe aſpectabilius homini nato quam formam ſuam.* BROUKH.

Me licet & Thamyræ cantoris fata ſequantur,
  Numquam ad formoſas, invide, cæcus ero.
Sed, tibi ſi exiles videor tenuatus in artus,
  Falleris. haud umquam eſt culta labore Venus.
Percontere licet. ſæpe eſt experta puella
  Officium tota nocte valere meum.

Jup-

v. 19. ME LICET ET THAMYRÆ CANTORIS FATA SEQUANTUR, NUMQUAM AD FORMOSAS, INVIDE, CÆCUS ERO.] Homerus Iliados a. ſcribit, Thamyram a Muſis orbatum oculis, & facultate cithara canendi, quia ſe auſus cum illis conferre. Apollodorus vero lib. 1. Biblioth. Muſas hac conditione a Thamyra provocatas, ut victor cum omnibus concumberet; victus earum arbitrio multaretur. ita & oculis & cantu orbatum. præterea primum παιδεραςὴν fuiſſe in Hyacinthi pueri amore. Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 6.

Quid juvat, ad ſurdas ſi cantet Phemius aures?
  Quid miſerum Thamyram picta tabella juvat?

De eo vide Hadr. Junium Prov. 71. centur. 3. Statium 4. Thebaid. ubi dicitur *Thamyris*, ut & Apollodoro. *Cantoris*, citharœdi. Horatius Sat. 2. lib. 1. *Cantoris morte Tigelli*. *Fata ſequantur me*. id eſt, me maneant, mihi contingat olim ejus calamitas. *Fatum*, pernicies, exitium, infortunium. ut Eleg. 1. ſup. v. ult.

Huic miſero fatum dura puella fuit.

Sequantur, inſequantur, infeſta ſint. ut Eleg. 14. lib. 3. *Si certa meos ſequerentur funera caſus*. & Eleg. 4. lib. 2. *Vitæ quodcumque ſequetur*. *Ad formoſas cæcus*; ut Terentius Hecyra: *Docta ad malitiam*. Noſter Eleg. 10. ſup. *Fortes ad prælia*. *Invide*, æmule. ut Eleg. 5. lib. 1. v. 1. PASS. Thamyræ hiſtoriam ex ſcriptoribus Græcis laudabili opera congeſſit Barthius Animadv. ad Papin. L. 4. Thebaid. v. 181. ſeqq. & quidem aliquanto diſtinctius quam olim Natalis Comes L. 6. Mytholog. C. 24. Theſſalum fuiſſe ex urbe Oechalia, non Thracem, ut alii volunt, oſtendit vir ſummus Iſaacus Voſſius Obſ. ad L. 2. Pomponii Melæ C. 3. BROUKH.

v. 21. SED, TIBI SI EXILES VIDEOR TENUATUS IN ARTUS, FALLERIS. HAUD UMQUAM EST CULTA LABORE VENUS] Sic Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 6.

Longus amor tales corpus tenuavit in uſus,
  Aptaque ſubducto corpore membra dedit.

& lib. 2. Eleg. 10.

Sufficiunt graciles, ſed non ſine viribus, artus:
  Pondere, non nervis corpora noſtra carent.

Exiles artus, graciles. Feſtus: *Exiles & ilia a tenuitate inerum, quas Græci in chartis ita appellant, videntur eſſe dicta*. Sic Eleg. 5. lib. 1.

Aut cur ſim toto corpore nullus ego.

Exiles tenuatus in artus; ut Eleg. 8. lib. 4.

Nanus & ipſe ſuos breviter concretus in artus.

Feſtus: *Artus ex Græco appellantur, quos illi ἄρθρα dicunt. ſive artus dicti, quia membra membris artantur*. *Artua* etiam, pro artus dixiſſe Plautum, notat Nonius. *Falleris*. fugit te ratio. *Haud umquam eſt culta labore Venus*. ſupple, mihi. id eſt, numquam Venerem exercui laborioſe. id labori mihi numquam fuit. *Colere Venerem*, exercere: nam Plautus *arare* uſurpat de re venerea, & Virgilius *arvum*. Appulejus lib. 5. A. A. *Maritum rariſſime Venerem meam recolentem ſuſtinet*. Et ambigue, *Culta Venus*; ut *litare Veneri* Appulejus. Colitur ut dea, & ut ſcortum. *Labore*. cum labore & graviore functione corporis. Sic Virgilius 3. Georg. de equo admiſſario: *Ne blandæ nequeat ſupereſſe labori*. PASS. Hoc de ſe profitetur Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 10.

Sæpe ego laſcivæ conſumto tempore noctis
  Utilis, & forti corpore mane fui. VULP.

v. 23. PERCONTERE LICET. SÆPE EST EXPERTA PUELLA OFFICIUM TOTA NOCTE VALERE MEUM] Vetus formula: *Percontere licet*; cujus unum hoc exemplum adducit Briſſonius ex lib. 2. de Orat. *Licet, inquit, rogare, Philippus*. Plautus Perſa 4,4. *Hoſpes, volo ego hunc percontari. S. a terra ad cælum,*

quid-

Juppiter Alcmenæ geminas requieverat arctos,
Et cælum noctu bis sine rege fuit.

Nec

quidlubet. D. *Jubedum ea accedat huc ad me*. S. *I sane, ac morem illi gere*. *Percontaro, sequire quidvis*. Sic in antestatione; *licet antestari?* Donatus in Andriam: *Interrogatio, cui necessaria respondetur aut Ita, aut Non: Percontatio, cui nihil horum*. *Sæpe est experta puella*. sensit libenter. Horatius Ode 14. lib. 3. *Puellæ Jam virum expertæ*. *Officium*, officiosam operam & promtam. Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 6.

At nuper bis flava Chie, ter candida Pytho,
Ter Libas officio continuata meo.

Noster Eleg. 25. infra: *Vos qui officia in multos revocatis amores*. & Eleg. 4. lib. 4.

Hæc, virgo, officiis dos erat apta tuis.

id est, proditiuni & stupro. *Valere*, vigere, & numeros suos implere, robustum esse & valentem. unde *valentula puella*, apud Plautum in Casina. Contra *nihil posse* de Eunuchis dixit Terentius. PASS. *Percontere licet*. Illud Ovidii simillimum Epist. Phædræ:

Fama (velim quæras) crimine nostra vacat.

Officium. Lateris videlicet. Alia est etiam hujus vocabuli significatio in re Veneris; de qua videndus Ovidius lib. 2. A. A. v. 687. item Seneca Rhetor præfat. lib. 4. Controv. Epit. VULP.

v. 25. IUPPITER ALCMENÆ GEMINAS REQUIEVERAT ARCTOS] Ovidius Epist. Dejaniræ ad Herculem:

At non illa venit, cui nox, si creditur, una
Non satis, ut tantus conciperere, fuit.

Vide Plautum in Amphitr. *Geminas requieverat arctos*. multiplici dilogia. nam geminæ arcti, major & minor Ursa; & duæ noctes. *Requieverat arctos*, cessare fecerat, & quiescere jusserat. Item requieverat Alcmenæ, tertio casu, id est, cum Alcmena dormierat; ut *cessare amori* Eleg. 6. lib. 1. *Arcti*, pro noctibus, quia plaustrum, sidus in cælo, illucescente die circumagitur. Juvenalis Sat. 5. *Illo tempore quo se Frigida circumagunt pigri sarraca Boota*. Plautus Amph. *Neque se septemtriones quoquam in cælo commovent*. τὸ *geminas arctos*, vel temporis accusativus per se stat, vel regitur a *requieverat*; ut apud Virgilium Ecl. 8.

Et mutata suos requierunt flumina cursus.

ubi tamen construi potest, *mutata suos cursus*: sed Servius alterum illud magis probat. ut dixit Sallustius, *Requietis militibus*. præterea confirmatur etiam altero loco in Ceiri:

Tempore quo fessas mortalia pectora curas,
Quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus.

Sic & Seneca in Hercule Oetæo: *Ante discedet glacialis Ursæ Sidus, & ponto vetito fruetur, Quam tuas laudes populi quiescant*. Et *Residere ferias*, dixit Plautus Capt. Porro Diodorus Siculus, Apollodorus lib. 2. Statius 6. Thebaid. Ausonius in Grypho ternarii numeri, ferunt Herculem trinoctio conceptum; quamobrem Lycophron vocat eum τριέσπερον λέοντα. Ovidius tamen lib. 2. Trist. duas tantum noctes, ut Propertius, Jovem Alcmenæ dedisse scribit. PASS. Eodem modo locutus Noster Eleg. ult. hujus libri:

Quamvis ille suam lassus requiescat avenam,
Laudatur faciles inter Hamadryadas.

Hunc versiculum Græce ita exprimas: Ὁ Ζεὺς τῆς Ἀλκμήνης ἕνεκα ἀμφοτέρας τὰς ἄρκτους ἀνεπέπαυσε. *Alcmenæ*, secundus est casus, & subaudiendum *gratiâ*, *caussâ*: Sane Lucianus Dialogo Mercurii & Solis, hanc camdem fabulam tractans: Νῦν δὲ δυστήνου γυναικὸς ἕνεκα χρὴ ἀνεστράφθαι τὰ πάντα. *Nunc autem infelicis mulierculæ caussâ oportet omnia perverti*. Similem ellipsin animadvertere est apud Valerium Flaccum lib. 3. Argonaut. v. 737. uti legit Nic. Heinsius:

Non aliter gemitum quondam lea prolis ademtæ
Ægra dedit.

ubi vulgo legunt *gemitu*, & *Terga dedit*, nullâ sententiâ. *prolis ademtæ*, subaudi *caussâ*. τέκνων ἁρπασθέντων ἕνεκα. Illud Virgilii simile 2. Æneid. *lacrimas dilectæ pelle Creusæ*. nempe ob Creusam amissam. Quibus præivit Homerus lib. 1. Iliad. v. 429.

Χωόμενον κατὰ θυμὸν ἐϋζώνοιο γυναικός.
Iratum animo caussâ mulieris eleganter cinctæ.

Quod pertinet ad fabulam, legendus, inter ceteros, Seneca Agamemnone a v. 802. ad v. 818. Gravissime idem scriptor lib. de Brev. Vitæ cap. 16. *Inde etiam poetarum furor, fabulis humanos errores alentium, quibus visus est Juppiter, voluptate concubitus delinitus,*

Fff 2

Nec tamen idcirco languens ad fulmina venit.
Nullus amor vires eripit ipse suas.
Quid? quum e complexu Briseïdos iret Achilles,
Num fugere minus Thessala tela Phryges?
Quid? ferus Andromachæ lecto quum surgeret Hector,
Bella Mycenææ non timuere rates?

Ille

tus, duplicasse noctem. Quid aliud est vitia incendere, quam auctores illis inscribere deos, & dare morbo, exemplo divinitatis, excusatam licentiam? VULP.

v. 26. ET CÆLUM NOCTU BIS SINE REGE FUIT] Duas noctes quum abesset cælo Juppiter, quoddam tunc quasi interregnum fuit. Virgilius 4. Georg.

Dictæo cæli regem pavere sub antro.

Sine rege dictum, ut ab Ovidio lib. 2. Metam.

Si modo credimus, unum
Ipse diem sine Sole ferunt: incendia lumen
Præbebant. PASS.

v. 27. NEC TAMEN IDCIRCO LANGUENS AD FULMINA VENIT] Argumentum a dissentaneis. Ovidius pariter lib. 2. Trist.

Illa quidem fateor frontis non esse severæ
Scripta, nec a tanto principe digna legi.
Non tamen idcirco legum contraria jussis
Sunt &c.

Et Cicero identidem sic accipit *ideo* & *idcirco* & *proptereáne*. *Languens*, defessus operâ nocturnâ. ut Eleg. 3. lib. 1.

Languidus, exactis hei mihi sideribus.

Venit ad fulmina, id est ad arma sua vibranda. Sic dicitur Eleg. 9. lib. 1.

Ecce jacet, suppluque venit ad jura puellæ.

Fulmina autem intelligit, opinor, quæ Juppiter ad perterrefaciendum Amphitruonem jaculatur apud Plautum Amphitr. actu 5. PASS.

v. 28. NULLUS AMOR VIRES ERIPIT IPSE SUAS] Vel *nullus*, pro *non*, hic accipitur, ut a Cicerone & Terentio sæpius: vel hypallage est, pro, nulli ipse amor eripit suas vires. *τὸ ipse* continet rem absurdam; nemo enim quod suum est eripit; ut nec quisquam est fur rei suæ. & ita Virgilius 4. Georg. *Constructaque mella Diripuere ipsæ*. *Ipse*, ut Eleg. 21. lib. 3.

Ipse alimenta sibi maxima præbet Amor.

Suas vires, militiæ suæ dicatas. Sic Tibullus Eleg. 2. lib. 1. *Quid messes uris acerba tuas?* PASS.

v. 29. QUID? QUUM E COMPLEXU BRISEIDOS IRET ACHILLES, NUM FUGERE MINUS THESSALA TELA PHRYGES?] *Quid?* formula est pergentis ad alia, ut sæpe apud Ciceronem. *Quum iret*, discederet. ut Elegia 4. sup. *Sæpe repulsus eas*. vide illic. *E complexu Briseïdos*. Ovidius sub finem lib. 2. A. A.

Fecit & in capta Lyrnesside magnus Achilles,
Quum premeret mollem lassus ab hoste torum.
Illis te tangi manibus, Briseï, sinebas,
Imbutæ Phrygia quæ nece semper erant.

Complexus & *amplexus*, pro re venerea. ut Eleg. 26. infra: *Jam deus amplexu votum persolvit*. & Plautus Amphitr. *Cubat complexus, cujus cupiens maxume est*. *Num minus*. venusta locutio in re pari. Plautus Pseud. 1, 2. *At hæc retunsa est. itidem vos estis plagis. Num minus omnium operá utar?* Noster Eleg. ult. lib. 4.

Num minus immites habui Cornelia Parcas?

Fugere Phryges, territi dedere terga Trojani. De hac Phrygum fuga Homerus Iliad. 20. & 21. & Virgilius 1. Æneid. *Thessala tela*. hastam Achillis significat, quæ excisa in Pelio Thessaliæ monte. *Hæmoniam cuspidem* vocavit Eleg. 1. sup. PASS.

v. 31. QUID? FERUS ANDROMACHÆ LECTO QUUM SURGERET HECTOR, BELLA MYCENÆÆ NON TIMUERE RATES?] Sic Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 9.

Hector ab Andromachæ complexibus ibat in arma,
Et galeam capiti quæ daret, uxor erat.

Ferus Hector, ut Virgilio 1. Æneid. *sævus*, Homero ἀνδροφόνος, *homicida* Horatio. *Mycenææ rates*, naves Græcorum, ut Eleg. 26. infra:

Et Danaûm Euboico litore mille rates.

My-

Ille vel hic claſſes poterat, vel perdere muros.
  Hic ego Pelides, hic ferus Hector ego.
Adſpice uti cælo modo Sol, modo Luna miniſtret:
  Sic etiam nobis una puella parum eſt.
Altera me cupidis teneat, foveatque lacertis,
  Altera ſi quando non ſinit eſſe locum.

Aut

Mycenaa, Argivæ; quia Mycenis profecti Græci. Virgilius 2. Æneid.

Millia quot magnis umquam venere Mycenis.

Timuere. de terrore ejus certaminis Ovidius 13. Metam. *Bella*, prœlia, pugnas, & oppugnationes. ut Eleg. 1. ſup. *claſſica bella*. Belli & prœlii diſcrimen tradit tamen Lucillius lib. 26. apud Gellium. PASS.

v. 33. ILLE VEL HIC CLASSES POTERAT, VEL PERDERE MUROS] Hector poterat naves igni cremare: Achilles muros evertere & eruere ferro; [quamvis uterque ſtatis horis voluptati operam daret.] Statius 1. Achilleid. de Achille:

Impelletque manu noſtros opera irrita muros.

& Horatius Ode 6. lib. 4. *Dardanas turres quateret tremenda Cuſpide pugnax*. PASS.

v. 34. HIC EGO PELIDES, HIC FERUS HECTOR EGO] Sic Ovidius initio lib. 1. A. A.

Curribus Automedon, lentiſque erat aptus habenis:
Tiphys in Hæmonia puppe magiſter erat.
Me Venus artificem tenero præfecit Amori.
Tiphys & Automedon dicar Amoris ego.

τὸ, *hic*, eſt, in Amoris militia. ut Elegia 4. ſup.

Non hic herba valet, non hic nocturna Cytæis.

Tibullus autem Eleg. 1. lib. 1. *Hic ego dux miles que bonus*. Noſter ſcilicet ait Eleg. 6. lib. 1.

Hanc me militiam fata ſubire volunt. PASS.

v. 35. ADSPICE UTI CÆLO MODO SOL, MODO LUNA MINISTRET] Ut cælo ſolius Solis miniſterium, qui quaſi δᾳδοῦχος eſt, ſatis non eſt, ſed & Lunæ officium ſuum præſtare viciſſim debet; ſic & nobis una puella non ſufficit. Eleg. 30. infra:

Una contentum pudeat me vivere amica.

Sol miniſtrat, ut *Luna miniſtrat iter* Eleg. 16. lib. 3. ſcilicet quaſi λαμπαδηφόρος. *Miniſtrat* autem *cælo* dictum eſt, ut a Virgilio 6. Æn. *Velisque miniſtrat*. & a Statio 7. Thebaid. *Pariterque miniſtrat habenis*. PASS. Ita locutus & Plinius lib. 2. N. H. cap. 5. *Hic* (Sol) *lucem rebus miniſtrat, aufertque tenebras*. Præterea vulgatus Interpres Deuteronomii c. 14. v. 19. *Ne forte elevatis oculis ad cælum, videas Solem & Lunam, & omnia Aſtra cæli, & errore deceptus adores ea & colas quæ creavit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus quæ ſub cælo ſunt*. VULP.

v. 36. SIC ETIAM NOBIS UNA PUELLA PARUM EST] Simili ſenſu dixit Plautus Trucul. 4, 4, 15.

Cogitato, mus puſillus quam ſit ſapiens beſtia,
Ætatem qui uni cubili numquam committit ſuam;
Quia ſi unum oſtium obſideatur, aliud perfugium gerit. PASS.

v. 37. ALTERA ME CUPIDIS TENEAT, FOVEATQUE LACERTIS] Sic Nævius in Tarentilla: *Atque adnutat, alii adnictat, alium amat, alium tenet*. Tibullus quoque Eleg. 5. lib. 1. *Sæpe alium tenui*. nempe, ſum amplexus. *Foveat lacertis*. ut Eleg. 18. ſup. *fovit in ulnis*. *cupidos* autem *lacertos* dixit eadem figura qua *perjura corpore* Eleg. 5. ſup. & *feliſi niſa lacerto* Eleg. 16. lib. 1. P. *Teneat lacertis*. Sic Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Et te dum liceat teneris retinere lacertis,
Mollis & inculta ſit mihi ſomnus humo. V.

v. 38. ALTERA SI QUANDO NON SINIT ESSE LOCUM] Confer Ovidium in Remed. Amor. a verſu 441.

Hortor & ut pariter binas habeatis amicas, &c. VULP.

Altera ſi quando eſt, non ſinat eſſe locum. id eſt, ſi quando eſt locus; nempe, ſi quando lectus vacat, non ſinat illa vacare, ſed locum alterius abſentis occupet, & in vacuum veniat. Translatum a conviviis, ubi locus uni eſſe dicebatur. Cicero 2. de Orat. *Cœnabo, inquit Appius Luſco, apud te; uni enim locum eſſe video*. & Plautus in Sticho

Aut si forte irata meo sit facta ministro,
Ut sciat esse aliam, quæ velit esse mea.
Nam melius duo defendunt retinacula navem,
Tutius & geminos anxia mater alit.

Aut

cho extrema : *Uni locum conspicor ubi accubet*. Horatius Epist. 5. lib. 1. *Locus est & pluribus umbris*. An legendum : *Si qua deest?* id est, quum amica abest. Pass. Editio princeps A. 1472.

Altera si quando non sinat esse locum.

scilicet apud se. Vulp.

v. 39. Aut si forte irata meo sit facta ministro] *Si* gravius succensuerit servulo eam vocanti. *Facere iratum*, pro iram concitare. ut Eleg. 6. *facta beata*. An *facere iratum*, irritare, ut *facere missum*, mittere? Terentius Adelphis 4, 7. *Hilarem ac lubentem fac te in nati nuptiis*. Pass. Eadem locutione usus Cato Suasione Legis Voconiæ, apud Gellium lib. 17. cap. 6. *Postea, ubi irata facta est, servum recepticium sectari atque flagitare virum jubet*. Neque aliter Plautus Cistell. 3. v. 21. *Si possum tranquillum facere ex irata mihi*. Vulp.

v. 40. Ut sciat esse aliam, quæ velit esse mea] Non dissimile est quod ait Eleg. 5. sup.

Inveniam tamen e multis fallacibus unam,
Quæ fieri nostro carmine nota velit.

Mea, ut Eleg. 8. lib. 1. *Maluit esse mea*. Item:

Sive dies, seu nox venerit, illa mea est. P.

Zelotypiæ incutiendæ gratiâ, qua mirum in modum animi stimulantur. Vulp.

v. 41. Nam melius duo defendunt retinacula navem] Retinacula ea omnia dicuntur quibus quid retinetur & religatur. Unde Virgilius 1. Georg. de vimine & virgis:

Atque Amerina parent lenta retinacula viti.

Eidem *retinacula* sunt, quibus navis appulsa religatur ad palum cui nomen *primnesius*, sive *consilla*, Festo. Anchoræ autem quum e funibus pendeant, jaciuntur & a prora & a puppi, ut firmius stet navis. *Defendunt navem*, tutantur a ventorum & fluctuum impetu. Sic Ovidius lib. 2. A. A.

Non satis una tenet ceratas anchora puppes:
Nec satis est liquidis unicus hamus aquis.

vide totum istum locum. Ad illud *retinacula*, pro anchoris, videtur allusisse Noster Eleg. 7. lib. 3.

Anchora te teneat, quem non tenuere Penates?

Tangit autem hic Græcorum proverbium, quo utitur Aristides in Panathen. *ἐπὶ δυοῖν ὁρμεῖ ἀγκυρῶν*. scilicet: Duabus anchoris nixus in statione aut portu stat. Ad quod etiam Pindarus adlusit in Olympiis. Pass. *Duo retinacula*. duas anchoras. Epictetus apud Joannem Stobæum Serm. 109. *Οὔτε ναῦν ἐκ μιᾶς ἀγκύρας, οὔτε βίον ἐκ μιᾶς ἐλπίδος ἁρμοστέον*. *Neque navim una solum anchora, neque vitam una spe muniri oportet*. Terentius concinit Phorm. 4, 2, 13.

Commodius esse opinor duplici spe utier.

In quibusdam Excerptis quæ Senecæ tribuuntur: *Perdidi amicum. Fortem animum habe, si unum: erubesce, si unicum. Quid tu in tanta tempestate ad unam anchoram stabes? Retinacula*. πρυμνήσια Græci vocant. Ovidius 8. Metam. v. 102. *Classe retinacula solvi Jussit*. Valerius Flaccus 1. Argonaut. v. 87.

Ille ut se media per scuta virosque carinæ
Intulit; ardenti Æsonides retinacula ferro
Abscidit.

Retinaculum, seu funis nauticus, quo puppis aut prora navis ad tonsillam, seu palum in litore, religabatur, *ora* etiam dictum fuit. Quintilianus Epist. ad Tryphonem Bibliopolam: *Permittamus vela ventis, & oram solventibus bene precemur*. Fortasse Propertius hoc loco *gubernacula* significare voluit. Erant enim naves apud veteres quæ duobus gubernaculis regerentur, a Græcia idcirco ἀμφίπρυμνοι appellatæ. Petronius in Satyrico: *Nunc per puppim per ipsa gubernacula dilabendum est, a quorum regione funis descendit qui scaphæ custodiam tenet*. Videtur igitur retinaculum gubernaculo seu clavo conjunctum fuisse. Plura vide apud Grævium in Lectionibus Hesiodeis pag. 10. Vulp.

v. 42. Tutius et geminos anxia mater alit] Similiter Ovidius in Remed. Amor.

Fer-

Aut si es dura, nega: sin es non dura, venito.
Quid juvat in nullo pondere verba loqui?
Hic unus dolor est ex omnibus acer amanti,
Speranti subito si qua venire negat.

Quan-

Fortius e multis mater desiderat unum,
Quam qua flens dicit, Tu mihi solus eras.

Albinovanus ad Liviam de morte Drusi:

Hic meus ecce fuit: jubet hic de fratre vereri.
Omnia jam metuo: fortior ante fui.

nempe quum Tiberius & Drusus, duo fratres, simul vivebant. Ergo *anxia*, sollicita de liberis, ut 5. Æneid. Venus *exercita curis* ob Æneam filium. vel *anxia*, timida, quia, ut Virgilius loquitur, *timor anxius*, & matres liberis timere solent. PASS. Explicet Propertium Seneca Rhetor Controv. 1. lib. 2. *Tutior adversus fortunam est, cui aliquid post damnum superest.* VULP.

V. 43. AUT SI ES DURA, NEGA: SIN ES NON-DURA, VENITO] Dilemmate vana promissa tollit. *Si es dura, nega*, & præcide mihi spem, aut *si non-dura*, veni ad me, da te mihi fruendam. nam *cito negare beneficium, pars quadam beneficii est.* PASS. μίμησις amantis geminâ puellâ superbientis. quasi dicat, Age, si quid agis: vel admitte, vel exclude. repulsam tuam nihil moror; altera enim excipiet a te abeuntem. ne me suspensum diu teneas. Ex Homero derivatum videri possit Iliad. 1. v. 514. qui Thetidem inducit hoc pacto Jovi supplicantem

Νημερτὲς μὲν δή μοι ὑπόσχεο, καὶ κατάνευσον,
Ἤ ἀπόειπ'.

Verè jam mihi promitte, & annue, vel abnue. Plautus pariter Mil. Glor. 4, 2, 75.

Quin tu huic respondes aliquid,
Aut facturum, aut non facturum? quid illam miseram animi excrucias,
Quæ unquam male de te merita est?

Huc pertinet Martialis Epigr. 43. lib. 7.

Primum est, ut præstes, si quid te, Cinna, rogabo:
Illud deinde sequens, ut cito, Cinna, neges.
Diligo præstantem, non odi, Cinna, negantem;
Sed tu nec præstas, nec cito, Cinna, negas.

Auctor Liberi Carminis Epigr. 50. de lenta quadam puella, & amatorem excruciante:

Et non dat mihi, nec negat daturam,
Caussasque invenit usque differendi.

Similes erant Tiberii moræ in accipiendo imperio, ut narrat Suetonius in ejus Vita cap. 24. Ita *ut quidam patientiam rumperent, atque unus in tumultu proclamaret, Aut agat, aut desistat: alter coram exprobraret, ceteros quod polliciti sint, tarde præstare: ipsum, quod præstet, tarde polliceri.* VULP.

V. 44. QUID JUVAT IN NULLO PONDERE VERBA LOQUI?] τὸ *quid juvat*, imprecantis est, quasi diceret: *Quid (malum!) tibi lubet dubie & obscure promittere? Verba loqui*, verba facere; & dicere, idem. *dicere* autem promittere est; quod sup. Eleg. 17. *promissis ducere amantem.* Addidit *nullo pondere*, ut fides levissima intelligeretur. Sic Eleg. 1. sup. *Cynthia verba levis. In nullo pondere*, dictum ut Eleg. 9. sup.

Maximeque in parva sustulit ossa manu.

Vide quæ adnotamus ad Eleg. 25. infra v. 28. PASS. Contra Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. v. 39. *Fictis dat vultum & pondera verbis.* & Julius Exsuperantius in libello de Bellis Civilibus: *Tum consules, principesque alii factionis, tanto verborum pondere castigati.* VULP.

V. 45. HIC UNUS DOLOR EST EX OMNIBUS ACER AMANTI, SPERANTI SUBITO SI QUA VENIRE NEGAT] Id est, dolor omnium sævissimus. Ita Virgilius 7. Æneid. *Stetit acri fixa dolore.* Vide Nonium in *Acre*, sævum. *Unus ex omnibus*; ut Cicero Orat. 3. in Catilinam: *Unus erat timendus ex omnibus.* & pro Sex. Roscio: *Unus relictus ex omnibus.* Porro τὸ *si qua* ad amicam refertur certa destinatione incerti sermonis, ut dictum ad Eleg. 3. sup.

Nec si qua Arabio lucet bombyce puella.

Subitò dixit ad doloris incrementum, quia repentina magis perturbant. Tibullus Elegia 8. lib. 1. *Quum promittit, subita sed perfida fallit.* Quid *venire*, dictum ad Eleg. 14. sup. v. 20. PASS.

V. 47.

Quanta illum toto versant suspiria lecto,
Quum recipi, quem non noverit illa, vetat?
Et rursum puerum quærendo audita fatigat.
Quem quæ scire timet, dicere plura jubet.

v. 47. QUANTA ILLUM TOTO VERSANT SUSPIRIA LECTO, QUUM RECIPI, QUEM NON NOVERIT ILLA, VETAT?] Suspiria, id est, dolores, cruciatus, angores. Sic *Ab gemat*, id est, crucietur; Eleg. 6. sup. Id quod sequitur, pro eo quod præcedit. *Versant illum toto lecto*. ut Eleg. 14. lib. 1.

Et miserum toto juvenem versare cubili.

ubi vide adnotata. *Quum recipi, quem non noverit illa, vetat*. Amica, inquit, jubet amatorem sibi licet notum, ut ignotum excludi. Plautus Asin. 1, 2.

Eadem quum est melius (tibi) *me, cujus operâ est, ignores, mala*.

Idem Captivis 5, 3. *Moe hominibus oblivisci, nec nosse, cujus nihili facienda gratia*. Sic meretrices: Quis tu es? quid hic tibi debetur? *Recipi*, admitti; ut dictum ad Elegiam 14. sup. PASS.

v. 49. ET RURSUM PUERUM QUÆRENDO AUDITA FATIGAT] Id est, iterumque percontando servulum internuntium quæ ex illo jam audiit, obtundit, enecat, exercet, miserum habet. *Fatigat quærendo*. ut Horatius Epodo 14. *Occidis sæpe rogando*. Vide adnotata ad Elegiam 10. sup. *Pueri*, servuli; ut adnotat. ad Eleg. 3. lib. 1. v. 10. PASS. Hinc antiquis, *Marcipor*, *Lucipor*, *Publipor*, puer, seu servulus Marci, Lucii, Publii. *Quærendo audita fatigat*. Sciscitatur sedulo ex internuntio, si qua fortasse ex dominæ vultu, aut sermone perceperit. Vide Eleg. 6. lib. 3. VULP.

v. 50. QUEM QUÆ SCIRE TIMET, DICERE PLURA JUBET.] Huic loco facit proverbium Celticum: *Trop enquerir n'est pas bon*. In vulgatis *quærere*: sed Beroaldus legit *dicere* plura, quæ scire timet, id est, quæ nollet audire. Sic Eleg. 6. lib. 3. inquit:

Dic mihi de nostra quæ sentis vera puella.

ubi vide adnotata. PASS.

ELEGIA XXIII.

CUi fuit indocto fugienda hæc semita vulgi,
Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est.

In

ARGUMENTUM ELEGIÆ XXIII. LIBRI II.] Se mulieres tenujoris ordinis non sine caussa sectari; quod matronarum superba fastidia, & odiosam morositatem pati non possit.

Hæc vero, & quæ proxime sequitur Elegia illum urbanitatis colorem præferunt, quem paucissimi vel cogitatione comprehendunt. TANTUS enim homines hoc tempore stupor oppressit, ut scriptorum veterum subtilitatem & elegantiam neque sentiant, nedum assequi conentur. Cujus rei, si quid video, caussa non postrema est, quod studiosi disciplinarum, ab ineptis, & barbaria quibusdam decepti, εἰς τὸ πεζὸν toto pectore incumbant, rerum ποιητῶν ridicule ignorent atque contemnant. VULP.

v. 1. CUI FUIT INDOCTI FUGIENDA HÆC SEMITA VULGI, IPSA PETITA LACU NUNC MIHI DULCIS AQUA EST.] Scaliger hæc continuat, & legit *indocto*, ut sit ἄπειρος. Qui indoctus, inquit, fugiebam vagas puellas, sive *vulgares amores*, ut loquitur Elegia 13. lib. 1. nunc eos sequor. *Indocti vulgi*, ut Cicero *imperitæ multitudinis*, de qua dictum Eleg. 5. supra v. 26. Quum inquit, *semita vulgi*, alludit ad semitarias mœchas, prostibula populi. *Semita*, pro via publica (in qua tamen & semita Plauto) ut Eleg. 11. lib. 1. v. 2. & Eleg. 14. sup. *Fugienda*, pro fugitata, per enallagen. Poetas autem Musæ secernunt populo. Allegoria ducta ex Pythagoræ symbolo,

lo,

Ingenuus quiſquam alterius dat munera ſervo,
Ut promiſſa ſuæ verba ferat dominæ?

Et

lo, *λεωφόρῳ μὴ βαδίζειν*. quod adnotavi ad Eleg. 1. lib. 1. v. 18. Eadem allegoria Plautus Curcul.

Nemo ire quemquam publica prohibet via.

Ipſa petita lacu aqua. altera allegoria. Contra Eleg. 20. lib. 1.

Raram ſepoſiti quærere fontis aquam.

Aquam turbidam & limoſam ſignificat. ut Virgilius 2. Æneid. *Limoſoque lacu*. Plautus Pœnulo 1, 2. *Curram igitur aliquo ad piſcinam, aut lacum, limum petam*. Sex. Rufus Romæ lacus innumerabiles recenſet, ut Servilium, Curtium, alios. Ibi pannos abluebant, & aquatum jumenta ducebant. unde Horatius Sat. 4. lib. 1.

--- *Omnes*

Geſtiet a furno redeuntes ſcire, lacuque.

Vide Suetonium in Galba cap. 7. Varro apud Donatum in Adelphos, lacus docet ſemper fuiſſe ad portas ad uſum jumentorum exeuntium & redeuntium, & ad reſtinguendum incendium. *Aqua* eſt in obſcœnis Ciceroni, & Auctori Liberi Carminis. Communea porro meretriculæ, ut lacus. *Eſt mihi dulcis*, ſuavis & jucunda mihi videtur. Cicero 5. Tuſcul. *Darius in fuga quum aquam turbidam bibiſſet, & cadaveribus inquinatam, negavit ſe umquam bibiſſe jucundius. numquam videlicet ſitiens biberat*. P. Erant lacus communes: quo ſenſu eos a fontibus ſegregat Horatius L. 1. Epiſt. 3.

Quid Titius, Romana brevi venturus in ora?
Pindarici fontis qui non expalluit hauſtus,
Faſtidire lacus & rivos auſus apertos. BROUKH.

v. 1. CUI FUIT INDOCTO F. N. S. V.] Scilicet, quum rudis adhuc & inexpertus eram, pulchrumque mihi videbatur ſectari matronas: nunc vero, jam doctus malo meo, viles mulieres nobilibus præfero. V.

v. 3. INGENUUS QUISQUAM ALTERIUS DAT MUNERA SERVO, UT COMMISSA SUÆ VERBA FERAT DOMINÆ?] Sic Appulejus lib. 9. A. A. *Myrmex* (janitor corruptus pecunia) *devorato pudore & dimota cunctatione ad aures dominæ mandatum perfert*. *Ingenuus*, & liber natus, & liberaliter educatus. Ingenuus eſt qui ſtatim ut natus eſt, liber eſt, ſive libera conceptus ſive editus ſit, ſive medio tempore matrem liberam habuerit. Inſtit. Tit. De Ingenuis. *τὸ quiſquam*, eſt indignantis, ut Eleg. ult. infra v. 1. *Alterius dat munera ſervo*. muneribus blanditur alieno ſervo. Sic & Seneca Epiſt. 47. & ex eo Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 7. humile docet & turpe, quod plerique ſpe lucri faciunt, alienorum ſervorum oſculari manum. *Commiſſa verba*. mandata. Sic Noſter Eleg. 6. lib. 3. v. 37. Eſt autem verbum fidei *τὸ commiſſa*, ut Eleg. 18. ſup. v. penult. *Suæ dominæ*. ambigue, an heræ ſervi, an amicæ amantis. *Ferat dominæ*, ad dominam, ut nuntius & interpres amoris. Virgilius 4. Æneid. *Celeres defer mea dicta per auras*. mox: *hic noſtri nuntius eſto*. P. *Ingenuus quiſquam*, &c. Hæc ſtomachoſo vultu geſtuque pronuntianda. Juvenalis pariter Sat. 5. in Trebium paraſitum:

--- *Quis enim tam nudus, ut illum*
Bis ferat, Etruſcum puero ſi contigit aurum,
Vel nodus tantum, & ſignum de paupere loro?

quæ ſigna erant puerorum ingenuorum. *Quiſquam*. Ita Cicero Divinat. in Q. Cæcilium cap. 5. *In hujuſmodi re quiſquam tam impudens reperietur, qui ad alienam cauſſam invitis iis quorum negotium eſt, accedere, aut adſpirare audeat?* Et Salluſtius in Catilina cap. 55. *Hic mihi quiſquam manſuetudinem & miſericordiam nominat?* Multus eſt in hac locutione Martialis, valida ſane & efficaci. Epigr. 56. lib. 1.

Quiſquam picta colit Spartani frigora ſaxi,
Et matutinum portat ineptus Ave;
Cui licet exuviis nemoris ruriſque beato
Ante focum plenas explicuiſſe plagas?

Epigr. 65. lib. 7.

--- *Viginti litigat annis*
Quiſquam, cui vinci, Gargiliane, licet?

& Epigr. 49. lib. 10.

Quiſquam plumbea vina vult in auro?

Alio flexu Cicero 2. de Nat. Deor. *Hæc omnis deſcriptio ſiderum, atque hic tantus cœli ornatus, ex corporibus huc & illuc caſu & temere concurſantibus potuiſſe effici, cuiquam ſano videri poteſt?* VULP.

v. 4. UT COMMISSA SUÆ VERBA FERAT DOMINÆ] Horatius Sat. 3. lib. 1. v. 94.

Et quærit toties, Quænam nunc porticus illam
Integit? &, Campo quo movet illa pedes?
Deinde ubi pertuleris quos dicit fama labores
Herculis, ut ſcribat, Muneris ecquid habes?

Cer-

Quid faciam, ſi furtum fecerit, aut ſi
Prodiderit commiſſa fide, ſponſumve negarit?
Vulp.

Omnes membranæ, & primæ editiones habent *Ut promiſſe:* quæ ſcriptura debet eſſe vera, modo intelligas inter amatorem & mulierem dilectam conveniſſe de commercio epiſtolari; hujus autem ſervuli fidem ſollicitari munuſculis, ut tabellas ultro citroque portare velit. quod facillime præſtabant ii, quibus officium erat ſalutis portandæ. *Seſtigerulos pueros* vocat Plautus Aulularia; *nuntios, renuntios* Trinummo. ſunt igitur *promiſſa verba*, literæ mutuæ, quas alter alteri promiſerant. Horatius Epodo 14.

Inceptos, olim promiſſum carmen, iambos
Ad umbilicum adducere.

τὸ *commiſſa* flagitium eſt illiberale audacis Beroaldi. redeat itaque in ſedem ſuam vetus lectio, nec jure ejecta, quam & Scaligeri, & Gebhardi codices habebant. Broukh.

v. 5. Et quærit toties, Quænam nunc porticus illam Integit?] Sic Eleg. ſup. prox. verſu pænult. *Rurſum quærendo. Quænam nunc porticus illam Integit?* ſub qua porticu ſpatiatur? Porticus, inquit Iſidorus lib. 15. Orig. cap. 7. quod tranſitus magis ſit, quam ad ſtandum ſita, quaſi porta, & porticus eo quod ſit aperta. Ovidius lib. 2. Triſt.

Quum quædam ſpatientur in hac, ut amator eodem
Conveniat, quare porticus ulla patet?

& lib. 1. A. A.

Seu pedibus vacuis illi ſpatioſa teratur
Porticus.

Juvenalis Sat. 6.

Porticibuſne tibi monſtratur femina voto
Digna tuo?

Variæ erant porticus Romæ, ut *Porticus Phœbi* Eleg. 31. infra, & *Porticus Pompeia* Eleg. 32. *Porticus Danai*, & *Livia*, & *Octavia* Ovidio lib. 1. A. A. & *Porticus Agrippæ* Horatio. *Abſidata* Rufo, & *Philippi* & *Argonautarum* P. Victori, & Martiali. Pass.

v. 6. Et, Campo quo movet illa pedes?] Campi plures Romæ, Rufo & Victori, Martius, Cœlimontanus, Eſquilinus, Viminalis, Fontinarum, Agrippæ; Flaminius Varroni. *Movet pedes.* Eleg. 30. infra:

Nec tibi ſi Perſei moverit ala pedes.

Plautus Menæch. *Atque eccum incedit, movet formicinum gradum.* Pass.

v. 7. Deinde ubi pertuleris quos dicit fama labores Herculis, ut ſcribat, Muneris ecquid habes?] Sic Elegia 13. ſup. v. 31.

Deinde ubi ſuppoſitus cinerem me fecerit ardor.

Quos dicit fama, qui feruntur & perhibentur. Sic Virgilius Ecl. 6. *Quam fama locuta eſt.* Catullus quoque Carm. 77. *Fama loquetur anus. Labores Herculis.* ut Eleg. prox. *Labor Alcidæ.* Catullus Carm. 55. *Herculis labor eſt.* Legendus Plautus initio Perſæ, qui amantis ærumnas cum ærumnis Herculis comparat. *Ut ſcribat*, poteſt jungi cum *pertuleris*. ſed malo interpungere: *Herculis, ut ſcribat*, id eſt, etiamſi tibi literulas mittat. & eſt fictæ conceſſionis. Ovidius Epiſt. Didûs:

Ut terram invenias, quis eam tibi tradet habendam?

& lib. 1. A. A.

Ut jam fallaris, tuta repulſa tua eſt.

Muneris ecquid habes? quam tenue & jejunum tanti laboris præmium! munus, *ἀντίδωρον*. ut Eleg. 10. lib. 1.

Accipe commiſſæ munera lætitiæ.

Ovidius 1. A. A. *Officii pretium* dixit. Sic Ennius apud Ciceronem initio Catonis: *Ecquid erit premi?* Pass. *Muneris ecquid habes?* μίμησις videtur puellæ ſic ſcribentis ad amantem: Habeſne paratum munus? ecquid mihi daturus es pro nocte tibi conceſſa? Vulp. Iſtæ Veneres pretium ſuis noctibus dicebant ipſæ. Petronius: *Quia noſti Venerem tuam, ſuperbiam captas, vendiſque amplexus, non commodas.* ſed melior huic loco Commentarius dari non poteſt quam decima Elegia L. 1. Amor. Ovidii. quam te totam legere volo: nec pænitebit. Broukh.

Poſt

Cernere uti poſſis vultum cuſtodis avari,
Captus & immunda ſæpe latere caſa,
Quam care ſemel in toto nox vertitur anno?
Ah pereant, ſi quos janua clauſa juvat.

Con-

Poſt hunc verſum Scaliger & Broukhuſias collocant hexaſticham revocatum ex Elegia quæ proxime ſequitur, qaod incipit *Et modo pavonis :* credo, quia fit in eo mentio muuuſcaloram. Sed ſi omnia quæ ſimiles continent ſententias, in unum locum trahenda ſunt, nihil erit quod certam ſedem ac ſtabilem ſit habiturum. VULP.

v. 9. CERNERE UTI POSSIS VULTUM CUSTODIS AMARI] Odioſam eſt irati & iniqui vultam intueri. ideo Cœlius Ciceroni Ep. 12. lib. 8. ad famil. *Malui homini alienissimo mihi me obligare, quam illius ſimia vultum ſubire.* Cicero pro Quintio: *Vultum ſuperbiſſimum inimici ſubire. Amari*, triſtis, odioſi. ut Eleg. 1. lib. 1. *noctes amaras*. Si *avari* legimus, vide Appulejum lib. 9. A. A. de avaritia Myrmecis. PASS. *Vultum*, diſtortam faciem, frontem rugis aſperam, qualis eſt iratorum, aut ſuperborum, & beneficia ſua caro vendentium. Vide ſis quæ attulimus ad Eleg. 7. lib. 1. Tibulli v.43. V. Potior pars librorum præfert *amari*. ſed *avari* e ſuis exhibuit Beroaldus. recte. Tibullus L. 2. Eleg. 4.

Sed pretium ſi grande feras, cuſtodia victa eſt :
Nec prohibent claves, & canis ipſa tacet.

bene ac feſtive canem junxit cum oſtiario clavigero: nam ii in eadem cella ætatem agebant, quam Noſter *immundam caſam* vocat hoc ipſo loco. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 2. quæ eſt ad ſervum cuſtodem:

Sic tibi ſemper honos, ſic curta peculia creſcent :
Hæc face, & exiguo tempore liber eris.

Vide eamdem ejuſd. operis L. 3. Eleg. 8. & lib. 2. A. A. non ſemel. BROUKH.

v. 10. CAPTUS ET IMMUNDA SÆPE LATERE CASA] *Captus*, eſt deprehenſus, & pæne captus; at apud Virgilium 7. Æneid. *Num capti potuere capi ?* Cœlius Ciceroni Epiſt. 2. lib. 8. *Obſtupui, & mihi viſus ſum captus eſſe.* de re quæ repente & præter exſpectationem accidit. *Immunda caſa*, ut Eleg. 13. lib. 3.

Sæpe illam immundis paſſa eſt habitare tenebris.

Caſam immundam opinor gurguſtium janitoris, aut ergaſtula ſervorum intelligit. De tota hac adulterorum miſeria & periculo vide Horatium Sat. 2. lib. 1. & Appulejum lib. 8. A. A. Idem Horatius Sat. 7. lib. 2. ait, etiam in arca latuiſſe mœchos deprehendi timentes. PASS.

v. 11. QUAM CARE SEMEL IN TOTO NOX VERTITUR ANNO?] Totius loci hujus hæc ſententia eſt: Quanta pecunia te noctem unam redimere oportet, ut ſemel in anno integro admittaris a dilecta matrona! quod ſi tibi contingat, nondum in portu navigabis; nam & ibi periculis obnoxius eris. Primum omnium occurret cuſtos, qui te probe argento emungat: deinde ſi ſuſpicio ſit vel leviſſima, dominum brevi rediturum, tibi neceſſe erit apud janitorem in tugurio deliteſcere, ne te deprehenſum calones permingant, neu gravius etiam aliquid & acerbius patiare. Atrociter M. Tullius Orat. 7. in Verrem ex ore Sextii lictoris: *Ut uno ictu ſecuris afferam mortem filio tuo, quid dabis? ne diu crucietur, ne ſæpius feriatur.* Levius Juvenalis Sat. 3.

Quid das, ut Coſſum aliquando ſalutes,
Ut te reſpiciat clauſo Veiento labello ?

Uterque tamen ad guſtum poetæ noſtri. His reſpondet adagium Italicum: *Pagare il boja, che ti fruſti.* VULP.

v. 11. QUAM CARE SEMEL IN TOTO NOX VERTITUR ANNO?] Tanti, inquit, nox una non eſt, ut ejus cauſâ totum annum excludar. *Quam care*, ut Eleg. 15. ſup. *Quam vario amplexu. Semel in toto anno.* ut Elegia 1. lib. 1.

Et mihi jam toto furor hic non deficit anno.

Et Eleg. 16. lib. 3.

Peccaram ſemel, & totum ſum pulſus in annum.

Nox vertitur. volvitur & venit. ſic *vertens annus* Eleg. 2. lib. 4. & Eleg. 28. infra:

Et deus, & durus vertitur ipſe dies.

Virgilius 5. Æneid.

Septima poſt Trojæ excidium jam vertitur æſtas. PASS.

Ggg 2 v. 12.

Contra rejecto quæ libera vadit amictu,
Custodum & nullo septa tumore, placet.
Cui sæpe immundo Sacra conteritur Via socco,
Nec sinit esse moram, si quis adire velit,

Diffe-

v. 12. Ah pereant, si quos janua clausa juvat] Juvat tamen hoc Ovidium Eleg. ult. lib. 2. Amor. Pass. Id est, pereant sectatores matronarum, qui toto anno excluduntur, & vix semel voti compotes fiunt. Confer Horatium Sat. 2. lib. 1. Vulp.

v. 13. Contra rejecto quæ libera vadit amictu, Custodum et nullo septa tumore, placet.] Hanc amo, hæc formosa mihi videtur, quæ reducta veste, ut pectus aperiat, sui juris incedit. sic Eleg. super.

Candida non tecto pectore si quo sedet.

Aliter Virgilius 5. Æneid.

Sic fatus duplicem ex humeris rejecit amictum.

id est, exuit. Hinc *Ricinium* dictum Varroni 4. de L. L. *quod eo duplici olim uterentur, & dimidiam ejus partem rejicerent, id est*, inquit, *retrorsum jacerent*. *Vadere* verbum confidentiæ, ut docui ad Eleg. 6. lib. 1. v. 4. *Libera*, quæ non sub imperio viri. Infra Eleg. 32.

Semper vive meo libera judicio.

Ovidius 3. A. A.

Ut sis liberior Thaide, finge metus.

id est, sine custodibus & jugo matrimonii. *Septa tumore custodum*, inquit, quia matronæ, veluti vallo custodum circumdatæ incedebant. Eleg. 14. lib. 3.

At nostro ingenti vadit circumdata turba.

& Eleg. 8.

Custodum gregibus circum se stipat euntem.

Vide Horatium Sat. 2. lib. 1. *Tumore*. significatur fastus & superba illa custodum pompa, tamquam lictorum. Si *timore* legimus, erit, *timore* custodum, quia custodes timent; & ipsa matrona metu casta est. Sic Eleg. 12. lib. 3.

Quid faciet nullo munita puella timore? P. *Tumore*. sic *tumidum honorem* habemus Elegia proxime insequente. vide magni viri Ger. Jo. Vossii Etymologicum L. L. in voce *tumultus*. Broukh. *Amictu*. M. Varro lib. 4. de L. L. *Amictus est dictus Amjectum, id est circumjectum; a quo etiam quo vestes se involvunt, Circumjectum appellant: & quod amictui habent purpuram circum, vocant Circumtextum*. Noster infra Eleg. 29. dixit *injecto amictu*. Vulp.

v. 15. Cui sæpe immundo Sacra conteritur Via socco] Quæ per Sacram Viam it reditque frequenter. Vagam puellam & libertinam significat, quæ pedibus suis ambulat, non gestatur. Juvenalis Sat. 6.

Nec melior pedibus silicem quæ conterit atrum,
Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.

Quæ *vaga puella*, dictum ad Eleg. 5. lib. 1. v. 7. *Viam terere*. ut Horatius Epodo 4. *Et Appiam mannis terit*. Noster Eleg. 18. lib. 3.

Est mala, sed cunctis ista terenda via est.

De *Sacra Via* dictum ad Eleg. 1. sup. v. 34. Celeberrima fuit Romæ, & populus frequens per illam transibat. *Socco immundo*, id est, lutulento. ut Virgilius in Georgicis, *Immundi sues*. *Socci*, calceoli muliebres. Suetonius in Caligula cap. 52. & in Vitellio cap. 2. Erant & Græculi calcei. Cicero pro Rabirio: *Post consularis homo soccos habuit, & pallium*. & lib. 3. de Orat. *Pallium quo amictus* (Græcus quidam philosophus): *soccos quibus indutus esset, se sua manu confecisse*. Isidorus extremo libro 19. *Socci quia quasi saccum habeant, quo plantæ immittantur; non enim ligantur*. Notum & genus calciamenti fuisse humilius cothurno, proprium comœdorum. Pass. Si Charisium audimus lib. 1. Grammaticæ cap. de dictione, in hoc versu tmesis erit. veteres enim eo ferme modo pronuntiabant *Sacravia*, quo *Respublica*, nempe conjunctim. A *socco* derivata est vox Italica *zoccolo*. V. uti Sacra Via erat omnium celeberrima; ita non mirum, istic scortilla crebro quæsivisse conditiones. quod notavit ex hoc loco eruditissimus Torrentius ad Horatium Epodo 4. v. 7. Broukh.

v. 16. Nec sinit esse moram, si quis adire velit] Quæ omnibus facit sui copiam. *Adire* est ejus qui rogare aliquid vult, ut notavi ad Eleg. 13. lib. 1. v. 8. &

Ca-

Differet hæc numquam, nec poſcet garrula, quæ te
  Adſtrictus ploret ſæpe dediſſe pater.
Nec dicet, Timeo, propera jam ſurgere, quæſo:
  Infelix, hodie vir mihi rure venit.
Et quas Euphrates, & quas mihi miſit Orontes
  Me capiant: nolim furta pudica tori.

Li-

Catullus Epigr. 8.

Quem nunc adibit? cui videberis bella?

Horatius Ode 14. lib. 3. *Si per invisum mora janitorem Fiet, abito*. Ergo illa *non ſinit eſſe moram*, cujus patet janua τοῖς τυχοῦσι. Sic idem Horatius Sat. 2. lib. 1.

--- Quæ neque magno
Stet pretio, neque cunctetur quum eſt juſſa venire. PASS.

Suetonius pariter in Othone cap. 11. *Si quis adire vellet, poteſtatem ſui præbuit*. Aliàs, *adire* ἐν ἀφροδισίοις. vide Tibullum Eleg. 5. lib. 1. v. 39. Noſtrum etiam Eleg. 3. lib. 1. v. 12. VULP.

v. 17. DIFFERET HÆC NUMQUAM, NEC POSCET GARRULA, QUÆ TE ADSTRICTUS PLORET SÆPE DEDISSE PATER] Ut hic junxit *differre* & *poſcere*, ſic Eleg. 13. lib. 3. *Poſcere & pretium moræ*. *Differet*, ducet promiſſis, ut dixit Eleg. 18. ſupra. ſic & Elegia 5. lib. 4.

Major dilata nocte recurret amor.

Poſcet, petet a te munera; unde procaces dictæ a procando, id eſt poſcendo. Cicero, Nonius, Feſtus. Noſter Eleg. 11. lib. 3.

Nulla eſt poſcendi, nulla eſt reverentia dandi.

Vide Plautum Aulul. 3, 5. & Milite 3, 1. *Da mihi, da mihi*. *Garrula*; Plauto, *nimium tinniens*. Eidem & initio Bacchidum: *Luſciniola, cui periculum non eſt ne deſuat cantio*. *Adſtrictus*. parcus nimium & arctus & avarus. cui *diſcinctus* apud Horatium opponitur & *diſſolutus*, Epodo 1. *Ploret dediſſe*, lamentetur ſe perdidiſſe, quum dederit nato non hos in uſus. Sic Euclio Plautinus: *Aquam hercle plorat quum lavat profundere*. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 12.

In quibus abſumtas fleret avarus opes.

eſt vero dilogia, & *ſæpe ploret*, & *ſæpe dediſſe*. PASS. *Adſtrictus pater*. Ita Cornelius Tacitus Annal. 3. cap. 55. *Sed præcipuus adſtricti moris auctor Veſpaſianus fuit, antiquo ipſe cultu victuque*. Hujuſmodi patres Terentius Heautont. 3, 2. *avidos*, *miſeros*, *atque aridos* appellat. VULP.

v. 19. NEC DICET, TIMEO, PROPERA JAM SURGERE, QUÆSO] μίμησις. ut Ovidius 3. A. A.

Callida proſiliat, dicatque ancilla, Perimus.

Propera jam ſurgere, quæſo. Surge ocyus amabo. Horatius Ode 11. lib. 3. *Surge, quæ dixit juveni marito, Surge*. Perſius Sat. 5. *Surge, inquit avaritia, eja Surge*. PASS.

v. 20. INFELIX, HODIE VIR MIHI RURE VENIT] τὸ *Infelix*, vel, ego miſera (ſum), vel, vir infelix, ſceleſtus, infauſtus. ut contra Plauto *ſceleſtus*, pro, miſer. Idem Plautus Milite 2, 3. *Pergin', infelix?* mox, *diis iratis natus*. Sic vulgo: *Mon meſchant & malheureux mary*. *Vir mihi*, pro vir meus; ut Eleg. 17. lib. 1. *Nec mihi Caſſiope*. *Rure venit*, pro redit. Tibullus Eleg. 3. lib. 2.

Sæpe duces trepidis petiere oracula rebus,
Venit & e templis irrita turba domum.

Horatius Sat. 2. lib. 1.

Nec metuo, ne dum . . . . . , vir rure recurrat,
Janua frangatur. PASS.

v. 21. ET QUAS EUPHRATES, ET QUAS MIHI MISIT ORONTES ME CAPIANT] Armeniæ & Syræ mulieres me juvent. De Euphrate dictum Eleg. 10. ſup. v. 13. De Oronte Eleg. 2. lib. 1. v. 3. *miſit*, ut Eleg. 5. lib. 4. *Quæ palmiferæ mittunt venalia Thebæ*. & Virgilius 2. Georg.

India mittit ebur, molles ſua tura Sabæi.

Ovidius 5. Faſt.

Tura nec Euphrates, nec miſerat India coſtum. PASS.

Conjungit hæc duo flumina etiam Ovidius lib. 2. Metam v. 248.

Arſit & Euphrates Babylonius, arſit Orontes.

Vide Anacreontem Carm. 32. ubi de peregrinis amoribus. De his advenis meretriculis, quæ Romanorum mores corrumperant,

que-

Libertas quoniam nulli jam restat amanti,
Nullus liber erit, si quis amare volet.

queritur Umbritius apud Juvenalem Sat. 3.

Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit, & ad Circum jussas prostare puellas.
Ite, quibus grata est picta lupa barbara mitra.

Id testatur & Auctor Liberi Carminis Epigr. 26. VULP.

v. 22. NOLIM FURTA PUDICA TORI] Hypallage, pro, nolim furta tori pudici, id est, quem pudicum esse oportet. Sic Elegia 32. infra:

Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum?

Furta proprie in adulteriis, quia contrectatio fit rei alienæ. unde *attrectare* & *contrectare* in re venerea. Sententia est: Nihil mihi cum nupts, præsertim matrona & nobili. PASS. Locutio similis Eleg. 21. lib. 3.

Librorumque tuos, docte Menandre, sales.

pro, librorum tuorum. Eodem pacto Lucretius lib. 1. *Simul ac species patefacta est verna diei.* nempe diei vernæ, temporis verni. VULP.

v. 23. LIBERTAS QUONIAM NULLI JAM RESTAT AMANTI] Eo dicit, quis viles ancillarum & libertinarum amores mancipiis digni videbantur, non ingenuis adolescentibus. Apte vero colligit: Nullus amans liber est: parum ergo interest, quam potissimum servitutem servias, stolatæne mulieris, an togatæ. VULP. Quandoquidem ne minimum quidem libertatis amplius superest amanti. *Jam*, pro amplius, ut Elegia 3. sup. v. 1. & Eleg. 5. lib. 1. v. 17. Servos omnes esse amantes, & amorem servitium, docuimus ad Eleg. 1. libri 1. & aliàs sæpe. PASS.

v. 24. NULLUS LIBER ERIT, SI QUIS AMARE VOLET] *Nullus*, pro non, ut Elegia 12. sup. v. 18. Hac de re vide adnotata ad Eleg. 21. v. 5. Bene addit, *Si quis amare volet*, quia, ut inquit P. Syrus:

Amor animi arbitrio sumitur, non ponitur. P.

Egregius in hanc rem Ciceronis locus est Paradoxo 5. quem ediscere deberent generosæ indolis adolescentes: *An ille mihi liber cui mulier imperat? cui leges imponit, præscribit, jubet, vetat quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? Poscit? dandum est: vocat? veniendum: ejicit? abeundum: minatur? extimescendum. Ego vero istum non modo servum, sed nequissimum servum, etiam si in amplissima familia natus sit, appellandum puto.* Concinit Noster Eleg. 8. lib. 4.

Indixit leges. respondi, Ego legibus utar.
Riserat imperio facta superba dato. VULP.

ELEGIA XXIV.

TU loqueris, quum sis jam noto fabula libro:
Et tua sit toto CYNTHIA lecta foro?

Cui

ARGUMENTUM ELEGIÆ XXIV. LIBRI II.] Primum se ipse objurgat, quod quæ det aliis recta consilia, non iis utatur. Expostulat deinde cum amica sibi rivalem præferente, jactatque constantiam suam in amore. VULP.

v. 1. TU LOQUERIS, QUUM SIS JAM NOTO FABULA LIBRO:] Se ipsum objurgat sub alterius persona, ut Eleg. 3. supra:

Qui nullum tibi dicebas jam posse nocere,
Hæsisti: cecidit spiritus ille tuus.

Tu loqueris? id est, etiam audes hiscere, sive pergis nugari. *Quum sis fabula*, id est, sermo omnibus, at Noster loquitur Elegia 20. sup. ubi vide adnotata, & Hadrianum Junium Adag. 6. Centur. 4. Sic Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 1.

Fabula, nec sentis, tota jactaris in urbe. PASS.

Tu loqueris? Alia μίμησις ex persona objectantis. quasi dicat: Tu isthæc jactas, o Properti, qui paullo ante Cynthiam usque ad insaniam deperibas, Cynthiam illam, quæ matronali fastidio insignis est? Enimvero *non modo accusator, sed ne objurgator*

qui-

Cui non his verbis aspergat tempora surdo
Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor?
Quod si tam facilis spiraret Cynthia nobis,
Non ego nequitiæ dicerer esse caput.

Nec

quidem ferendus est is, qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipse deprehenditur. ut ait Cicero exord. Act. 5. in Verrem. Porro hæc interrogatio valida & efficax. Plautus Mercat. 5, 4, 20. *Etiam loquere, larva?* Terentius Hecyra 3, 1, 37. *Tu te loqueris? me vetas?* Idem Heautont. 5, 1. CHR. *Pro iracundia, Menedeme, non sum apud me.* MEN. *Tu ne istuc loqui? Nonne id flagitium est, te aliis consilium dare, Foris sapere, tibi non posse auxiliarier?* Petronius Satyr. *At illa complosis manibus, Scelerate, inquit, etiam loqueris?* Lucianus in Symposio, seu Lapithis: Καὶ σὺ γὰρ φθέγγῃ κάθαρμα. Similia sunt & illa: Cicero lib. 2. ad Q. Fratrem Epist. 9. *Tu metuis, ne me interpelles?* Horatius Sat. 3. lib. 2. v. 155.

Tu cessas? agedum, sume hoc ptisanarium oryzæ.

Seneca Epist. 27. *Tu me, inquis, mones? jam enim te ipse monuisti? jam correxisti? ideo aliorum emendationi vacas? Non sum tam improbus, ut curationes æger obeam.* VULP.

v. 2. ET TUA SIT TOTO CYNTHIA LECTA FORO?] Id est, carmen de Cynthia. Martialis Epigr. 189. lib. 14.

Cynthia facundi carmen juvenile Properti.

Noster Eleg. ult. hujus libri:

Cynthia quin etiam versu laudata Properti.

Lecta toto foro. id est, in maxima hominum frequentia. PASS.

v. 3. CUI NON HIS VERBIS ASPERGAT TEMPORA SUDOR?] Scaliger legit pro *sudor*, *surdo*. hoc sensu: Cui etiam surdo his verbis (nempe quæ priore disticho comprehendit) pudor non aspergat tempora? Ego putavi aliquando legendum: *aspergat tempora sudore*, ut *e* deteratur ob sequentem vocalem *aut*, ut apud Horatium & Virgilium identidem: sed nihil nunc muto. *Sudor aspergat tempora*, id est, faciem leniter perfundat. ut Eleg. 12. lib. 1.

Nonnihil aspersis gaudet amor lacrimis.

Tempora, pro facie. ut Eleg. 18. sup.

An si caruleo quædam sua tempora fuco
Tinxerit, idcirco cærula forma bona est?

Similis sententia de animo æstuante est Elegia 22. v. 12. ubi vide adnotata de duplici sudore. PASS. *Cui n. h. v. aspergat tempora surdo?* quem, licet surdum, hæc verba non vellicent? Ita Eleg. 22. lib. hujus:

Me licet & Thamyræ cantoris fata sequantur,
Numquam ad formosas, invide, cæcus ero.
VULP.

v. 4. AUT PUDOR INGENUUS, AUT RETICENDUS AMOR] Sententia est: Aut pudor ex ingenuo amore est, & ita silendus ille amor, aut reticendus est amor, quia turpis. Sive: Aut ingenuam amas, aut turpem & meretricem. si ingenuam, pudore tacere te oportet [ne illius existimationem lædas]: si turpem, silendum tibi est, [ne ipse rumor & fabula fias.] turpitudinem enim suam quemque pudet eloqui. unde *amor reticendus*, turpis, infandus. vide Catullum Carm. 6. PASS. Bona sunt quæ ad hunc versum attulit Passeratius: sed tamen nescio quomodo hi duo versus continuatione sententiæ non satis cohærent. VULP.

v. 5. QUOD SI TAM FACILIS SPIRARET CYNTHIA NOBIS] In aliis libris est, *jam*. si retinemus, *tam*, subaudiendum, quam faciles sunt illæ vagæ mulieres. *Spiraret facilis*, ut Tibulli Eleg. 1. lib. 2.

Felix, cui placidus leniter afflat Amor.

metaphora a vento secundo, ut Eleg. 27. infra:

Si modo clamantis revocaverit aura puellæ.

ubi vide adnotata. PASS.

v. 6. NON EGO NEQUITIÆ DICERER ESSE CAPUT] Dux, signifer, princeps hominum nequam. ut *caput cœnæ*, & *caput in epistola*. quod principium, fons & origo, ut *caput aquæ*. Virgilius 11. Æneid. *Latio caput horum & caussa malorum*. Livius lib. 8. *Capita conjurationis*, id est, principes. Ita Plauto in Pseud. 1, 5, 1. *Dictator* de amatore:

Si de damnosis aut de amatoribus
Dictator fiat nunc Athenis Atticis,
Nemo antecedat filio, credo, meo:
Ita nunc per urbem solus sermo est omnibus. P.

Ne-

Nec ſic per totam infamis traducerer urbem:
Ureret & quamvis, nomine verba darem.
Quare ne tibi ſit mirum me quærere viles.
Parcius infamant. num tibi cauſſa levis?

Et

Nequitiæ caput. auctor dedecoris illius quod in aliis reprehendo. VULP.

v. 7. NEC SIC PER TOTAM INFAMIS TRADUCERER URBEM] Horatius Epodo 11. *Heu me per urbem (nam pudet tanti mali) Fabula quanta fui!* Noſter Eleg. 5. ſup.

Hoc verum eſt, tota te ferri, Cynthia, Roma?

Traduci proprie eſt, duci trans aliquem locum, ut in pompa fit. Suetonius in Caligula cap. 15. *Carpentum matri inſtituit, quo in pompa traduceretur*. Ductum igitur a ſervis furciferis, vel ſontibus qui per vias ducuntur ad infamiam ſimul ac ſupplicium. Livius lib. 2. de Volſcis publico conſilio & voce præcipuis a ſpectaculis exactis: *Vos civibus & peregrinis ſpectaculo abeuntes fuiſſe, veſtras conjuges & liberos traductos per ora hominum*. PASS.

v. 8. URERER ET QUAMVIS, NOMINE VERBA DAREM] Licet flagrarem multarum amore, unius tamen Cynthiæ ſub nomine ille amor lateret, & ita diſſimularem ac fallerem. Si, *ureret*, ut eſt in aliis libris, retinemus, erit, Cynthia. *Verba* tribus modis accipiuntur, inquit Palæmon; pro fallacia, ut *dedit mihi verba*; pro ſermone, ut *fecit verba Cicero*; & pro iis quæ per modos & tempora declinantur. Ovid. lib. 2. Triſt.

Verbaque dat ſtulto callida nupta viro.

Idem Epiſt. Cydippes:

Verba, quid exſultas, tua ſi mihi verba dederunt,
Sumque parum prudens capta puella dolis?

& lib. 2. A. A.

Quum dare non poſſem munera, verba dabam.

Noſter Eleg. 5. lib. 4.

Verſibus auditis quid, niſi verba, feres? P. *Urerer*, noſtri duo cum Groningano, & duo item Gebhardi. quod non deterius videtur. quamvis dicerer Cynthiam ſectari, tamen, id facile eluderem alium aliquem amorem prætexens. BROUKH. Vera ſententia eſt, ſi quid judico: Finge, Cynthiam non genere, ſed moribus, harum vilium muliercularum ſimilem eſſe, nempe facilem, placidam, minus ſumtuoſam: quamvis eam propter formam perdite amarem, atque ita urerer, tamen ſuppoſito iſto Cynthiæ nomine populum fallerem. Nunc autem, quum ea ſe difficilem præſtet, avaram, aſperam, intelligunt homines nullo negotio, mulierem a me dilectam matronam eſſe aliquam optimatem, quæ me ob ſuperbiam excruciet ac male habeat; puta ſuſpicantur, vel Hoſtiam eſſe (id quod eſt) vel aliam aliquam ex præclara familia. Tacitus lib. 13. Annal. cap. 13. *Ex cujus familiaribus Annæus Serenus, ſimulatione amoris adverſus eamdem libertam, primas adoleſcentis cupidines velaverat, præbueratque nomen, ut quæ princeps furtim mulierculæ tribuebat, ille palam largiretur*. VULP.

v. 9. QUARE NE TIBI SIT MIRUM ME QUÆRERE VILES] Id eſt, ſectari *ſcorta diobolaria*: ut Plautus Pœnulo; ſive, ut Feſtus, *quadrantarias*. *Quærere*, dictum ut Elegia 21. ſup. *Quæritur alter*. PASS.

v. 10. PARCIUS INFAMANT. NUM TIBI CAUSSA LEVIS?] Contra Horatius Sat. 2. lib. 1. v. 57.

Nil fuerit mi, inquit, cum uxoribus umquam alienis.
Verum eſt cum mimis, eſt cum meretricibus, unde
Fama malum gravius, quam res trahit.

Parcius, minus. Virgilius Ecl. 3.

Parcius iſta viris tamen objicienda memento.

Horatius Ode 25. lib. 1.

Parcius junctas quatiunt feneſtras
Ictibus crebris juvenes protervi.

Infamant, traducunt. Rurſus Eleg. 9. lib. 3.

Juppiter infamat ſeque ſuamque domum.

& Eleg. 14.

Poſt mortem tumuli ſic infamantur amantum.

Statius pariter lib. 7. Thebaid.

Acheloon utroque
Deformem cornu vagus infamabat Acarnan. P.

Parcius infamant. Sic meretricula Davum Horatii ſervum Sat. 7. lib. 2.

Dimittit neque famoſum, neque ſollicitum, ne
Ditior, aut forma melioris mejat eodem.

Num

Et modo pavonis caudæ flabella superbæ,
Et manibus dura frigus habere pila:

Et

Num tibi caussa levis? num tibi non videtur hæc caussa satis gravis, quamobrem plebejas mulieres nobilibus anteponam? videlicet minor infamia. Prior Terentius ita locutus Eunucho 3, 5, 26. *Rogas? viderem, audirem, essem una qua cum cupiebam, Antipho. Num parva caussa, aut parva ratio est?* Antiquiores imitatur Martialis Epigr. 65. l. 2.

Cur tristiorem cernimus Salejanum?
An caussa levis est? Extuli, inquit, uxorem.

Neque abit illud Nasonis Epist. Leandri v. 136.

Cur mihi caussa levis, ventus, obesse potest? V.

v. 11. ET MODO PAVONIS CAUDÆ FLABELLA SUPERBÆ] De muscaria pavonina Martialis Epigr. 67. lib. 14.

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muscas,
Alitis eximiæ cauda superba fuit.

Superba cauda, quia pavonum est superbire explicata cauda, maxime quum laudantur. Plinius H. N. lib. 10. cap. 20. *gloriosum animal & malevolum* vocat. Idem de pavo Ovidius; unde lib. 13. Metam. *Laudato pavone superbior*. Pass. Legendum est *superbi*, quia pavo mas stellante est ac gemmante cauda, non item femina. De pavonum forma & fastu vide Plinium L. 10. C. 20. Lucretium L. 2. Phædrum L. 3. Fab. 18. Martialem L. 5. Epigr. 38. & L. 13. Epigr. 70. Ausonium denique Epist. 20. His flabellis gerendis ac custodiendis peculiares habebant ancillas, quas *flabelliferas* a munere vocatas, novimus ex Plauti Trinummo 2, 1, 22. cui Terentium jungas licet in Eunucho. Atque hæc tam pretiosa tamque delicata flabella non multo post ad viles mensarum usus transierunt, crescente in immensum luxuria. vide Martialem L. 14. Epigr. 67. quamquam id non fuit diuturnum; sed habitus deinceps suus pavonibus honos prior. Claudianus L. 1. in Eutrop.

Et quum se rapido fessam projecerat æstu,
Patricius roseis pavonum ventilat alis.

BROUKH.

Et modo pavonis c. f. s. Sententia hoc modo continuatur: Cynthiæ fastus me populo irridendum propinat: ego vero irascor superbienti, & identidem mecum statuo non petere amplius ejus contumelias. Sed quum ea probe intelligat, animum meum clavo Cupidinis apud se defixum esse, in ipsa ira jubet me sibi emere atque afferre varia munuscula; quæ me dispendio nihil movent, sed tantummodo ob supercilium jubentis, & me ludibrio habentis. Hæc Scaliger & Broukhusius (absit dicto invidia) minus viderunt: propterea sex hosce versus in Elegiam superiorem retraxerunt. *Pavonis caudæ flabella s.* Quæ olim pretiosa; nunc vilissima essent, immo ridicula. Hujuscemodi flabelli fortasse mentionem facit Euripides Oreste v. 1426. Φρυγίοις ἔτυχον φρυγίοισι νόμοις Παρὰ βόστρυχον αὔραν αὔραν Ἑλένας Ἑλένας εὐπαγεῖ κύκλῳ Πτερίνῳ πρὸ παρηΐδος ἀΐσσων. *Phrygio Phrygio more Ad comam, auram auram Helenæ Helenæ, circulo bene composito E pennis, ad genam ciebam.* Xiphilinus Epitom. Hist. Dionis lib. 74. ubi de funere seu consecratione Pertinacis, narrat, in lecto funebri positam fuisse statuam Imperatoris, indutam ornatu triumphali, a qua τὰς μυίας παῖς εὐπρεπὴς, ὡς δῆθεν καθεύδοντος πτεροῖς ταῶνος ἀπεσόβει. *puer egregia forma, quasi dormiret* (Pertinax) *pavonis pennis muscas abigebat*. Commemorat etiam Pseudo-Clemens lib. 8. Constitut. Apostolic. cap. 12. *Duo diaconi ex utraque parte altaris teneant flabella ex tenuibus membranis, aut ex pennis pavonis, aut ex linteo, ut parva animalia volitantia abigant, ne in pocula incidant. Prasinum flabellum* vocat Martialis Epigr. 82. lib. 3.

Et æstuanti tenue ventilat frigus
Supina prasino concubina flabello.

nisi fortasse psittaci pennas voluit significare, quæ prasinæ, seu virides. Alio pertinet locus ejusdem poetæ lib. 10. Epigr. 30.

Sicut puellæ non amantis æstatem
Mota salubre purpura venit frigus.

Ibi enim, ut puto, non de flabello sermo est, verum de veste purpurea tenuissima, quam excutiebant delicatæ matronæ ad blandum frigus excitandum. Hanc mollitiem reprehendit Juvenalis Sat. 6. v. 252.

Hæ sunt quæ tenui sudant in cyclade, quarum
Delicias & panniculus bombycinus urit.

Cauda superba. Broukhusius mavult *superbi*;

Et cupit iratum talos me poscere eburnos,
Quæque nitent Sacra vilia dona Via.
Ah peream, si me ista movent dispendia: verum
Fallaci dominæ jam pudet esse jocum.

Hoc

bi: sententia tamen eodem recidit. immo superbiam caudæ ipsi tribuere, *ποιητικώτερον*. VULP.

v. 12. ET MANIBUS DURA FRIGUS HABERE PILA] Pilam diu tenendo, quam præbeas, frigus pati. *Pilam* lusoriam intelligit, cujus inventor Pithus, ut scribit Plinius lib. 7. cap. 56. Ea lusitasse etiam puellas auctor Virgilius in Ceiri; *Quum lapsa e manibus* (Scyllæ) *fugit pila*. de ludo virginali. Beroaldus pilam ex crystallo intelligit, quam puellæ ad æstum refrigerandum tenere solerent: sed nullum laudat auctorem. PASS. Male hæc refert ad pilam lusoriam Passeratius. quid enim ille ludus facit ad refrigerandas manus? Beroaldus exposuerat de pila crystallina, quam feminæ manibus terebant æstivo tempore. recte, Plinius L. 37. C. 2. *Invenio medicos, quæ sunt urenda corporum, non aliter utilius id fieri putare, quam crystallina pila adversis posita Solis radiis*. vides hic pilas crystallinas: de rigore autem crystalli supra egerat. addit mox: *Proximum locum in deliciis, feminarum tamen adhuc tantum, succina obtinent*. erant & hæc refrigerandis manibus, simul quoque odore commendabilia. Martialis L. 5. Epigr. 37.

Fragravit ore, quod rosarium Pæsti;
Quod Atticarum prima mella cerarum;
Quod succinorum rapta de manu gleba.

& L. 11. Epigr. 8.

Succina virgineâ quod regelata manu.

ita priores delicias mutabant mulieres subeuntibus aliis, uti nunc quoque fieri amat. BROUKH. Poterat Beroaldus ad veram suam explicationem confirmandam Propertii versum afferre, huc unice pertinentem, ex Eleg. 3. lib. 4.

Crystallusque suas ornet aquosa manus,

ad quem locum vide Scholia nostra. V.

v. 13. ET CUPIT IRATUM TALOS ME POSCERE EBURNOS] Pro, cupide poscit. ut Eleg. 10. lib. 1.

Tu cave ne tristi cupias pugnare puellæ.

id est, pugnes. Sententia est: Ut me ludo leniat & placet, rogat ut sibi talos eburnos emam, quibus mecum ludat. De talis eburnis Martialis lib. 14. lemmate 14. *Tali Eborei:*

Quum steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

& Epigr. 1. lib. 13.

Senio nec nostrum cum cane quassat ebur.

Tali autem numero quatuor jaciebantur, tesseræ tantum tres. Cicero bis in lib. 1. de Divinat. Elegia 33. infra Cynthia talia ludit:

An nondum est talos mittere lassa manus?

Meminit & Eleg. 8. & 9. lib. 4. & Diomedes lib. 2. *Ossibus ludere*, pro, talis. P.

v. 14. QUÆQUE NITENT SACRA VILIA DONA VIA] Pro *vilia* Beroaldus legit *Julia*. & exponit, Cæsarea, magna; ridicule. *vilia dona*, ut Eleg. 10. sup. v. 24. *vilia tura*. ubi vide adnotata. *Nitent vilia*, quamvis vilia, pulchra tamen videntur. *Sacra Via*. Varro lib. 3. R. R. cap. 16. *Carius in Sacra Via, quam mel venit*. & lib. 1. cap. 2. *Sacra Via ubi poma veneunt*. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 8.

Munera præcipue videat, quæ miserit alter.
Si sibi nil dederit, Sacra roganda Via est.

Idem lib. 2. A. A. v. 263.

Dum bene dives ager, dum rami pondere nutant,
Afferat in calatho rustica dona puer.
Rure suburbano poteris tibi dicere missa;
Illa vel in Sacra sint licet emta Via.

Et in Carm. Libero:

Hæc quæcumque tibi posui vernacula poma,
De Sacra nulli dixeris esse Via. PASS.

v. 15. AH PEREAM, SI ME ISTA MOVENT DISPENDIA: VERUM FALLACI DOMINÆ JAM PUDET ESSE JOCUM.] Famæ jacturâ, non rei moveor. *Dispendia*, damna, ab ære pendendo. unde *dispensatores*. Festus in *Dispensare*. Varro 5. de L.L. *Dispendium quod in dispendendo solet minus fieri*. Plautus Mercat. *Amorem*, inquit, *multos illexe in dispendium*. *Fallaci*, id est, quæ noctem mentitur, & *promissis amantem ducit*,

ut

Hoc erat in primis quod me gaudere jubebas?
  Tam te formosam non pudet esse levem?
Una aut altera nox nondum est in amore peracta,
  Et dicor lecto jam gravis esse tuo.
Me modo laudabas, & carmina nostra legebas.
  Ille tuus pennas tam cito vertit amor?
Contendat mecum ingenio, contendat & arte;
  In primis una discat amare domo:

Si

ut ipse Eleg. 17. sup. ait. vide adnotata ad Eleg. 5. sup. v. 5. *Esse jocum. ludus fieri*, Plauto. Horatius Sat. 5. lib. 2. *Ne quid tu perdas, neu sis jocus*. Catullus Carm. 42. *Jocum me putat esse mœcha turpis*. Pass. *Si me ista movent dispendia*. Phrasin hanc illustro ad Carmen Catulli 12. v. 12. VULP.

v. 17. HOC ERAT IN PRIMIS QUOD ME GAUDERE JUBEBAS?] Iracunde. ut Eleg. 5. sup. v. 1.

Hoc verum est tota te ferri, Cynthia, Roma?

& mox: *Hoc merui sperare? In primis*, præcipue, & ante omnia. Servius in 1. Georg. *Quod me gaudere jubebat; gaudere* cum quarto casu. Cœlius Ciceroni lib. 8. ad famil. *Ut suum gaudium gauderent*. Catullus Carm. 60. *Gaudia quæ media die Gaudeas*. Plautus Captiv. 4, 1. *Gaudeo, etsi nihil scio quod gaudeam. Gaudere jubet*, qui pollicetur aliquid boni, vel nuntiat. Cicero Epist. 2. lib. 7. ad famil. *Valde jubeo gaudere te*. Ejusdem generis est illud, *Jubeo salvere*, & illud Catulli Carm. 63. *Non hoc miserum sperare jubebas*. PASS. Convertit poeta sermonem suum ad dominam, quam paullo ante appellavit *fallacem*. Scaliger hæc male disjunxit a superioribus. VULP.

v. 18. TAM TE FORMOSAM NON PUDET ESSE LEVEM?] Noster Eleg. 16. supra:

Formosis levitas semper amica fuit.

τὸ *tam* & ad *formosam*, & ad *levem* referri potest. PASS.

v. 19. UNA AUT ALTERA NOX NONDUM EST IN AMORE PERACTA] Non dissimile est illud Eleg. 32. infra:

Sin autem longo nox una aut altera lusu
  Consumta est, non me crimina parva movent.

Contra Eleg. 20. lib. 3. v. 13. ubi *nox prima. Peracta*, ut Auctor Moreti:

Jam nox hibernas bis quinque peregerat horas.

Obscoene in Carmine Libero de scortillo: *Quot nocte viros peregit una*. PASS. Significat poeta, se raro admodum consuevisse cum Cynthia, quamvis diutius eam amavisset. V.

v. 20. ET DICOR LECTO JAM GRAVIS ESSE TUO] Lectus jam tuus me ferre non potest. Juvenalis Sat. 6.

Jam gravis es nobis, & sæpe emungeris, exi
  Ocyus, & propera.

Lecto tuo, pro, tibi. Eleg. 18. sup.

Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus. PASS.

v. 21. ME MODO LAUDABAS, ET CARMINA NOSTRA LEGEBAS. ILLE TUUS PENNAS TAM CITO VERTIT AMOR?] Huc pertinet illud Crassi in Ciceronem, a quo modo laudatus pro rostris, eodem ex loco vituperatus erat: *Quid? num me nuper ex hoc loco laudasti? Laudavi*, inquit Cicero, *sed exercendi ingenii gratia. Carmina nostra*, versus quibus te celebravi. *scripta* dixit Elegia 13. sup. v. 12. *Ille*, contemtim, ut Eleg. 21. sup. v. 4. *Pennas vertit*, alio avolavit, alio se contulit. & hoc est quod dixit Eleg. 8. sup.

Omnia vertuntur, certe vertuntur amores.

Eadem allegoria Eleg. 12. v. 14. sup. *Pennas perdidit ille suas*. Vide adnotata ad Elegiam 9. lib. 1. v. 23. *Tam cito*. Ovidius Epist. Briseid.

Qua levis a nobis tam cito fugit amor?

Seneca Consolat. ad Polybium: *Tam cito te indulgentiæ tuæ pœnituit?* PASS.

v. 23. CONTENDAT MECUM INGENIO, CONTENDAT ET ARTE] Octavus ab hoc versus initium præbet syntaxeos,

Jam tibi de timidis iste protervus erit,
Qui nunc se in tumidum jactando venit honorem. VULP.

Si libitum tibi erit, Lernæas pugnet ad hydras,
Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat:

Te-

Ingenium arti anteposuit. Horatius Epist. ad Pisones v. 295.

Ingenium misera quia fortunatius arte
Credit Democritus.

Noster Eleg. 1. lib. 3.

At non ingenio quæsitum nomen ab ævo
Excidet: ingenio stat sine morte decus.

Spiritum & artem carminis Horatius conjunxit Ode 6. l. 4.

Spiritum Phœbus mihi, Phœbus artem
Carminis, nomenque dedit poetæ. PASS.

Arti magis quam ingenio poeticam facultatem debuisse Callimachum, affirmat Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. ult.

Battiades semper toto cantabitur orbe;
Quamvis ingenio non valet, arte valet.

Contra de Ennio idem Ovidius lib. 2. Trist. v. 424.

Ennius ingenio maximus, arte rudis. VULP. *Contendat mecum ingenio, e. s. a.* Expressit hic, ut alibi sæpe, Ciceronem suum, Accus. 5. in Verr. C. 68. *Neque de illo quidquam tibi præsinis, qui minus ingenio mecum atque omni dicendi facultate contendas.* BROUKH.

v. 24. IN PRIMIS UNA DISCAT AMARE DOMO] Infidum rivalem significat, qui nescit una contentus vivere amica. ergo *discat*, ut rudis & imperitus fidei servandæ. Sic Eleg. 5. lib. 1.

Tum grave servitium nostræ cogére puellæ
Discere, & exclusum quid sit abire domum.

Per *unam domum*, unam amicam significat, ut Eleg. 11. l. 1.

Tu mihi sola domus, tu Cynthia sola parentes. PASS.

Una domus aliquando usurpatur & pro uno amatore. Noster Eleg. 16. supra:

Numquam venales essent ad munus amicæ,
Atque una fieret cana puella domo. VULP.

v. 25. SI LIBITUM TIBI ERIT, LERNÆAS PUGNET AD HYDRAS] Id est, si jusseris, si libuerit. Ut *licitum*, pro licuerit; *placitum*, pro placuerit. *Pugnet ad*, pro adversus. Plautus Pseud. 1, 5. *Itur ad te*, pro, contra. Terentius Heaut. 3, 2. *Ad senem aliquam fabricam fingit. Lernæas hydras. Lernæ paludem* nominat Eleg. 26. infra. Argivorum palus Lerna, ubi locus Hydra dictus (inquit Servius ad illud 6. Æneid. *& bellua Lernæ*) qui evomebat aquas vastantes vicinam civitatem, in quo uno meatu clauso multi erumpebant; quod videns Hercules loco ipso exussit, & ita clausit, meatus aquæ. Plato in Euthydemo σοφιστὴν fuisse hydram ait, cujus uno sermonis capite amputato multa renascerentur. quo forsasse allusit Virgilius 8. Æneid.

Non te rationis egentem
Lernæus turba capitum circumstetit anguis.

De hydræ capitibus variant auctores: Alcæus ἐννεακέφαλον, Simonides πεντηκοντακέφαλον fuisse scribit. Pausanias in Corinthiacis, unum ei caput fuisse, non plura. Ovidio 3. Fast. *Lernæa echidna* vocatur: Attio, & Plauto *excetra* (qui addit in Persa, *satius cum excetra pugnare, quam cum amore.*) quod uno abscisso capite septem alia succrescerent. Hyginus hydram hanc Typhonis gigantis, & Echidnæ filiam facit. P. Dixit opinor *hydras*, respectu tot capitum quibus belluam illam Lernæam terribilem finxit antiquitas. -- Pausanias in Corinthiacis unicum tantum ei caput fuisse credit. qui & hoc addit, Pisandrum Camirensem pro uno illi plura dedisse, quo & fera monstrosior, & carmina sua plus dignitatis habere viderentur. --- Mire variant scriptores antiqui. videndus tibi N. Heinsius Not. ad Ovid. L. 9. Metam. v. 71. & M. A. Delrius Comm. in Senecæ Hercul. Fur. v. 240. BROUKH. *Pugnet ad hydras.* Ita Noster Eleg. 4. lib. 3.

Arma deus Cæsar dites meditatur ad Indos. V.

v. 26. ET TIBI AB HESPERIO MALA DRACONE FERAT] Fabula est apud Apollodorum lib. 2. qui negat, ea mala in Libya, sed in Hyperboreorum Atlante ait fuisse, quæ Juno suis in nuptiis Jovi muneri dedit: quæ servabat draco immortalis, Typhonis & Echidnæ filius. Addit, Atlantem rogatu Herculis ad ea decerpenda ivisse, quum interim cælum cervice Herculea sustineret: & deceptum Atlantem cælum recepisse, quoad Hercules spiram sibi fecisset. Alii, cæso dracone abstulisse, & Eurystheo dedisse: illum Herculi reddidisse; Herculem obtulisse Minervæ, quæ in hortos illos retulerit. Draconi illi *Ladon* no-

men

Tetra venena libens, & naufragus ebibat undas,
Et numquam pro te deneget esse miser:
(Quos utinam in nobis, vita, experiare labores)
Jam tibi de timidis iste protervus erit,
Qui nunc se in tumidum jactando venit honorem.
Dissidium vobis proximus annus erit.

At

men fuit, ut scribit Apollonius Rhodius lib. 2. qui vocat παγχρύσεια μῆλα. Servius ad illud 4. Æneid. *Hesperidum templi custos* &c. *In horto Hesperidum Nympharum*, inquit, *filiarum Atlantis*, *erant aurea mala Veneri consecrata --- Re vera*, inquit, *nobiles fuerunt puellæ*, *quarum greges abegit Hercules occiso eorum custode. nam* μῆλα *sunt oves*, *&* μηλονόμος *pastor*. Lege Diodorum lib. 5. Hyginum Fab. 30. & 151. Pausaniam Corinthiacis & Eliacis, Palæphatum περὶ ἀπίστων. Plinius vero lib. 5. N. H. cap. 1. & Solinus, in Mauritania fuisse ajunt hortos Hesperidum flexuoso maris meatu, unde draconis fabula. Festus in *Dracones*, propter vigilantiam, ait, fingi dracones incubare thesauris custodiæ caussa. Juvenalis Sat. 14. *Si fortunas servet easdem Hesperidum serpens*, *aut Ponticus*. PASS.

v. 27. TETRA VENENA LIBENS, ET NAUFRAGUS EBIBAT UNDAS] Id est, volens & sponte; quod est Eleg. 17. supra:

Nunc jacere e duro corpus juvat, *impia*, *saxo*,
Sumere & in nostras tetra venena manus.

[Ubi tamen alii legunt *trita*.] *Naufragus ebibat undas*. Fracta nave, magnis poculis a Neptuno invitetur, ut Plautus loquitur Rudente. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 10.

Quærat avarus opes, *& quæ lassarit arando*
Æquora perjuro naufragus ore bibat.

Naufragium autem genus leti atrocissimum; quia talis interitus non sine gravi sensu est. Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. 2.

Nec letum timeo: genus est miserabile leti.
Demite naufragium, *mors mihi munus erit*.

Ebibat, ὑπερβολικῶς. Plautus Curcul. *Quæ mihi misero amanti ebibit sanguinem*. PASS.

v. 28. ET NUMQUAM PRO TE DENEGET ESSE MISER] *Pro te*, tuâ caussâ. ut Elegia 15. lib. 1.

Alphesibœa suos ulta est pro conjuge fratres.

Deneget, recuset. ut Eleg. 6. lib. 1. v. 9. *Miser*, exercitus, laboriosus, mille malis conflictetur. Cicero tamen pro Plancio distinguit miserum ab exercito. PASS.

v. 29. (QUOS UTINAM IN NOBIS, VITA, EXPERIARE LABORES)] Quorum laborum velim in utroque nostrûm periculum facias, uter libentius tuo jussu, tamquam Eurysthei Hercules, ejusmodi ærumnas suscipiat. PASS.

v. 30. JAM TIBI DE TIMIDIS ISTE PROTERVUS ERIT] Ferox & insolens. Donatus in Hecyram: *Protervus*, immoderatus, & superbus, a proterendo. nam protervus est qui dum alius obvius est, proterit; quod & tauri faciunt in appetitu coitus feminarum in quas calent. *Erit de timidis*, id est, de numero timidorum. Cicero 1. de Legib. *Unum Clitarchum excipio*, *neque præterea quemquam de Græcis*. Et pro Cæcinna: *De liberis quisquis est*. nempe, de numero liberorum. PASS.

v. 31. QUI NUNC SE IN TUMIDUM JACTANDO VENIT HONOREM] Præter meritum in honorem evectus est a Cynthia, & *contingit sidera plantis*. *Venit in honorem*; ut Eleg. 11. lib. 3.

Omphale in tantum formæ processit honorem.

Cicero Epist. 27. lib. 7. *Terrâ nata in honorem adducere*. Terentius Eunucho: *Ubi me videt esse in tantum honorem*. *Tumidus honor*, qui tumidos & inflatos reddit. ut Eleg. 22. sup. *Phrygis insanos caditur ad numeros*. hoc est, qui audientes ad insaniam compellunt. Hac mente eleganter Diogenes Cynicus apud Laërtium ἔλεγε τὰς εὐγενείας, δόξας ἐξανθήματα. PASS. *τὸ se* abest a Groningano, & ab uno Colbertino. Gebhardus etiam pro inepto habebat. miror, & scio veteribus aliter visum. Cicero L. 2. ad Attic. Epist. 21. *Qui antea solitus esset jactare se magnificentissime*. Pro Roscio Amerino C. 32. *Hæc tu*, *Eruci*, *tot & tanta si*

na-

At me non ætas mutabit tota Sibyllæ,
Non labor Alcidæ, non niger ille dies.
Tu mea compones, & dices, Offa, Properti,
Hæc tua funt: eheu tu mihi certus eras.

Cer-

natus effet in reo, quam diu diceres, quo te modo jactares? & alibi fæpius. Eodem pacto locuti funt & alii boni fcriptores. tantum abeft, ut *jactare fe*, inepte dicatur. quamquam non ignoro, etiam omiffo pronomine Ciceronem extuliffe. BROUKH.

v. 32. DISSIDIUM VOBIS PROXIMUS ANNUS ERIT] Adferet diffidii cauffam. ut Eleg. 2. lib. 1. *Idæ & Phœbo difcordia Eveni filia*. PASS. Qui nunc videmini tam flagranter alterum alter amare, non poteritis unum annum durare in hac mutua amoris concordia. mox odiis ac rixis diffidebitis: ut folet fieri, ubi non certo vincitur fœdere lectus. Libido expleta fatietate, fubito caftra fua alio transferet. Non vos divellet vis aliqua externa, fed fœdæ voluptatis faftidium. Et quibus impofuit, folvet mox vincla libido. *Diffidium*. editio Veneta A. 1475. & Colinæana habent *Difcidium*: quod e duobus codicibus probat Gebhardus. fane *difcidium* fere confunditur cum *diffidium* in libris veteribus: quum tamen illud notet violentam disjunctionem duorum inter fe conjunctorum, hoc vero pro difcordia ponatur, ex origine utriufque verbi *difcindere* & *diffidere*. itaque *difcidium* corporum eft, *diffidium* animorum. neque nos Gebhardum hic audiemus. Cicero L. 1. ad Attic. Epift. 17. *Et mihi & ceteris amicis tuis nota fuit, & abs te aliquando teftificata tua voluntas omittendæ provinciæ; ut, quod una non eftis, non diffenfione ac diffidio veftro, fed voluntate ac judicio tuo factum effe videatur*. Suetonius Tiberio C. 7. *Cum Julia primo concorditer, & amore mutuo vixit: mox diffedit, & aliquanto gravius, ut etiam perpetuo fecubaret*. De tali diffidio capiendus Catullus Carm. 63.

Anxia nec mater, difcordis mœfta puellæ
Secubitu, caros mittet fperare nepotes.

& Hymenæo Juliæ:

Non tuus levis in mala
Deditus vir adultera
A tuis teneris volet
Secubare papillis. BROUKH.

v. 33. AT ME NON ÆTAS MUTABIT TOTA SIBYLLÆ] Elegia proxime fequenti eadem fententia:

At me ab amore tuo deducet nulla fenectus.

De ætate Sibyllæ dictum Eleg. 2. fup.

Etfi Cumææ fæcula vatis agat.

Vide Lactantium lib. 1. Divin. Inftit. cap. 6. Σιὼς Æoles, pro Θεὸς, & βυλλὼ pro βυλλὴ; unde Sibylla. PASS.

v. 34. NON LABOR ALCIDÆ, NON NIGER ILLE DIES] ἀπὸ κοινοῦ, mutabit. *Alcidæ*, Herculis. Apollodorus lib. 2. Pythiam, ait, Herculem vocaffe primum confulentem oraculum, quum prius Alcides vocaretur. *Ille dies*, nimium notus, vel tremendus, ut *ille leo*. vide Eleg. 11. fup. v. 4. PASS. *Niger dies*. Ita Virgilius 6. Æneid. v. 428.

Quos dulcis vitæ exfortes, & ab ubere raptos
Abftulit atra dies, & funere merfit acerbo.

Horatius *ignes rogi nigros* appellavit Ode 12. lib. 4.

Nigrorumque memor dum licet ignium,
Mifce ftultitiam confiliis brevem. VULP.

v. 35. TU MEA COMPONES, ET DICES, OSSA, PROPERTI, HÆC TUA SUNT: EHEU TU MIHI CERTUS ERAS] Quod officium carorum erat. Sic Eleg. 17. lib. 1.

An poteris ficcis mea fata reponere ocellis,
Offaque nulla tuo noftra tenere finu?

& mox:

Molliter & tenerâ poneret offa rofâ.

Ponere, componere, reponere, locare offa, condere, eodem fignificatu. Horatius Sat. 9. lib. 1. *Omnes compofui*. Virgilius Æneid. lib. 1. *Nunc placida compoftus pace quiefcit*. *Et dices*, quereris. μίμησις, ut Eleg. 11. fup.

Nec dicet, Cinis hic docte puella fuit.

Properti. ut Eleg. 8. fup.

Sic igitur prima moriere ætate, Properti?

& Eleg. 3. lib. 3.

Non hinc ulla tibi fperanda eft fama, Properti.

Nominat autem Propertium offa condenda, quia

Gaudent compofiti cineres fua nomina dici.

vide Eleg. 13. fupr.

Nec fueris nomen laffo vocare meum.

Et

Certus eras eheu, quamvis nec sanguine avito
Nobilis, & quamvis non ita dives eras.

Nil

Et ingemiscit ad mentionem mortui, quum ait *eheu*. ut Eleg. 20. sup. v. 16. Dicitur *heu* & *eheu*, ut *hem* & *ehem*; Charisius lib. 2. *Tu mihi certus eras*. ita Sabinus in Epist. Demophoontis:

Demophoon, dicet, hei mihi fidus erat.

& Ovidius in Remed. Amor.

Fortius e multis mater desiderat unum,
Quam quæ flens clamat, Tu mihi solus eras.

Certus, constans, fidus, ut notavi ad Elegiam 19. lib. 1. v. 24. Hoc est quod dixit v. ult. Eleg. 17. supra:

Tum flebit quum nil senserit esse fidem. P.

Tu mea compones ossa. Illud Persii dissimile Sat. 3. *Beatulus alto Compositus lecto*. ibi enim sermo est de cadavere in lecto funebri posito, sed nondum combusto. Lucani, similius lib. 9. v. 58.

Membraque dispersi pelago componere Magni.

Certus erat. amicus videlicet egregius fide & constantia, cui tuto me traderem & committerem. Italice: *Un buono e vero amico, da potermene fidare ed assicurare*. Plautus Pseud. 1, 3, 156.

Pauci ex multis sunt amici, homini qui certi sient.
CAL. *Ego scio istuc*. PSEUD. *ergo utrimque tibi nunc delectum para:*
Ex multis exquire illis unum, qui certus siet.

Idem Trinummo 1, 2, 57.

Sed tu ex amicis certis mihi es certissimus.

Publius Syrus:

Amicus certus in re incerta cernitur.

T. Livius lib. 45. Hist. *Eam opinionem de Attalo & Eumene Romæ esse, tamquam de altero Romanis certo amico, altero nec Romanis nec Persei fido socio*. Boethius lib. 2. de Consol. Philosoph. prosa 8. *An hoc inter minima æstimandum putas, quod amicorum tibi fidelium mentes hæc aspera, hæc horribilis fortuna detexit: hæc tibi certos sodalium vultus, ambiguosque secrevit; discedens, suos abstulit, tuos reliquit?* Addendus Euripides apud Stobæum in Florilegio tit. 127. Σπάνιοι ἄρ' ἦσαν θανοῦσιν ἀσφαλεῖς φίλοι; Κἂν μὴ θάνωσι. *Rari sunt mortuis certi amici, & superstitibus*. Ita & *certi homines*. Cicero lib. 1. ad famil. Epist. 7. *Non ejus generis meæ litteræ sunt, ut eas audeam temere committere. Quoties mihi certorum hominum potestas erit, quibus recte dem, non prætermittam*. Et Epist. 12. lib. 6. *Pansa quidem mihi, gravis homo & certus, non solum confirmavit, verum etiam recepit, perceleriter te ablaturum diploma*. VULP.

Eheu. præstantissimus ille Horatii codex, jam sæpius laudatus, numquam habet *heu heu*; semper *eheu*. cui scripturæ favet Valerius Probus L. 1. Instit. Grammat. capite de Interjectione. BROUKH.

v. 37. CERTUS ERAS EHEU, QUAMVIS NEC SANGUINE AVITO NOBILIS, ET QUAMVIS NON ITA DIVES ERAS] Veteres libri habent: *Navita dives eras*. Beroaldus emendavit: *Non ita dives*. id est, non valde. ut Terentius Prol. Andriæ v. 11. *Non ita dissimili sunt argumento*. [quæ verba si aliter colloces, pentametrum efficient:

Sunt argumento non ita dissimili.]

Variis in locis, rem sibi tenuem fuisse Propertius significat, puta Eleg. 1. lib. 4. ubi *tenues lares* suos vocat, & Eleg. 5. lib. 3. & Eleg. 8. lib. 1. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 3. de se ipso:

Si me non veterum commendant magna parentum
Nomina, si nostri sanguinis auctor eques:
Nec meus innumeris renovatur campus aratris,
Temperat & sumtus parcus uterque parens.

Sanguine avito nobilis; quia avitus sanguis nobilitatem parit. siquidem, ut ait Livius lib. 8. *Patricii sunt qui patrem avumque ciere possunt*. Sic Eleg. ult. lib. 4. *avita tropæa*. Et *nobilis sanguine*, quia & aliis re nobiles esse possumus, ut virtute, doctrina, scelere. ut alias dictum. PASS. *Non ita dives*. Cicero ad Q. Fratrem lib. 2. Epist. 11. *Lucretii poemata, ut scribis, non ita sunt multis luminibus ingenii, multæ tamen artis*. Horatius Sat. 6. lib. 2.

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus.

VULP.

Non ita dives eras. ita liber Borrichianus. in aliis est, *navita dives eras*. quem puerilem errorem bene sustulit Beroaldus. est tamen sic satis vetus: vix enim puto extare hodie ullum codicem manu exaratum, qui non ostentet, PROPERTII AURELII NAUTAE. ita etiam legitur in Traguriensi MS.

testa

Nil ego non patiar. numquam me injuria mutat.
　Ferre ego formosam nullum onus esse puto.
Credo ego, non paucos ista periisse figura.
　Credo ego, sed multos non habuisse fidem.
Parvo dilexit spatio Minoida Theseus,
　Phyllida Demophoon: hospes uterque malus.
Jam tibi Iasonia nota est Medea carina,
　Et modo servato sola relicta viro.

Dura

teste Wheler Voyag. T. 1. p. 33. Antonius Volscus rationem reddit in Vita poetæ, quæ sane mirifice scripta est: *Nautæ cognomen in familiam transiit, quoniam ejus majores mercaturam fecisse traduntur*. credas hunc nebulonem ex inferis evocasse manes Propertii; quod in Homero fecisse dicitur Apollonius; adeo confidenter nobis obtrudit sua somnia. poterat aliquanto doctius nugari, si credebat esse aliquod pretium nugarum. fuit enim Romæ non incelebris familia Nautarum, sive Nautiorum. vide Servium ad L. 2. Æn. v. 165. ad L. 3. v. 407. ad L. 5. v. 704. & apud Festum in *Nautiorum familia*; apudque Dionysium Halicarnass. L. 4. Ant. Rom. C. 60. sed non est poeta consummatissimus in alienam gentem inferendus. - - - - Agnomina ista, quibus omne genus scriptores condecoravit sinistra grammatistarum liberalitas, varie sunt nata, variis quoque de caussis. videndus Barthius L. 6. Adverf. C. 1. BROUKH.

v. 39. NIL EGO NON PATIAR] Sic Elegia 26. infra: *Omnia perpetiar*. omnia, licet acerba & non ferenda. *Nil non*. ut Horatius Epist. ad Pisones: *Nihil non arreget armis*. PASS.

ibid. NUMQUAM ME INJURIA MUTAT] Eleg. 8. lib. 3.

Non est certa fides quam non injuria versat.

ubi se fidelem probat injuriam ferendo. *Injuria*, ut quum excluditur amator. vide Eleg. 16. sup. v. 31. & Eleg. 3. lib. 1. v. 35. P.

v. 40. FERRE EGO FORMOSAM NULLUM ONUS ESSE PUTO] Pati fastidia formosæ leve & facile. Permanet in translatione, ut *servitium mite* significet. ut dixit superius Eleg. 20. v. 20. Quid *ferre aliquem*, exposui ad Eleg. 8. sup. v. 14. PASS. Belle noster Secundus:

Non onerosa mihi, non est formosa pudori.
　Formosas dominas Jupiter ipse tulit.
BROUKH.

v. 41. CREDO EGO, NON PAUCOS ISTA PERIISSE FIGURA] Vide initium Eleg. 8. sup. τὸ ἰθὲ ἐμφατικῶς. ut Eleg. prox. sequ.

Ista meis fiet notissima forma libellis. PASS.

v. 42. CREDO EGO, SED MULTOS NON HABUISSE FIDEM] Fide & constantia caruisse. *Habere fidem*, hic est servare, ut Eleg. 15. sup.

Verus amor nullum novit habere modum.

Sic *tenere fidem* dixit Eleg. 18. lib. 1. Aliud est, habere fidem alteri. PASS.

v. 43. PARVO DILEXIT SPATIO MINOIDA THESEUS, PHYLLIDA DEMOPHOON: HOSPES UTERQUE MALUS.] Confundit *diligere* & *amare*; vel potius proprie loquitur, nam diligere minus est quam amare. Cicero Epist. 1. lib. 1. ad Brutum: *Clodius tribunus plebis designatus valde me diligit, vel, ut ἐμφατικώτερον dicam, valde me amat*. & Epist. 14. lib. 9. ad famil. *Tantum accessit, ut nunc denique amare videar, antea dilexisse*. & Epist. 47. lib. 13. *Ut scires, eum a me non diligi solum, sed etiam amari*. *Minoida*, Ariadnam. dixi ad Eleg. 14. sup. v. 7. totam historiam vide apud Catullum in Nuptiis Pelei. *Phyllida Demophoon*. fabula Phyllidis Thracum reginæ, & Demophoontis filii Thesei legenda apud Hyginum Fabul. 59. & Ovidium in Epist. Phyllidis. Tangitur ab eodem lib. 3. A. A. & in Remed. Amor. PASS. *hostis*, unus noster, & Borrichianus, cum uno Gebhardi. mala-tum temporis eæ voces mutaverant. quod Ovidius signanter ostendit Epist. Helenæ:

Qui sic intrabas, hospes, an hostis, eras? BROUKH.

v. 45. JAM TIBI IASONIA NOTA EST MEDEA

Dura est, quæ multis simulatum fingit amorem,
Et se plus uni si qua parare potest.
Noli nobilibus, noli conferre beatis.
Vix venit, extremo qui legat ossa die.

Ii

DEA CARINA, ET MODO SERVATO SOLA RELICTA VIRO] Hac de re adnotavi ad Elegiam 21. sup. v. 11. & 12. *Nota carinâ Iasoniâ.* ob navem Argo, qua cum Argonautis, & Iasone relictâ patriâ in Græciam venit Medea. Nota Cynthiæ, doctæ mulieri, hæc historia ob Argonautica Apollonii, & Varronis Atacini; de quibus Eleg. ult. infra:

Hæc quoque perfecto ludebat Iasone Varro.

Viro. tertio casu, pro, a viro. *Servato*, quem incolumem præstitit adversus tauros ignivomos, draconem pervigilem, & segetem armatorum virorum. Exprobrat id Iasoni Medea ipsa in Tragœdia cognomine apud Euripidem act. 3. vide & Ovidium 7. Metam. Huc pertinent versus veteris poetæ apud Charisium lib. 4.

Non memoro, quod draconis sævi sopivi impetum,
Non, quod tauros domavi, & segetis armatæ manus. PASS.

Iasoniâ carinâ. Ovidius lib. 3. Pontic. Eleg. 1.

Æquor Iasonio pulsatum remige primùm. BROUKH.

v. 46. ET MODO SERVATO SOLA RELICTA VIRO] τὸ *&* singularem emphasin hic habet, ac plus aliquid dicit quam *etiam*. ---- Cicero pro rege Dejotaro C. 10. *Calamitosus Dejotarus, qui & ab eo qui in iisdem castris fuerit, non modo apud te, sed etiam a suis accusetur.* Noster L. 3. Eleg. 9.

Quid, modo quæ nostris opprobria vexerit armis,
Et famulos inter femina trita suos?

loquitur de Cleopatra, omnium mulierum prostitutissima. ---- Minucius Felix: *Tu perire & Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahitur?* BROUKH.

v. 47. DURA EST, QUÆ MULTIS SIMULATUM FINGIT AMOREM] Sæva & crudelis, quæ multos promissis ducit, & mentitur noctem. *hoc* enim, ut dixit Eleg. 17. supra, est *infectas sanguine habere manus*. *Dura*, ut Eleg. 1. v. ult. sup. & Eleg. 32. infra v. 11. & 43. *Simulatum fingit amorem.* *Sic* τὸ αὐτὸ, pro simulat & fingit. ut Virgilius 4. Æneid. *Labantem impulit.* Donatus in Phormionem: *Simulare & fingere, pro vero falsum tradere.* Sic Eleg. 6. supra: *Falsos fingit tibi sæpe propinquos.* *Nam nihil fingitur, nisi falsum*, inquit Donatus. Huc pertinent versus Ennii apud Isidorum lib. 1. cap. 55. PASS. *Quæ multis simulatum ducit amorem.* Ita quidem Scaliger. Mihi vero adolescenti concinnius videbatur:

Dura est, quæ multos simulato ducit amore.

dixit enim superius Eleg. 17. *promissis ducere amantem*. nempe lactare fallaci spe. Virgilius quoque Ecl. 9. v. 56.

Caussando nostros in longum ducis amores.

Item Cæsar lib. 1. Belli Gallici cap. 16. *Diem ex die ducere -- & ubi se diutius duci intellexit.* Nisi dicamus, hoc Propertii loco esse hypallagen, quales ipse non raro adhibet. Editio tamen princeps, *multis simulatum fingit amorem.* in qua lectione conquiesco. V. Non possum exputare, unde ortum sit istud *ducit*, quum videam omnes omnium editiones nihil abire a scriptura membranarum. BROUKH.

v. 48. ET SE PLUS UNI SI QUA PARARE POTEST] Bene Eleg. 2. lib. 1.

Uni si qua placet, culta puella sat est.

subauditur τὸ *quam*. *Plus* (quam) *uni*. id est, pluribus quam uni. vide exempla apud Scaligerum in Varronem de R. R. p. 218. & 219. ubi & hunc versum citat. τὸ *Si qua* definite, de Cynthia. ut Eleg. 3. supra:

Nec si qua Arabio lucet bombyce puella.

Parare vero hic videtur esse ornare se, & excolere, vel paratam & promtam præbere. ut Eleg. 9. lib. 1.

Nec te decipiat, quod sit satis illa parata.

Plautus Aulul. 1, 4. *Ibo igitur, parabo.* id est, adornabo nuptias. Cicero pro Milone: *Paullisper dum se uxor, ut fit, comparat, commoratus est.* id est, adornat ad iter. *Potest*, sustinet, ut aliàs monui. PASS. Hinc *parabilis Venus* Horatio Sat. 2. lib. 1.

Quæ (scilicet.) neque magno
Stet pretio, neque cunctetur, quum est jussa, venire. VULP.

v. 49. NOLI NOBILIBUS, NOLI CONFERRE

Ii tibi nos erimus: ſed tu potius, precor, ut me
Demiſſis plangas pectore nuda comis.

RE BEATIS] An (me) componere noli cum illis qui jactant genus & nomen inutile; ſed velis anteponere? An *conferre*, prodeſſe? An dirigere ad illos amorem tuum; nam *amorem* dixit verſu ab hoc ſecundo ſupra? Sic Plautus Curcul. 1, 1. *Ita tuum conferts ſemper amorem, ſi ſapit.* Puto dictum ut, *dare*, & *præbere*. ut Cicero ſæpe; *Conferre ſtudium, officium, liberalitatem in aliquem.* Cur non vult, eam conferre nobilibus & beatis? Quia beati illi (nempe locupletes) & nobiles, opibus & majorum imaginibus fulti, faſtidiunt: pauper, ut ego, contrariis eſt moribus. Vide Tibullum de pauperis officiis in eam ſententiam Eleg. 5. lib. 1. Nobilibus, inquit, quia:

Neſcit Amor priſcis cedere imaginibus. P.

Noli u. noli conferre b. Verſus elegantiſſimæ ſimplicitatis, & vere Propertianus. V.

v. 50. VIX VENIT, EXTREMO QUI LEGAT OSSA DIE] Aut *venit*, pro eſt; aut *venit*, ad exſequias. ut Eleg. ult. lib. 4.

Venit in exſequias tota caterva meas.

Legat oſſa, quod carorum & neceſſariorum fuit. de quo Eleg. 9. ſup. v. 14. Sic Eleg. ult. lib. 4.

Oſſaque legiſti, non illa ætate legenda,
Patris.

Suetonius in Auguſto cap. 100. *Ut nonnulli cenſuerint legenda oſſa per ſacerdotes ſummorum collegiorum.* Vide Martialem Epigr. 56. lib. 8. & Senecam in Conſolat. ad Marciam cap. 22. *Extremo die.* qui *niger* dictus ſupra hac Eleg. vide Eleg. 11. ſup. v. 4. PASS.

v. 51. II TIBI NOS ERIMUS] Subaudi, qui tua legamus oſſa, [ſi forte præmoriaris; quod dii nolint.] PASS.

v. 51. SED TU POTIUS, PRECOR, UT ME DEMISSIS PLANGAS PECTORA NUDA COMIS] ἐπανόρθωσις, qua melius amicæ, quam ſibi ominatur. ut apud Ovidium Penelope:

Dii potius faciant, ut euntibus ordine fatis
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Supra hac Elegia eadem mente dixit: *Tu mea compones oſſa.* Eſt autem dilogia multiplex; *me plangas*, id eſt, cum planctu lugeas. & *plangas* (percutias) *pectora nuda*, & ipſa nuda pectora. ut Eleg. 13. ſup.

Tu vero nudum pectus lacerata ſequeris.

Petronius in Satyr. *Non contenta vulgari more funus paſſis proſequi crinibus, aut nudatum pectus in conſpectu frequentiæ plangere.* *Pectora*, pro pectus. Ovidius lib. 1. Triſt. Eleg. 5.

Pectoribus quantum tu noſtris, uxor, inhæris.

Demiſſis comis. ut Ovidius in Epiſt. Ariad.

Aſpice demiſſos, lugentis more, capillos.

In lege Numæ apud A. Gellium lib. 4. cap. 3. & Feſtum in *Pellices*. *Pellex Junonis aram ne tagito. ſi tagit, Junoni crinibus demiſſis agnum feminam cædito.* Vide Briſſonium in Formulis. PASS. *Pectora nuda.* Scaliger edidit *pectore nuda*. quod præplacet, ad evitandam dilogiam. Papinius l. 11. Thebaid.

Sciſſa comas, vultuque & pectore nuda cruentis. BROUKH.

ELEGIA XXV.

UNica nata meo pulcerrima cura dolori,
Excludi quoniam ſors mea ſæpe, venis.

Iſta

ARGUMENTUM ELEGIÆ XXV. LIBRI II.] Se, quamvis a Cynthia male habitum, fidelem in amore futurum. Deinde ad æmulum ſuum converſus, docet eum feminarum levitatem. Poſtremo miſerrimos eſſe ait qui multas ament. VULP.

v. 1. UNICA NATA MEO PULCHERRIMA CURA DOLORI] Ambigue τὸ *unica*; vel eximia & ſingularis, ut Eleg. 2. lib. 1.

Unica nec deſit jucundis gratia verbis.

vel, quam ſolam amavi & amaturus ſum; ut Eleg. 13. ſupra;

Unius hic quondam ſervus amoris erat.

Cura, pro amore; ut notavi ad Eleg. 1. lib. 1. v. 36. Sic Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 5.

Hei

Ista meis fiet notissima forma libellis:
Calve, tua venia; pace, Catulle, tua.
Miles depositis annosus secubat armis,
Grandævique negant ducere aratra boves.

Hei mihi perpetuum nata puella malum.

Et Sabinus in Epist. Paridis: *Heu flammis nata puella meis.* *Meo dolori*, mihi misero. ut dixi Eleg. 16. sup. v. 13. PASS.

v. 2. EXCLUDIT QUONIAM SORS MEA, SÆPE VENI] Quandoquidem iniqua mihi fortuna admitti me vetat, sæpe veni. *Excludit*; ut Eleg. 5. lib. 1. *Exclusum quid sit abire domum.* *Sors mea*; ut Virgilius 6. Æn. *Fata mea*. Ovidius pariter lib. 2. Trist.

Et tibi sacratum sors mea rupit opus.

Id variavit lib. 1. Trist. Eleg. 6.

Infelix domini quod fuga rupit opus.

Vide adnotata ad Eleg. 17. sup. v. 5. τὸ *sæpe*, ambigue. & *sæpe-excludit*, & *sæpe-veni*, uno verbo; ut Eleg. 18. sup. v. 30. Sic & hac Elegia v. 16. *sæpe-liquore*. vide adnotata de verbo *veni* ad Eleg. 14. sup. v. 20. PASS. In editione Broukhusii, *Excludi quoniam sors mea*, hoc est, Quoniam fato mihi debetur excludi, non admitti; amare, nec potiri, quod πόνων χαλεπώτατον vocavit Anacreon. Hoc tamen distichum perplexum mihi videtur, subobscurum, & fortasse corruptum. Legere autem malo, *venis*, pro es. Ovidius Epist. Laodamiæ:

Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte venis. V.

v. 3. ISTA MEIS FIET NOTISSIMA FORMA LIBELLIS] Magis ac magis notescet meo carmine. Sic Eleg. 5. supra:

Quæ fieri nostro carmine nota velis. PASS.

Etsi non redamet amantem, quamvis excludat & excruciet, nihilominus a me celebrabitur Cynthia, ob formam præstantissimam & singularem. VULP.

v. 4. CALVE, TUA VENIA; PACE, CATULLE, TUA] Cum vestra bona gratia dixisse liceat. Ita loquuntur qui vitare volunt offensionem, & invidiam potentiorum. Est autem utrumque pontificale verbum. Virgilius 4. Æneid. *Poscit deos veniam.* & mox: *pacemque per aras Exquirunt.* Cicero pro C. Rabirio: *Pacem ac veniam peto.* Q. Catulus:

Pace mihi liceat, cælestes, dicere vestra.

Petronius Arbiter: *Pace vestra liceat dixisse; primi omnem eloquentiam perdidistis.* Terentius Eunucho: *Quæso pace quod fiat tua.* id est, *gratia & voluntate*, inquit Donatus. Idem in Phorm. *Hoc a te bona venia expeto.* id est, inquit, *sine ira & discordia.* De Calvo & Catullo dicetur ad Eleg. ult. infra. Est autem apostrophe ad absentes. ut Eleg. 2. supra:

Juppiter, ignoro pristina furta tua.

& Eleg. 3.

Nunc, Pari, tu sapiens, & tu, Menelae, fuisti. P.

v. 5. MILES DEPOSITIS ANNOSUS SECUBAT ARMIS] Non abjectis, quod flagitii est; sed depositis impetrata missione, & accepta rude. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 9.

Fessus in acceptos miles deducitur agros:
Tutaque deposito poscitur ense rudis.

Servius in illud 11. Æneid. *Armaque deposuere humeris*, spectaturi, inquit, vel fessi. Horatius Ode 14. lib. 4. dixit, *Compositis armis.* *Annosus*; Ovidio, *senex*, Amorum lib. 1. Eleg. 9.

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

De Veteranis autem, & eorum stipendiis Suidas, Βετερᾶνος, παρὰ Ῥωμαίοις, ὁ ἀπολυθεὶς τῆς στρατείας· ἐπὶ εἰκοσαετίαν δὲ ἔτος ἐδίδοσαν. Sed Augustus ad annos viginti retraxit, quum antea viginti quinque stipendia merenda essent, ut apparet e Servio in illud Virgilii, *Sacrata resolvere jura.* *Secubat*, solus & seorsum cubat. Male Scaliger legit:

Miles sepositis annosus decubat armis.

Secubare, hic refertur ad missionem contubernio liberam. nam, ut ait Vegetius lib. 1. de R. M. *Decem milites sub uno papilione degentes, contubernium; & Decanus, qui iis præerat, dicebatur caput contubernii.* Alibi *secubare* est verbum religionis & castus. [Ovidius Amor. lib. 3. Eleg. 10.

Annua venerunt Cerealis tempora sacri.
Secubat in vacuo sola puella toro.] PASS.

Veterani, accepta missione, tempus vitæ reliquum per otium exigebant. Innuit Horatius Sat. 1. lib. 1.

Putris & in vacua requiescit navis arena,
  Et vetus in templo bellica parma vacat.
At me ab amore tuo deducet nulla senectus,
  Sive ego Tithonus, sive ego Nestor ero.

Non-

Ille gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles, nautæque, per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Se se ferre, senes ut in otia tuta recedant,
Ajunt, quum sibi sint congesta cibaria.

Et seditiosi milites apud Lucanum 5. Pharsaliæ v. 274.

Jam respice canos,
Invalidasque manus, & inanes corne lacertos.
Usus abit vitæ: bellis consumsimus ævum.
Ad mortem dimitte senes.

lege reliqua, si vacat. Totum autem hunc Propertii locum venuste imitatur Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 8.

In cava ducuntur quassæ navalia puppes,
Ne temere in mediis dissolvantur aquis.
Ne cadat, & multas palmas inhonestet adeptas,
Languidus in pratis gramina carpit equus.
Miles, ut emeritis non est satis utilis armis,
Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, Lares.
Sic igitur tarda vires minuente senecta,
Me quoque donari jam rude tempus erat. V.

v. 6. GRANDÆVIQUE NEGANT DUCERE ARATRA BOVES] Nempe, quia fessi. ut Elegia 28. infra.

Et jam Luna negat toties descendere cælo.

Ab ævo grandi, grandævus, unde *grandævitas* Attio apud Nonium. Virgilius 4. Georg. de apibus: *Grandævis oppida curæ.* Plautus Aulul. *Scio ætatem esse grandem itidem ut pecuniam.* Ætatis gradus in bubulo genere quatuor ponit Varro lib. 2. R. R. cap. 5. *Negant ducere aratra*, quod Eleg. 3. sup. v. 47. *Detrectat aratra. Ducere aratra*; ut Virgilius 3. Georg. *gravibus juga ducere plaustris.* Ibid.

Atque illis jam sæpe rotæ ducuntur inanes. P.

Illud *grandævus*, nisi de homine, haud temere reperire est. BROUKH.

v. 7. PUTRIS ET IN VACUA REQUIESCIT NAVIS ARENA] Situ & carie confecta & exesa. Ovidius lib. 1. Pontic. Eleg. 1. dixit:

Estur ut assiduâ vitiata teredine navis.

Putres aut quassæ naves, quia inutiles navigationi, in navalia subducebantur. Vide Ovidium lib. 4. Trist. Eleg. 8. Plautus Casina: *Subducam navim rursum in pulvinarium. Requiescit. Reconditâ senet quiete*, dixit Catullus in Phaselo. vide quæ notavi ad illud Eleg. 16. lib. 1. *Requiescere posses. Vacuâ arenâ*, solo ac deserto litore. vide adnotata ad Eleg. 8. lib. 1. v. 15. P.

Emeritas enim naves diis marinis sacrabat antiquitas. Valerius Flaccus L. 2.

Visa ratis, sævæ defecta laboribus undæ;
Quam Thetidi longinqua dies Glaucoque repostam
Solibus, & canis arcebat Luna pruinis.

BROUKH.

v. 8. ET VETUS IN TEMPLO BELLICA PARMA VACAT] Addidit *bellica* (id est, bello gerendo apta, ut dictum ad illud Eleg. 25. sup. *Bellica navis*) quia parma & gladiatorum est, qui ex ea *parmularii* dicti apud Suetonium. Parma autem aut picta, justi militis: aut pura, tironis. Noster Elegia 11. lib. 4.

Picta nec inducta fulgebat parma pyropo.

Virgilius Æneid. lib. 9.

Ense levis nudo, parmaque inglorius alba.

Quid parma, adnotavi ad illud Tibulli lib. 4. Carm. 1.

Seu parmâ quis dextra velit, seu læva tueri.

Vacat: feriata est, ut de machæra dixit Plautus in Milite. *Vacare*, & vacationes, militiæ sunt: & vacui, otiosi. Arma in templis ad postes, columnas, parietes figebantur. Vide Virgilium 3. Æneid. & lib. 7. Ovidium lib. 4. Trist. Eleg. 8. & lib. 15. Metam. Horatium quoque Epist. 1. lib. 1. & Ode 26. lib. 3. PASS. *Palma* Mss. vide quæ ad Tibullum notavi 1, 10, 82. BROUKH.

v. 9. AT ME AB AMORE TUO DEDUCET NULLA SENECTUS] Vide adnot. ad Eleg. prox. sup. v. 33. *Nulla senectus*, nec mea, nec tua, quamvis longa & gravis. *Deducet*: dixit *abducere* Eleg. 11. lib. 1.

Nec sinet abduci. te tuus ardor aget.

Deducere, aliàs verbum stupri; unde jocus Ciceronis. convenit etiam novæ nuptæ. Noster Eleg. 3. lib. 4. *Quæ mihi deductæ fax omen prætulit. Ab amore tuo*, id est, a te.

ut

Nonne fuit ſatius duro ſervire tyranno?
Et gemere in tauro, ſæve Perille, tuo?
Gorgonis & ſatius fuit obdureſcere vultu?
Caucaſias etiam ſi pateremur aves?

Sed

ut Eleg. 19. lib. 1. *Ne forte tuo careat mihi funus amore*. id eſt, te amica. PASS. *Deducere*, eſt verbum militiæ, quod de copiis ac præſidiis ab loco infeſſo demotis aut revocatis uſurpatur. Plautus Amph. 1, 1, 60.

Reſpondent, bello ſe & ſuos tutari poſſe: proinde uti
Propere de ſuis finibus exercitus deducerent.

Præſidium, præſidia, milites deducere, dixerunt non ſemel Cicero, Cæſar, Livius. Etiam de præſidibus provinciarum dicebatur. Cicero Orat. de Provin. Conſular. C. 6. *Hos vos de provinciis, ſi non aliquando deducendi eſſent, decipiendos non putaretis?* BROUKH.

v. 10. SIVE EGO TITHONUS, SIVE EGO NESTOR ERO] Id eſt, maxime ſenex. Ita Virgilius 4. Æneid. *Et nunc ille Paris*. nempe adulter, ut fuit Paris. Ciceroni *βοῶπις*, pro Claudia. & *Agamemnon* Pompejus. Plautus Menæchm. *Barbatum, tremulum, Titanum, Cycno prognatum patre*. De Tithono dictum ad Eleg. 18. ſup. v. 7. de Neſtore ad Eleg. 13. ſup. v. 46. PASS.

v. 11. NONNE FUIT SATIUS DURO SERVIRE TYRANNO?] Sic Eleg. 17. lib. 1.

Nonne fuit melius dominæ pervincere mores?

Satius a *ſatis* deducit Chariſius lib. 1. ſic *potius* a *potis*. Similis ſententia Eleg. 9. lib. 1.

Tum magis Armenias cupias accedere tigres,
Et magis infernæ vincula noſſe rotæ.

Duro tyranno. Phalaris ſignificatur, qui Siculis imperavit, cujus eſt præter ceteros nobilitata crudelitas. Cicero lib. 2. & 3 Officiorum. Eidem 6. in Verr. *crudeliſſimus omnium tyrannus* vocatur. PASS. Locutio eſt Virgiliana Ecl. 2.

Nonne fuit ſatius triſtes Amaryllidis iras,
Atque ſuperba pati faſtidia? nonne Menalcam,
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus eſſes? VULP.

v. 12. ET GEMERE IN TAURO, SÆVE PERILLE, TUO?] Vide Ovidium lib. 3. Triſt. Eleg. 11. qui hanc hiſtoriam narrat. item Valerium Maximum lib. 9. cap. 2. de Crudelitate, qui tamen Perilli nomen non ponit, & Plutarchum in Comparatione hiſtoriarum Græcarum & Romanarum; ubi hac in re juſtum ait viſum Phalaridem, quod auctorem pœnæ ea pœna primum affecerit. Meminit & Plinius lib. 34. cap. 8. Lucianus vocat Perilaum, non Perillum. Ovidius lib. 5. Triſt. Eleg. 1.

Ipſe Perillæo Phalaris permiſit in ære
Edere mugitus, & bovis ore queri.

Idem in Ibin:

Ære Perillæo veras imitere juvencas
Ad formam tauri conveniente ſono.
Utque ferox Phalaris, lingua prius enſe reſecta,
More bovis Paphio clauſus in ære gemas.

Et lib. 1. A. A.

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit. infelix imbuit auctor opus. P.

v. 13. GORGONIS ET SATIUS FUIT OBDURESCERE VULTU?] Id eſt, Meduſæ aſpectu in durum verti lapidem, ſive lapideſcere, ſive *fieri lapidem*; ut ipſe locutus Eleg. 9. ſup. Vide Junium Prov. 70. Cent. 7. Apollodorum lib. 2. Ovidium 4. Metam. Idem votum Tibulli Eleg. 4. lib. 2.

Quam mallem in gelidis montibus eſſe lapis! PASS.

Explicamus hanc fabulam in Indice noſtro Propertiano. VULP.

v. 14. CAUCASIAS ETIAM SI PATEREMUR AVES] Vel ſi me aquilæ lancinarent, quæ jecur Promethei rodebant affixi rupibus Caucaſi Scythiæ montis. vide adnotata ad Eleg. 1. ſup. v. 69. & 70. *Pateremur*. ita Hadrianus Imperator in Florum poetam: *Culices pati rotundos*. Et Noſter Eleg. 1. lib. 1. *Ferrum patiemur & ignes*. P. *Etiam ſi*. hæc particula adhibetur potius in oratione ſoluta, quam in verſu; ut & *tamen etſi*. Catullus nihilominus Carm. 67.

Quæ tamen etſi uno non eſt contenta Catullo,
Rara verecundæ furta feremus heræ. VULP.

v. 15.

Sed tamen obsistam. teritur robigine mucro
Ferreus, & parvo sæpe liquore silex.
At nullo dominæ teritur sublimine amor, qui
Restat & immerita sustinet aure minas.

Ul-

v. 15. SED TAMEN OBSISTAM. TERITUR RUBIGINE MUCRO FERREUS, ET PARVO SÆPE LIQUORE SILEX] ὑποφορά. *Sed tamen*, ut Gallice dici solet: *Voirs mais*. *Obsistam*; an adero, nec recedam; ut *obstare*, pro adsistere, unde dictæ *obstetrices*, quæ adsunt parturientibus? an sufferam, & quasi adversus dolorem, & injuriam pugnabo? ut Lucretius lib. 1. *obsistere contra?* Sed legitur etiam *obscura*, quod convenit rubigini ferri. Virgilius 1. Georg. de Sole:

Quum caput obscura nitidum ferrugine texit.

Aliàs legitur *obsita* corrupte. *Teritur rubigine mucro*. &c. Chœrili versus est celeberrimus:

Πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείη.

Tibullus pariter Eleg. 4. lib. 1.

Longa dies molli saxa peredit aqua.

Vide & Ovidium lib. 2. A. A. item lib. 4. Pontic. Eleg. 10. Lucretius lib. 1. *Stillicidî casus lapidem cavat*. & lib. 4.

Nonne vides etiam guttas in saxa cadentes
Humoris longo in spatio pertundere saxa?

Virgilius 1. Georg.

Exesa inveniet scabra rubigine pila.

Mucro, inquit Servius in 11. Æneid. est cujuslibet teli acumen. dictus a longitudine, inquit Isidorus lib. 18. cap. 6. quia Græci μακρὸν longum dicunt. *Rubigo*, inquit Servius ad illud 1. Georg. *Et mala culmos Esset rubigo*, proprie est, ut Varro dicit, vitium obscœnæ libidinis, quod ulcus vocatur. id autem abundantia & superfluitate humoris solet nasci, quæ Græce σατυρίασις dicitur. Inde igitur transfertur ad vitium segetis, & ferri: a robo colore, id est, rubro, vel rufo, Festo, unde Robigus deus, & Robigalia. Isidorus imperite lib. 16. ducit a rodendo, & æruginem ab erodendo. *Sæpe-liquore*, uno verbo, ut *sæpe-veni* v. 2. hujus Elegiæ. *Silex*, genus lapidis durissimi, unde exsilit ignis. Servius in 1. Æneid. & Isidorus lib. 16. cap. 3. *Silicem* & *ferrum* conjungit etiam Tibullus Eleg. 1. lib. 1. PASS. Valde hic turbant libri. tres habent, *Sed tamen obsistam*; quod & in suis Gebhardus invenerat. tres alii *obsitam*; & sic veteres editiones. duo *obsita*. tres *tegitur*, pro *teritur*. vulgatum *obscura* unde ortum sit, nondum potui reperire, quum legatur in Aldina editione, neque habeant ullæ anteriores. Nihil melius, neque ut puto verius, Nic. Heinsii correctione, Not. ad Claudian. L. 2. de laudibus Stilich. v. 194. *Sed tamen & scabra teritur rubigine mucro*. quam non video cur ipse deserat. Virgilius id epitheton tribuit rubigini L. 1. Georg. ubi Servius: SCABRA. *aspera. unde & scabies dicitur, a corporis asperitate*. Qui τὸ *obscura* defendunt, adducere solent hunc ejusdem libri versum,

Quum caput obscura nitidum ferrugine texit.

ferrugo autem istic non notat rubiginem, sed vero atrum lurorem quo Solis orbis inficiebatur toto anno post cæsum C. Julium Cæsarem. Ovidius L. 15. Metam.

Solis quoque tristis imago
Lurida sollicitis præbebat lumina terris.

Ceterum scribendum esse *robigo*, non *rubigo*, favente quoque etymologia, ex antiquissimis libris ostendunt illustrissimus Neapolis ad L. 4. Fastor. Pierius Valerianus Cast. ad L. 1. Georg. v. 151. Ach. Statius ad Catull. p. 257. & Nic. Heinsius Not. ad L. 4. Fastor. v. 907. quem omnino videre debes. *robigo* quoque semper habebant optimæ illæ Virgilii membranæ Palatinæ, e quibus correctissimam suam editionem procuravit Comelinus A. 1603. *Robigus* deus legitur in lapide antiquo apud Reinesium p. 218. de eo omnia sunt nota ex Varrone, Nasone, Plinio, Gellio, Festo, Servio. BROUKH. Omnium princeps editio A. 1472. & Aldina prior A. 1502. habent *Obsistam*. VULP.

v. 17. AT NULLO DOMINÆ TERITUR SUB LIMINE AMOR, QUI RESTAT] Scaliger in Varronem uno verbo legit, *Sublimine*, & ita a Varrone dictum putat, *Porta sublimentum*; ut a monimen & documen, monimentum & documentum. unde deus Limen-

Ultro contemtus rogat, & peccasse fatetur
Læsus, & invitis ipse redit pedibus.
Tu quoque qui pleno fastus adsumis amore,
Credule, nulla diu femina pondus habet.

An

mentinus. Idem Scaliger hic *ὑπέρθυρον* exponit, quod Vet. Gloss. *Superlimen*: & sic explicat: Amor qui restat de me, durat: quum de ferro nihil tandem restet, quod duret. Ego contra *sublimine*, in limine expono. ut Eleg. 9. sup. *Diris tecidere sub armis*. & Eleg. 4. lib. 4. *tua sub aula*. vide adnotata ex Horatio ad illud Eleg. 16. lib. 1.

Turpis & in tepido limine somnus erit.

Est autem sententia: Gutta terit lapides silices, durissimos: dominæ limen lapideum in quo jaceo pernox non potest amorem meum terere, & consumere. Vide Turnebum lib. 17. Advers. cap. 11. PASS. *Restat*. Sic Eleg. 6. lib. 3.

Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector. BROUKH.

Ita Lucretius lib. 1.

Si certam finem esse viderent
Ærumnarum homines, aliqua ratione valerent
Relligionibus, atque minis obsistere vatum:
Nunc ratio nulla est restandi, nulla facultas;
Æternas quoniam pœnas in morte timendum.

Restare igitur hic est obsistere. VULP.

v. 18. ET IMMERITA SUSTINET AURE MINAS] Hypallage, pro aure meæ immerentis. ut Eleg. 4. sup. *Immeritos ungues*. ubi vide adnotata. Simili modo Ovidius Epist. Medeæ: *Injustis auribus apta loqui*. id est, grata ei quæ mihi iniqua est. Sed legendum *Immeritas sustinet*. ut Eleg. 7. l. 1. *Injustas sæpe tulisse minas*. nempe fastus & injurias. Sic Cicero pro Quintio: *Scurræ divitis quotidianum convitium sustinere*. P.

v. 19. ULTRO CONTEMTUS ROGAT, ET PECCASSE FATETUR LÆSUS] Terentius Eunuc. 1, 1. hac de re: *Et te ultro accusabit, & dabit ei ultro supplicium*. Idem Adelph. 4, 3. *Ita putant sibi fieri injuriam: ultro si quam fecere ipsi, expostulant, & ultro accusant*. vide Ovidium lib. 1. Amor. Elegia 8. *Contemtus*, injuria affectus. unde *Contumelia meretricum* Terentio, &: *Tot modis contemtus, spretus? Rogat*; hoc est quod dixit Eleg. 9. lib. 1. *Supplexque venis ad jura puellæ*. Plautus Aulul. *Quia ultro tibi supplicatum advenio*. ut hic, *ultro rogat*. *Peccasse fatetur Læsus*. se culpam commeruisse ait licet falso, qui accepit injuriam. Lædere, damno, vel malo aliquo afficere. Eleg. 10. lib. 1.

Nec meminit justas ponere læsa minas.

& Eleg. 16. ejusd. libri: *Læsit petulantia linguæ*. PASS. *Peccasse fatetur Læsus*. Aquinati poetæ lectionem Propertii familiarem fuisse, non pauca demonstrant quæ videtur Satyricus a Nostri fontibus derivasse. Profecto geminus huic loco est ille Satyræ 3.

Libertas pauperis hæc est:
Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.

Peccasse fatetur. Ovidius lib. 3. Metam. v. 716.

Cuncta coëunt, cunctaque sequuntur
Jam trepidum, jam verba minus violenta loquentem,
Jam se damnantem, jam se peccasse fatentem.

VULP.

v. 20. ET INVITIS IPSE REDIT PEDIBUS] Tribuit parti, quod est totius, ut Eleg. 6. hujus libri:

Quæ numquam supra pes inimicus eat.

vide illic adnotata. Sic & Tibullus Elegia 6. lib. 2.

Juravi quoties rediturum ad limina numquam!
Quum bene juravi, pes tamen ipse redit.

Invitis. ut Eleg. 18. sup. v. 14.

Invitum & terris præstitit officium. P.

Ipse redit. non vocatus a domina, sed sponte, *αὐτομάτως*, vel solo duce Cupidine. VULP.

v. 21. TU QUOQUE QUI PLENO FASTUS ADSUMIS AMORE] Sic Eleg. 13. sup. *Tu quoque, si quando venies ad fata*. Tu quoque o rivalis, qui superbum te facis quum antea non esses; adsumimus enim ea quibus ante carebamus. Cicero 2. ad Atticum: *Adsumere invidiam*. Horatius Ode ult. lib. 3. *Sume superbiam*. Plautus Capt. 4, 1. *Sumsit in ventre confidentiam*. *Pleno amore*, ad satietatem secundo. Contra Eleg. 1. l. 1. v. 34. *Vacuus amor*. PASS.

v. 22.

An quisquam in mediis persolvit vota procellis,
Quum sæpe in portu fracta carina natet?
Aut prius infecto deposcit præmia cursu,
Septima quam metam triverit ante rota?

Men-

v. 22. CREDULE, NULLA DIU FEMINA PONDUS HABET] Gravis & constans manet. *Credule*, ideoque stulte. ut Eleg. 21. sup. *Tu nimium credula sola jaces*. Nervi & artus sapientiæ non temere credere. Horatius Ode 5. lib. 1. de hac amantium credulitate: *Qui nunc te fruitur credulus aurea*. *Pondus habet*, dictum eadem mutuatione verbi qua illud Eleg. 20. supra: *Ne dubita de gravitate mea*. Sic & Eleg. 22. supra: *In nullo pondere verba loqui*. Quod ad sententiam attinet, vide Eleg. 9. sup. PASS.

v. 23. AN QUISQUAM IN MEDIIS PERSOLVIT VOTA PROCELLIS] Id est, nemo. ut Eleg. 32. infra:

An quisquam in tanto stuprorum examine quærit,
Cur hæc tam dives? quis dedit? unde dedit?

Sic & Virgilius Ecl. 5.

An quidquam nobis tali sit munere majus?

Persolvit vota, votis se liberavit, quæ susceperat, si in portum salvus perveniret. De iis Horatius Ode 19. lib. 3. *Votis pacisci, Ne Cypriæ Tyriæque merces Addant avaro divitias mari*. Noster Eleg. prox. sequ. *Jam dea amplexu votum persolvit*. & Elegia 2. lib. 4.

Institor hic solvit pomosa vota corona,

Virgilius lib. 1. Georg.

Votaque servati solvent in litore nautæ,

In mediis procellis, dictum ut ab eodem Virgilio 4. Æneid.

Et mediis properas aquilonibus ire per altum. P.

v. 24. QUUM SÆPE IN PORTU FRACTA CARINA NATET?] Id est, fluitet; nam ambiguum verbum. Ovidius in Epist. Herûs:

Quod cupis, hoc nautæ metuunt, Leandre, natare.
Exitus hic fractis puppibus esse solet.

Noster Eleg. 1. lib. 4.

Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuviis Græcia pressa suis.

Fracta carina, nempe vel appellens, vel solvens. Quintilianus lib. 4. I. O. cap. 1. *Pessimus gubernator, qui navim, dum portum egreditur, impegit*. Cicero 1. de Orat. *Naviculam duorum scalmorum in portu evertere*. Papirius Fabianus apud Senecam patrem in Controversiis: *Navem in portu mergis*. Noster Eleg. 7. lib. 3. *Fallit portus & ipse fidem*. PASS.

v. 25. AUT PRIUS INFECTO DEPOSCIT PRÆMIA CURSU] Nondum confecto, decurso & emenso curriculo ac spatio Circi. *Infecto cursu*, dictum ut a Terentio: *Infecta pace*; & *Infecti argenti & auri*. Virgilius, *Facere cursum*, currere; ut facere spatia, spatiari. Cicero 1. de Orat. *Factis duobus tribusve spatiis*; quod ait 2. de Nat. Deor. *Confectis spatiis*. *Cursus* autem pro curriculo, ut Eleg. 5. lib. 1.

Et sinis nos cursu, quo sumus, ire pares.

Deposcit præmia, dictum ut *poscere palmam* a Varrone in Parmenone, quod Nonius male exponit accipere in verbo *poscere*. *In argumentis Cæcilius poscit palmam*. Aliàs *petere præmia*, est captare prædam. *Præmium*, pro palma, quod ante sit emenda, quam eam consequaris. unde Virgilius 5. Æneid. *Et palmæ, pretium victoribus*. Græcis *βραβεῖον* dicitur, & νικητήριον. τὸ *De* autem intendit vim verbi: estque *deposcere*, ultro & valde poscere. PASS. Vide Euripidem Electra apud Dacerium in Horatium tomo 9. pag. 80. 81. VULP.

v. 26. SEPTIMA QUAM METAM TRIVERIT ANTE ROTA] Vide adnotata ad illud Elegiæ 20. sup. *Septima orbita*: In unoquoque missu a singulis agitatoribus septem exigebantur spatia & curricula. Suetonius in Domitiano cap. 4. *Singulos missus a septenis spatiis ad quina corripuit*. Ovidius, [seu potius Gratius] in fragmento Halieutici:

Hic generosus honos, & gloria major equorum:
Nam capiunt animis palmam, gaudentque triumpho.
Seu septem spatiis Circo meruere coronam;
Nonne vides, victor quanto sublimius altum
Attollat caput, & vulgi se venditet auræ?

Seneca Epist. 30. *Manifestior notari solet agitatorum lætitia quum septimo spatio palma appropinquant*. Ausonius:

Septenos solitus victor obire vias,

D. Hie-

Mendaces ludunt flatus in amore ſecundo.
Si qua venit ſero, magna ruina venit.

Tu

D. Hieronymus in Hilarionis Vita: *Quadrigæ ſeptimo currunt curriculo. Triverit metam arte*. Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 2.

Nunc ſtringam metas interiore rota.

Ibidem:

Me miſerum! metam ſpatioſo circuit orbe.
Quid facis? admoto proximus axe ſubit.

Et lib. 1. A. A. μεταφορικῶς:

Hic modus, hæc noſtro ſignabitur area curru.
Hæc erit admiſſâ meta terenda rotâ.

Lucanus lib. 8. Pharſ.

Non ſic moderator equorum
Dexteriore rota lævum quum tiruit axem,
Cogit inoffenſæ currus accedere metæ.

Metam opinor dictam, quod eâ definitum erat Circi ſpatium, a metiendo, vel metando. Iſidorus lib. 18. cap. 26. *Ornamenta Circi ova, meta, obeliſcus, carceres*. Meta erat κωνοειδὴς & turbinata, quæ forma etiam pyramidum & cupreſſorum; unde Ovid. 11. Metam. *Metas imitata cupreſſus*. Flexus ipſe metæ, Græcis modo τροπὰ dicitur, unde τροπικὸς Aſtrologorum, quia ab eo tempore fit τροπὴ & reverſio Solis: modo καμπτὴρ, qua voce tamquam Latina uſus Pacuvius apud Nonium. Periculoſus autem erat ille flexus. Ideo Neſtor apud Homerum Iliad. ψ. Antilochum filium monet ita metæ appropinquet, ut vitet tamen lapidis tactum, ne & vulneret equos, & currum frangat. Hinc Horatius Ode 1. lib. 1. *Metaque fervidis Evitata rotis*. Cicero pro Cœlio, μεταφορικῶς: *In hoc ætatis flexu fama adoleſcentis paullum hæſit ad metas*. Alludit Noſter Eleg. 1. lib. 4.

Has meus ad metas ſudet oportet equus.

& alibi. PASS. *Septima quam metam triverit ante rota*. Schoppius L. 3. Veriſ. C. 10. reponit *arte*, pro *ante*. quod jam ante duo ſæcula tribulibus ſuis perſuaſerat Ant. Volſci fungīnum caput. tu cave credas. loquitur Propertius eodem quo Virgilius modo, Æn. L. 4.

Sed mihi vel tellus optem prius *ima dehiſcat,*
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentis umbras Erebi noctemque profundam,
Ante, *pudor*, quam *te violo, aut tua jura reſolvo*.

hunc quoque locum adducit Schoppius. quid ni? nam & Turnebus obſervaverat L. 26. Adv. C. 5. de ipſa re videre debes Onuphr. Panvinium L. 1. de Ludis Circenſibus C. 14. ubi peſſime legitur,

Septima quam meta triverit arte rotam. BROUKH.

Quam ante, ὕστερον πρότερον, pro *ante quam*. Ita & Lucretius lib. 3. v. 995.

Reſpice item, quam nil ad nos anteacta vetuſtas
Temporis æterni fuerit, quam naſcimur ante.

Et Martialis Epigr. 36. lib. 9.

Verba ducis Daci chartis mandata reſignes;
Victricem laurum quam venit ante vides.

Illud Plauti non diſſimile Bacchid. 2, 1, 7. *Quem ad epiſtolam Mneſilochus miſit*. pro, *ad quem*. VULP.

v. 27. MENDACES LUDUNT FLATUS IN AMORE SECUNDI] Eadem translatione dixit Eleg. 12. ſupra:

Noſtraque non ullis permanet aura locis.

ubi vide adnotata. *Incertum flamen* dixit Eleg. 9. ſupr. ut hic *mendaces flatus*. *Flatus*, venti. Virgilius 7. Æneid. *Omniſque repente reſedit Flatus*. Idem pro ſuperbia Æn. 11.

Det libertatem fandi, flatuſque remittat.

id eſt, regios ſpiritus. nam ſequitur: *Pone animos*. Hic igitur Propertius ambigue *Flatus* dixit, quia & res ſecundæ incertæ ut venti, & animos inflant. *Ludunt*, deludunt, fruſtrantur: nam neque ventis, neque mulieribus conſtantia. Sic Virgilius Æneid. 11. *Multos alterna reviſens Luſit*. unde Horatius *Ludum fortunæ* dixit Ode 1. lib. 2. PASS. Bene Nic. Heinſius reſtituit *ſecundo*, Not. ad Ovid. L. 1. Art. Amat. v. 715. hoc eſt, quod paullo ſuperius habuimus, *pleno amore*. BROUKH.

v. 28. SI QUA VENIT SERO, MAGNA RUINA VENIT] Eadem ſententia Eleg. 7. lib. 1.

Sæpe venit magno fœnore tardus amor.

Idem ſentit ſententia de ſera numinis vindicta. Et: *Sero molunt deorum molæ*. &, *Dii laneos habent pedes*. *Ruina*, gravior caſus, & clades. Horatius Ode 17. lib. 2. *Una dies utramque Ducet ruinam*. id eſt, interitum. Cicero pro Cluentio: *Non fuit illud judicium, ſed ruina, atque tempeſtas*. *Venit ruina*; ut Eleg. 6. lib. 1. *Si qua mei* ve-

Tu tamen interea, quamvis te diligat illa,
 In tacito cohibe gaudia clausa sinu.
Namque in amore suo semper sua maxima cuique
 Nescio quo pacto verba nocere solent.
Quamvis te persæpe vocet, semel ire memento.
 Invidiam quod habet, non solet esse diu.

Et

veniet non immemor hora. *Si qua*, id est, quæcumque; ut Eleg. 2. lib. 1.

Uni si qua placet, culta puella sat est. PASS.

v. 29. TU TAMEN INTEREA, QUAMVIS TE DILIGAT ILLA] *τὸ illa* pro amica *ἐμφατικῶς*. ut Eleg. 5. lib. 1.

Non est illa vagis similis collata puellis.

& Eleg. 1. sup. v. 49. Quid diligere, dixi ad Eleg. sup. prox. v. 43. PASS.

v. 30. IN TACITO COHIBE GAUDIA CLAUSA SINU] Proverbium est: *In sinu gaudere*, de iis qui alios suæ lætitiæ participes facere nolunt. M. Tullius 3. Tuscul. *In sinu gaudeant, gloriose loqui desinant*. & ad Q. Fratrem: *In sinu est, neque ego discingor*. de re fidei commissa. Seneca Epist. 106. *Si bona tua jactaveris, si scieris in sinu gaudere*. Tibullus Carm. 13. lib. 4.

Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.

quia quæ volumus occultare, in sinum plerumque abdimus. Retulit Erasmus in Chiliadas. Contra sentit proverbium apud Festum: *Nec mulieri, nec gremio credi oportere*. *Tacito sinu*, fideliter occultante, nec effutiente. Tibullus Eleg. ult. lib. 2. dixit: *Occulto sinu*, eadem notione. Noster Elegia 4. lib. 1. *Tacita veste*. & Eleg. 18. *Loca taciturna*; id est, quæ *queunt tenere fidem*, ut ibidem paullo post loquitur. P.

v. 31. NAMQUE IN AMORE SUO SEMPER SUA MAXIMA CUIQUE NESCIO QUO PACTO VERBA NOCERE SOLENT] Sic *lingua nocens* Eleg. 28. infra. *Maxima verba*, plenissima jactationis & superbiæ, qualia sunt in Elegia 8. lib. 1. & Eleg. 14. sup. & 28. infra. Tibullus pariter Eleg. 6. lib. 2.

Magna loquor, sed magnifice mihi magna locuto
 Excutiunt clausæ fortia verba fores.

Horatius Ode 6. lib. 4. *Magnæ vindicem linguæ* dixit. quod Porphyrio exponit, superbæ. Niobe apud Ovidium 6. Metam.

Major sum quam cui possit fortuna nocere.

Græci *μεγαλαυχίαν* vocant, & *μεγαλοῤῥημοσύνην* nimis magnam de se suisque rebus prædicationem. *Nescio quo pacto*, formula in rei notæ ignota caussa. Cicero 2. de Legib. *Movemur nescio quo pacto & amore patriæ, quia insitus est*. Pactum pro modo, quia modus certus, & certa formula cuique pactioni adhibetur. PASS.

v. 33. QUAMVIS TE PERSÆPE VOCET, SEMEL IRE MEMENTO] Hinc lucem capit illud Eleg. 20. sup. *Sæpe fuisse domi*. *Vocet*, ad se venire jubeat. ut Catullus Carm. 32. *Jube ad te veniam meridiatum*. *Memento*, sensibus hoc imis reponas. ut Eleg. 13. sup. *Memento Hoc iter*. PASS. *Quamvis te persæpe vocet, s. i. m.* Ne abutaris benignitate dominæ ac largitate, quod stulti & incauti solent: sed parce utere, ut decet sagacem & circumspectum. *Memento*. Ita Epicharmus: *μέμνασο ἀπιστεῖν*, *memento non credere*. VULP.

v. 34. INVIDIAM QUOD HABET, NON SOLET ESSE DIU] Quod invidiâ laborat, cito interit. Cicero pro Murena: *Consulatus hoc tempore nullam invidiam habere potest*. & aliàs sæpe. Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 4.

Invidiam, si qua est, auctor habere potest.

Sic *habere morbum, febrim, dolorem, malum*. pro pati, & ab iis incommodis haberi. Seneca in Consolat. ad Polybium cap. 2. *Felicitas raro invidiam effugit*. *Esse diu*, diu vivere, ac perdurare. Plautus Pseud. 1, 2. *Quasi solstitialis herba, paullisper fui*. PASS. Egregie Papinius, in re minus ludicra, L. 5. Silv. Carm. 1.

Quisnam impacata consanguinitate ligavit
Fortunam Invidiamque deus? quis jussit iniquas
Æternum bellare deas? nullamne notabit
Illa domum, torvo quam non hæc lumine figat
Protinus, & sævâ perturbet gaudia dextrâ?
 BROUKH.

Nos

Et si sæcla forent antiquis grata puellis,
Essem ego, quod nunc tu: tempore vincor ego.
Non tamen ista meos mutabunt sæcula mores.
Unusquisque sua noverit ire via.
At vos, qui officia in multos revocatis amores,
Quantum sic cruciat lumina vestra dolor?

Vidi-

Nos quoque, si fas est huc afferre exempla domestica, hanc sententiam sic expressimus in Carmine quodam trochaico nuptiali:

At, marite, pares dictis. laudo fortunas tuas;
Gaudium decet maritos: at modeste gaudeat;
Nam tacendo mitigare convenit Rhamnusiam.

VULP.

v. 35. ET SI SÆCLA FORENT ANTIQUIS GRATA PUELLIS] Si nunc sæcula antiqua essent puellis gratis; id est & placentibus & formosis; ut sit hypallage. Legitur etiam *gnata*; nempe quæ tunc exorta sunt & extiterunt. Sic Ovidius 1. Metam. *Aurea prima sata est ætas*. An *gnota*, pro nota? An *gnara*, quod idem valet, & frequens est Tacito? *Antiquæ puellæ*, bonæ, simplices, non avaræ, non fucatæ, non perfidæ, non impudicæ. Cicero pro Sex. Roscio: *Homines antiqui, qui ex sua natura ceteros fingerent*. Plauto, *Antiqui mores*. PASS. Male omnino hæc explicat Scaliger, sit suus honor veritati. Non enim alloquitur Cynthiam Propertius, quod placebat magno viro, sed potius rivalem suum; aitque se contemni & nihili fieri ab amica ob iniquam temporum conditionem, quibus nulla fides, neque gratus animus insit levibus puellis. quod si essent aurea illa sæcula, quæ priscas illas heroinas tulerunt, futurum se voti sui compotem victo æmulo & deturbato. *Sæcla puellis antiquis grata* nihil aliud sunt quam antiqua sæcula, vetusti mores. At Propertius loquitur κατὰ περίφρασιν, ut sæpe alias. Ita explicandus versiculus Elegiæ 7. lib. 1. *Ætatis tempora dura queri*. Huc pertinent illa Eleg. 2. ejusdem libri:

Non illis studium vulgo conquirere amantes.
Illis ampla satis forma, pudicitia.

Hoc distichon cum sequenti non fuerat loco movendum, & ad superiora trahendum. Quæ, malum! Criticæ sinisteritas, nodum in scirpo quærere, & iis quæ commodam sententiam habent, alienam & coactam tribuere? VULP.

v. 36. ESSEM EGO, QUOD NUNC TU: TEMPORE VINCOR EGO] Simile est illud Eleg. 9. sup. *Iste quod est, ego sæpe fui*. *Tempore*. Sic Eleg. 16. lib. 1. dixit, *Sæcli luxuriâ*. *Vincor*, inferior rivali discedo. ut Eleg. 8. sup. *Vinceris, aut vincis*. PASS. *Tempore vincor*; non ingenio æmuli aut virtute, sed solo temporum vitio superor, quibus fidele servitium, & poetica facultas parvo æstimantur, & divitiæ tantum in pretio sunt. VULP.

v. 37. NON TAMEN ISTA MEOS MUTABUNT SÆCULA MORES] τὸ *iste* est vituperantis, ut Eleg. 9. sup.

Dii faciant isto capta fruare viro.

Mutabunt, ut Eleg. sup. prox.

At me non ætas mutabit tota Sibyllæ.

Meos mores, ut Eleg. 15. lib. 1. sed in deteriorem partem:

Quorum nulla tuos potuit convertere mores.

Scitum illud: *Vulpes pilos mutat, & non mores*. PASS.

v. 38. UNUSQUISQUE SUA NOVERIT IRE VIA] Allegoria pro obtinere antiquum, & more suo ac modo vivere. vide adnotata ad Eleg.1.l.1.v.18. & Eleg.7.v.9. Sic Petronius:

Hoc amo quod possum qualibet ire via.

Cicero lib. 3. ad Q. Fratrem Epist. 3. *Patiamur illum ire nostris itineribus*. Sic & dicitur: *Perge qua cœpisti*. Contraria allegoria est Eleg. 23. sup. *Fugienda hac semita vulgi*. P. Forte, *suam viam*. Horatius 1.Epist.2.v.64.

Fingit equum tenera docilem cervice magister
Ire viam quam monstrat eques. BROUKH.

Haud aliter Lactantius Firmianus lib. 1. Inst. Div. cap. 1. de antiquis philosophis verba faciens: *Siquidem sibi quisque, ut est libitum, proprias vias impresserunt*. VULP.

v. 39. AT VOS, QUI OFFICIA IN MULTOS REVOCATIS AMORES] Apostrophes formula,

mula,

Vidiſtis pleno teneram candore puellam:
Vidiſtis fuſco. dulcis uterque color.
Vidiſtis quamdam Argiva prodire figura:
Vidiſtis noſtras. utraque forma rapit.

Illa-

mula, ut Eleg. 1. lib. 1.

At vos deductæ quibus eſt fallacia Lunæ.

Sententia eſt: Vos qui veſtra officia refertis, & redire jubetis ab aliis ad alias. eadem tranſlatione qua dixit ſupra: *Sua ire via*. nam errantes revocamus, ut Eleg. 1. lib. 1.

At vos qui ſero lapſum revocatis, amici.

Ergo quum officia veſtra male collocata putatis in aliqua puella, mutatis ſententiam, & ad aliquam aliam revocatis, ut venatores ſolent canes ſuos revocare ab aliis ad alias feras perſequendas. PASS. Id ſibi vult Propertius: Qui feminæ unius juſſis obtemperat, miſerrimus vivit: quas igitur lacrimas, quæ ſuſpiria futura cenſes omnivoli hominis, & in plures amores diſtracti? VULP.

v. 40. QUANTUM SIC CAUCIAT LUMINA VESTRA DOLOR?] Multas amando quanta oculis veſtris accipitia vulnera? vide adnotata ad illud Eleg. 22. *Quærunt ſibi vulnus ocelli*. An *dolor*, amor? ut Eleg. 16. ſup.

An dolor hic vitiis neſcis abeſſe ſuis? PASS.

v. 41. VIDISTIS PLENO TENERAM CANDORE PUELLAM: VIDISTIS FUSCO. DULCIS UTERQUE COLOR] Eleganter, *Si*, ſubauditur. Tibullus pariter Eleg. 6. lib. 1. *Attigeris, labentur opes*. *Teneram*, mollem, & in veris ætate. Idem Tibullus Eleg. 4. lib. 3. de nova nupta:

Inficitur teneras ore rubente genas.

teneritas enim formam auget. Vetus Poeta apud Hephæſtionem: Εἴ μοι γένοιτο παρθένος Καλά τε καὶ τέρεινα. *Puellam pleno candore*, totam lacteam & niveam; ut Eleg. 16. ſup. v. 5. *Plenâ menſâ*, cui nihil addi poteſt. *Vidiſtis fuſco*. Opponit *pleno candore*, & *candore fuſco puellam*, quæ vulgo, *brunette*. Cornelius Fronto: *Fuſco album opponitur; nigro candidum*. [Idcirco Virgilius Ecl. 2.

Quamvis ille niger, quamvis tu candidus eſſes.]

Feſtus: *Aquilus color eſt fuſcus, & ſubniger; qui albi & nigri particeps. Brun, ou bazané*. Nigri Æthiopes, fuſci Ægyptii. at Eleg. 33. infra: *Fuſcis Ægyptus alumnis*. Confundit Virgilius Ecl. 10.

Quid tum ſi fuſcus Amyntas?
Et nigræ violæ ſunt, & vaccinia nigra.

Terentius Scaurus de Orthographia: *Furvos dicimus, quos antiqui fuſcos*. Ovidius in Remed. Amor.

Turgida, ſi plena eſt: ſi fuſca eſt, nigra vocetur.

Dulcis uterque color. Et candidus & fuſcus color in puella gratus eſt & jucundus. Elegia 8. lib. 1. *Sine me dulcia regna negat*. Contra *amarus cuſtos*, *amaræ noctes*, *ſomnus amarus*. Aliàs legitur, *Ducit*. id eſt, capit, delectat. ut Eleg. 6. ſup.

Uxor me numquam, numquam me ducet amica.

vide adnotata ad Eleg. 2. lib. 1. v. 19. & hic infra, *rapit*. PASS. Sulmonenſis poeta idem argumentum copioſe tractat Amor. 2. Eleg. 4. *Pleno candore puellam*. Ut plenum, ſive nimium candorem puellæ imminuerent, pæderota gemmam faciei affricabant, quod legere eſt in quibuſdam verſibus Alexidis Comici apud Athenæum lib. 13. quos attuli ad Carmen 39. Catulli. Sed Iſaacus Voſſius ad Carmen 41. ejuſd. poetæ docet, παιδέρωτα, ſeu φιλέρωτα, non lapilli nomen eſſe, verum unguenti ex anchuſa, quo purpuriſſi loco genas puerorum juvenumque innungebant mangones. *Vidiſtis fuſco*. puellam ſcilicet λευκόχρωτα ἠρέμα, ἢ οὐ λίαν λευκόν. Quid ſit fuſcus in puella candor, mire explicat Jacobus Sannazarius in Arcadia, Proſa 4. *E 'l viſo alquanto più lunghetto che tondo, di bella forma, con bianchezza non iſpiacevole, ma temperata, quaſi al bruno declinando*. Lucianus quoque in Paraſito: Καὶ τὸ χρῶμα οὐδὲ, ὁ μέλας δὲ, οὐδὲ λευκός. τὸ μὲν γὰρ γυναικὶ, τὸ δὲ δούλῳ πρεπώδες. *Et color eſt jucundus, non ater, aut candidus. ille enim mulieri, hic ſervo convenit*. Fuſcus candor fortaſſe fuerit aquilus color. vide Suetonium Auguſto cap. 79. & ibi Pitiſcum. VULP.

v. 43. VIDISTIS QUAMDAM ARGIVA PRODIRE FIGURA] Contemtim, de vulgari & vaga puella. ut Eleg. 18. ſup.

An

Illaque plebejo, vel sit sandicis amictu:
Hæc atque illa mali vulneris una via est.
Quum satis una tuis insomnia portet ocellis,
Una sit & cuivis femina multa mala.

ELE-

An si cæruleo quædam sua tempora fuco
Tinxerit, iccirco cærula forma bona est?

Prodire, conspiciendam incedere. ut Elegia 2. lib. 1.

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo?

Argivâ figurâ, Græcarum mulierum facie & ornatu. Sic Plautus Trinummo 4, 2. *Illyrica facies videtur hominis, eo ornatu advenit*. Idem Pseud. 2, 2. *Peregrina facies videtur hominis, atque ignobilis*. Sic dicitur sup. *Belgicus color*. Græcas formas laudat Eleg. 28. infra:

Et quascunque tulit vetus & quot Achaïs formas.

Sic *Inachia heroina* lib. 1. PASS. *Prodire*. Italice, *uscir di casa per fare la sua comparsa*. Tibullus Eleg. 3. lib. 3.

Non, ut marmorei prodirem e limine tecti,
Insignis clara, conspicuusque domo. VULP.

v. 44. VIDISTIS NOSTRAS: UTRAQUE FORMA RAPIT] Id est, Romanas. Sic Eleg. 32. infra v. 51. *Nostra puella*, pro Romanis. *Rapit*, plusquam ducit. sic Eleg. 1. sup. *prædata sensus*. Horatius Sat. 1. lib. 2. *Si tantus amor scribendi te rapit*. PASS.

v. 45. ILLAQUE PLEBEJO, VEL SIT SANDICIS AMICTU] *Plebejo amictu*; togata, vel palliolata, non institam gestans. Lucretius lib. 2. simili oppositione utitur:

Nec calidæ citius decedunt corpore febres
Textilibus si in picturis, ostroque rubenti
Jacteris, quam si plebeja in veste cubandum est.

Cicero pro Sextio: *Vestitus asper, nostra hac plebejo purpura ac pæne fusca*. Toga & stola candida fuerunt & nobilium. Tibullus Carmine 2. lib. 4.

Urit, seu Tyriâ voluit procedere pallâ,
Urit, seu niveâ candida veste venit.

Tunica fuit plebis; unde *Tunicatus popellus* Horatio. *Sandicis amictu*, id est, purpureo. Plinius lib. 35. cap. 6. ex sandaracha & rubrica admixta fieri sandicem putat. Festus in *Litura*: *Sandaracham Græci sandicem* appellarunt. Hesychius: Σάνδυξ, δένδρον θαμνῶδες, οὗ τὸ ἄνθος χροιὰν ἔχει κόκκῳ ἐμφερῆ· ὡς Σωσίβιος. De sandicis Indicæ purpura, vide Vopiscum in Aureliano. Virgilius Ecl. 4.

Sponte sua sandix pascentes vestiet agnos.

Gratius de Venatione, mediam syllabam corripit:

Interdum Libyco fucantur sandice pinnæ.

Et sic Virgilius *Puniceam pennam* vocat. P. Plebejus amictus erat pullus, quod notissimum: eum opponit purpuræ, cocco, sandici. non abstinebant *meretrices* pretiosis istis coloribus. Seneca L. 7. Nat. Quæst. C. 31. *colores meretricios, matronis quidem non induendas, viri sumimus*. eos colores, & sua & poetica venustate efflorescentes, non sine multa voluptate conspicies apud Nasonem L. 3. A. A. v. 170. seqq. BROUKH.

v. 46. HÆC ATQUE ILLA MALI VULNERIS UNA VIA EST] Utraque & nobilis & plebejâ formâ in amorem rapit. *Una via*, ut Eleg. 4. sup.

Unde tamen veniant tot mala, cæca via est.

Malum vulnus, insanabile, quia

Solus amor morbi non amat artificem.

Sic Horatius Epodo 11. *Ut hæc ingrata ventis dividas Fomenta, vulnus nil malum levantia*. Alludit ad ea quæ κακοήθη Græci medici vocant. omnia scilicet quæ difficillime curantur, & maligna vulgò dicuntur. De vulnere amoris vide notata ad Eleg. 22. sup. v. 7. PASS.

v. 47. QUUM SATIS UNA TUIS INSOMNIA PORTET OCELLIS] Plus satis; satis superque; nimium. *Satis una*. Sic Eleg. 4. lib. 4.

Et satis una malæ potuit mors esse puellæ?

Portet insomnia, ἐνύπνια, visa nocturna, eaque turbida, quibus amantes terrentur. Virgilius 4. Æneid.

Anna soror, quæ me suspensam insomnia terrent?

Terentius Eun. 2, 1. *Noctu te adigent horsum insomnia*. ubi vigilias Donatus exponit. *Ocellis tuis*. oculorum mentio fit, quia iis somnus usurpatur. Sic Eleg. 5. lib. 1.

Non tibi jam somnos, non illa relinquet ocellos.

vide adnotata ad Eleg. 10. libri ejusd. v. 7. PASS.

v. 48.

v. 48. UNA SIT ET CUIVIS FEMINA MULTA MALA] Contra Eleg. 22. sup. *Nobis una puella parum est*. Hac de re vide Plautum Pœnulo sc. *Negotii* v. 12. & 13. *Femina multa mala*. vide adnotata ad illud Eleg. 1. lib. 1. *Hoc, moneo, vitate malum*. & ad Eleg. 22. sup. v. 2. Huc refer & illud Elegia 4. sup.

Hostis si quis erit nobis, amet ipse puellas. P. Κακὸν γυναῖκες, dixerat Susarion Comicus, teste Diomede Grammatico lib. 3. cap. de Poematis generibus. Plautus vero Pœn. 1, 2, 15.

Apagesis, negotii quantum in muliere una est!
Sed vero duæ, sat scio, maxumo uni
Populo, cui lubet, plus satis dare potis sunt.

Et in Trinummo 5, 2, 61.

Miseria una uni quidem homini 'st affatim.
CH. *immo huic parum est*.
Nam si pro peccatis centum ducat uxores, parum 'st. VULP.

ELEGIA XXVI.

VIdi te in somnis fracta, mea vita, carina
Ionio lassas ducere rore manus,

ARGUMENTUM ELEGIÆ XXVI. LIBRI II.] Ad Cynthiam. Se illam in somnis naufragio proximam vidisse. Exsultat deinde, quod secum reconciliata sit: mutuam illi fidem pollicetur, & ubicumque terrarum fuerint, ab ejus latere se numquam discessurum. VULP.

v. 1. VIDI TE IN SOMNIS FRACTA, MEA VITA, CARINA] Similis Elegia Tibulli lib. 3. cujus initium est: *Dii meliora ferant*. *Vidi*, videre visus sum quum dormirem. De hoc verbo & visis nocturnis Cicero in Lucullo. *In somnis*. Donatus in Andriam exponit *per noctem*, non satis recte: multa enim per noctem fiunt, quæ in somnis non fiunt. Cicero 1. de Divinat. *In quiete*, & *secundum quietem* dixit. Virgilius Æneid. lib. 1.

Ipsa sed in somnis inhumati venit imago
Conjugis.

& alibi sæpe. *Fractâ carinâ*. dixi Eleg. sup. prox. v. 24. PASS. Callide admodum Propertius comminiscitur somnium, ut periculi admonitu deterreat Cynthiam a perjurio & levitate. Porro hæc venustissima sunt, & stylo maxime castigato conscripta. V.

v. 2. IONIO LASSAS DUCERE RORE MANUS] Id est, movere. ut Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 4.

Illa placet gestu, numerosaque brachia ducit.

Sic idem Ovidius in Epist. Leandri:

Jactabam liquido brachia lenta mari.

pro, natabam. *Lassas*, fessas natando. *Ionio rore*, aquâ summâ Ionii maris. Duo maria Italiam alluunt; superum, Ionium: inferum, Tyrrhenum. Cicero 3. de Orat. Ionium vocant *Golfo di Venezia*, & ab Hadriatico incipit. Dictum ab Ione puella: Solinus. vel ab Ionio Dyrrhachi filio: Appianus. *Rorem*, summam maris aquam dixit, ut Euripides Iphigenia in Tauris v. 255.

Βοῦς ἤλθομεν νίψοντες ἐναλίᾳ δρόσῳ.
Boves venimus lavaturi marino rore.

Lucretius pariter lib. 4.

Nam quæcumque supra rorem salis edita pars est
Remorum, recta est.

Et Virgilius 4. Georg. v. 430.

Vasta circum gens humida ponti
Exsultans, rorem late dispergit amarum.

[Idem 1. Georg. v. 383.

Jam varias pelagi volucres . . . .
Certatim largos humeris infundere rores;
Nunc caput objectare fretis, nunc currere in undas,
Et studio incassum videas gestire lavandi.] P.

Apulejus L. 1. Metam. *Necdum satis extremis labiis summum aquæ rorem attigerat, & jugulo ejus vulnus dehiscit in profundum patorem*. L. 4. *Proximas oras astui litoris petit, plantisque roseis vibrantium fluctuum summum rorem calcavit*. & alibi non semel. Est alioqui *ros* simpliciter aqua, etiam illa quæ fundum radit. Petronius:

Has inter ludebat aquis errantibus amnis
Spumeus, & querulo versabat rore lapillos.

Lassas Cynthiæ *manus* in Helle sua pulcre expressit Valerius Flaccus, amœni ingenii cultique oris poeta, nec sane temporum suorum, L. 1.

Et quæcumque in me fueras mentita, fateri:
Nec jam humore graves tollere posse comas.
Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen
Aurea, quam molli tergore vexit, ovis.

Quam

Quis tibi, Phrixe, dolor, rapido quum concitus æstu
Respiceres miseræ clamantia virginis ora,
Extremasque manus, sparsosque per æquora crines? Broukh.

Ionio rore. Ita locutus & Auctor Ceiris, poematis elegantissimi, v. 516.

Et multum late dispersit in æquore rorem.

Euripides etiam Hippolyto v. 126. Πορφύρεα φάρεα Ποταμίᾳ δρόσῳ τέγγουσα. *Purpureas vestes fluviatili rore lavans. Lassas manus.* Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. de Helle, quæ in eo jam erat ut submergeretur:

Illa quidem fessis longe petit humida palmis
Vellera, sed bibulas urgenti pondere vestes
Unda trahit, lævique manus labuntur ab auro.

Poeta nulli secundus hæc videtur a Propertio derivasse, pulcherrimo quodam imitationis genere. Vulp.

v. 3. Et quæcumque in me fueras mentita, fateri] Omnem tuam perfidiam agnoscere & prædicare, quod mentita noctem, quod promissis duxeris amantem. *Mentiri in* aliquem; ut Plautus Aulul. 4, 4. *Egone, ut te adversum mentiar, mater mea?* & alibi: *Med erga falsum dixeris. Fateri*, ut Elegia 24. lib. 3.

Hæc ego non ferro, non igne coactus, & ipsâ
Naufragus Ægæâ verba fatebar aquâ.

De hac re vide Ovidium in Epist. Didûs. Confessione vero levari culpam, sibi persuadebant. Cicero: *Sit erranti medicina confessio.* Ovidius.

Confiteor, si quid prodest delicta fateri.

& Tibullus Eleg. 6. lib. 1. *Ignosce fatenti.* P.

v. 4. Nec jam humore graves tollere possa comas] Id est, comas quas aqua marina degravabat, erigere supra aquam. Virgilius 8. Æneid. *Madida cum veste gravatum.* Ovidius 11. Metam. in fabula Ceycis:

--- *Uda videtur*
Barba viri, madidisque gravis fluere unda capillis.

Albinovanus ad Liviam:

Erumpunt (lacrimæ) *iterumque gravant gremiumque sinusque.*

Noster Eleg. 5. lib. 3.

Et quæcumque meum degravat unda caput.

Humor, quævis aqua, liquor quilibet. ut Eleg. 3. lib. 3.

Bellerophontei qua fluit humor equi.

& Eleg. 22. *Æternum Marcius humor opus.* *Tollere*. mox dixit: *Extollens gurgite palmas.* Pass.

v. 5. Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen Aurea, quam molli tergore vexit, ovis] Ordo est: Vidi te (talem) qualem ovis aurea vidit Hellen agitatam fluctibus, quam vexit ante. Alii *agitavit*, minus recte. Sic Horatius Ode 4. lib. 4. *Qualem ministrum fulminis alitem, &c. Qualemve caprea leonem vidit --- Videre Rhæti Drusum & Vindelici.* Helles & Phryxi fabula est apud Apollodorum lib. 1. Hyginum Fab. 1. 2. & 3. & in Poet. Astron. in Ariete, Interpretem Germanici in *Aries*, Apollonium Rhodium lib. 2. Argonaut. & ejus Scholiasten; Diodorum Siculum, Pausaniam in Atticis, & Ovidium lib. 3. Fast. Statius 1. Achilleid.

Qua vendita ponto
Fluctibus invisis jam Nereis imperat Helle.

Purpureis fluctibus, vel rubentibus, ac re vera purpuræ colorem imitantibus, quod accidit e colore cæli, vel flatu Zephyri, aut Euri. Cicero in Lucullo: *Mare Favonio nascente purpureum videtur.* Aut formosis, vel albentibus, ut *Purpurei olores* Horatio ἀγλαόμορφοι, & *Nix Purpurea* Ovidio, & Albinovano. Vel nigris ac profundis, ut πορφύρεον Græci dicunt ἀντὶ τοῦ μέλαν. Sic apud Homerum Iliad. 1. πορφύρεον κῦμα. Atque ita locutus aliquoties Euripides. An *purpureis*, quod aries aureo vellere eum colorem & fulgorem suum aquæ aspergeret? *Aurea ovis*, πρόβατον χρυσόμαλλον: Laërtius in Diogene. *Ovis*, pro ariete. Ovidius Epist. Hypsipyles:

Non hæc Æsonides, sed filia Phasias Æta,
Aurea Phryxea terga revellit ovis.

& alibi non semel. Ovem masculino genere dixere. Festus. Varro lib. 1. R. R. cap. 1. ait, pecudes istas aureas habuisse

pel-

Quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet,
Atque tua labens navita fleret aqua!
Quæ tum ego Neptuno, quæ tum cum Castore fratri,
Quæque tibi excepi tum, dea Leucotheë?

At

pelles existimatas propter caritatem. *Ovis aurea*, navis insigne fuit, teste Tacito. *Venit*, sed nun pervexit. ideo Columella de Cultu Hurtorum v. 155.

- Ubi nubigena Phryxi, nec portitor Helles,
Signorum & pecorum princeps caput efferet undis.

Quum dicit *molli tergore*, fabulam interpretatur: scilicet meram lanam fuisse, sed pretiosam; ut vellere niveo lanæ Pan Lunam cepit. *Tergus* autem, pro tergum. Virgilius 9. Æneid. *Raptas fugientibus ingerit hastas In tergus*. Ita Charisius lib. 1. Et contra 1. Æneid. tergum, pro tergore:

Taurino quantum possent circumdare terga.

Charisius ibidem: *Tergum, dorsum: tergus, pellis*. Sed alii, inquit, tergum hominis esse dicunt, tergus pecoris. Servius in 1. Æneid. *Tergum, dorsum: tergus, corium*. PASS.

v. 7. QUAM TIMUI, NE FORTE TUUM MARE NOMEN HABERET] Cynthium a tuo casu diceretur, ut a Tiberini casu, Tiberinus; ab Eveni, Evenus fluvius. Sic mare Icarium ab Icari; Ægæum ab Ægei; Hellespontus ab Helles casu. *Habere nomen*, ut Eleg. 14. lib. 3.

Non juvat in media nomen habere via. PASS.

Videsis Lactantium Firmianum lib. 1. Div. Inst. cap. 11. VULP.

v. 8. ATQUE TUA LABENS NAVITA FLERET AQUA] Per aquam tuam navigans te fleret, & tuos casus lamentaretur. *Labi* & naves & homines dicuntur. PASS. *Labitur uncta carina*: Ennius. hoc est, cerata. Itali dicimus *impeciata, spalmata*. VULP.

v. 9. QUÆ TUM EGO NEPTUNO, QUÆ TUM CUM CASTORE FRATRI, QUÆQUE TIBI EXCEPI TUM, DEA LEUCOTHEË?] Vovi me peculiariter daturum. nam *excipere* id significat. Virgilius 9. Æneid.

Cristasque rubentes
Excipiam sorti, jam nunc tua præmia, Nise.

Sic Græcis ἐξαιρέω excipio est proprie do, & privatim ac præcipue. Inde *excipuum* Festo dictum ut præcipuum. vide Turnebum lib. 27. Adversf. cap. 21. *Neptuno*, cui, ut maris potenti, vis est perdendi, vel servandi quos velit in mari. De pernicie, vide Plautum in Rudente, & Nostrum Elegia 16. sup. De salute, Horatius Ode 5. lib. 1. *Suspendisse potenti Vestimenta maris deo*. Quod attinet ad eum sermonem, *Cum Castore fratri*, Servius ad illud 3. Æneid. *Tenditque supinas Ad cœlum cum voce manus: Honesta*, inquit, *elocutio quum uno sermone respondemus duobus*, ut (eodem libro) *Interea fessos ventus cum sole reliquit*. De sidere Castorum salutari navigantibus Plinius lib. 2. H. N. cap. 37. Catullus Carm. 4.

Seque dedicat tibi,
Gemelle Castor, & gemelle Castoris.

Vide Horatium Ode 2. & 12. lib. 1. Ode 29. lib. 3. & Ode 8. lib. 4. *Tum, dea*. alia lectio: *Jam-dea* ut *nunc-dea*. de qua voce dictum alibi. *Leucothoë*. Sic & Eleg. 28. infra:

Ino etiam prima terris ætate vagata est:
Hanc miser implorat navita Leucothoën.

Alii omnes *Leucothean* vocant, ut Eustathius, qui dictam sic ait ἀπὸ θεῶν διὰ Λευκοῦ πεδίου. a currendo per Leucon campum Megaridis. Ovidius 4. Metam.

Leucotheaque deum cum matre Palæmona dixit.

& 6. Fast.

Leucothoë Grajis, Matuta vocabere nostris.

Vide Ciceronem 1. Tusc. Vetus Glossarium: *Albunea*, Λευκοθέα. Fabula est apud Homerum lib. 5. Iliad. Apollodorum lib. 3. Pausaniam Atticis, Corinthiacis, & Messenicis. PASS. *Tum, dea Leucothoë*. Libri fere, *jam dea*. quod Lipsius probabat L. 5. Ant. Lect. C. 20. & Gebhardus, atque alii. perperam. omnis elegantia consistit in trina illa repetitione voculæ *tum*, quam corruperant fatui librarii. accedit quod neque ipsi Castores semper fuerunt dei, nun magis quam Leucotheë. BROUKH. *Excepi*. pactus sum. excipere, pro pacisci, verbum Jurisconsultorum. Petronius Arbiter Satyr. *Pro hac felicitate cras puero asturconem Macedonicum optimum donabo, cum hac tamen exceptione* (hoc est, pacto, conditione) *si*

ille

At tu vix primas extollens gurgite palmas,
  Sæpe meum nomen jam peritura vocas.
Quod si forte tuos vidisset Glaucus ocellos,
  Esses Ionii facta puella maris.
Et tibi præ invidia Nereïdes increpitarent,
  Candida Nesæe, cærula Cymothoë.

Sed

ille non senserit. Seneca Epist. 6. *Si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam, nec enuntiem, rejiciam*. & Epist. 30. *Vita cum exceptione mortis data est*. VULP.

v. 11. AT TU VIX PRIMAS EXTOLLENS GURGITE PALMAS] Refer ad illud quod supra dixit, *Lassas manus*. *Extollens gurgite*, tollens e gurgite, id est, mari, ut dictum Eleg. 15. sup. v. 34. Sic Plautus Amphitr. *Angues extollunt ambo capita*. *Primas palmas*, ut Catullus Carm. 2. *Primum digitum*. Noster Eleg. 8. lib. 4. *Primo temone pependit*. & Eleg. eadem infra, *Primos lares*. PASS. *Primas palmas*, summos digitorum articulos. *Extremas manus*, dixit Valerius Flaccus 1. Argonaut. eamdem fabellam commemorans. Pulchre Silius Italicus lib. 14. Punic. v. 413.

Clamantum spumeus ora
Nereus implet aquis, palmaque trabente profundo,
Luctantum frustra summis in fluctibus exstant.
VULP.

v. 12. SÆPE MEUM NOMEN JAM PERITURA VOCAS] Me nomine clamas, ut Elegia 17. lib. 1.

Illa meum extremo clamasset pulvere nomen.

Naufragi autem in extremo discrimine, sibi caros, licet absentes, extremum compellabant. Hoc irata Dido comminatur Æneæ apud Virgilium lib. 4.

Spero equidem mediis (si quid pia numina possunt)
Supplicia hausurum scopulis; & nomine Dido
Sæpe vocaturum.

Ovidius 11. Metam. *Ceycis in ore Nulla nisi Halcyone est*. Item: *Sed plurima nantis in ore Halcyone conjux*. Lege ibi plura in hanc rem, & in Fabula Icari lib. 8.

Oraque cæruleâ patrium clamantia nomen
Excipiuntur aquâ.

Quæ postrema solvent dubitationem, si quis forte quærat quomodo vocare possit Cynthia Propertium, quum ejus vix primæ palmæ exstarent, non caput. PASS. Est, ut mihi quidem videtur, ὕστερον πρότερον. VULP.

v. 13. QUOD SI FORTE TUOS VIDISSET GLAUCUS OCELLOS] Palæphatus fabulam hanc refert ad historiam. Vide Ovidium extremo lib. 13. Metam. Pausaniam in Bœoticis, & Servium in illud 1. Georg. *Glauco & Panopeæ*. item Athenæum lib. 7. ubi plura de Glauco, & rursus lib. 15. denique Apollonium lib. 3. Argon. qui Nerei vatem dicit, & allocutum Argonautas. Vide & proverbium: Γλαῦκος φαγὼν πόαν οἰκεῖ ἐν θαλάττῃ. τὰ τοὺς ὀμματικῶς, quibus me cepisti, ut est Eleg. 1. lib. 1. v. 1. PASS.

v. 14. ESSES IONII FACTA PUELLA MARIS] Te rapuisset & duxisset uxorem, ut Scyllam amicam fertur deam marinam fecisse. Vide Servium in Ecl. 6. *Puella*. dea, Nympha. ut in Pervigilio Veneris:

Ruris hic erunt puellæ, vel puellæ montium.

Κόραι vocantur a Platone apud Laërtium. Noster Eleg. 7. lib. 3.

O centum æquoreæ Nereo genitore puellæ.

id est, Nymphæ. Contra Ovidio Epist. Penelopes, & Tibullo Eleg. 1. lib 3. *Nymphæ*, pro puellis. *Puella maris*, ut Statius 1. Achill. *Diva profundi*. PASS.

v. 15. ET TIBI PRÆ INVIDIA NEREIDES INCREPITARENT] Te objurgarent, tibi maledicerent, & conviciarentur. Festus: *Increpitare, clamare, maledicere*. Idem in *Creperum, dubium; unde increpitare; quia maledicta fere incerta & dubia sunt*. Nonius: *Increpitare, incusare, aut insultare*. Virgilius 4. Georg. *Æstatem increpitans seram*. & lib. 10. Æn. *Hostis amare, quid increpitas?* & lib. 1. *Tum Bitiæ dedit increpitans*. ubi Servius exponit, inclamans. ego ad crepitum vini

Sed tibi subsidio delphinum currere vidi,
Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram.

Jam-

vini refero in libatione humi fusi. *Præ invidia*, id est, propter, ut explicat Charisius lib. 2. Sic Plautus Captiv. *Vix adsto præ formidine*. Terentius: *Præ gaudio ubi sim nescio*. Pass. *Tibi N. increpitarunt*. Ita D. Augustinus, a veterum elegantiis non abhorrens, in lib. de Nat. & Grat. contra Pelagium cap. 40. num. 47. *Cur non etiam ego hic exclamem? immo exclamabo, & istis increpitabo dolore Christianus*. Invenitur & *discrepitare*, pro discrepare. Lucretius lib. 3. v. 804.

Aut magis inter se disjunctum, discrepitansque.

nempe *dissonum*, quasi dissimilem crepitum emittens. Vulp.

v. 16. Candida Nisea, cærula Cymothoe] Legendum est *Nesæe* ex Virgilio & Homero. Virgilius 4. Georg.

Cæsariem effusæ nitidam per candida colla,
Nesæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque.

Homerus Iliad. 18. ubi nominat Nymphas quæ cum Thetide erant quum ea luctum Achillis audivit super morte Patrocli:

Νησαίη, Σπειώ τε, Θάλειά τε, Κυμοδόκη τε,
Κυμοθόη τε, ἠδ' Ἀκταίη.

Cymothoën etiam Virgilius commemorat 1. Æneid. *Cymothoë simul & Triton*. ubi Servius: *Cymothoë, id est, cursus fluctuum ἀπὸ τοῦ θέειν τὸ κῦμα*. Apollodorus lib. 1. ubi enumerat Nereïdas, Cymothoën quidem nominat, sed, non Niseen, aut Nesæam. P. Hesiodus quoque in Theogonia. Νησαίη τε, καὶ Ἀκταίη, ἠδ' Πρωτομέδεια. Vulp.

v. 17. Sed tibi subsidio delphinum currere vidi] Venire maxima cum celeritate (nam animalium velocissimi delphini, teste Plinio lib. 9. cap. 8.) ad opem tibi ferendam. *Currere subsidio*, ut Cicero lib. 8. ad Attic. Epist. 7. *Nemo dubitat quin subsidio venturus sit Domitio*. Virgilius 10. Æneid.

Tot lecti proceres ter denis navibus ibant
Subsidio Trojæ, & campos salis ære secabant.

Subsidium verbum militare a subsidendo; Varro 4. de L. L. adducitque ex Plauto: *Agite, subsidite omnes quasi solent triarii*. Festus in *Præsidium*: *Præsidium est, quod pro utilitate & salute alicujus, auxilii gratia, præponitur: subsidium, quod postpositum est ad subveniendum laborantibus*. Cornelius Fronto: *Subsidium, quod subest deficientibus: præsidium, quod imponitur: auxilium, repentinum est. ita subsidium ad secundos casus præparatur; præsidium ad custodiam collocatur; auxilium ut prosit ex insperato venit*. Pass. Unus noster, Borrichianus, & membranæ Comelini, *Sed tibi subsidium d. c. v.* Plautus Curcul. 2, 2, 17.

Namque incubare satius te fuerat Jovi,
Qui tibi auxilium in jurejurando fuit.

eleganter & vere. extra versum etiam rectissime *subsidio* dicitur. Cicero Philipp. 13. C. 19. *Nisi forte eum subsidio tibi venire arbitraris cum fortissimis legionibus, maxime equitatu, peditatu Gallorum*. Broukh. Miror, auribus Jani Broukhusii, exquisito & acri judicio viri, probari potuisse molestum hoc ὁμοιοκατάρκτον in carmine, *subsidium delphinum*. Sed novandi prurigo doctos etiam viros & cordatos a recta via nonnumquam deflectit. Prorsus retinendum est *subsidio*; quæ locutio frequens apud optimos. Cicero pro Fontejo: *Venit huic subsidio, misero, atque innocenti, Massiliensium cuncta civitas*. Idem 5. Philipp. *Quod C. Cæsar, pro prætore, Galliæ provinciæ cum exercitu subsidio profectus sit*. Et pro Quintio: *Quo minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiam comparavi*. Varro lib. 1. R. R. cap. 8. *Harum inopiæ subsidio misit arundinetum*. Sic *auxilio accurrere*. Sallustius B. Jugurth. cap. 107. *Atque interim Marius, fugatis equitibus, accurrit auxilio suis*. Vulp.

v. 18. Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram] De Arione a delphino servato fabula, vel historia est apud Herodotum lib. 1. Gellium lib. 16. N. A. cap. 19. Servium in illud Virgilii Ecl. 8. *Inter delphinas Arion*; Plinium lib. 9. H. N. cap. 8. Plutarchum in Convivio septem sapientium, & in libro Utræ animantes prudentiores, Pausaniam in Laconicis, Hyginum Fab. 199. qui addit, & citharœdum ipsum & delphinum ab Apolline relatum in sidera. Lege Ovidium lib. 3. A. A. & 2. Fast. ubi omnia narrantur. Strabo lib. 13. a nautis interfectum scribit. Martialis Epigr. 50. lib. 8.

Sit

Jamque ego conabar summo me mittere saxo,
Quum mihi discussit talia visa metus.
Nunc admirentur, quod tam mihi pulcra puella
Serviat, & tota dicar in urbe potens.

Sic Methymnaeo gavisus Arione delphin
Languida non tacitum per freta vexit onus.
Arioniam lyram dixit, ut *Aoniam* Eleg. 2. lib. 1. & *Amphioniam* Eleg. 9. ejusdem libri. PASS. De Icadio, Apollinis & Nymphæ Lyciæ filio, similem fabellam narrat Servius ad L. 3. Æn. v. 332. BROUKH. Aptissima utitur fabula, ut significet, Cynthiam Lyricæ poeseos & musicæ gloria excellere, & iccirco dignam quæ cum Arione comparetur. vide Eleg. 2. & 3. lib. 1. nec non 3. libri hujus. VULP.

v. 19. JAMQUE EGO CONABAR SUMMO ME MITTERE SAXO] Velle videbar me jácere e vertice scopuli in mare, ut te servarem, vel ut tecum perirem. Conatum illum inanem somniantium describit Virgilius 12. Æneid. v. 908.

In somnis . . . . . nequicquam avidos extendere cursus
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus; non lingua valet, non corpore nota
Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur.

Mittere, jácere. Idem Virgilius 9. Æneid. *Hinc toto praeceps se corpore in undas Misit.* Hinc jocus Curtii equitis Romani in Augustum, quum macrum turdum sumsisset: *Licetne mittere? Quid ni? inquit Augustus. tum illum per fenestram misit.* Desperationis est jácere se e saxo. vide Eleg. 17. supra v. 13. PASS.

v. 20. QUUM MIHI DISCUSSIT TALIA VISA METUS] Terror ille insomniorum ipsa insomnia & nocturnas imagines, ceu fumum, coëgit evanescere, meque excitavit. Sic *discutere somnum* Eleg. 8. lib. 3. Virgilius 2. Æneid.

Clarescunt sonitus, armorumque ingruit horror.
Excutior somno.

Ovidius in Fab. Ceycis 11. Metam.

Voce sua specieque viri turbata, soporem
Excutit.

Virgilius rursum 12. Æneid. *Ut primum discussæ umbræ.* Quæ sint *visa*, dixi ad Elegiam 3. lib. 1. v. 29. PASS. Eodem pacto locutus Ovidius Epist. Ariadnes: *Excussere metus somnum.* VULP.

v. 21. NUNC ADMIRENTUR, QUOD TAM MIHI PULCHRA PUELLA SERVIAT] Videtur hic aliquid excidisse: certe sequentia non satis commode cohærent cum præcedentibus. an ideo de Cynthiæ amore tam superbe gloriatur, ut dicat eam sibi *servire*, quia per somnium voluit se præcipitem in mare mittere ex desperatione? est omnino lacuna. BROUKH. Fortes illi Critici & animosi, qui tam multa in Propertii versibus luxandis, transponendis, miscendis sibi licere voluerunt, cur suspicati non sunt, ab hoc disticho incipere novam Elegiam? quum satis commode finiri posse videretur superior, exposito jam somnio. Sed, ut ego quidem censeo, quum dixerit Propertius, mortis periculo subtractam Cynthiam, delphino accurrente, ipsique dorsum supponente; quasi Arionis fatum, egregii citharœdi, deberetur etiam doctæ puellæ, cui poesis & musica in deliciis erant; subdit continuo, mirum non esse, si tantopere Cynthia poetæ amatori serviret, neque ab ipso umquam discedere statuisset. Non alia igitur hinc incipit Elegia, neque ulla relinquitur lacuna: sed pulchra omnia procedunt, & mirum in modum cohærent. VULP.

ibid. NUNC ADMIRENTUR, QUOD TAM MIHI PULCRA PUELLA SERVIAT, ET TOTA DICAR IN URBE POTENS] *Εἰρωνικῶς*, ut Eleg. 3. sup.

Hoc ego nunc mirer si flagret nostra juventus.

Admirentur. rumpantur iniqui, dixit Eleg. 8. lib. 1. & Eleg. 17. sup.

Quem modo felicem invidia admirante ferebant.

Pulchra puella; aurea Eleg. 7. lib. 4. *Pulcherrima cura* Eleg. prox. sup. v. 1. Vide & Eleg. 3. sup. *Serviat.* satis superbe: & hoc verbum unum est ex iis quæ *maxima* vocavit Eleg. sup. prox. Contra Eleg. 24. lib. 3.

Quinque tibi potui servire fideliter annos.

Non dissimile est illud Aristippi: *Habere Laida, non haberi.* & Martialis Epig. 41. l. 1.

Non, si Cambysæ redeant, & flumina Crœsi,
Dicat: De nostro surge, poeta, toro.
Nam mea quum recitat, dicit se odisse beatos.
Carmina tam sancte nulla puella colit.
Multum in amore fides, multum constantia prodest.
[Qui dare multa potest, multa & amare potest.]

Seu

Formosam Glyceren amat Lupercus :
Et solus tenet, imperatque solus. PASS.

Nunc admirentur. ipso pondere spondæorum exprimit admirationem ; qua occupati homines, obtutu hærent in uno defixi. Horatius pariter Epist. 6. *Nil admirari.* *Admirentur* porro, sine recto casu, ἐλλειπτικῶς. ut Eleg. 5. sup.

Non ita complebant Ephyrææ Laïdos ædes. V.

v. 22. ET TOTA DICAR IN URBE POTENS] *Tota in urbe*, ut Eleg. 24. sup. v. 7. *Per totam urbem.* *Potens*, inquit Turnebus lib. 17. Adv. cap. 11. qui in amore multum potest ; ut qui amatur & potitur. Catullus Epigr. 98.

Sis felix, Cæli, sis in amore potens.

id est, tibi eveniat ut potiaris. Sed *potens* refertur ad *serviat*. *potens* dominus, cui servit illa quæ potens est domina. PASS. Elegantissime. *amant aimé.* -- Selectissimis exemplis hanc locutionem illustrat felicissimus ille Musarum pullus Nic. Heinsius Not. ad Ovid. L. 2. Amor. Eleg. 2. v. 30. & ad L. 4. Metam. v. 325. BROUKH. *Potens*, voti compos ; redamor enim, & Cynthia hostit contra, ut mereo, paremque mihi tribuit voluntatem. Italice, *amante riamata, corrisposta.* VULP.

v. 23. NON, SI CAMBYSÆ REDEANT, ET FLUMINA CRŒSI, DICAT: DE NOSTRO SURGE, POETA, TORO] Hoc est quod ait Eleg. 8. lib. 1. *Sine me dulcia regna negat.* *Cambysæ & Crœsi flumina.* Opes & divitiæ quas olim Crœso & Cambysæ peperere Pactolus & Hermus, aureas arenas volventes. Illa flumina primum fuere Crœsi, deinde Cyri victo Crœso; mox Cambysæ Cyri filii, de quo Herodotus lib. 1. & 3. ubi Cambysem regem insanum, scelestum, parricidam, & sacrilegum describit, ut & Strabo lib. 17. & Justinus lib. 1. *Redeant*, iterum fluant. ut Virgilius Ecl. 4.

Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.

Strabo lib. 13. defecisse illas aureas arenas Pactoli & Hermi, scribit : ubi plura de opibus Crœsi. idcirco Noster ait, *Redeant.* *De nostro surge, poeta, toro.* μίμησις, ut Eleg. 23. sup.

Nec dicet, Timeo, propera jam surgere quæso.

vide illic. & ita loqui avaræ solent. *Poeta*; [non sine sarcasmo & irrisione]; qui scilicet nihil nisi versus & verba dare potes. Vide Eleg. 5. lib. 4. *De nostro surge toro.* Sic Eleg. 24. sup.

Et dicor lecto jam gravis esse tuo. PASS.

Redeant. Loquitur de Pactolo quondam aurum vehente, sed tunc exhausto ----- Id & nostra, & patrum, atque avorum memoria factum scimus in multis Americæ fluminibus, olim opulentissimis. BROUKH.

v. 25. NAM MEA QUUM RECITAT, DICIT SE ODISSE BEATOS] Contra Eleg. 16. supra :

Semper amatorum ponderat illa sinus.

Quid sit, *recitat*, docet ipse Eleg. 33. infra :

Et mea deducta carmina voce legit.

Recitabat & illi Propertina. Eleg. 13. supra:

Me juvet in gremio doctæ legisse puellæ,
Auribus & puris scripta probasse mea.

Odisse, aspernari & fugere. ut Eleg. 1. lib. 1. *Castas odisse puellas.* & Eleg. 18. supra : *Odisti me perfida.* *Beatos*, divites. dixi ad Eleg. 6. hujus libri. PASS.

v. 26. CARMINA TAM SANCTE NULLA PUELLA COLIT] Eleg. 1. lib 3.

Miremur, nobis & Baccho & Apolline dextro
Turba puellarum si mea verba colit?

Colit sancte. ut Cicero 1. de Nat. Deor. *Pie sancteque Deum colere.* & alibi : *Sancte colere necessitudinem & amicitiam.* *Sancte*, cum religione & honore, quia sacri vates. *Colit*, amat & veneratur. colimus & amicos & deos. PASS.

v. 27. MULTUM IN AMORE FIDES, MULTUM CONSTANTIA PRODEST] Illud non dissimile Eleg. 2. lib. 2.

Mul-

Seu mare per longum mea cogitet ire puella,
Hanc ſequar, & fidos una aget aura duos.
Unum litus erit ſopitis, unaque tecto
Arbor, & ex una ſæpe bibemus aqua.

Et

Multum in amore preces, & benefacta valent. [μνημονικὸν ἁμάρτημα.] *Fides*, ſpectata voluntas in una perpetuo amanda. *Conſtantia*, gravitas dicitur Eleg. 20. ſup. & eſt hic laudis, ut Eleg. ult. infra:

Quod ſi non conſtans illa & tam certa fuiſſet.

Pass.

v. 28. [Qui dare multa potest, multa et amare potest] Sic Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 7.

Imperat ut capta, qui dare multa poteſt.

Πολύδωρος nimirum, & dives; unde πολυδωρία magnificentia. *Multa amare poteſt*, πολύφιλος. *multa*, multas puellas. quomodo dixit Eleg. 22. ſup.

Mi fortuna aliquid ſemper amare dedit. P.

Verſus plane alienus a mente poetæ, quique ſubruit & evertit ſententiam priorem, tum & totum illud quod deinceps ſequitur. ſolebant iſti nebulones barbarorum temporum, ſi lacunam hic illic offenderent, eam explere; idque vel de ſuo, quod multoties factum, vel conſutis ex aliquo antiquiore laciniis. hic ipſe verſiculus effectus eſt ex Ovidio L. 3. Amor. Eleg. 8.

Imperat ut capta, qui dare multa poteſt.

Broukh.

Commoda nihilominus & apta ſententia erit: Pauper conſtans & fidelis multum proficit in unius amore his virtutibus ſuis; noverunt enim mulieres ipſa experientia doctæ, non eſſe credendum locupletibus, qui multivoli & omnivoli ſunt, & multas muneribus facile corrumpunt & labefactant. Subinde enim ad novas prædas adjiciunt animum, quum ipſis non deſit peccandi materia. Vulp.

v. 29. Seu mare per longum mea cogitet ire puella, Hanc sequar, et fidos una aget aura duos] Inſigne amicitiæ teſtimonium, ſequi per pericula. Virgilius 6. Æneid v. 112.

Ille meum comitatus iter, maria omnia mecum,
Atque omnes pelagique minas cælique ferebat.

Seu, ſemel tantum hic ponitur, ut interdum apud Horatium. *mare longum*, per quod longa via, & navigatio multorum dierum ac menſium. Sic *longus pontus* Horatio lib. 3. Ode 3. & *longos fluctus* Ode 27. libri ejuſdem. *Cogitet ire*. *paret ire* dixit Elegia 30. infra v. 19. Cicero ſæpe *cogitare* tantum dicit, ut 7. ad famil. *Cogito in Pompejanum*. & 5. ad Attic. *Cogito Romam*. quod plene 13. ad famil. *Cogito proficiſci Romam*. *Fidos una aget aura duos*. certos in amore idem ventus impellet. Sic paullo poſt hac Eleg. *Auſter agat*. Pass. Lucianus pariter in Amoribus: Καὶ διὰ χειμερίου θαλάττης ἀναγομένῳ συμπλεύσομαι. Nos quoque in Elegia quadam:

Si tamen inſtabilem jubeat me ſcandere navem,
Et ſecum ardentes tendere ad Æthiopas,
Terra vale, dicam: quid enim? parere neceſſe eſt.
Jam, piger, e noſtro pectore cede, timor.

Pulcherrimus eſt locus A. Sabini Epiſt. Ulixis v. 107. in hanc ſententiam:

Felix Pliſthenide, quacumque in ſorte fuiſti
Conjuge cum cara: non gravis illa fuit.
Seu venti fecere moras, ſive æquora vobis;
Ad nullo eſt veſter damna retentus amor.
Oſcula nec venti certe tenuere, nec undæ:
Promtaque in amplexus brachia ſemper erant.
Sic utinam errarem: faceres tu mollia, conjux,
Æquora: te ſocia nil mihi triſte foret.

Huc pertinet etiam illud Ovidii 6. Metam.

Nempe tenens quod amo, gremioque in Iaſonis hærens,
Per freta longa trahar. nihil illum amplexa verebor. Vulp.

v. 31. Unum litus erit sopitis, unaque tecto Arbor, et ex una sæpe bibemus aqua] Eodem in litore quieſcemus, eadem tegemur arbore, eodem ex fonte, vel fluvio, vel lacu, eodemque poculo hauriemus ac bibemus non vinum, ſed aquam, ea contenti dum amore noſtro fruamur. *Unum litus*, ut *una domo* Eleg. 16. ſup. v. 21. *Sopitis*. Servius in illud 1. Æneid. *Hunc ego ſopitum ſomno: idem eſt*, inquit, *ſopor & ſomnus: ſed hic ſopitus eſt irrigatus*. Livius lib. 42. *ſopitum humerum* & *ſopitum vulnere*, dixit; ut nos, *un membre endormi*,

quia

Et tabula una duos poterit componere amantes,
Prora cubile mihi, seu mihi puppis erit.
Omnia perpetiar, sævus licet urgeat Eurus,
Velaque in incertum frigidus Auster agat.

Qui-

quia sopor sensus adimit. *Tecto arbor*, quum arcenda pluvia, aut æstu sub eamdem arborem succedemus, quæ vicem tecti nobis præbebit. Aliud est arbore tegi Eleg. 14. lib. 3.

Me tegat arboreâ devia terra comâ.

[Loquitur ibi de sepulti reliquiis.] *Tectum* autem de quacumque re qua tegimur. ut tegillum, quod a tecto diminutivum est, ut ait Nonius citans illud Varronis Sesquiulixe: *Jugera volitans visus milvius aquam e nubibus tortam indicat fore, ut pastor tegillum sibi sumat.* ubi Tegillum sumere, *prendre & chercher à se mettre à couvert.* Sic *toga* apud eumdem Nonium: *Titinius Gemina: Si rus cum scorto constituit ire, claves illico abstrudi jubeo, rustica toga ne sit copia.* id est tecti, inquit Nonius. unde intelligitur calumnia Virgiliomastigis in illud Ecl. 1.

Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi:
qui mutavit:

Tityre, si toga calda tibi est, quo tegmine fagi?
Quid facturus aut dicturus erat, si Virgilius scripsisset, *Sub tecto fagi? Ex una aqua bibemus.* inde dicti pagani, [qui ad unum fontem aquatum veniunt: fontem enim appellant Græci πηγὴν.] Festus, & Servius. Solent autem qui navigant, ubi appulerint, quærere aquam. Noster Eleg. 20. lib. 1. v. 24. & Virgilius 6. Æneid. PASS. *Unaque tecto Arbor.* Ita Ovidius Epist. Oenones:

Sæpe greges inter requievimus arbore tecti. V.

v. 33. ET TABULA UNA DUOS POTERIT COMPONERE AMANTES] Sic Eleg. 8. lib. 1.

Illa vel angusto mecum requiescere lecto
Maluit.

Tabula, exigua pars navis. navis enim e tabulis compacta est; unde tabulata navium. *Componere*, est conjungere & collocare ad quietem; ut Eleg. 11. lib. 1.

Molliter in tacito litore compositam.

Hinc componi dicuntur mortui, ut aliàs adnotatum. PASS.

v. 34. PRORA CUBILE MIHI, SEU MIHI PUPPIS ERIT] Durum illud cubile. ideo Eleg. 8. lib. 1.

Fortis & in dura nave jacere potes?

Ita Seneca in Consol. ad Helviam cap. 10. *Majores nostri, quibus terra cubile erat.* Æneas apud Virgilium 4. Æneid. cubile habet in puppi: *Celsa in puppi jam certus eundi Carpebat somnos.* Et apud Petronium super constratum navis Eumolpus & socii dormiunt. Prora & puppis, anterior & posterior pars navis. Isidorus lib. 16. cap. 2. unde Græcorum proverbium πρῶρα ἐ͂ πρύμνη, quo utitur Cicero in Epist. PASS.

v. 35. OMNIA PERPETIAR, SÆVUS LICET URGEAT EURUS] Sic dixit Eleg. 24. sup. *Nil ego non patiar.* Eurus ab ortu flat. idcirco Virgilius 1. Æneid. *& lætus Eois Eurus equis.* Ovidius 1. Metam.

Eurus ad Auroram, Nabathæaque regna recessit.

A. Gellius lib. 2. cap. 22. *Qui ventus ab oriente verno, id est, æquinoctiali venit, nominatur Eurus, ficto vocabulo, ut isti ἐτυμολογικοὶ ajunt, ἀπὸ τῆς ἕω ῥέων,* (quod ab Auroræ partibus fluat.) *Is alio quoque a Græcis nomine ἀπηλιώτης, a Romanis nauticis Subsolanus cognominatur.* Dictus hic *sævus*, ut a Virgilio, *violentus & animosus* 2. Georg. & *præceps* 4. Georg. Urget naves etiam apud eumdem 1. Æneid.

Tres Eurus ab alto
In brevia & syrtes urget, miserabile visu,
Illiditque vadis. PASS.

v. 36. VELAQUE IN INCERTUM FRIGIDUS AUSTER AGAT] Impellat modo huc, modo illuc incerto flamine & inconstanti. Eleg. 5. sup. vocavit *dubium Notum*. *Frigidus Auster*, nubilus dicitur Eleg. 16. sup. v. ult. sed quomodo frigidus, quum tepidus sit, & egelidus? fortasse quod gelidas aquas fundat. Tibullus Eleg. 1. lib. 1. *Gelidas hibernus aquas quum fuderit Auster.* De Austro A. Gellius lib. 2. cap. 22. *Meridies*, inquit, *quoniam certa atque fixa limite est, unum meridionalem ventum habet. Is Latine Auster, Græce, νότος, quoniam est nebulosus atque humectus; νοτὶς enim Græcis humor.*

Vir-

Quicumque & venti miſerum vexaſtis Ulixen,
Et Danaûm Euboico litore mille rates.
Et qui moviſtis duo litora, quum rudis Argûs
Dux erat ignoto miſſa columba mari.

Illa

Virgilius 4. Georg.

Frigidus ut quondam ſilvis immurmurat Auſter.

[modico tamen eſt frigore ;] propterea Ovidius lib. 4. Pontic. Eleg. 12. poſuit ἐς ἀδύνατοις :

Et tepidus Boreas, & ſit præfrigidus Auſter.

Sed vet. lib. *Turbidus*. ut Eleg. 16. ſup. *Nubilus*. Horatius Ode 3. lib. 3. *Neque Auſter Dux inquieti turbidus Hadriæ*. *Agat* : Virgilius 1. Æneid. *Vento huc & vaſtis fluctibus acti*. PASS.

v. 37. QUICUMQUE ET VENTI MISERUM VEXASTIS ULIXEN, ET DANAÛM EUBOICO LITORE MILLE RATES] Homerus lib. 10. ventos ait utre concluſos Ulixi hoſpiti datos ab Æolo, quibus a ſociis ſpe prædæ ſolutis concitata tempeſtas. & lib. 5. Odyſſeæ Neptunus commotis fluctibus frangit Ulixis navem, qui vix deæ Leucotheæ ope & velo enatavit. *Vexaſtis* : de hoc verbo Gellius lib. 2. cap. 6. Virgilius eadem de re Ecl. 6. *Dulichias vexaſſe rates*. *Miſer Ulixes* : ut de eo Homerus variis in locis, ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθη, τλήμων, πολύτλας. Horatio ultimo epodo dicitur *laborioſus*, & Epiſt. 7. lib. 1. *patiens* ; Virgilio 2. Æneid. *durus*. *Rates Danaûm*. *Mycenæas* dixit Elegia 22. ſup. v. 32. *Danai*, Græci, a Danao Beli filio. Apollodorus lib. 2. Noſter Eleg. 9. lib. 3.

Et Danaûm decimo vere rediſſe rates.

Mille. ſane pauciores fuerunt : ſed, ut ſumma rotundetur, ita loqui ſolent poetæ. Virgilius 2. Æn.

Non anni domuere decem, non mille carinæ.

Lege Homerum 2. Iliad. in Bœotia, ſeu Catalogo navium. *Euboico litore*, vel in Aulidis Euboicæ portu, ubi adverſa tempeſtas claſſem Græcorum diu detinuit. Ovidius 13. Metam.

Aulidaque Euboicam complerunt mille carinæ.

Lege Euripidem Iphigenia in Aulide : vel Eubœæ promontorium Caphareus ſignificatur, ad quem Græcorum claſſis naufragium fecit, Nauplii dolo. Noſter Eleg. 7. lib. 3.

Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
Naufraga quum vaſto Græcia tracta ſalo eſt.

& Eleg. 1. lib. 4.

--- Tu diruta fletum
Supprime, & Euboicos reſpice, Troja, ſinus.
Nauplius ultores ſub noctem porrigit ignes :
Et natat exuviis Græcia preſſa ſuis.

Virgilius 11. Æneid. *Euboicæ cautes, ultorque Caphareus*. Legendus Euripides in Helena. Meminit Ovidius lib. 1. A. A. & lib. 1. Triſt. Eleg. 1. PASS. *Mille rates*. Varro lib. 2. R. R. cap. 1. *Si, inquam, numerus non eſt ut ſit ad amuſſim, ut non eſt quum dicimus mille naves iſſe ad Trojam, centumvirale fuiſſe judicium Romæ : deme, ſi vis, duas res*. VULP.

v. 39. ET QUI MOVISTIS DUO LITORA, QUUM RUDIS ARGÛS DUX ERAT IGNOTO MISSA COLUMBA MARI] Concurrere feciſtis duas cautes & rupes in utroque litore ſitas ; id eſt, Symplegadas, Legendus Apollonius Rhodius lib. 2. Apollodorus lib. 1. & Valerius Flaccus lib. 4. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 11. de Argo navi :

Quæ concurrentes inter temeraria cautes
Conſpicuam fulvo vellere vexit ovem.

Juvenalis Sat. 15. *Et concurrentia ſaxa Cyaneis*. Cyaneæ cautes etiam dicuntur a Lucano lib. 2. *Rudis Argûs*, aut e ligno rudi factæ nec perdolato, ut in Catalectis : *Sed lignum rude villicus dolavit* : vel quæ nondum didicerat navigare, ſed tum primum diſcebat. illa enim erant, ut ita dicam, navigationis rudimenta. Sic Eleg. 16. lib. 3.

Ergo ego nunc rudis Hadriaci vehar æquoris hoſpes.

Lucanus lib. 3.

Inde laceſſitum primo mare, quum rudis Argo
Miſcuit ignotas temerato litore gentes.

Dux columba, quæ viam monſtrabat. de hac vide Eleg. 22. lib. 3. v. 13. & ibi adnotata. Sic Virgilius 6. Æneid. ad columbas : *Eſte duces o, ſi qua via eſt*. *Ignoto mari*, cujus ignotæ viæ Argonautis. Tibullus Eleg. ult. lib. 3.

Fleviſti ignoto ſola relicta mari.

vide

Illa meis tantum non umquam desit ocellis,
Incendat navem Juppiter ipse licet.
Certe iisdem nudi pariter jactabimur oris.
Me licet unda ferat, te modo terra tegat.

Sed

vide adnotata ad Eleg. 20. lib. 1. v. 14. P. *Duo litora*. Symplegadas, insulas ad ostium Ponti, quæ olim, ut poetæ quidem fabulantur, magno impetu inter se concurrebant, aditumque navibus intercludebant, vel eas in angustiis collidebant. VULP. *Rudis Argûs*. quia numquam navigaverat. Noster L. 3. Eleg. 21.

Qua rudis Argoâ natat inter saxa columbâ
In faciem proræ pinus adacta novæ.

Sic Catullus mare dixit *rude*, quod nondum navigia esset passum:

Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.

Columbæ Argonautarum ducis meminit etiam Ovidius Diris in Ibin, v. 267.

Qualis & ipse fuit, quo præcipiente columba
Est data Palladiæ prævia duxque rati.

de Phineo loquitur, Paphlagonum rege, qui Jasonem edocuit, ne navis inter concurrentes Symplegadas elideretur, ut columbam præmitteret, atque ejus volatum sequeretur. auctor Apollonius Rhodius L. 2. Argonaut. v. 328. quem certo quodam consilio sequi noluit Valerius Flaccus L. 4. dixi, certo consilio: nimirum quo locum faceret miraculo majori. De columbis itinerum ducibus sæpe veteres scriptores; etiam qui Historias condiderunt. vide Velleium L. 1. C. 4. Papinium L. 3. Silv. Carm. 5. Auctorem Panegyrici ad Pisonem, quem Lucanum faciunt, & liquidissimum illum Musarum cycnum, solo tempore veteribus minorem, Actium Sincerum Sannazarium Eleg. 9. L. 2. qui omnes agunt de Neapolis conditoribus. BROUKH.

v. 41. ILLA MEIS TANTUM NON UMQUAM DESIT OCELLIS] Semper illam videam. *Tantum*, saltem, ut Eleg. ult. infra:

A domina tantum te modo tolle mea.

Desit, absit. ut Eleg. 13. sup. *Desit odoriferis ordo mihi lancibus*. Q. Cicero: *Quum deesset alter*; id est, abesset. *Ocellis meis*. mihi spectanti. Eleg. 24. lib. 3.

Olim oculis nimium facta superba meis. P.

Puto fuisse a manu Poetæ *non usquam*. ita certe requirere videntur superiora. Virgilius L. 2. Æneid.

Nusquam abero, & tutum patrio te limine sistam.

Terentius Eun. 2, 3. *Occidi. Neque virgo est usquam: neque ego, qui illam e conspectu amisi meo*. Tibullus L. 1. Eleg. 3. *Non hic mihi mater - - - - Delia non usquam*. BROUKH. Sive *umquam*, sive *usquam* legeris, eodem recidit sententia, quare vulgatam censeo retinendam. VULP.

v. 42. INCENDAT NAVEM JUPPITER IPSE LICET] Alludit vel ad navem Ajacis Oilei, quam incendit Pallas Jovis patris fulmine, testibus Homero 4. Odysseæ, & Euripide in Troadibus: vel ad ipsius navem Ulixis, quam eodem Jovis conflagravit fulmine, ut vix solus Ulixes evaserit, ob interfectas & consumtas ab ejus sociis Solis boves. Homerus lib. 12. Odysseæ. *Juppiter ipse*. ut Eleg. 7. sup. v. 4. PASS. Ita Horatius Ode 16. lib. 1. *Tremendo Juppiter ipse ruens tumultu*. VULP.

v. 43. CERTE IISDEM NUDI PARITER JACTABIMUR ORIS] Perstat in fabella Ulixis, qui nudus jactatus est in mari, & vix enatavit, ut modo diximus. Eum Horatius Sat. 5. lib. 2. sic loquentem inducit: - - - *Vides ut Nudus inopsque domum redeam te vate*. Nudi autem naufragi solent esse, quia, ut facilius natent, vestes abjiciunt. *Nudos navitas* appellavit idem Horatius Epodo pænult. Ovidius 11. Metam. in fabula Ceycis:

Lividus, exanimi similis, sine vestibus ullis,
Conjugis ante torum miseræ stetit.

Jactari vero tempestatis est, ut monui ad illud Eleg. 12. sup. *quoniam jactamur in unda*. *Pariter*, & una, & eadem sorte ac fortuna pari. *Oris*, plagis maritimis, & fluctibus litori vicinis. PASS. Vide Ovidium lib. 2. Amor. Eleg. 16. Idem lib. 11. Metam. v. 441.

Certe jactabimur una:
Nec, nisi quæ patior, metuam: pariterque feremus
Quidquid erit: pariter super æquora lata feremur.

Se-

Sed non Neptunus tanto crudelis amori,
Neptunus fratri par in amore Jovi.
Testis Amymone, latices quum ferret in arvis
Compressa, & Lerne pulsa tridente palus.
Jam deus amplexu votum persolvit: at illi
Aurea divinas urna profudit aquas.

Cru-

Seneca Consolat. ad Marciam cap. 10. *Alios per incerta nudos maria jactabit, (fortuna) & luctatos cum fluctibus, ne in arenam quidem, aut litus explodet.* VULP.

v. 44. ME LICET UNDA FERAT, TE MODO TERRA TEGAT] Æquo se ait animo cariturum sepultura, modo amicæ illa contingat. Eadem sententia dixit Eleg. 24. sup.

Sed tu potius precor, ut me
Demissis plangat pectore nuda comis.

Unda me ferat. Jacter ego exanimis. nam fertur qui mortuus est, vel fessus, & qui per se amplius natare non potest. Virgilius 10. Æneid. *Gurgite mersum Unda feret.* *Modo*, pro dummodo. vide notata ad Elegiam 30. infra v. 14. *Terra tegat te*, periphrasis humationis. ut Eleg. 6. lib. 1.

In quorum numero me quoque terra tegat. P.

v. 45. SED NON NEPTUNUS TANTO CRUDELIS AMORI] In amorem tantum quantus noster est, non sævit. *Crudelis.* de Neptuni sævitia, & contra vide Plautum Trinummo 4, 1. PASS.

v. 46. NEPTUNUS FRATRI PAR IN AMORE JOVI] Non minus magnus amator mulierum Jove; de cujus furtis Eleg. 2. sup. & Eleg. 11. lib. 3.

Juppiter infamat seque suamque domum.

Aliud est Eleg. 1. lib. 1. *in amore pares.* de amore mutuo & concordi jugo. Ovidius Epist. Herûs:

At tibi flammarum memori, Neptune, tuarum
Nullus erat ventis impediendus amor.
Si neque Amymone, nec laudatissima formâ
Criminis est Tyro fabula vana tui.

Idem 6. Metam. memorat Neptuni amores. PASS.

v. 47. TESTIS AMYMONE, LATICES QUUM FERRET IN ARVIS COMPRESSA, ET LERNE PULSA TRIDENTE PALUS] De Amymone Apollodorus lib. 2. Amymone Danai filia aquam quærens (nam Neptunus aquas siccaverat iratus Inacho) in cervum telum jecit, & Satyrum dormientem vulneravit, qui excitatus, amore puellæ exarsit; sed superveniens Neptunus eum fugavit, & Amymonem compressit, eique fontes indicavit. Inde natus Nauplius pater Palamedis. Meminerunt Pausanias in Corinthiacis & Eliacis, Strabo lib. 8. Philostratus in Iconibus, Lucianus in Dialogis Deorum, Callimachus in Lavacra Palladis, & ejus Scholiastes, Papinius lib. 6. Thebaid. *Compressa*, imminuta, devirginata. Varro & Petronius. Noster Eleg. 30. infra: *Oeagri quadam compressa figurâ.* unde Plautus Amphitr. *Compressu suo gravidam efficere.* *Latices.* Servius in illud 1. Æneid. *laticemque Lyæum: Latex proprie aqua, quod intra venas terræ lateat: sed & vinum laticem dixit, quia latet intra uvam.* Latex omnis humor, qui elicitur. Festus: *Latex a lapsu, profluens aqua dicitur, qua voce & in vino utimur.* *In arvis.* Sic Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 10.

Qualis Amymone siccis erravit in arvis,
Quum premeret summi verticis urna comam.

Alii libri, *in Argis.* *Et Lerne pulsa tridente palus.* Hyginus Fab. 169. addit ad ea quæ narrat Apollodorus, Neptunum fuscina percussisse terram (in qua concubuerat) unde aqua profluxerit qui Lernæus fons dictus est, & Amymonium flumen. *Tridente pulsa*, quod Hyginus fuscina. In Catalectis: *Neptuni fuscina telum.* [Sed omnia vulgata.] Plura de Lerna vide sup. Elegia 24. v. 25. PASS.

v. 49. JAM DEUS AMPLEXU VOTUM PERSOLVIT: AT ILLI AUREA DIVINAS URNA REFUDIT AQUAS] Jam potitus est optatis Neptunus: quæ optarat jam illi contigerunt. compotes autem rei expetitæ vota solvunt, ut dictum Eleg. sup. prox. v. 13. An *votum persolvit amplexu* tertio casu, id est, quod voverat, & optaverat Amymone,

Crudelem & Boream rapta Orithyia negabit.
Hic deus & terras & maria alta domat.

Cre-

ne, ut aquam inveniret, id Neptunus perfecit, deditque amplexui & gaudio quo potitua erat? Ovidius 12. Metam.

Utque nova Veneris Neptunus gaudia cepit,
Sint tua vota licet, dixit, secura repulsa.

legendum videtur *amplexus*. id est, postquam jam amplexus, ei præstitit quod petebat. *At illi*, pro, illi vero. ut Eleg. 4. lib. 4.

Hunc Tarpeja deæ fontem libavit: at illi
Urgebat medium fictilis urna caput.

Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 5.

Hæc ego, quaquo dolor lingua dictavit: at illi
Conscia purpureus venit in ora rubor.

Urna, vaa aquarium, dicta ab urinando, ut docui ex Varrone ad Eleg. 1. sup. Urnam autem puellæ a fonte redeuntes capite gestabant, ut manifestum loco prænotato ex Eleg. 4. lib. 4. & Ovidio lib. 1. Amor. Eleg. 10. *Aurea*. nescio an urna aurea satis conveniat paupertati illorum temporum, an legendum sit *area*, ut apud Apollonium in fabula Hylæ, qui cum κάλπιν id est, urnam nominasset, mox χαλκὸν vocat. An *aurea urna*, non Amymonea, sed ipsius Neptuni, qui urnam gestet, ut fluvii? Philostratus sane & ex auro urnam fuisse scribit in Iconibua. *Refudit aquas*, iterum fudit. Ovidius 11. Metam.

Egerit bic fluctus, æquorque refundit in æquor.

An reddidit & rependit pro amissis & effusis, ut Jurisconsulti *refundere pretia*, *impensas*, *fructus*? *Divinas*, beneficio & numine Neptuni profluentes, quum ia paludem tridente percussisset. nam Lutatius Interpres Statii, ait, ex aquis quas effuderat Amymone, dum via offerretur, fontem excitatum a Neptuno fuisse. An aliquid obsceni sub aquia & urna latet? PASS. Liber Groninganua, Borrichianua, & nostri duo, ac Vaticanus Livinejo inspectua, habent *profudit*. neque aliter Scaligeri codex, illud *refudit* est ab iis qui credebant *pro* in compositis non posse corripi. Passeratius malebat *Ærea*, pro *Aurea*: eo quod aurum non bene videatur convenire simplicitati eorum temporum. sed hoc dandum erat magnificentiæ poeticæ, præsertim in virgine regia. Ovidius fecit in Hypermnestra, ejusdem fere ætatis heroina:

Undique collucent præcinctæ lampades auro.

imo & purpuram addidit:

Purpureas laniata sinus, laniata capillos,
Exigua dixi talia verba sono.

mox etiam, quanta fuerit opulentia Inachi, ostendit in filia Io:

Quæque modo, ut posset etiam Jove digna videri,
Dives eras; nuda nuda recumbis humo.

BROUKH.

Aurea urna. Quid si dicamus, urnam Amymonea ex fictili vel ærea miraculo Neptuni auream effectam? Nos in Carmine quodam trochaico auream urnam Benaco tribuere non dubitavimus:

Audiat Benacus, urna qui reclinis aurea
Limpidum lacum virentes fundit inter Najadas. VULP.

v. 51. CRUDELEM ET BOREAM RAPTA ORITHYIA NEGAVIT] Non questa est de ejus sævitia, quod se rapuerit. nam, ut ait Ovidius:

Vim licet appellent, grata est vis ista puellis.

Sævus tamen re vera Aquilo, ut Eleg. 5. lib. 3. *At tu sæve Aquilo*. & contra ibidem:

Infelix Aquilo, rapta timor Orithyia.

Ab acuto & celeri flatu Aquilo Festo, vel a vehementissimo volatu ad instar aquilæ. Gellius lib. 2. cap. 22. *Qui ab æstivo & solstitiali orientis meta venit, Boreas, ἀπὸ τῆς βοῆς, quod sit violenti flatus & sonori*. De Orithyia Pandionia nepte, filia Erechthei, unde *Pandionia* dicitur Eleg. 20. lib. 1. præter auctorea ibi citatos, Cicero 1. de Legib. Ovidius Epist. Leandri, & lib. 1. Amor. Eleg. 6. Epistolâ vero Paridis:

Nomine ceperunt Aquilonis Erechthida Thraces,
Et tuta a bello Bistonis ora fuit.

Item 5. Fast.

Et dederat fratri Boreas jus omne rapinæ,
Ausus Erechthea præmia ferre domo.

Meminit & Pausanias in Atticis, & in Eliacis, ubi ait, in pictura, Boreæ anguium caudas pro pedibua fuisse. PASS. Vera hujus versus explicatio est: Orithyiæ raptus manifesto declarat, neque Boream crudelem esse, ab amore scilicet alienum, vel

aman-

Crede mihi, nobis mitescet Scylla, nec umquam
Alternas revomet vasta Charybdis aquas.
Ipsaque sidera erunt nullis obscura tenebris.
Purus & Orion, purus & Hædus erit.

Quid

amantibus infestum. Crudelis, hic sumitur pro duro, nimis severo, truculentia moribus & barbaris. VULP. Livinejus reponit *negabis*. quod aptius videbitur pressius examinanti. BROUKH.

v. 52. HIC DEUS ET TERRAS ET MARIA ALTA DOMAT] Omnia domat, ut dixi ad Eleg. 18. sup. v. ult. Vide Platonem in Convivio. Virgilius: *Omnia vincit Amor*. unde πανδαμάτωρ dictus. Vide fabulam Panos cum Amore luctantis, & Euripidem Troad. *Hic deus*. an Boreas? qui de se apud Ovidium 6. Metam. v. 690.

Apta mihi vis est. vi tristia nubila pello:
Vi freta concutio.

Sed ipse Amor potius, ut Eleg. 7. lib. 1. *Puer hic*. Tibullus Eleg. 4. lib. 2.

- - - - Hæc denique caussa
Fecit, ut infamis hic deus esset Amor.

Maria alta, &, mare altum, & altum tantum dicitur. Virgilius 7. Æneid.

Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto.

Altum mare dicitur, quia medium videtur altius terra, ut sciunt qui navigarunt. ideo & *conscendere mare*, & *exscendere maria alta*. *undas* dixit Eleg. 17. lib. 1.

Si quando vestras labens Amor attigit undas. P.

v. 53. CREDE MIHI, NOBIS MITESCET SCYLLA, NEC UMQUAM ALTERNANTE VORANS VASTA CHARYBDIS AQUA] Lectionem aliam magis probo:

Alternas revomet vasta Charybdis aquas.

ut Eleg. 10. lib. 3.

Scyllaque, & alternas scissa Charybdis aquas.

Sane, inquit, nostrâ caussâ Scylla lenior & placidior fiet, quia & ipsa amavit. De Scylla sive Nisi, sive Phorci filia, in monstrum marinum versa Homerus 12. Odysseæ, Virgilius Ecl. 6. & lib. 3. & 5. Æneid. Ovidius 14. Metam. Idem in Epist. Medeæ:

Aut nos Scylla rapax canibus misisset edendos.
Debuit ingratis Scylla nocere viris.
Quaque vomit totidem fluctus, totidemque resorbet.

Noster Eleg. 4. lib. 4. Cicero 7. in Verrem. Palæphatus Scyllam navem fuisse ait, qua prædones Tyrrheni Ulixen persequuti sint. *Vasta Charybdis*, vel ingens, vel vastans & perdens naves; ut dixit Eleg. 19. sup. *vastos tentare leones*. De Charybdi Homerus lib. 12. Odyss. Virgilius 3. Æneid. Servius ibid. *Charybdis, femina voracissima fuit, quæ quia boves Herculis rapuit, a Jove fulminata, & in maria præcipitata, naturam pristinam servat*. Vide Ovidium lib. 2. Amor. Eleg. 16. & in Remed. Amor. & lib. 4. Pontic. Eleg. 10. Senecam Epist. 80. Thucydidem lib. 4. Ciceronem Philipp. 2. & de Haruspicum responsis, & lib. 3. de Orat. Apollonium lib. 4. Apollodorum lib. 1. denique Hyginum Fab. 125. Vetus Gloss. Χάρυβδις, *vorago*. PASS. Adde Justinum lib. 4. Hist. cap. 1. ubi Siciliam describit. *Alternant aqua*, Græcia est ἀψόρροον ὕδωρ. atque ita Homerus & Hesiodus Oceanum appellant. Eleganter Silius Italicus lib. 2. Punic. v. 306.

Classibus & vestuo spectavimus æquore raptis
Contorta e fundo revomentem transtra Charybdin.

Neque prætermittenda Sallustii verba ex incerto Historiarum libro, apud Servium in 3. Æneid. *Charybdis, qua forte illata naufragia fervens gurgitibus occultis millia sexaginta Tauromenitana ad litora trahit*. VULP.

v. 55. IPSAQUE SIDERA ERUNT NULLIS OBSCURA TENEBRIS] Pleno fulgebunt lumine, omni caligine discussa. *Ipsa sidera*, quæ favent amantibus, eorumque vident amores furtivos, ut ait Catullus. Noster Eleg. 16. lib. 1.

Me mediæ noctes, me sidera plena jacentem,
Frigidaque Eoo me dolet aura gelu.

& Eleg. 9. sup. *Sidera sunt testes*. PASS.

v. 56. PURUS ET ORION, PURUS ET HÆDUS ERIT] Id est, tersus ac nitidus. sic veteres *tersum diem* pro sereno dixere. Festus. sidera maculis distincta, prædicunt tempestatem: pura, serenitatem. Vide Virgilium 1. Georg. De Orione dictum ad Elegiam 16. sup. De Hædo Horatius Ode 1. l. 3. *Nec sævus Arcturi cadentis Impetus, aut orien-*

Mmm 2 *tis*

Quod mihi si ponenda tuo sit corpore vita,
Exitus hic nobis non inhonestus erit.

tis Hædi. Ovidius quoque lib. 1. Trist. Eleg. 10. *Nimbosis dubius jactabar ab Hædis*. *Hædorum dies* memorat Virgilius 1. Georg. Servius ibid. *Auriga signum in humeris fert Capram, quæ Jovem aluit, & sinistra Hædos, quorum & ortu & occasu concitatur tempestas*. Idem scribit in illud 9. Æneid.

Quantus ab occasu veniens pluvialibus Hædis
Verberat imber humum.

& addit, oriri Hædos cum Scorpio mense Octobri. Vide Theocritum Idyllio 7. & ibi Interpretem. Sunt duo Hædi, & Capra non longe a Tauro. Hyginus Poetic. Astr. in Heniocho. In Sphæra quæ falso dicitur Empedoclis: Ἔριφος δὲ πιστῆς νέρθεν εὔδηλον τέκον χάρτης κατ' ἄκρας χειρὸς ἠνιοστρόφου. P.

v. 57. QUOD MIHI SI PONENDA TUO SIT CORPORE VITA] Supple, *pro*. ut Eleg. 9. sup.

Quod mihi si media liceat pugnare puella,
Mortem ego non fugiam morte subire tua.

Tuum corpus, pro, *te*. ut Eleg. 20. lib. 1.

Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.

Eadem sententia Plautus Captiv. 2, 1. *Vides me meum caput pro tuo caro capite offerre vilitati*. *Ponere vitam*, ut Eleg. 13. sup. v. 44. *Ponere animam*. PASS. Passeratius & Livinejus exponunt, Quod si pro te mihi sit moriendum. male. vide quæ jam notavi ad L. 1. Eleg. 8. v. 26. & ad hujus libri Eleg. 7. v. 98. [Edit. Scalig.] Iis adde locum unice huc facientem purissimi nequam Petronii, ab hisce verbis: *Ecce jam ratem fluctus evertet: ecce jam amplexus amantium iratum dividet mare*. &c. nam sat est indicasse. Talem vero exitum astris imputat Julius Firmicus L. 8. C. 7. *Quod si benevolæ* (Pleïades) *simul cum malevolis hunc eumdem locum æquata radicatione respexerint; aut ex venerea voluptate, aut ex nimio cibo, inter epulas & pocula, sive aliqua lamentatione, mors illis amæna proveniet*. BROUKH. *Ponenda sit vita*. Cicero in Epist. *Si in hac administratione vita mihi ponenda sit, præclare actum mecum putem*. Virgilius Æneid. 9. v. 687.

Aut ipsi portæ posuere in limine vitam.

Sic *animam deponere*, legitur apud Nepotem Hannibale. VULP.

v. 58. EXITUS HIC NOBIS NON INHONESTUS ERIT] Ut fuit Admeti uxori Alcestidi. *Exitus*, finis vitæ. Albinovanus ad Liviam:

Exitus hic, mater, debuit esse meus.

Cicero lib. 11. ad Attic. Epist. 6. *De Pompeji exitu mihi dubium numquam fuit*. Noster plene Eleg. 3. lib. 3. *Exitus hic vitæ superest mihi*. *Exitus non inhonestus*. ut contra Eleg. 8. sup. v. 27. & 28. *Mors inhonesta*. PASS. Locutionem similem usurpavit Sallustius B. Jugurth. cap. 17. *Utinam emori, fortunis meis honestus exitus esset*. V.

ELEGIA XXVII.

AT vos incertam, mortales, funeris horam
Quæritis, & qua sit mors aditura via:

Quæ-

ARGUMENTUM ELEGIÆ XXVII. LIBRI II.] Amantes divinatione non indigere ad genus mortis suæ prænoscendum. VULP.

In vet. lib. conjungitur hæc Elegia cum superiore. PASS.

v. 1. AT VOS INCERTAM, MORTALES, FUNERIS HORAM QUÆRITIS, ET QUA SIT MORS ADITURA VIA] *At* inceptiva particula ad ornatum: Servius. ab ea incepit Appulejus Asinum suum. & formula est apostrophes, *at vos*, ut aliàs identidem monui. *Mortales*, plus est quam homines, & significantius dicitur, ut notat Gellius lib. 3. cap. 27. *Quæritis horam funeris*: mathematicos [nempe astrologos] super ea re interrogatis, quando scilicet morituri sitis. quod Horatius reprehendit Oda 11. lib. 1.

Tu ne quæsieris scire (nefas) quem mihi, quem tibi
Finem dii dederint, Leuconoë.

Ju-

Quæritis & cælo Phœnicum inventa sereno,
  Quæ sit stella homini commoda, quæque mala.
Seu pedibus Parthos sequimur, seu classe Britannos,
  Et maris & terræ cæca pericla viæ.

Rur-

Juvenalis Sat. 14. *Nota mathematicis genesis tua*. Horam incertam dixit, ut Eleg. 13. sup.

Nam quo tam dubiæ servetur spiritus horæ?

Vide L. 1. de Condit. & Demonstr. Tit. 1. lib. 35. D. *Qua sit mors aditura via:* unde adventura, quæ ejus caussa. *via*, pro, modo, & ratione & caussa. ut Eleg. 25. sup.

Hæc atque illa mali vulneris una via est.

& Eleg. 34. infra: *Rerum dicere posse vias*. id est, caussas. Martialis Epigr. 92. lib. 11.

Si tam præcipiti fuerant ventura voletu,
Debuerant alia fata venire via.

Adire, advenire. Horatius Sat. 3. lib. 2.

Huc propius me,
Quum doces insanire omnes, vos ordine adite.

Sic apud Plautum sæpe. ut *ire*, pro, venire. Ennius Thyeste: *Nolite, hospites, adite ad me illico*. PASS.

v. 3. QUÆRITIS ET CÆLO PHŒNICUM INVENTA SERENO] διλογία. *Quæritis cælo sereno*, & *inventa cælo sereno*. *Phœnicum inventa*. id est, ea quorum auctores & inventores Phœnices. Plinius lib. 5. H. N. cap. 10. *Ipsa gens Phœnicum* (quæ adjacet Syriæ) *in gloria magna* (est) *litterarum inventionis, & siderum, navaliumque, & bellicorum artium*. Strabo lib. 16. a Phœnicibus ad Græcos manasse astronomiam ait, & arithmeticam. Interpres Arati, Q. Cicero apud M. fratrem lib. 2. de Nat. Deor. de Cynosura:

Hac fidunt duce nocturna Phœnices in alto.

Addidit *cælo sereno*, id est puro & terso, quia nubilo sidera observari non possunt. vide Virgilium 5. Æneid. in fine. PASS.

Phœnicum inventa, scientiam astrorum, quam veri simile est a Tyriis Phœniciæ populis inventam, ut ea navigantes uterentur. Nam, Tibullo teste Eleg. 7. lib. 1.

Prima ratem ventis credere docta Tyros.

De longinquis navigationibus Phœnicum legendus Herodotus initio lib. 1. Histor. Plinius tamen lib. 7. Hist. Nat. cap. 57. aliis omnibus hanc gloriam tribuit, puta vel Atlanti Libyæ filio, vel Ægyptiis, vel Assyriis. VULP.

v. 4. QUÆ SIT STELLA HOMINI COMMODA, QUÆQUE MALA] Legendus hac de re Ptolemæus περὶ ἁρμονίας, & Macrobius in Somnium Scipionis. Cicero lib. 6. de Republ. *Jovis salutaris fulgor, & Veneris benignus, rutilus, horribilisque terris Martis, & triste sidus Saturni*. Noster Eleg. 1. lib. 4. *Felicesque Jovis stellas*. Ibid.

Et grave Saturni sidus in omne caput.

Vide Horatium Ode 17. lib. 2. *Stella commoda*, benigna, felix. Ovidius in Ibin:

Natus es infelix: ita dii voluere: nec ulla
Commoda nascenti stella, levisque fuit.

Petronius Arbiter: *Altera* (tabula) *Lunæ cursum, stellarumque septem imagines pictas* (habebat:) *& qui dies boni, quique incommodi essent, distinguente bulla, notabantur*. Utitur Noster eo verbo in deteriorem partem Eleg. 22. lib. 3.

Armis apta magis tellus, quam commoda noxæ.

Mala, gravis Eleg. 1. lib. 4. Sic *durum sidus* Eleg. 6. lib. 1. v. ult. *Impius Saturnus* Horatii loco prædicto. & *fera sidera* Ovidio in Ibin. PASS.

v. 5. SEU PEDIBUS PARTHOS SEQUIMUR, SEU CLASSE BRITANNOS] Bene *sequimur*, tamquam fugientes, & fugiendo pugnantes. qua de re dictum Eleg. 10. sup. Virgilius 7. Æneid.

Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa.

Parthos autem & *Britannos* conjungit, ut lacessitos quidem armis Romanorum, non tamen victos. Ideo & Horatius Epodo 7. conjunxit *pedibus* & *classe*. Noster Eleg. 6. lib. 1.

Seu pedibus terras, seu pontum carpere remis.

PASS.

v. 6. ET MARIS ET TERRÆ CÆCA PERICLA VIÆ] Obscura, & ignota sunt pericula, quæ naviganti, vel terras peragranti possunt incidere. *Cæcum* dicitur non tantum quod caret videndi facultate, sed etiam quidquid non videtur. ut Eleg. 4. sup. *Cæca via*, & Eleg. 15. sup. *Cæco motu*. *Cæcus ignis* Virgilio, & *Cæcum vulnus* Ovidio, & *Cæcum vallum* Festo, in quo præacuti pali ter-

Rursus & objectum fletis capiti esse tumultum,
 Quum Mavors dubias miscet utrimque manus.
Præterea domibus flammam, domibusque ruinam,
 Neu subeant labris pocula nigra tuis.

So-

terræ adfixi, herbis vel frondibus occultantur. *via maris* dixit, quod Eleg. 19. lib. 3. *liquidum iter*. Plautus *caruleas vias* appellat. *Pericla maris*, ut prædonum & tempestatis: *pericla terra*, ut latronum & ferarum. PASS. *Longa terra via*, est apud Tibullum Eleg. 6. lib. 2. VULP.

v. 7. RURSUS ET OBJECTUM FLETIS CAPITI ESSE TUMULTUM] Hypallage, pro, Queri soletis objectum caput periculis belli. Sic Virgilius 4. Georg. *Corpora bello Objectant*. & 2. Æneid. *Caput objectare periclis*. Cicero pro Domo sua: *Objicere caput suum ferro*. *Rursus*, modo, item, interdum. Eleg. 3. lib. 1.

Nam modo purpureo fallebam stamine somnum,
 Rursus & Orphea carmine fessa lyra.

Fletis, querula & flebili voce loquimini. ut Eleg. 9. lib. 1. *Amphioniæ mœnia flere lyra*. *Tumultum*. vide adnotata ad illud Elegia 1. sup. *Phlegræos tumultus*. PASS. Vide Ciceronem Philipp. 8. ubi explicat quid bellum a tumultu differat. Idem Philipp. 5. *Tumultum censeo decerni, justitium edici; saga sumi dico oportere, delectum haberi, sublatis vacationibus in urbe & in Italia, præterea Gallia tota*. Seneca pater Controv. 8. lib. 1. *Quotiescumque tumultus aliquis exortus est, in me omnium diriguntur oculi, meas spectant manus*. VULP.

v. 8. QUUM MAVORS DUBIAS MISCET UTRIMQUE MANUS] Quum Mars conserere manum jubet, & dimicare incerto eventu pugnæ. *Mavortem*, inquit Festus, *poetæ dicunt Martem*. apud eumdem Festum *Mamers* linguâ Oscâ est Mars. Cicero 2. & 3. de Nat. Deor. Charisius lib. 4. putat dictum, *quod magna vortat*, κατὰ παρένθεσιν, insertâ syllabâ, *Mavors*, pro, Mars. Servius ἐπένθεσιν vocat, ut *Navita*, pro, *nauta*. Apud Isidorum lib. 19. cap. 25. *Mavors dicitur, quæ & stola & ricinium vestis muliebris, quod ejus parte, quæ retro rejicitur, viri in mulierem potestas significatur*. *Miscet manus*, miscere & conserere jubet; unde nostri vocant, *la meslee*. Hinc Virgilius Æneid. 1.

Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis.

Noster Eleg. 1. lib. 4.

Miscebant usta prælia nuda sude.

Livius lib. 2. *Miscere certamina*. & lib. 35. *miscere seditiones*. Virgilius 2. Georg. *Necdum horrida miscent Prælia*. *Manus*, vel χεῖρας, quibus pugnatur; vel copias ipsas & legiones. *Dubiæ manus*, propter dubiam victoriam, quæ Homero dicitur νίκη ἀμφήριστος, & νίκη ἑτεραλκής. Virgilius 2. Georg. *Sed dubius mediis Mars errat in armis*. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 9. *Mars dubius, nec certa Venus*. quare hìc hypallage esse potest. Sic dicitur Eleg. 13. sup. *dubia hora (mortis)*. *Utrimque*, ἀμφοτέρωθεν. *de part & d'autre*: nam ut in foro, sic in acie partes duæ. Virgilius 12. Æneid.

Circum hos utrimque phalanges Stant densæ. P.

v. 9. PRÆTEREA DOMIBUS FLAMMAM, DOMIBUSQUE RUINAM] Atque etiam fletis, idest, metuitis, ne incendantur, vel evertantur ædes. *Ruinam* hìc proprie: sup. Elegia 25. μεταφορικῶς.

Si qua venit sera, magna ruina venit. P.

Domibus flammam, d. v. Subaudi ἀπὸ κοινοῦ, objectam esse. Hæc mala quæ Propertius commemorat, Catullus quoque conjunxit Carm. 23.

Non incendia, non graves ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non casus alios periculorum.

Videsis quæ ad eum locum attulimus in Commentario nostro. VULP. *flammas, ruinas*, Groninganus. Petronius: *Illum diis vota reddentem Penatum suorum ruina sepelit*. BROUKH.

v. 10. NEU SUBEANT LABRIS POCULA NIGRA TUIS] Incaute bibantur, tibique sitienti quasi subrepant. nam *subire*, est furtim ire, & meare aliquo. ut adnotavi ad Eleg. 9. lib. 1. v. 26. *Pocula nigra; tetra venena*. sup. Eleg. 24. Ovidius 1. Metam. *Lurida aconita*. Sic Eleg. 1. sup. *Pocula Phædea*. PASS. Quomodo *tuis*, quum dixerit,

At

Solus amans novit, quando periturus, & a qua
Morte: neque hic Boreæ flabra, neque arma timet.
Jam licet & Stygia sedeat sub arundine remex,
Cernat & infernæ tristia vela ratis:
Si modo clamantis revocaverit aura puellæ,
Concessum nulla lege redibit iter.

At vos mortales? repone *suis*. cujus elegantissimæ locutionis usum optime ostendit Nic. Heinsius Not. ad Ovid. Epist. Hel. v. 251. Casp. quoque Barthius aliquid attulit ad Papin. L. 4. Thebaid. v. 836. BROUKH. Finitam personam usurpat pro indefinita. Eodem pacto sup. Eleg. 25.

Quum satis una tuæ insomnia portet ocellis.

Hoc vero scriptoribus optimis frequens. Unius Ciceronis exemplum afferam ex Orat. pro Quintio, ubi postquam Nævii mores persecutus est, demum addit: *Quare, quod socium tibi eum velles adjungere, nihil erat, nisi ut in tua pecunia condisceret, qui pecuniæ fructus esset.* Id est, nihil erat, quod aliquis eum socium sibi vellet adjungere, &c. VULP.

v. 11. SOLUS AMANS NOVIT, QUANDO PERITURUS, ET A QUA MORTE: NEQUE HIC BOREÆ FLABRA, NEQUE ARMA TIMET] Scit & horam & genus mortis suæ. *Solus amans*, quod *Solus amator* Eleg. 20. sup. *A qua mortis*; τὸ *a* vacat. ut Eleg. 16. lib. 1.

Supplicis a longis tristior excubiis.

Eleg. 1. lib. 4.

Murus ab ingenio notior ille tuo.

Hic Boreæ flabra, neque arma timet. Horatius in hanc sententiam Ode 13. lib. 2. *Quid quisque vitet, numquam homini satis Cautum est in horas: navita Bosporum Pœnus perhorrescit, neque ultra Cæca timet aliunde fata.* P. *Boreæ flabra*. Boream flantem. Ita Lucretius lib. 5.

Flabraque ventorum violenta turbine vexant.

Petronius in Satyr.

--- *Mihi pontus inertes*
Submittit fluctus: Zephyrique tacentia ponunt
Ante meos sua flabra pedes.

Lactantius pariter, seu quisquis est auctor, Carmine de Phœnice v. 73.

Tum ventos claudit pendentibus Æolus antris,
Ne violent flabris aëra purpureum. V.

v. 13. JAM LICET ET STYGIA SEDEAT ELE-RUS ARUNDINE REMEX] Remiges in navi sedent in transtris. Virgilius 3. Æneid.

Linquere tum portus jubeo, & considere transtris.

Servius ad illud 6. Æneid.

Inde alias animas, quæ per juga longa sedebant,
Deturbat;

Juga, inquit, *transtra: nam animæ remigant.* quod dixerat supra:

Vel quæ discrimine ripas
Hæ linquunt, illæ remis vada livida verrunt.

Remex, remigis, inquit Charisius lib. 1. a remo agendo. Vetus Gloss. *Remex*, ἐρέτης. *Sub arundine*, id est, in, ut annotatum Eleg. 25. sup. *At nulla dominæ teritur sub limine amor.* *Arundo*, pro navi, ut *Canna Micipsarum* Juvenali, pro navicula. Plinius lib. 16. cap. 36. de arundinibus Indicis: *Navigiorum etiam vicem præstant singula (earum) internodia.* PASS. *Stygia sub arundine*. id est, sub calamis palustribus, qui Stygem obsident. Hæc enim verissima explicatio est illarum trium quas attulit Douza pater. VULP. Virgilius 4. Georg. 478.

Quos circum limus niger, & deformis arundo
Cocyti, tardaque palus inamabilis unda
Alligat. BROUKH.

v. 14. CERNAT ET INFERNÆ TRISTIA VELA RATIS] *Stygiam cymbam* Virgilius vocat 4. Georg. Noster Eleg. 3. lib. 3.

Nudus ab inferna, stulte, vehere rate.

& Eleg. prox. sequ.

Una ratis fati nostros portabit amores
Cærula ad infernos velificata lacus.

Vela, Græcis ἄρμενα, dicta a volatu, inquit Isidorus; unde, *velorum pandimus alas.* *Tristia*, nigra & ferruginea, ut cymba ipsa Virgilio. & *tristes manes* Eleg. 19. lib. 1. Sic Euripides in Alcestide πικρὰν ναυκληρίαν vocat, id est tristem navigationem in cymba Acherontis. utrobique allusum ad nomen Acheron, [quod significat, *gaudio carens*]. PASS.

v. 15. SI MODO CLAMANTIS REVOCAVERIT

RIT AURA PUELLÆ, CONCESSUM NULLA LEGE REDIBIT ITER] Ovidius Epist. Canaces:

Mortua, crede mihi, tamen ad tua verba revisi.

Noster Eleg. 7. lib. 4.

Unum impetrassem te revocante diem.

Contra Eleg. 13. sup.

Sed frustra mutos revocabis, Cynthia, manes.

Aura puellæ, vel vox benigna, vel nitor puellæ; ut Virgilio *Aura auri* 6. Æneid. ubi Servius, *Inde Aurati*, sive, ut alii legunt, *Aurarii*, quorum favor splendidos reddit; μεταφορικῶς, ut Eleg. 24. sup.

Quod si tam facilis spiraret Cynthia nobis.

& Eleg. 12. sup.

Nostraque non ullis permanet aura locis.

Horatius Ode 8. lib. 2. ad puellam formosam: *Tua ne retardet Aura maritos.* πνοαὶ Ἀφροδίτης φίλαι dixit Euripides in Iphigenia in Aulide. Theocritus vero Idyllio ιβ.

Εἶθ' ὁμαλοὶ πνεύσειαν ἐπ' ἀμφοτέροισιν ἔρωτες.

[Puellaris faciei nitorem vocat Petrarcha, *l' aria del bel viso.*] Vel *aura puellæ* est, si aura particulam aliquam voculæ ejus ad illum pertulerit. Sic Virgilius 7. Æneid.

Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.

Appulejus Apologia priore dixit *vini auram*, pro, odorem. Aristophanes ἐν Εἰρήνῃ, πολέμου αὔραν, & Attius, *Aura Volcani vorax.* *Revocaverit*, redire ad vitam jusserit. dictum ad Eleg. 13. v. pænult. vide Catullum Carm. 33. v. 8. & sequ. *Redibit iter.* dictum ut Eleg. 1. lib. 1. *Ire vias.* *Concessum nulla lege.* unde redire nulli jus est lege fati. Noster Eleg. ult. lib. 4.

Quum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viæ.

De hac lege Virgilius 12. Æneid.

Illud te nulla fati quod lege tenetur
Pro Latio obtestor.

Quod legitur, *Nullis*, defendi potest hac Cassii Parmensis auctoritate in Orpheo:

Ausus & ire viam viventibus inconcessam
Pœnarum oblitos demulsit carmine manes.

Leges autem aut jubent, aut vetant, aut concedunt, eaque *permissio* dicitur in Rhetoricis ad Herennium: *Plus valet sanctio permissione.* An *Nulla lege redibit?* id est, sine edicto: ut de Helena infra Eleg. 32.

Et sine decreto viva reducta domum. PASS.

Revocaverit aura puellæ. *Aura* est favor, metaphora ab vento secundo desumta. inde *popularis aura.* Horatius L. 1. Ode 5.

Qui nunc te fruitur credulus aurea,
Qui semper vacuam, semper amabilem
Sperat, nescius auræ
Fallacis.

Commentator: AVRAE. *mutabilitatis femineæ.* BROUKH. *Revocaverit.* Plinius lib. 2. H. N. cap. 7. ubi multa enumerat quæ neque Deus possit, ut illi quidem videbatur: *Nec posse*, inquit, *mortales æternitate donare, aut revocare defunctos.* Tribuit igitur puellæ Propertius, quod Plinius ipsi Deo negat. VULP.

ELEGIA XXVIII.

JUppiter affectæ tandem miserere puellæ:
Tam formosa tuum mortua crimen erit.

Ve-

ARGUMENTUM ELEGIÆ XXVIII. LIB. II.] Jovi supplicat pro amica ægrotante: deos inferos precatur, ut ipsi propitii esse velint: eam laudat & solatur. VULP.

V. 1. JUPPITER AFFECTÆ TANDEM MISERERE PUELLÆ] Tibullus pariter Carm. 4. lib. 4.

Huc ades (Phœbe) & teneræ morbos expelle puellæ.

& Horatius Sat. 3. lib. 2.

Juppiter, ingentes qui das adimisque dolores,
Mater ait pueri menses jam quinque cubantis.

Significatur, opinor, hic Juppiter cognomine *Opitulus*, ab ope ferenda: Festus. *Tandem* est longæ exspectationis & moræ, ac prope sero, ut dictum ad Eleg. 3. lib. 1. v. 35. *Miserere.* sic Virgilius 9. Æneid. *Aut tu magne pater divûm miserere.* *Affectæ*, periculose ægrotantis, ac prope depositæ. Suetonius Tiberio cap. 21. *Affectum reperit, & tamen adhuc spirantem.* Plautus Rudente: *Accipiam hospitio, si non venerit, item ut affectam.* id est, ut ægram collocabo in lecto. Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 3.

Las-

Venit enim tempus, quo torridus æstuat aër,
Incipit & sicco fervere terra Cane.

Sed

Lassus in extremis jaceo populisque locisque,
Et subit affecta nunc mihi quidquid abest.

& lib. 2. Amor. Eleg. 2.

Ibis ad affectam, quæ non languebit, amicam
Visere: judiciis ægra sit illa tuis.

Vet. Gloss. *Adficio*, *liquefacio*, κατατήκω. Item *Affectis*, κάμνουσι. Gellius lib. 3. cap. 16. *Affecta sunt, quæ non ad finem ipsum, sed quæ proxime finis progressa deductave erunt.* Idem fere habet lib. 15. cap. 5. Livius lib. 4. *Affecta res familiaris.* & lib. 6. *Opem rebus affectis orare.* Apud Festum: *Affecta femina, vel in bonam partem dicitur, velut honorata; vel in malam, quasi ad extremum periculum adducta.* sic olim legebatur: nunc editum est, *Adfectata.* PASS. *Affecta*, κακῶς διακειμένη. Livius lib. 3. Hist. ubi de anno pestilenti: *Affecti plerique principum, patrum major pars, militaris fere ætas omnis.* Seneca lib. 2. de Ira cap. 25. *Æger & infelicis valetudinis est, quem levis aura contraxit: affecti oculi, quos candida vestis obturbat.* *Miserere puellæ.* Inferius, hac Elegia:

Si non unius, quæso miserere duarum. V.

v. 2. TAM FORMOSA TUUM MORTUA CRIMEN ERIT] Sic Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 11.

Vestrum crimen erit talis jactura puellæ,
Nereidesque deæ, Nereidumque pater.

& lib. 3. Trist. Eleg. 10.

Si tibi tale fretum quondam, Leandre, fuisset,
Non foret angustæ mors tua crimen aquæ.

Tuum crimen erit. Plautus Pseud. 5, 1. *Si cecidero, vestrum erit flagitium, pedes.* Idem Trinummo, dixit eadem mente:

-- *Ne istæc pollicitatio*
Te in crimen populo ponat, atque infamiam. P.

Venuste Ovidius Epist. Sapphûs:

Ne sim Leucadia mortua crimen aquæ.

Habuit scilicet ante oculos hunc versum sui sodalis. Nec minus eleganter Lucanus lib. 5. v. 59.

Fortuna, Ptolemæe, pudor, crimenque deorum.

Aut Seneca in Consolat. ad Marciam cap. 12. *Nec invidiam deorum* (veritus,) *quorum illud crimen erat, Sylla tam felix.* VULP.

v. 3. VENIT ENIM TEMPUS QUO TORRIDUS ÆSTUAT AER] Venisse diem dicunt Jurisconsulti, & cedere, quum quid incipit deberi, aut peti potest. Sic Virgilius 1. Georg. *Scilicet & tempus veniet.* & Vetus quidam Poeta:

Virtutem istam veniet tempus quum graviter gemas.

Torridus aër; pæne exustus. ut *Torrida Zona*: Virgilius 1. Georg. & *Torrida æstas*; Ecl. 7. *Torrere*, inquit Festus, *proprie siccare, sed ponitur pro ignescere.* A *torridus* venit *torridare*, comburere, inquit Nonius in *Torris*: sed non confirmat exemplis. P. *Venit tempus.* Etruscæ fidicen lyræ, Franciscus Petrarcha (*nella Canzone* 27)

Tempo verrà ancor forse
Ch' all' usato soggiorno
Torni la fera bella, e mansueta. V.

v. 4. INCIPIT ET SICCO FERVERE TERRA CANE] *Siccus Canis* ab eo quod efficit, ut *pallida & frigida mors*, *æstas torrida*, *tremula senectus*. Horatius Ode 13. lib. 3. *Te flagrantis atrox hora Caniculæ Nescit tangere.* Idem Ode 29. lib. 3. *Jam Procyon furit, Et stella vesani Leonis Sole dies referente siccos.* Tibullus Eleg. 4. lib. 1.

Nudus & hiberno producit frigora bruma,
Nudus & æstivi tempora sicca Canis.

De Cane sidere dicetur ad Eleg. 33. infra, in fabula Icari & Erigones. De ejus vi in hæc inferiora vide Plinium lib. 2. H. N. cap. 40. Ovidius 4. Fast.

Est Canis, Icarium dicunt, quo sidere moto
Tosta sitit tellus, præripiturque seges.

& lib. 2. Amor. Eleg. 16.

Sol licet admota tellurem sidere findat,
Et micet Icarii stella proterva Canis.

PASS.

Ejusmodi tempestate purgationes corporum difficiliores. Auctor Hippocrates Aphorismo 5. Sect. 4. Ὑπὸ κύνα, καὶ πρὸ κυνὸς, ἐργώδεες αἱ φαρμακεῖαι. Non tamen caussa immoderati caloris est Sirius, sed signum tantummodo. Rectius itaque Homerus de hoc sidere: κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται, quam scriptores quos posteriora tulerunt tempora. Illi enim magno consensu τὸ τοῦ κυνὸς ἄστρον παραίτιον τῆς τῶν καυμάτων ἐπιτάσεως esse pronuntiarunt. quem errorem prolixe confutat Geminus in sua Isagoge εἰς τὰ φαινόμενα. *Fervere*, secunda brevi, a fer-

Sed non tam ardoris culpa est, neque crimina cæli:
Quam toties sanctos non habuisse deos.
Hoc perdit miseras, hoc perdidit ante puellas.
Quidquid jurarunt, ventus, & unda rapit.

Num

fervo, *fervis*. VULP. Groningauus codex: *Incipiunt sicci fervere rure Cane*. BROUKH.

v. 5. SED NON TAM ARDORIS CULPA EST, NEQUE CRIMINA CÆLI] Non tam accusandum cælum & sidus Caniculæ, quam perjuria quibus numen deorum Cynthia sæpius violavit. *Culpa ardoris*, ut Eleg. 11. lib. 1. *Nostri culpa timoris erit*. Cicero 1. & 2. de Nat. Deor. *fervorem & ardorem mundi* vocat *Æthera*. *Crimina cæli*. enallage numerorum pro *crimen*. Ovidius 1. Fast.

Nec vitio cæli palleat ægra seges. PASS.

Bona pars librorum, *Sed nec tam ardoris*. credo ne bis geminarent τὸ *non*. quod tamen legitur geminatum in editionibus primis. BROUKH. Excipe omnium principem anni 1472. in qua:

Sed nec tam ardoris culpa ẽ nec crimĩa cæli.

Crimina cæli. Virgil. variavit lib. 3. Georg.

Hic quondam morbo cæli miseranda coorta est
Tempestas,

Ecloga vero 7.

Aret ager, vitio moriens sitit aëris herba.

Romanus aër olim, ut & hodie, præsertim æstate autumnoque, parum salabris. Fatentur id Romani milites apud Livium lib. 7. *An æquum esse, dedititios suos, illa fertilitate atque amœnitate* (Campani agri) *perfrui; se, militando fessos, in pestilenti atque arido circa urbem solo luctari, aut in urbe insidentem labem crescentis in dies fœnoris pati?* Neque Ovidius dissimulat lib. 2. A. A.

Illa quidem valeat: sed si male firma cubarit,
Et vitium cæli senserit ægra sui;
Tunc amor & pietas tua sit manifesta puellæ.

VULP.

v. 6. QUAM TOTIES SANCTOS NON HABUISSE DEOS] Sanctos habet deos, cui sancti sunt. id est, qui violandos sibi non esse statuit: quia *sanctum* Trebatio J. C. *quod ab hominum injuria defensum atque munitum est*. Sanctum esse, & violari contraria sunt, ut apud Ciceronem pro Sex. Roscio: *Nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violet audacia*. & 1. Offic. ex Ennio opinor: *Nulla sancta societas, nec fides regni est*. Similis sermo *Sanctos habere*, illi L. Crassi: *Non es mihi, Philippe, Consul*. Ita loquitur & Cæsar 6. de B. Gallico. De perjuriis Cynthiæ Eleg. 16. sup. & alibi sæpe. *Sancti dii*. Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Non dicta in sanctos impia verba deos. PASS.

Elegans usus verbi *habere*. Plautus Casina 2, 2.

Vir me habet pessumis despicatam modis.

Terentius Eun. 2, 3.

Illis crucibus, quæ nos nostramque adolescentiam
Habent despicatam, & quæ nos semper omnibus crucient modis. BROUKH.

Morbum gravissimum quo affligetur puella, perjurii pœnam esse ait. *Sanctos* autem *deos habere*, est juramentum caste servare. A. Gellius lib. 7. cap. 18. *Jusjurandum apud Romanos inviolate, sancteque habitum, servatumque*. Lege Ovidianas Epistolas Acontii, & Cydippes, ubi ad rem plurima. V.

v. 7. HOC PERDIT MISERAS, HOC PERDIDIT ANTE PUELLAS] Iis caussam interitus adfert & exitii. Sic Plautus: *Juppiter te perdat*. Noster Eleg. 22. sup.

Ille vel hic classes poterat, vel perdere muros.

Miseras, infelices potius culpa sua, quam fortunæ. [Sed & sui cuique mores fortunam fingunt.] Vel est commiserantis, ut Eleg. 32. v. 21.

Famæ jactura pudicæ
Tanta tibi miseræ, quanta mereris, erit.

id est, merenti. Vel est hypallage, pro misere perdidit. *Ante*, olim; ut Eleg. 26. sup.

Qui puta Arioniam vexerat ante lyram.

Non nunc primum, inquit, pejerant, ut nec nunc primum ludunt. *Is mos Saturno regna tenente fuit*. PASS. *Ante*. Ovidius initio Metamorph.

Ante mare & tellus, & quod tegit omnia cælum
Unus erat toto naturæ vultus in orbe. V.

v. 8. QUIDQUID JURARUNT, VENTUS, ET UNDA RAPIT] Id omne evanescit, in aquam & aërem abit. Xenarchus:

Ὀρ

Num ſibi collatam doluit Venus? illa peræque
Præ ſe formoſis invidioſa dea eſt.
An contemta tibi Junonis templa Pelaſgæ?
Palladis aut oculos auſa negare bonos?

Sem-

Ὅρκον δ' ἐγὼ γυναικὸς εἰς ὕδωρ γράφω. Catullus Carm. 69.

Mulier cupido quod dicit amanti,
In vento, & rapida ſcribere oportet aqua.

unde Plautus Amphitr. *Mulier es, audacter jurat. Ventus rapit: autant en emporte le vent. Unde rapit: le ſerment s'en va à vau-lean.* Vide proverbium: *Ventis tradere. Quidquid jurarunt.* Sic Tibullus Eleg. 4. lib. 1.

Juraſſet cupide quidquid ineptus amor.

Vetus liber Palmerii, *jurantur.* PASS. Quidam codices, & editio princeps, *juratur.* non male: ſed nihil mutandum. optima enim vulgata lectio. VULP.

v. 9. NUM SIBI COLLATAM DOLUIT VENUS? ILLA PERÆQUA PRÆ SE FORMOSIS INVIDIOSA DEA EST] Turnebus lib. 17. Adv. cap. 11. ſic explicat: Venus omnibus puellis quæ præ illa formoſæ videntur, id eſt, quæ ſunt ea formoſiores, infeſta, & iniqua eſt, & eo nomine male audit, in crimen vocatur, invidioſaque eſt, [ſeu odioſa.] Vel *invidioſa*, pro, invida uſurpatur, quod equidem verius putem. Hæc ille. De verbo *Invidioſa* dictum ad Eleg. 1. v. 73. *Peræque invidioſa*, æqualiter & pariter in omnes. Catullus Carm. 6. *Pulvinuſque peræque & hic & illic Attritus.* Cicero in Piſonem: *Quod quum peræque omnes, tum acerbiſſimum Bœotii & Bizantii ſenſere.* Alii legunt *Inſidioſa.* PASS. *Illa peræque.* Adoleſcens olim ita commentabar: Niſi hoc diſtichum loco non ſuo poſitum fateare, ignores neceſſe eſt quid ſit *τὸ peræque.* Sed ita reſtitue, ac omnem obſcuritatem diſcuties:

An contemta tibi Junonis templa Pelaſga?
Palladis aut oculos auſa negare bonos?
Num ſibi collatam doluit Venus? illa peræque
Præ ſe formoſis invidioſa dea eſt.

Peræque, id eſt, non ſecus ac Juno & Pallas, contemtæ ac poſthabitæ, ulciſcitur formoſarum mulierum petulantiam. Nunc vero nihil tranſponendum cenſeo: recte enim & commode Paſſeratius interpretatur. *Peræque.* Cicero lib. 10. ad famil. Epiſt. 33. *Hirtiano autem prælio, & quartam legionem, & omnes peræque Antonii cæſos* (nuntiatur.) Juſtinianus Imp. Inſtitut. lib. 1. tit. 2. *Id apud omnes peræque cuſtoditur, vocaturque jus gentium.* Porro *Invidioſa*, invida. nam *invidioſus, & qui invidet, & cui invidetur:* A. Gellius lib. 9. cap. 12. Ovidius lib. 15. Metam. v. 234.

Tempus edax rerum, tuque invidioſa vetuſtas,
Omnia deſtruitis. VULP.

v. 11. AN CONTEMTA TIBI JUNONIS TEMPLA PELASGA?] Impietatis eſt deos non colere & contemnere, ut dictum ad Eleg. 4. lib. 1. v. 14. Sunt qui hic *Pelaſgam*, Junonem Argivam interpretentur, quod Pelaſgus Argos tenuerit. Sed Gyraldus Euſtathium ſequitur, qui Samum dictam Pelaſgam ſcribit a Pelaſgis quibuſdam, unde & Juno Pelaſgia, Samia. Samiæ autem Junonis templum celeberrimum Virgilio 1. Æneid. & aliis. Argus Jovis & Niobes filius fuit, alio nomine Pelaſgus, a quo Peloponneſus Pelaſgia dicta, teſte Apollodoro lib. 2. Strabo lib. 5. Pelaſgos nomen ſuum ait univerſæ fere Græciæ dediſſe, & Argos Pelaſgicum dictum: unde & Ζεὺς Πελασγικός. profertque illud Homeri: *Ζεῦ ἄνα, Δωδωναῖε, Πελασγικέ.* PASS. *Contemta*, omiſſa & poſthabita. Sup. Eleg. 4. lib. 1.

Nullas illa ſuis contemnet fletibus aras.

hoc eſt, ad omnes aras flebit. *Contemtus* Latinis idem eſt quod nobis Italis *non-curanza.* Id manifeſtum vel ex M. Tullio De Offic. lib. 1. *Equidem & Platonem exiſtimo, ſi genus forenſe dicendi tractare voluiſſet, graviſſime & copioſiſſime potuiſſe dicere: & Demoſthenem, ſi illa quæ a Platone didicerat, tenuiſſet, & pronuntiare voluiſſet, ornate, ſplendideque facere potuiſſe. Eodemque modo de Ariſtotele & Iſocrate judico, quorum uterque ſuo ſtudio delectatus, contemſit alterum.* Hæc poſtrema ſic vertas licet: *Nè punto diverſo è il mio parere intorno ad Ariſtotile, e ad Iſocrate; l' uno e l' altro de' quali invaghito della ſua profeſſione, non ſi curò di quell' altra.*

Semper, formosæ, non nostis parcere verbis.
Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.
Sed tibi vexatæ per multa pericula vitæ,
Extremo veniet mollior hora die.

Io

Junonis Pelasgæ. Eodem fere pacto, Venus, ac Thetis marina, Mars Romanus. V.

v. 12. PALLADIS AUT OCULOS AUSA NEGARE BONOS?] Adeo confidens fuisti, ut ausa fueris dicere, cæsios sive flavos Palladis oculos non esse pulchros, quia tu ἑλικῶπις. Sic *bonus*, pro pulcher; Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 7.

Sive color bonus est, in te quoque frigidus esse;
Seu malus, alterius dicor amore mori.

Terentius Andria 1, 1. *Formâ bonâ virgo*. Sic & eidem Ovidio in Remed. Amor. *malus*, pro deformi:

Quam mala, dicebam, nostræ sunt crura puellæ!

& lib. 3. A. A.

Per malus in nivea semper celetur aluta.

Porro apud Hyginum Pallas irridetur a Venere & Junone, quia cæsia sit: & Pausanias in Atticis tradit, glaucos ei oculos tribui, quod a plerisque Neptuni ac Tritonidis paludis filia dicatur. Vide Diodorum Siculum lib. 1. cap. 2. PASS. Optime hunc locum illustratum dedit Nic. Heinsius Not. ad Ovid. L. 2. Art. Amat. v. 659. Albricus dicit oculos habuisse splendidos Imag. Deor. C. 8. sed inde, non est judicare, quo fuerint colore. Heinsium jovat Minucius Felix: *Neptunus glaucis oculis, Minerva cæsiis, bubulis Juno*. *cæsii* autem ad *ravos* proxime accedunt: qui color pro pessimo habetur. BROUKH. Minerva passim Homero dicitur γλαυκῶπις, *glaucis oculis*, quos minus probabant elegantes formarum spectatores. Nigri autem in pretio, ut & hodie. Id vel ex Horatio colligimus Ode 32. lib. 1. *Et Lycum nigris oculis, nigroque Crine decorum*. tum ex Anacreonte Ode 29. ubi de forma Bathylli ad pictorem: Μέλαν ὄμμα γοργὸν ἔστω. *Oculus niger sit, & trux*. Cynthia igitur potuit fortasse cæruleos Palladis oculos reprehendere, quum ipsa nigris conspicienda fuerit. Noster sup. Eleg. 22. *Lumina nigra puellæ*. VULP.

v. 13. SEMPER, FORMOSÆ, NON NOSTIS PARCERE VERBIS] Vos formosæ, ideoque feroces nescitis temperare & moderari linguæ, sive abstinere verbis magnis. Horatius Ode 4. lib. 3. *Male ominatis Parcite verbis*. Noster Eleg. 10. lib. 4. *Parce oculis, hospes*. [Tibullus Eleg. 2. lib. 1. *Parcite luminibus*.] PASS. *Semper non nostis*, pro, numquam novistis. vel τὸ *semper* otiosum est, ut non semel apud Propertium. V.

v. 14. HOC TIBI LINGUA NOCENS, HOC TIBI FORMA DEDIT] Simili geminatione dixit Eleg. 3. sup.

Hæc tibi contulerunt cælestia munera divi,
Hæc tibi: ne matrem forte dedisse putes.

Lingua nocens, *impia* Tibullo Eleg. 4. lib. 3. & Eleg. 2. lib. 1. Ovidius lib. 2. Amor. Elegia 2. de Tantalo sic dixit: *Hoc illi garrula lingua dedit*. *Hoc tibi forma dedit*, quia superbam te fecit, ideoque deas lacessentem. PASS. Ad hujus versiculi normam Ovidius Epist. Sapphûs:

Hoc mihi libertas, hoc pia lingua dedit.

& Epist. Canaces:

Hæc tibi prima dies, hæc tibi summa fuit. V.

v. 15. SED TIBI VEXATÆ PER MULTA PERICULA VITÆ, EXTREMO VENIET MOLLIOR HORA DIE] Ordo est. veniet tibi mollior hora, tibi, inquam, per multa pericula vitæ vexatæ. vel tibi vexatæ vitæ; pro, tuæ vitæ; id est tibi viventi. ut Elegia 20. sup. *Me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras*; pro, tuum. Alii libri: *vexatâ vitâ*, septimo casu. An *vexata per multa pericula, vita?* vita vocandi casu. *Extremo veniet mollior hora die*. id est, die ipso funeris & mortis eris felicior, & dea fies exuta mortalitate, quod sequentia confirmant exempla. *hora mollior*. felicior, commodior; ut Eleg. 7. lib. 2. *mollia fata*. Legitur & *aura*. Sane Ovidius Epist. Briseidos:

An miseros tristis fortuna tenaciter urget?
Nec venit inceptis mollior aura meis?

Sic & alibi. *Hora* tamen retineri potest. & sic infra v. 32. *durus dies*. Dixi ad Eleg. 6. lib. 1. *Tibi si qua mei veniet non immemor hora*. PASS. Passeratius mallet *aura*, pro *hora*. frustra. Horatius L. 2. Od. 16. *Et mihi forsan, tibi quod negarit, Porriget hora*.

&

Io versa caput primos mugiverat annos:
Nunc-dea, quæ Nili flumina vacca bibit.
Ino etiam prima terras ætate vagata est:
Hanc miser implorat navita Leucotheën.

An-

& L. 1. Epist. 4.

Grata superveniet, quæ non sperabitur, hora.

atque ita compluribus locis. BROUKH. Prædicit puellæ morituræ ἀποθέωσιν, allatis pluribus exemplis veterum Heroidum. *mollior hora.* Contra Manilius Astronom. lib. 3. v. 552.

Si Fortuna diem foveat, fit durior hora. V.

v. 17. IO VERSA CAPUT PRIMOS MUGIVERAT ANNOS] Vide adnotata ad illud Eleg. 3. lib. 1.

Argus ut ignotis cornibus Inachidos.

Adde Pausaniam in Atticis & Laconicis. Meminit & Noster Eleg. 30. & 33. infra. *Versa caput.* dictum ut a Virgilio 1. Æneid. *Faciem mutatus & ora Cupido.* Primos annos, ætate tenera & in juventa. ut dixi ad illud Eleg. 8. sup.

Sic igitur prima moriere ætate, Properti?

Mugiverat. Sic Ovidius 1. Metam. eadem in re:

Conatoque loqui mugitus edidit ore. PASS.

v. 18. NUNC-DEA, QUÆ NILI FLUMINA VACCA BIBIT] Ovidius 5. Fast.

Hoc illi signum Phariam dixere juvencam,
Quæ bos ex homine est, ex bove facta dea.

Nunc-dea, ῦφει. ut infra hic, *Divæ-nunc, ante-juvencæ.* Tibullus Eleg. 3. lib. 1. ad eamdem: *Nunc-dea, nunc succurre mihi.* Ovidius 1. Metam.

Nunc-dea linigerâ colitur celeberrima turbâ.

Ita *nunc-superbiam*, Cæcilius apud Ciceronem 2. de Orat. Lucanus lib. 1. de Nerone: *Sed mihi jam numen.* Statius lib. 3. Silv. in Propemptico Metii Celeris:

Isi Phoroneïs quondam stabulata sub antris,
Nunc-regina Phari, numenque Orientis anheli.

Theognis pariter dixit νῦν ἀνθρώπων, *nunc-hominum.* *Nili flumina.* quia septem sunt; unde Nilus *septem-fluus*, & *septem-geminus.* dixi ad Eleg. 1. sup. v. 32. PASS. Ovidius in eadem fabula, L. 1. Metam.

Proque toro, terræ non semper gramen habenti
Incubat infelix, limosaque flumina potat.

Vide & Valerium Flaccum L. 4. a v. 379. ubi Iûs errores describit. Sunt qui legant *Nili flumine.* BROUKH.

v. 19. INO ETIAM PRIMA TERRAS ÆTATE VAGATA EST] Aut altera lectio, *terris*, recipienda est, aut *vagata* positum, pro pervagata. ut Eleg. 8. lib. 3.

Seu sequitur medias, Mænas ut acta, vias.

Vagata est, quum scilicet furorem conjugis Athamantis fugeret. unde Eustathius Leucotheam dictam scribit in 5. Odyss. ut adnotatum ad Eleg. 26. v. 10. Ovidius 4. Metam. de eadem re:

Exululat, sparsisque fugit male-sana capillis.
PASS.

In tribus libris legitur *terris.* sed nihil debet mutari. quod ostendit imitatione sua Jovianus Pontanus, antiquis par poeta, L. 1. de Stellis:

Et jam intacta mei superat pars maxima cœpti,
Ac mentem calor instigat: juvat alta vagari
Sidera, & immenso propius succedere cælo.

etiam primæ editiones *terras* hoc loco præferunt. sic *maria ambulare, terras navigare* Cicero dixit L. 2. de Finib. C. 34. *orbem errare* Valerius Flaccus L. 4. v. 447. Sic *fugere & refugere vias* Virgilius L. 12. Æn. v. 753. BROUKH. Editio tamen omnium princeps, *terris* præfert. Vide Indicem nostrum Propertianum verbo *Ino.* VULP.

v. 20. HANC MISER IMPLORAT NAVITA LEUCOTHEAN] Miseri nautæ, quia perpetuo vagantur; ut Eleg. 20. lib. 1. *miser error Herculis.* aut quia avari; ut Eleg. 3. lib. 3.

Nec miser æra peto classe, Corinthe, tua.

vel quia semper timent, quo nihil est miserius. ut Eleg. 6. sup.

Et miser in tunica suspicor esse virum.

Virgilius 3. Georg.

--- *Sætasque comantes*
Usum in castrorum (tondent) *& miseris velamina nautis.*

Bene *Implorat miser*, quia, ut Donatus in Adelphos: *Implorare dicuntur, qui in malis positi cum ploratu rogant.* Festus: *Implorare, inclamare, ad auxilium invocare.* Idem in

En-

Andromede monstris fuerat devota marinis:
Hæc eadem Persei nobilis uxor erat.
Callisto Arcadios erraverat ursa per agros:
Hæc nocturna suo sidere vela regit.
Quod si forte tibi properarint fata quietem,
Illa sepulturæ fata beata tuæ;

Nar-

Endoplorato, exponit, cum questu & fletu rogare. vide eumdem in *Plorare*, pro implorare. Pass. Hinc *misera* navigantium *preces*. Horatius Ode 29. lib. 3. *Non est meum, si mugiat Africis Malus procellis, ad miseras preces Decurrere*. *Leucotheen*. vide Homerum lib. 5. Odyss. a versu 333. Vulp.

v. 21. Andromede monstris fuerat devota marinis] De fabula hac vide adnotata ad Eleg. 3. lib. 1. v. 3. *Fuerat devota*, addicta & exposita jussu Oraculi. Sæpe, *devovere*, in meliorem partem dictum reperitur. ut Eleg. 32. infra:

Quum videt accensis devotam currere tædis
In nemus.

At hic in malam partem. ut Virgilius 1. Æneid. *Pesti devota futura*. *Monstris marinis*. Enallage numerorum; nam cetum unum significat, de quo Ennius apud Noniam in *Rursus*:

Rursus prorsus reciprocat fluctus fera. P.

v. 22. Hæc eadem Persei nobilis uxor erat] De Perseo Jovis & Danaës filio Noster Eleg. 30. infra:

Nec tibi si Persei moveris ale pedes.

Vide Ovidium 4. Metam. & Homerum 14. Iliad. *Nobilis*, quia Jovis nurus. Pass.

v. 23. Callisto Arcadios erraverat ursa per agros] Id est, in ursam mutata a Junone. Nota fabula ex Apollodoro lib. 3. Pausania in Atticis & Arcadicis, Hygino lib. 2. Poët. Astron. in *Arctos major*, & Fab. 177. Palæphatus περὶ ἀπίστων ab ursa devoratam in venatione ait, unde locus fabulæ. Ovidius 2. Metam.

Ursaque conspectos in montibus horruit ursos,
Pertimuitque lupos, quamvis pater esset in illis.

vide Euripidem in Helena. *Per agros Arcadios*. quia Lycaonis Arcadum regis filia. Pass.

v. 24. Hæc nocturna suo sidere vela regit] Dirigit cursum navium noctu iter facientium. Ovidius 2. Metam.

Mentiar, obscurum nisi nox quum fecerit orbem,
Nuper honoratas summo mea vulnera cælo
Videritis stellas, illic ubi circulus axem
Ultimus extremum, spatioque brevissimus ambit.

Arcton majorem, Helicen, & ἅμαξαν vocant Græci, *plaustrum* Latini, nostri *le Chariot*. Arctos minor, Cynosura, qua utuntur Phœnices, ut Helice Græci. Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 3.

Magna minorque feræ, quarum regis altera Grajas,
Altera Sidonias, utraque sicca, rates.

vide Aratum Q. Ciceronis, & Germanicum. Pausanias in Arcadicis hoc fabulosum putat de mutatione in ursam, & ex ursa in sidus: sed probabilius ait, Septemtrionum sidus illi puellæ dicatum, præsertim quum in Arcadia ejus sepulcrum ostendatur. *Nocturna vela*, ut Eleg. 16. lib. 1. *Nocturnis viris*. Pass.

v. 25. Quod si forte tibi properarint fata quietem] Accelerarint placidam mortem. *Properare*, vi agendi. ut Elegia 23. lib. 3.

Quod superest, sufferte pedes, properate laborem.

Horatius Ode 24. lib. 3. *Indignoque pecuniam Heredi properet*. *Fata*, quia penes illa putabant veteres vitæ & mortis arbitrium esse. ut Eleg. 1. sup. *Quandocumque vitam meo fata reposcent*. *Quietem*, κατ' ἀφημισμὸν, de placida morte. ut Virgilius 1. Æneid. *Placida compostus pace quiescit*. Mors, dura quies & ferreus somnus est. Pass.

v. 26. Illa sepulturæ fata beata tuæ] Felix illa mors tibi fatis præparata, sive felix quum sepulta eris & mortua. *Fata sepulturæ*, id est sepulturam & mortem fatis concessam. ut Eleg. 13. sup.

Si tam longævæ minuissent fata senecta.

id est, senectam fatis datam. *Sepulturæ*,

pro

Narrabis Semelæ quo sis formosa periclo,
Credet & illa suo docta puella malo.
Et tibi Mæonias inter Heroïdas omnes
Primus erit, nulla non tribuente, locus.

Nunc,

pro morte; ut *funus* sæpe, & *funeratus*, pro interfecto, Horatio. PASS. *Sepultura* interdum est ipsa sepeliendi actio; non sepulcrum. Cornelius Tacitus lib. 1. Annal. ὀρφανικῶς: *Nunc senem principem, longâ potentiâ .... auxilio scilicet militari tuendum, ut sepultura ejus quieta foret*. Nonnumquam est ipse honos funeris. Justinus lib. 15. Histor. 2. *Cassander ...... occidi eum* (Herculem Alexandri M. filium) *tacite cum matre Barsine jubet, corporaque eorum terrâ obrui, ne cædes sepulturâ proderetur*. *Sepultura fata beata*. quia post mortem dea fies, ut Io & Ino, vel sidus, ut Andromede & Callisto, vel Heroidum prima. VULP.

v. 27. NARRABIS SEMELÆ QUO SIT FORMOSA PERICLO] Sic fere Plautus Milite:

Magna est miseria pulchrum esse hominem nimis.

Fingit, puellas in campis Elysiis confabulari, & suos amores casusque commemorare; ut Eleg. 7. lib. 4.

Andromedeque & Hypermnestre, sine fraude maritæ,
Narrant historiæ pectora nota suæ.

& quæ sequuntur. Videsis Eclogam Ausonii quæ inscribitur: *Cupido cruci suffixus*. De Semele legendus Apollodorus lib. 3. Ovidius 3. Metam. Euripides initio Baccharum, Fulgentius lib. 2. Mythol. in *Dionysius*, Hyginus Fab. 179. In Corinthiacis porro Pausanias tradit, Semelen a Libero patre ab inferis reductam, & in Bœoticis scribit, ictam fulmine. PASS. *Narrabis Semelæ*. Huc spectant amara illa verba Pyrrhi ad Priamum, apud Virgilium 2. Æneid. v. 547.

Referes ergo hæc, & nuntius ibis
Pelidæ genitori. illi mea tristia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.
Nunc morere. VULP.

Quo sit formosa periclo. elegantius noster Secundus, *quo sit*. & sic ex ingenio correxerat Adr. Behotius L. 2. Apophor. C. 19. addita explicatione non incommoda. BROUKH.

v. 28. CREDET ET ILLA SUO DOCTA PUELLA MALO] Experta suo exitio, formosas non carere periculo, tibi credet periculum ob formam a deabus invidis Pallade aut Venere creatum. De hoc proverbiali sermone vide adnotata ad 21. Eleg. v. 18. sup. Docta malo suo Semele, quia icta fulmine conflagravit, invidia & dolo Junonis. PASS.

v. 29. ET TIBI MÆONIDAS, INTERQUE HEROIDAS OMNES PRIMUS ERIT, NULLA NON TRIBUENTE, LOCUS] Beroaldus Asiaticas & Lydias puellas interpretatur, quo in numero fuit Omphale, vel eas quas Mæonides, id est Homerus, celebravit, quod posterius Gallica hieme frigidius est. *Mæonidas* versus respuit. malo, quod est in aliis libris, *Mæonias*, & expono Asiaticas atque etiam Phrygias. nam Mæonia ab ortu Solis vicina Phrygiæ. Strabo lib. 12. Mæonas & Phrygas pæne eosdem esse docet. Noster vero opinionem meam confirmat Elegia 19. lib. 1. agens de Elysio:

Illic formosæ veniant chorus Heroinæ,
Quas dedit Argivis Dardana præda viris.

& infra hac Eleg. *Et quas Troja tulit formas*. Pro *interque*, lego *inter*, quia *h* vicem consonantis fungitur, ut adnotatum ad Eleg. 8.

Vinceris, aut vincis: hæc in amore rota est.

& ita legit Lipsius lib. 2. Antiqu. Lect. cap. 10. ex vet. lib. *Primus locus*, non ordine, sed honore, est medius. Ovidius 5. Fast.

Et medius juvenum, non indignantibus ipsis,
Ibat, & interior, si comes unus erat.

Idem lib. 5. Trist. Eleg. 5. [a Propertio suo, ut videtur.]

Prima locum sanctas Heroidas inter haberes.

Nulla non tribuente, omnibus sine controversia concedentibus; ut Eleg. 24. sup. *Nil ego non patior*; id est, omnia. PASS. *Inter Heroidas*. Sic non semel optimi quique poetæ. Horatius Sat. 5. v. 90.

Callidus ut soleat humeris portare viator.

Valerius Flaccus lib. 6. Argonaut. v. 152.

Omni-

Nunc, utcumque potes, fato gere saucia morem.
Et deus, & durus vertitur ipse dies.
Hoc tibi vel poterit conjux ignoscere Juno.
Frangitur & Juno, si qua puella perit.

De-

Omnibus in superos saevus honor. Antiquiores imitatur Sedulius in fine lib. 1. Sacri Operis:

Exiguam concede domum, tuus incola sanctis
Ut merear habitare locis.

Richardus Bentlejus, Criticus acutissimus, & ingenio plane admirabili, immeritu Manilii versum 776. lib. 4. Astronom.

Quo genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem,

tamquam spurium ὀβελίζει, quod in eo ultima syllaba τῦ *Remus* inepte producatur. Egu vero, pace tanti viri, legitimum censeo propter id ipsum: videtur enim mihi nota γνωστικης non obscura, productio postremæ syllabæ brevis, ob moram cæsuræ, & insequentem adspirationem, quæ litteræ consonanti ἰσοδύναμος est. Hæc fuit enim veterum poetarum seu consuetudo, seu licentia. Vide Sosipatrum Charisium lib. 1. cap. de syllabis; cujus de hac brevi syllaba in versu producta singularis est opinio. sed capite sequenti cum aliis consentire videtur. Vulp.

v. 31. Nunc, utcumque potes, fato gere saucia morem] Obsequere & cede voluntati deorum ac necessitati. nam, ut ait Virgilius, *ineluctabile fatum*. &, ut Sophocles in Antigona: ἀνάγκῃ δ᾽ οὐχὶ δυσμαχητέον. Pereleganter Seneca:

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

[Idem Oedipode choro 5. *Fatis agimur: cedite Fatis. Non sollicitæ possunt curæ Vitare rati flamina fusi*.] *Utcumque potes*. Ita Plautus alicubi: *Ut possumus, quando ut volumus non licet*. *Saucia*. supra dixit, *affecta*, id est gravi morbo velut percussa. Pass.

v. 32. Et deus, et durus vertitur ipse dies] Similis sententia est apud Horatium Ode 10. lib. 2. vide. Virgilius quoque lib. 11. Æneid.

Multa dies, variique labor mutabilis ævi
Rettulit in melius: multos alterna revisens
Lusit, & in solido rursus Fortuna locavit.

[Tibullus pariter Eleg. 6. lib. 2.

Credula vitam
Spes fovet, & melius cras fore semper ait.]

Durus deus, ut *duro sidere* Eleg. 6. lib. 1. loquitur autem de deabus, Venere, Pallade, Junone. & *durus dies*, ut *dura tempore* Eleg. ult. lib. 1. Sic Homerus Iliad. 11. ἔγχει ἀμύνοντο νηλεὲς ἦμαρ. *hasta arcebat durum diem*; id est, fatum. *Vertitur*, non hic accipitur ut sup. Eleg. 23. *non vertitur*, sed ut Eleg. 8. *Omnia vertuntur*. Pass.

v. 33. Hoc tibi vel poterit conjux ignoscere Juno. Frangitur et Juno, si qua puella perit] Hi duo versus videntur inserendi post duos primos hujus Elegiæ. *hoc*, quod servaris Cynthiam, o Juppiter. est itaque *conjux* vocandi casus, & Juvem alloquitur; atque ita *tibi* refertur ad Jovem, non ad Cynthiam. redit enim eo *Juppiter affecta t. m. p.* Ita Beroaldus. *Frangitur*, ut Eleg. 18. sup. v. 3.

Frangitur in tacito femina sæpe viro.

vide Nonium in *Fragescere*. *Frangitur & Juno, si qua puella perit*. quia a puellis colebatur, & per eam jurabant, nec alium Genium habebant. Alio modo dixit Elegia 16. sup.

Juppiter, indigna merce puella perit.

id est, famam & pudorem amittit. Pass. Hoc distichum neque Scaliger loco moverat. Passeratius vero, Criticus & Interpres longe doctissimus, &, sine ulla controversia, de Propertio nostro omnium optime meritus, dixit, sibi videri inserendum post duos primos hujus Elegiæ versus, non tamen inserere ausus est. Hominis verecundiam & fidem laudo. Hæc scilicet recta ratio est tractandi bonos auctores, a codicibus manu exaratis non discedere, neque suspicionibus aut conjecturis nimium indulgere; multa enim videri solent, quæ non sunt, si quis accuratius rem dispiciat. Alloquitur igitur Propertius iterum Jovem: neque necesse est ut dicamus τὸ *conjux* esse vocandi casum. rectus est, ac Junoni tribuitur. Par Tibulli sententia Carm. 2. lib. 4.

Sulpicia est tibi culta tuis, Mars magne, Kalendis.
Spectatum e cælo, si sapis, ipse veni.
Hoc Venus ignoscet. Vulp.

v. 35.

Deficiunt magico torti ſub carmine rhombi;
Et tacet exſtincto laurus aduſta foco.
Et jam Luna negat toties deſcendere cælo;
Nigraque funeſtum concinit omen avis.

Una

v. 35. DEFICIUNT MAGICO TORTI SUB CARMINE RHOMBI] Nihil valent artes magicæ adverſus morbum, nihil poſſunt amplius, vim omnem amittunt: [iccirco ad opem tuam omnino confugiendum eſt, magne Juppiter.] *Torti rhombi*, ut Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 8.

Scit bene, quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat virus amantis equæ.

Rhombi figuram tetrapleuron, nempe quadrilateram & æquilateram tradunt Geometræ, ſed cujus anguli obliqui. ab ea ſimilitudine turbo veneficorum rhombus dictus. Noſter Eleg. 4. lib. 3.

Staminea rhombi ducitur ille rota.

τρόχον vocat Scholiaſtes Theocriti in Pharmaceutriam. *Turbinem* videtur Horatius vocare Epodo pænult. Implicabatur autem filo & licio. propterea Lucanus:

Traxerunt torti magica vertigine rhombi.

Eſt & rhombus piſcis ab ea figura, qui vulgo dicitur, *un Turbot*. & machinula lanificarum, qua mulieres filum in circulum volvunt. vulgo, *un devidoner, ou tonet à filer*. *τὸ ſub* ſignificat, rhombum ſub poteſtate magici carminis eſſe, ut Eleg. 1. ſup.

Cæſare ſub magno cura ſecunda fores.

vel abundat, ut Eleg. 7. lib. 4.

Hæc poſtquam querula mecum ſub voce peregit.
PASS.

Sub carmine. præeunte carmine, ac rhombi vertiginem moderante. Sic Auctor Copæ:

Criſpum ſub crotalo docta movere latus.

Anacreon Ode 6. Ὑπὸ βαρβίτῳ δὲ κόρη Κλιδανόσφυρος χορεύει. *Sub barbito verò puella Decicruliſ-molleolis ſaltat*. Heſiodus pariter in Scuto Herculis v. 283. Ὑπ' αὐλητῆρος δ' ἴ-κατος Πρόσθ' ἔκιον. *Sub tibicine autem ſinguli Procedebant*. Denique Thucydides, apud A. Gellium lib. 1. cap. 11. Καὶ μετὰ ταῦτα ἡ ξύνοδος ἦν. Ἀργεῖοι μὲν καὶ οἱ ξύμμαχοι ἐντόνως καὶ ὀργῇ χωροῦντες. Λακεδαιμόνιοι δὲ βραδέως καὶ ὑπὸ αὐλητῶν πολλῶν. *Et poſt hæc congreſſum eſt. Argivi quidem ſociique acriter, & cum ira advenientes, Lacedæmonii autem ſegniter, & ſub tibiarum multarum præcentu*. Italice dicimus: *Entrò il Principe nella Piazza, ſotto lo ſparo di tutta l' artiglieria*. V.

v. 36. ET TACET EXSTINCTO LAURUS ADUSTA FOCO] Siniſtrum omen quum laurus tacet. contra proſperum, quum crepat. Ovidius 4. Faſt.

Et crepet in mediis laurus aduſta focis.

& 1. Faſt.

Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus aduſta foco.

Vide etiam Tibullum Eleg. 5. lib. 2. De lauri uſu in ſacris magicis Virgilius in Pharmaceutria:

Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros.

& Theocritus:

Δάφνα λακεῖ μέγα καππυρίσασα.

Exſtincto foco. Alterum infauſtum omen. contra, proſperum quum flamma ſubito emicat. Virgilius; & Plutarchus in Cicerone. De foco magico vide adnotata ad Elegiam 1. lib. 1. PASS. *Jacet*, plures libri cum editione principe: ſed perperam. VULP. Cur pro infauſto omine haberent laurum tacitam in igne, in cauſſa erat quod id fieret prætee naturam ipſius arboris. Lucretius L. 6.

Nec res ulla magis, quam Phœbi Delphica laurus
Terribili ſonitu flamma crepitante crematur.

Plinius L. 15. C. 30. *Laurus quidem manifeſto abdicat ignes crepitu, & quadam deteſtatione*. inde adagium, quod ex Diogeniano refert Eraſmus noſter: Μείζονα βοᾷ δάφνης χλωρᾶς καιομένης. BROUKH.

v. 37. ET JAM LUNA NEGAT TOTIES DESCENDERE CÆLO] Deduci ſe amplius non patitur. *Negat*, detrectat. Vide adnotata ad Eleg. 22. ſup. v. 46. *Deſcendere*, καταβαίνειν. unde καταιβάτης, ſive καταιβάτης Ζεύς. Sic Horatius ad Caliiopen: *Deſcende cælo*. Chariſius lib. 4. ſub finem, in ſchemate διανοίας κατ' ἀνοιαν, citat hos verſus:

Luna, deûm quæ ſola vides perjuria vulgi;
Seu Cretæa magis, ſeu tu Dictynna vocaris,
Huc deſcende.

Una ratis fati nostros portabit amores
Cærula ad infernos velificata lacus.
Si non unius, quæso miserere duorum:
Vivam, si vivet: si cadet illa, cadam.

Pro

De hac re satis dictum ad Eleg. 1. lib. 1. v. 19. Deducebatur autem Luna, ut interrogaretur unde morbus Cynthiæ, & quod auxilium. Sic apud Theocritum pharmaceutria, seu venefica, Lunam rogat unde amor. PASS.

v. 38. NIGRAQUE FUNESTUM CONCINIT OMEN AVIS] Sic Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 11.

Quis fuit ille dies, quo tristia semper amanti
Omina non albæ concinuistis aves?

Nigra avis, quod dixit Eleg. 20. sup. v. 5. *Volucris funesta*, quæ *altera* Festo. Nigra inferis, superis alba conveniunt. ideo Tibullus Eleg. ult. lib. 3.

Fulserit hic niveis Delius alitibus.

Oscinem inauspicatam hic significat, ut bubonem, noctuam, parram. & hæc lectio verior. Sed si alteram retinemus, *Condidit*, exponemus, dedit, edidit. ut Eleg.4. lib.4. *Tubicen fera murmura conde*. Albinovanus ad Liviam v. 343. *quos aurea condidit ætas*. & *Nigra anus* erit saga pullâ veste induta, Horatius Sat. 8. lib. 1.

Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam, pedibus nudis passoque capillo.

Funestum omen, triste, ferale. ut *funesta tuba* Eleg. 7. *Omen* recte, quasi oremen vel osmen Varroni & Festo. PASS. *Nigra avis*. noctuam fuisse arbitror. Hujusmodi autem mala omina volucrum importunarum expiabant sacrificiis. Noster Eleg. 3. lib. 4.

Sive in finitima gemuit flens noctua tigno,
Seu voluit tangi parca lucerna mero,
Illa dies hornis cædem denuntiat agnis. V.

v. 39. UNA RATIS FATI NOSTROS PORTABIT AMORES] Vehet trans Stygiam paludem; quia ut ait Eleg. 19. lib. 1.

Trajicit & fati litora magnus amor.

Portare, transportare, nautica verba. unde *portitor Charon*, non tantum a portu, sed & a portando. *Ratis fati*, pro cymba Charontis, & fatum pro Orco, ac ipsis inferis, ut notavi ad Eleg. 19. lib. 1. v. 12. *Nostros amores*, nos amantes; ut Eleg. 16. lib. 1.

Cur numquam reserata meos admittis amores?
PASS.

v. 40. CÆRULA AD INFERNOS VELIFICATA LACUS] Sic Virgilius 6. Æneid. *Cæruleam advertit puppim*. *Cærula*, nigra & funesta. Albinovanus ad Liviam:

Lumina cæruleâ jam jamque natantia morte.

Theocritus in Encomio Ptolemæi vocat cymbam Charontis ναῦμα κυάνεον. Virgilius 6. Æneid. *ferrugineam*. *Velificata*, quæ vela fecit. vide adnotata ad Eleg. 27. sup. v. 14. Dicitur & velificari & velificare. *Ad*, non est motus loci ad locum; sed significat *apud*, vel *in*, ut ad legionem & ad exercitum. Sic Eleg. 3. lib. 4.

Et crepat ad veteres herba Sabina focos.

& Eleg. 4. lib. 4.

O utinam ad vestros sedeam captiva penates.
PASS.

v. 41. SI NON UNIUS, QUÆSO MISERERE DUORUM] Si unus non movet, at duo moveant. Sic Ovidius in Epist. Canaces:

Vive, nec unius corpore perde duas.

& lib. 2. Amor. Eleg. 13.

Huc adhibe vultus, & in una parce duobus;
Nam vitam dominæ tu dabis, illa mihi.

& 11. Metam. in fabula Ceycis:

Mittat ut auxilium sine se, verbisque precatur,
Et lacrimis; animasque duas ut servet in una.

Vide adnotata ad Eleg. 9. sup. v. 26. P.

v. 42. VIVAM, SI VIVET: SI CADET ILLA, CADAM] Eadem mente Plautus Mostell. 1, 4. *Si cades, non cadec quin cadam tecum*. Virgilius quoque 12. Æneid.

Qui te cumque manent isto certamine casus,
Et me, Turne, manent. PASS.

Blanditiæ vulgares. efficacius multo, magisque ad verum amorem, Pamphilus ille Terentianus Hecyr. 3, 1.

Quonam modo, Philumena mea, nunc te offendam affectam?
Nam si periculum ullum in te inest, perisse me una haut dubium est. BROUKH.

v. 43.

Pro quibus optatis sacro me carmine damno:
Scribam ego, *Per magnum salva puella Jovem*.
Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit,
Narrabitque sedens longa pericla sua.

Hæc

v. 43. PRO QUIBUS OPTATIS SACRO ME CARMINE DAMNO] Hoc sermone significatur antidoron, ut Eleg. 18. lib. 1. *Pro quo divini fontes*, &c. ubi vide adnotata. *Optatis*, votis. Optata votis proxima, non prorsus eadem; *souhaits*. Cicero Epist. 1. lib. 2. ad famil. *Optatis meis fortuna respondit*. Idem 1. de Nat. Deor. *In optatis, in votis nobis occurrit Deus*. Plautus Asin. *Noctem tuam velim, si optata fiant*. *Damno me*, quasi jam nunc repræsentem votum. Nonius, *Damnatus & condemnatus voti*, exponit *liberatus*; ut & apud Virgilium *Damnabis votis*. sed fallitur. nam id significat sine controversia deberi. Hinc *Damnas esto* apud Jurisconsultos, quod Charisius exponit, *Damnatus esto*. Ut *Judicatus*, pro, damnato dicitur; sic contra damnatus, ita obligatus ut facere condemnetur id quod promiserit facere. *Voto damnati* legitur apud Sisennam 4. Hist. apud Nonium. Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 1. ad illud 5. Æneid. *voti reus*; *Sacrorum*, inquit, *proprium verbum, ut reus dicatur qui suscepto voto se numinibus obligat: damnatus autem qui promissa vota jam solvit*. *Sacro carmine*; votivo, ut Eleg. 22. sup. *sacris cultris*. *Carmen* vocat versiculum sequentem, nec totum. Sic Virgilius 3. Æneid.

- - - Rem carmine signo:
Æneas hæc de Danais victoribus arma. P.

v. 44. SCRIBAM EGO, PER MAGNUM EST SALVA PUELLA JOVEM] Vide Eleg. 14. sup. a v. 25. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 13.

Adjiciam titulum: Servatâ Naso Corinnâ.

Noster Eleg. 3. lib. 4.

Subscribam, Salvo grata puella viro.

Per Jovem salva. id est, Juppiter auctor ejus salutis. ut Eleg. 15. lib. 3.

Quod superest vitæ, per te & tua cornua vivam.

Cicero 1. de Leg. *Per te salva est patria, per te eadem sit ornata*. & Q. Cicero de Petitione Consulatus: *Abs te defensi, & per te servati*. Suetonius in Augusto: *Per illum se vivere, per illum navigare, per illum libertate & fortunis frui*. *Salva puella*, servata & incolumis; nam Juppiter cognomento Σωτὴρ innuitur, de quo Euripides in Hercule furente, & Strabo lib. 9. Salva ex periculo, ut Eleg. 14. v. 5. PASS. Apage illepidum illud *est*. nec vero comparet in melioribus libris. - - - - - - quod si Noster plena oratione voluisset uti, numquam dixisset *est*; sed *ponit*, *dedicat*, aut tale quid. v. l' Ariosto XXIV. del Furioso, 57. *Per magnum Jovem*. erudite. nam quamvis ceteri quoque dii dicerentur *magni*, tamen hoc honoris vocabulum ad solum Jovem proprie referebatur. Macrobius I. Sat. 12. *Sunt qui hunc mensem* (Majum) *ad nostros Fastos a Tusculanis transisse memorent, apud quos nunc quoque vocatur deus Majus, qui est Jupiter, a magnitudine scilicet ac majestate dictus*. BROUKH. Τὸ *est* frustra quæras etiam in editione principe. VULP.

v. 45. ANTE TUOSQUE PEDES ILLA IPSA ADOPERTA SEDEBIT, NARRABITQUE SEDENS LONGA PERICLA SUA] Sic Eleg. 10. sup.

Ponitur hic imos ante corona pedes.

ubi vide adnotata. *Ante tuos pedes*; id est, ante pedes simulacri tui: quod Virgilius 4. Æneid. *Ante ora deûm*. Eodem sensu Elegia 8. lib. 3. dixit,

Et Veneris magnæ volvitur ante pedes.

Illa ipsa, ipsamet. Terentius Eunucho: *Nempe opinor Thaïdem. istam ipsam*. Plautus, *ipsissimam*. Virgilius 9. Æneid. *Illum ipsum clypeum, cristasque rubentes*. *Adoperta*, velata Phrygio amictu. Idem Virgilius 3. Æneid.

Et capita ante aras Phrygio velamur amictu.

versu autem 405.

Purpureo velare comas adopertus amictu;
Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum
Hostilis facies occurrat, & omina turbet.

Plautus Amphitr. *Invocat deos manibus puris, capite operto*. Saturno tamen & Honori aperto capite Romani sacrificabant. vide Plutarchum ἐν ῥωμαϊκοῖς Quæst. 10. 11. & 13. *Sedebit*, ex ritu supplicantium & venerantium deos. Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Ut

Hæc tua, Persephone, maneat clementia, nec tu
Persephones conjux sævior esse velis.
Sunt apud infernos tot millia formosarum:
Pulcra sit in superis, si licet, una locis.

Vo-

Ut mea votivas persolvens Delia noctes,
Ante sacras lino tecta fores sedeat.

Idem Carm. 13. lib. 4.

Sed Veneris sancta considam vinctus ad aras.
Hæc notat injustos, supplicibusque favet.

Nostee Eleg. 5. lib. 4. *Supplex ille sedet*. Pythagoricorum symbolum est προσκυνοῦντας ἐπικαθῆσθαι. *Narrabit pericla sua*. dixi ad Eleg. 1. v. 43. & Eleg. 17. lib. 3. ad Bacchum. *Longa pericla*. multa & longa oratione commemoranda [puta morbum, quo diutius periclitata fuerit.] ut supra hac Elegia: *Vexata per multa pericula vita*. Albinovanus ad Liviam v. 397.

Prævertitque metus per longa pericula luctum.

PASS.

v. 47. HÆC TUA, PERSEPHONE, MANEAT CLEMENTIA, NEC TU PERSEPHONES CONJUX SÆVIOR ESSE VELIS] Pro *hæc* suspicor legendum *hanc*; id est, exspectet hanc donec suo fato moriatur, nec ei mortem properet. An *hæc*, id est, similia vota iis quæ Jovi persolvet? An *hic maneat*, id est, ne ulterius progrediatur? *Sævior*, immitior, crudelior; quum tamen Pluto rex inferorum, Proserpinæ seu Persephones conjux, sit *illacrimabilis*, ut ait Horatius. de illo & Virgilius 4. Georg. in fabula Orphei:

Manesque adiit, regemque tremendum,
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.

PASS.

Hæc tua, Persephone, maneat clementia. Si petita impetravero, o Proserpina, eadem exspectes quæ Jovi pollicitus sum. Illa enim credebatur animas e vinculis corporum solvere, demto crine de vertice capitis. Virgilius sub finem 4. Æneid.

Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.

cujus vestigiis nos olim insistentes ita lusimus:

Tu quoque Persephone damnatum attingere crinem
Abstineto. merita victima pulla cadet. V.

v. 49. SUNT APUD INFERNOS TOT MILLIA FORMOSARUM] Theocritus in Epitaphio Adonidis Idyll. 23. Venerem ita loquentem inducit:

Λάμβανε Περσεφόνα τὸν ἐμὸν πόσιν· ἐσσὶ γὰρ αὐτὰ
Πολλὸν ἐμεῦ κρείσσων· τὸ δὲ πᾶν καλὸν ἐς σὲ καταρρεῖ.

Id est: *Accipe Persephona virum meum; nam & tu ipsa multo es me potentior. & quicquid pulcrum est, ad vos devolvitur. Apud infernos*, ita dictum ut a Plauto Asin. 3, 2. *Vale, apud Orcum te videbo*. PASS. μνημονικὸν ἁμάρτημα Passeratii, magni viri. non enim Græci versus quos attulit, sunt Theocriti, sed Bionis Zmyrnæi Idyllio 1. V.

v. 50. PULCRA SIT IN SUPERIS SCILICET UNA LOCIS] *Superi loci*, hic noster orbis & terræ, quas oras superas vocat Virgilius 6. Æneid. *Superasque evadere ad oras*. Nam ut superos cælum vocamus cum terris comparatum, sic & terras superos cum Manibus & inferis comparatas. *Scilicet*, hic videtur accipi, pro, saltem; quod tamen exemplis confirmare non possum. Sed alii libri habent, *Si licet*, id est, si sinunt fata, & si fas est. *Una*, ut Eleg. 3. supra:

Gloria Romanis una es tu nata puellis. P.

Pulcra sit in superis scilicet illa locis. Legendum *si licet*, quod jam alii monuerunt: deinde *una*, pro *illa*, omnibus libris auctoribus. neque aliter procedit oppositio *tot milia*. BROUKH. Hæc sententia venustissimis & elegantissimis Propertii annumeranda est. *Unam* dicit *pulcram* futuram *in superis locis*, quota enim quæque formosa! Perfectam vero hanc formam & singularem tribuit Cynthiæ, quæ mulier sit ornamentum ætatis suæ. Concedit quidem Plutonis regno feminas plurimas insigni pulchritudine, quod illuc non unius tantum sæculi, sed plurium, formæ descendant. Ceterum simillima legere est apud Nonnum lib. 10. Dionysiac. v. 318. verbis Bacchi, Ampelum Satyriscum amantis, ad Jovem:

Εἰσὶ δὲ πολλαὶ
Ἄλλαι παρθενικαὶ ἐρατοὶ ϛίχες, ὥς ἅμα πάσας
Ἢν ἐθέλῃς, ἀγκάζεο, λεῖπε δ' ἐμοὶ ἕνα παῖδα Λυαίῳ.

h. e.

Vobiſcum Antiope, vobiſcum candida Tyro,
Vobiſcum Europe, nec proba Paſiphaë.
Et quot Iona tulit, vetus & quot Achaïa formas,
Et Thebæ, & Priami diruta regna ſenis.

Et

h. e. *Sunt vere multi Aliorum puerorum amabiles ordines , quos ſimul omnes , Si voles , amo ; relinquene unum puerum Baccho* . Et M. Antonius Flaminius , egregius veterum imitator , in quadam Elegia lib. 4.

An magnum eſt, animam ſi de tot millibus unam
Det matri , vitam quæ dedit ipſa tibi ?

Nec multum abludunt illa Pedonis Conſolat. ad Liviam :

Scilicet immunis ſi luctus una fuiſſet
Livia , fortunæ regna minora forent .

Superi , ἐπιχθόνιοι , ἐπίγειοι : *Inferi* , ſive *inferni* , ὑποχθόνιοι , ſubterranei . VULP.

v. 51. VOBISCUM EST IOPE , VOBISCUM CANDIDA TYRO] Quæ ſit hæc Iope neſcio , urbem tamen eo nomine in Palæſtina reperio . Alii libri *Iole* , quæ fuit Euryti regis Oechaliæ filia ab Hercule amata , unde arſit zelotypiâ Dejanira . ea tandem nupſit Hyllo Herculis filio . Ovidius 9. Metam. Apollodorus lib. 2. Hyginus Fab. 131. Si legitur *Antiope* , dictum de ea ad Elegiam 4. lib. 1. v. 5. *Candida Tyra* , id eſt formoſa ; ut apud Catullum Carm. 13. *Non ſine candida puella* . De *Tyro* dictum ad Eleg. 13. lib. 1. v. 21. PASS. De hac *Iope* nulla apud veteres memoria eſt . Is. Voſſius legit , *Vobiſcum Antiope* , ad Catull. p. 237. id quod jam monuerat Paſſeratius , qui quum profiteatur eſſe in nonnullis libris , *Vobiſcum eſt Iole* ; cur id non admittamus ? & ſane admittemus , bono illo codice Groningano ſponſore , in quo liquidis literis *Iole* exaratum eſt . quod & Livinejus obſervavit . ---- Beroaldus de *Andromede* ſomniabat , quæ tamen Minervæ beneficio in ſidera eſt collocata . at hic ſermo erat de inferis . BROUKH. Non dubito quin optima & vera lectio ſit quam probat Voſſius , *Vobiſcum Antiope* ; quum Homerus quoque lib. 11. Odyſſ. conjungat Tyro atque Antiopen , ubi animas Heroidum inducit , cum Ulixe colloquentes . VULP.

v. 52. VOBISCUM EUROPE , NEC PROBA PASIPHAE] De Europa Homerus Iliad. 4. qui Phœnicis filiam facit , & matrem Minois . Ovidius 3. Metam. Theocritus in Idyll. *Europa* , Apollodorus initio lib. 3. *Europe* pro Europa , ut apud Horatium Ode 27. lib. 3. De *Paſiphae* Noſter Eleg. 32. infra , ubi fabula narrabitur . PASS. *Nec proba Paſiphaë* , hoc eſt , & Paſiphaë non proba : vel & Paſiphaë improba . Eodem pacto uſus particula *nec* Valerius Flaccus 1. Argonaut. v. 132. de Thetide ad Pelei nuptias a delphine vecta :

Illa ſedet dejectâ in lumina palla,
Nec Jove majorem naſci ſuſpirat Achillem .

hoc eſt , & ſuſpirat , Achillem non naſci majorem Jove . Monuerat enim Themis Jovem , ut caveret a Thetidis concubitu ; niſi enim abſtinuiſſet , fore ut filius qui naſceretur , Jovem regno pelleret , ſicuti Juppiter Saturnum pepulerat . Dolet igitur Thetis , filium qui ex ſe dea & Peleo mortali homine oriturus erat , non futurum Jove majorem : qui hujuſmodi fuiſſet ſi ex Jove natus eſſet . Vide Lucianum in Dialogis deorum . VULP.

v. 53. ET QUOT TROJA TULIT , VETUS ET QUOT ACHAIA FORMAS] Pro *Troja* , veteres libri habent *Hios : Hiona* , unde Scaliger *Iona* ; pro Ionia , ut Arabus , pro , Arabius , Cilicus , pro , Cilicius . Sic apud Horatium Epodo 2. videtur legendum , *Si quos Ionis intonata fluctibus* . Vide vetus Epigramma apud Plinium lib. 35. H. N. cap. 10. Sed tamen ego ἀπέχω . *Tulit* , genuit , produxit , ut dictum ad Eleg. 4. lib. 1. v. 7. *Vetus Achaïa* , & antiqua & nobilis regio Græciæ , cujus caput Corinthus , ubi inſignes formæ . Sic dixit Eleg. 8. lib. 1. *Regnum vetus Hippodamiæ* . *Formas* , pro formoſis , ut Eleg. 3. ſup.

Poſt Helenam hæc terris forma ſecunda redit .

Achaïcas formas ſignificavit Eleg. 25. *Argiva prodire figura* . & Eleg. 13. lib. 1.

Illa ſit Inachiis & blandior Heroinis . PASS.

Ione legendum omnino : de Troja enim ac Troade in ſequenti verſu . VULP.

v. 54. ET PHOEBI , ET PRIAMI DIRUTA REGNA SENIS] *Phœbi* inquit , quia *Troja*

Cyn-

Et quæcumque erat in numero Romana puella,
Occidit. has omnes ignis avarus habet.
Nec forma æternum, aut cuiquam eſt fortuna perennis.
Longius, aut propius, mors ſua quemque manet.

Tu

Cynthius auctor, ut ait Virgilius. Alii Rhodum putant ſignificari. Sed Scaliger legendum cenſet, *Et Thebæ, & Priami d. r. ſ.* quod probo; quia Propertius Thebas cum Troja libenter conjungit, ut Eleg. 1. ſup. v. 21. & Eleg. 8. v. 10. *Diruta*, everſa; ut Eleg. 1. lib. 4. *Diruta Troja*. & Eleg. ult. ejuſd. libri *Verſa regna*. Et *regna* ait, quia Priamus toti Aſiæ imperavit. Sic Virgilius: *Priami regnorum everſor Achilles*. *Senex Priamus*. Ennius:

Quum veter occubuit Priamus ſub Marte Pelaſgo.

De mulieribus Trojanis vide Eleg. 19. lib. 1. PASS.

v. 55. ET QUÆCUMQUE ERAT IN NUMERO ROMANA PUELLA, OCCIDIT. HAS OMNES IGNIS AVARUS HABET] *In numero*, loco, honore, pretio. Cicero Philipp. 1. *Quem locum apud Cæſarem obtinuiſti? quo in numero fuiſti?* & in Bruto: *Cn. Pompejus Sexti filius aliquem numerum obtineat*. & alibi ſæpe. *Has omnes ignis avarus habet*. Datæ ſunt flammis rogi, & conſumtæ. *Ignis avarus*; cui nihil umquam ſatis eſt, avida rogi flamma & inſatiabilis. Sic Ovidius 3. Amor. Eleg. 3.

Effugiunt avidos carmina ſola rogos.

Et *avarum mare*; Horatius Ode 29. lib. 3. *Acheronta avarum* dixit Virgilius 2. Georg. *Habet*. idem Virgilius lib. 4. Æneid. *Cinis ater habebat*. Et lib. 9. Æneid. *Funus lacerum tellus habet*. PASS. *Erat in numero*. Subaudi *formoſarum*. VULP.

v. 57. NEC FORMA ÆTERNUM, AUT CUIQUAM EST FORTUNA PERENNIS] Formæ flos caducus, herba ſolſtitialis. Tibullus Elegia 4. lib. 1.

Formæ non ullam fata dedere moram.

Æternum, res æterna. ut Virgilius: *Varium & mutabile ſemper Femina*. De inconſtantia Fortunæ, Græcorum eſt parœmia: τύχη εὔστροφος. dixi ad illud Eleg. 8. ſup. *Omnia vertuntur*. *Perenne* alii dictum volunt quod per multos annos, aut per omnes durat; fortaſſe ab amnibus, quorum alii ad tempus fluunt, ut torrentes, alii ſemper, ut juſta flumina. unde

Amne perenne latens Anna Perenna vocor.
PASS.

Æternum. vel ſubaudire oportet *tempus*. nec forma æternum tempus eſt; nempe manet, durat. Virgilius 6. Æneid. v. 617. *Sedet, æternumque ſedebit Infelix Theſeus*. V.

v. 58. LONGIUS, AUT PROPIUS, MORS SUA QUEMQUE MANET] Horatius Ode 3. lib. 2. *Omnes eodem cogimur, omnium Verſatur urnâ ſerius, ocyus Mors exitura*. & Ode 28. lib. 1. *Omnes una manet nox, Et calcanda ſemel via leti*. Virgilius 10. Æneid.

Stat ſua cuique dies, breve & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ.

Noſter Elegia 16. lib. 3.

Sed tamen huc omnes, huc primus & ultimus ordo.
Eſt mala, ſed cunctis iſta terenda via eſt.

Longius, non eſt loci. ut neque *propius*, ſed temporis, ut Eleg. 20. lib. 3. *Tempora noctis Longius, Luna, morare*. Ergo *longius*, ſerius; quia ex longinquo veniens, ſerius venit: & citius, qui ex propinquo. P. *Longius, aut propius, m. ſ. q. m.* Non eſt cur properetis, o dii ſubterranei, Cynthiæ mortem afferre; ſiquidem illa exactâ demum ætate in veſtram ditionem recaſura eſt. Orpheus apud Ovidium lib. 10. Metam. v. 32. Eurydicem ſuam repetens a Plutone:

Omnia debemur vobis: paullumque morati,
Serius aut citius ſedem properamus ad unam.
Tendimus huc omnes, hæc eſt domus ultima: voſque
Humani generis longiſſima regna tenetis.
Hæc quoque, quum juſtos matura peregerit annos,
Juris erit veſtri. pro munere poſcimus uſum.

Mors ſua quemque manet. Par locutio Manilii Aſtron. lib. 1. v. 80.

Et ſua quemque
Advigilare ſibi juſſit fortuna premendo.
VULP.

v. 59.

Tu quoniam es, mea lux, magno demiſſa periclo,
    Munera Dianæ debita redde choros.
Redde etiam excubias divæ-nunc, ante-juvencæ:
    Votivas noctes & mihi redde decem.

El e-

v. 59. Tu quoniam es, mea lux, magno demissa periclo] Si *dimiſſa* legas, ut in aliis libris, plana eſt ſententia. id eſt, cui abire ex eo periculo incolumi licet. nam capti, quum dimittuntur, liberati ſunt. Sin, ut editum eſt, *demiſſa*, &, ut legitur in Elegia quæ proxime ſequitur *Somno demiſſa recenti*, detracta nomini præpoſitio, verbo addita eſt. miſſa de periculo; & miſſa de ſomno. *Miſſa*, id eſt, emiſſa & liberata, ut dicitur mitti, & emitti manu, & ut Cicero in Somnio Scipionis dixit, *Ego ſomno ſolutus ſum*. Sic Eleg. 26. ſup. *Vix ſummas extollens gurgite palmas*. nempe tollens ex gurgite. Aliud eſſet *demittere periculo* tertio caſu; pro, in periculum. ut *demiſere neci*, & *demiſimus Orco* apud Virgilium. Pass.

v. 60. Munera Dianæ debita redde choro] Sic apud Tibullum Carm. 3. lib. 4. *Debita reddere focis* Apollinis. De verbo *Reddere* dixi plura ad Eleg. 19. ſup. v. 19. *Munera*, præmia ſalutis tuæ. Sic Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 13.

Ipſe feram ante tuos munera vota pedes.

id eſt. dona Dianæ promiſſa, antidora, ut dixi ad Eleg. 23. ſup. v. 8. *Debita*, quia voti compos. ut Eleg. 16. lib. 1.

Debitaque occultis vota tuli manibus.

Choro Dianæ. Nymphis, quarum choro & cœtu ſtipata Diana. De his Apollonius Rhodius, ubi πηγὰς deſcribit. Noſter Elegia 4. lib. 4.

Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
    Romula ne faciem læderet haſta Tati.

& Eleg. 17. lib. 1. de Nereiſin:

Candida felici ſolvite vela choro.

Sed alii libri *choros*. quod Scaliger refert ad ea Eleg. 32.

Quum videt accenſis devotam currere tædis
    In nemus, & Triviæ lumina ferre deæ.

choros certe ducebant in ſacris, & laudes deorum canebant. vide Horatium Ode 1. lib. 4. Si, *thola*, legimus; tholus erit pars templi, velut ſcutum breve, in medio tecto, in quo trabes coeunt, ad quod dona conſueverunt ſuſpendi, inquit Servius ad illud 9. Æneid. *Si qua ipſe meis venatibus auxi, Suſpendive tholo*. Pass. *Redde choros*. ita feliciter reſtituit Scaliger. & Lipſius monuerat L. 5. Ant. Lect. C. 20. ego quoque in octo libris *choros* reperi. Volſcus dicit, abortivo ſolutam Cynthiam, atque ideo Dianæ ſacrificaſſe. Unde didicit hunc ritum? -- dixiſſet, votum ſolviſſe Iſidi, atque ideo decem noctes pure habuiſſe. totidem nunc ſibi reddi poſtulat poeta amator. v. Douza Schediaſm. ſuccidan. p. 66. ſeq. Broukh.

v. 61. Redde etiam excubias divæ-nunc, ante-juvencæ] Pervigilium intelligit. & hic excubiæ ſacrorum ſunt, ut apud Virgilium 4. Æneid. *Vigilemque ſacraverat ignem Excubias divûm æternas*. Proprie *excubiæ*, quia extra, id eſt, ante fores templi jacebant. Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Ut mea votivas perſolvens Delia noctes
    Ante ſacras lino tecta fores ſedeat.

Divæ-nunc, ante-juvencæ; Ἰοῦς, de qua dixi plura ad v. 18. hujus Elegiæ. Pass. Elegantia non diſſimili Catullus Carm. 4. *Ubi iſte poſt-phaſelus, antea fuit Comata ſilva*. & Livius lib. 2. Hiſt. *Illos eo potiſſimum anno, patriam libertatem, patrem liberatorem .... induxiſſe in animum, ut Superbo-quondam regi, tum-infeſto exſuli proderent*. Ovidius quoque lib. 3. Amor. Eleg. 6.

Cur modo-Veſtalis, tædas invitor ad ullas?

Denique huic loco Propertii geminus ille Euripidis Hecuba v. 60. Ἄγετ' ὀρθοῦτέ με τὴν ὁμόδουλον-Νῦν, Τρῳάδες, ὑμῖν, πρόσθεν-δ'-ἄνασσαν. Vulp.

v. 62. Votivas noctes et mihi redde decem] *Redde*, inquit, quia totidem abſtuliſti quum in Dianæ vel Iſidis caſtu eſſes. Quot igitur puras habuiſti, tot mihi ſpurcas redde. *Votivæ noctes*, quibus ex voto operatæ erant alicui divo, ut manifeſtum Eleg. 33. infra v. 2. quem locum videſis. & Plautum præterea in Aſinaria initio actus 4. Pass. Ejuſdem fere ſunt claſ-

ſis

fis verba parafiti apud eumdem Plautum Captivis 3, 1, 33.

Qui concilium iniere, quo nos victu & vita prohibeant;

His diem dicam: irrogabo multam: ut mihi cœnas decem

Meo arbitratu dent quum cara annona fit. fic egero. VULP.

ELEGIA XXIX.

HEfterna, mea lux, quum potus nocte vagarer,
Nec me fervorum duceret ulla manus,
Obvia nefcio quot pueri mihi turba minuta
Venerat: hos vetuit me numerare timor.

Quo-

ARGUMENTUM ELEGIÆ XXIX. LIBRI II.] Narrat, fe ab Amorum caterva noctu comprehenfum, & injectis vinculis ad Cynthiam deductum. VULP.

v. 1. HESTERNA, MEA LUX, QUUM POTUS NOCTE VAGARER] Sic Suetonius in Nerone cap. 26. *Poft crepufculum* (noctis) *ftatim, arrepto pileo, vel galero, popinas inibat, circumque vicos vagabatur ludibundus.* Inde *Noctivagus*, Attius Bacchis apud Macrobium: *Almaque curru Noctivago Phœbe*, quod νυκτιπόλος Brimo five Hecate Apollonio. Vetus Gloffarium, *Noctuvagus*, *νυκτοδρόμος*. PASS. In Groningano eft *vagarem*. videndus Nonius in *Vagas*. ego tamen nihil muto, quum non foleat Nofter ancupari voces vetuftas, ac jam fuis temporibus defunctas. BROUKH.

v. 2. NEC ME SERVORUM DUCERET ULLA MANUS] Servos *adverfitores* intelligit; ita enim appellantur, ut docet Donatus in Adelphos, qui advorfum eunt heris a cœna redeuntibus. *Pueros* vocavit Eleg. 3. lib. 1. v. 10. *Manus*, pro multitudine. Sic Elegia 20. lib. 1. *Manus Heroum*. Seneca *fervorum turbam* dixit Confolat. ad Helviam cap. 11. Ovidius 6. Faft.

Hoc eft cur odio fit tibi ferva manus.

id eft, ancillarum turba. *Duceret*, reduceret domum; quia ebriis opus duce. ideo dixit *vagarer*; quod Horatius Epodo 11. *Ferebar incerto pede*. An *duceret*, pro deduceret? id eft, comitaretur: unde deductores candidatorum M. & Q. Ciceronibus. P. Homines genio indulgentes, & libidini dediti, foli plerumque ambulant, ne quis impediat & interturbet. Ideo Palinurus apud Plautum Curcul. 1, 1. reprehendit Phædromum adolefcentem, quod nocte intempefta fine fervis foras iret:

Iftuc quidem nec bellum eft, nec memorabile,
Tute tibi puer es lautus, luces cereum. V.

v. 3. OBVIA NESCIO QUOT PUERI MIHI TURBA MINUTA VENERAT: HOS VETUIT ME NUMERARE TIMOR] Cupidines intelligit, de quibus Papinius Statius in Epithalamio Stellæ & Violantillæ lib. 1. Silv.

Fulcra torofque dea (Veneris) *tenerum premit agmen Amorum.*

Nofter Eleg. 9. fup.

Tela precor, pueri, figite acuta magis.

Anacreon: Τὸ ῥόδον τὸ τῶν ἐρώτων. Appulejus lib. 10. A. A. *Venus circumfufa populo lætiffimorum parvulorum*. Phurnutus plures ait Cupidines fingi propter πολυτροπίαν, hoc eft, morum diverfitatem. Philoftratus in Imaginibus eos ait Nympharum filios. Ideo & Plato ἔρωτα πολυκέφαλον, multorum capitum belluam effe fcribit. *Turba minuta*, pufilla, parvula. Sic Suetonius in Augufto cap. 83. *Nucibufque ludebat cum pueris minutis*. & *minuti philofophi* M. Tullio in Catone: & *minuti canes* Senecæ De Vita Beata cap. 19. *Hos vetuit me numerare timor*. prohibuit, five obftitit & impedimento fuit, ne hos numerarem. Omnis perturbatio animo officit, & ejus luminibus; fed præcipue timor officit memoriæ. quare & in timore videre etiam putamus ea quæ non videmus. Ovidius 5. Metam. in fabula Arethufæ:

Vidi procedere longam
Ante pedes umbram; nifi fi timor illa videbat.
PASS.

Hos vetuit me numerare timor. Etiam iræ hoc proprium eft ut iratos excæcet. Plau-

tus

Quorum alii faculas, alii retinere sagittas,
Pars etiam visa est vincla parare mihi.
Sed nudi fuerant. quorum lascivior unus,
Arripite hunc, inquit: nam bene nostis eum.

Hic

tus Asin. 2, 4, 44.

Non hercle te provideram. quæso, ne vitio vertas,
Ita iracundia obstitit oculis. Vulp.

v. 5. Quorum alii faculas, alii retinere sagittas, Pars etiam visa est vincla parare mihi] Vigilantis somnium est. *Faculas*, parvas faces. Valerius Æditiuus apud Gellium: *Quid faculam præfere, Phileros?* Plautus Persa: *Nequicquam tibi Fortuna faculam lucrificam allucere vult.* De facibus Cupidinum Appulejus lib. 10. A. A. *Velut nuptiales epulas obituræ dominæ coruscis prælucebant facibus.* & *retinere*, pro, tenere. ut Catullus Carm. 63.

Læva colum molli lana retinebat amictum.

Alii, Pars, dictum ut a Virgilio Æneid. 1.

Pars in frusta secant, verubusque trementia figunt,
Litore abena locant alii, flammasque ministrant. Pass.

Alii retinere sagittas. Cogitabam aliquando *tenuere*. sed obstant libri, sensu quoque non incommodo. Broukh. *Quorum alii faculas, a. r. s.* Plures fuisse Cupidines, præter Græcos auctores, testatur etiam Claudianus De Nuptiis Honorii & Mariæ:

Mille pharetrati ludunt in margine fratres,
Ore pares, habitu similes, gens mollis Amorum.
Hos Nymphæ pariunt, illum Venus aurea solum
Edidit.

Quæ tamen dea dicitur Horatio Ode 19. lib. 1. *Mater sæva Cupidinum.* ad quem locum vide Torrentium. Ceterum videtur Propertius Theocritum imitari voluisse; si modo Theocriti est Idyllium in quo parvuli Amores mittuntur a Venere ad aprum vestigandum qui Adonin dente percusserat. Οἱ δ' εὐθέως ποτεὶ Πᾶσαν δραμόντες ὕλαν, Στυγνὸν τὸν ὗν ἀνεῦρον, Δῆσάν τε κἀπέδησαν. Χὼ μὲν, βρόχῳ καθάψας, Ἔσυρεν αἰχμάλωτον· Ὁ δ' ἐξόπισθ' ἐλαύνων, Ἔτυπτε τοῖσι τόξοις. Ὁ θὴρ δ' ἔβαινε δειλῶς· Φοβεῖτο γὰρ Κυθήρην. Nos quoque, si fas est nostra huc afferre, in Lyrico quodam poematio pueros Cupidines Martem armis exuentes ita induximus:

Interdum properas (Mars) *dilectam visere Cypron;*
Ibique, Nymphas inter & molles choros,
Te solam, Cytherea, petit: tibi deditus uni
Dat se protervis exuendum Amoribus.
Quorum alii galeam capiti, clypeumque sinistra
Demunt, jocosa garrientes agmine.
Pars tollunt junctis ingentem viribus hastam,
Pars impedire floribus gestit deum.
Ille, fatur myrrha crines, & dulce renidens,
Jubet valere militarem Thraciam.

Faculas. Si Salmasium audimus Plinian. Exercit. in Solinum pag. 1063. faces erant lignum minutatim concisum in tenues hastulas, veluti aristas, ut facilius flammam conciperent. Has iccirco *spicatas* appellat Gratius Cynegetici v. 484.

Iccirco aëriis molimur compita lucis,
Spicatasque faces sacrum, ad nemora alta, Dianæ
Sistimus.

Virgilius pariter 1. Georg. v. 291.

Et quidam seros hiberni ad luminis ignes
Pervigilat, ferroque faces inspicat acuto.

ad quos versus vide quæ affert Emmenessius. Vulp.

v. 7. Sed nudi fuerant. quorum lascivior unus, Arripite hunc, inquit: nam bene nostis eum] *Sed*, pro tamen, vel autem, vel atqui. Sic Eleg. 8. sup. *Sed non effugies.* & Eleg. 6. sup.

Sed non immerito velavit aranea fanum.

Nudi Cupidines, ut *Nudus Amor*, Eleg. 2. lib. 1. ubi vide adnotata. *Fuerant*, pro, erant. ut Eleg. 5. lib. 4. *Exsequiæ fuerant.* sic infra Eleg. 31. v. 7. *Steterant*, pro, stabant. *Lascivior*, protervior, petulantior. Servius in illud 2. Ecl. *Lasciva capella*; *voluptuosa*, inquit, & *desidiosa*. sic *Amor lascivus* Tibullo & Horatio. *Arripite hunc.* Manum endo jacite. Plautus: *Rapite hunc sublimem.* Arripitur vel homo, vel res: homo ad pœnam, res ad rapinam. Plautus Curc. *Siccine me indemnatum arripi?* Horat in calce Epist. ad Pisones:

Hic erat: hunc mulier nobis irata locavit.
Dixit, & in collo jam mihi nodus erat.
Hic alter jubet in medium propellere: & alter,
Intereat, qui nos non putat esse deos.

Hæc

Quem semel arripuit, tenet, occiditque legendo.

Idem Plautus Persa:

Quod semel arripi des, numquam postea eripi des.

Addendum ad formulas: *Arripite hunc.* ut *Prehende furem.* & regium imperium, *I lictor, colliga manus. Nam bene nostis eum;* quia in ejus medullis habitastis. Eleg. 12. sup.

Quid tibi jucundum siccis habitare medullis?

Et est interdum sermo vituperantis. Catullus Carm. 22.

Suffenus iste, Vare, quem probe nosti. PASS. *Quorum lascivior unus.* scribendum videtur *horum*. nam altero ab hinc versu *quorum* habuimus. quæ compositio dura est, & insuavis. BROUKH.

v. 9. HIC ERAT: HUNC MULIER NOBIS IRATA LOCAVIT] Subaudi quem quærebamus. irati enim abrumpere sermonem solent. & *erat*, pro, est. ut apud Virgilium 12. Æneid.

Hoc erat, hoc votis, inquam, quod sæpe petivi.

Mulier, ἀντονομαστικῶς de Cynthia, ut Elegia 23. lib. 3.

Falsa est ista tuæ, mulier, fiducia formæ.

Sic & Catullus Carm. 69.

Nulli se dicit mulier mea nubere malle,
Quam mihi,

Locavit, nobis tradidit quasi certo constituto pretio vexandum. Ita Plauto, *locare cædundos agnos, mortuum locare efferendum; conduci coctum*, nempe ad coquendum. Eadem sententia Catullus Epigr. 97.

Præterea infesto miserum me tradere amori
Non cessasti, omnique excruciare modo.
PASS.

In uno nostro itemque in Borrichiano est *reliquit*; quomodo fere vulgatæ. atqui nihil illo *locavit* erat elegantius. BROUKH. *Locavit* est in editione omnium principe anni 1472. Subaudi, Puniendum, & indignis modis accipiendum. Locabantur autem proprie opera publica, ædificia, vectigalia, ludi; præterea funera, & alia multa. Qui vero hæc perficienda, expediendaque suscipiebat, is *redemtor* dicebatur. Horatius Ode 1. lib. 3. *Huc frequens Cæmenta demittit redemtor Cum famulis, dominusque terræ Fastidiosus.* loquitur de molium fundamentis in ipsum mare jactis. VULP.

v. 10. DIXIT, ET IN COLLO JAM MIHI NODUS ERAT] Formula in celeritate rei verba consecutæ. Sic Eleg. 9. lib. 3.

Dixit & assiduo lingua sepulta mero.

Nodus συνεκδοχικῶς, pro vinculo; ut Elegia 20. sup.

Me licet æratis adstringant brachia nodis.

ubi mox *catenas* vocat. Hoc genus vinculi quo collum nectebatur, collare appellat Lucilius apud Nonium; Plautus in Captivis cellariam, & in Rudente columbar. De nodo Veneris Martialis Epigr. 13. lib. 6.

Ludis Acidalio sed non Venus aspera nodo,
Quem rapuit collo, parve Cupido, tuo.
PASS.

v. 11. HIC ALTER JUBET IN MEDIUM PROPELLERE: ET ALTER, INTEREAT, QUI NOS NON PUTAT ESSE DEOS] Imitatur Theocritum in Idyllio εἰς νεκρὸν Ἄδωνιν. *Hic*, pro tunc. ut Eleg. 10. v. 22. sup. *Jubet*, præcipit & hortatur fratres qui pone sequebantur. Sic Eleg. 24. sup. *Quod me gaudere jubebas. In medium propellere*, an trudere in medium agmen recusantem sequi? nam unus laqueo & vinculo trahebat, alter propelli & trudi jubebat. & hoc est quod ait Theocritus, Ἔντυπτε τοῖσι τόξοις. *In medium* est etiam in apertum. Plautus Amphitr. *Utrique imperatores in medium exeunt.* inter utrumque exercitum. Ergo hic *in medium*, ut ab omnibus conspiciatur, quia sibi conscius nequitiæ, latebras quærebat. *Non putat esse deos*, vindices nempe illius perfidiæ. sic Petronius: *Nemo cælum cælum putat, nemo jusjurandum servat.* & Ovidius lib. 1. A. A.

Expedit esse deos, &, ut expedit, esse putemus.

vide adnotata ad Eleg. 6. lib. 1. v. 8. PASS.

v. 13.

Hæc te non meritum totas exſpectat in horas,
At tu neſcio quas quæris, inepte, foris.
Quæ quum Sidoniæ nocturna ligamina mitræ
Solverit, atque oculos moverit illa graves:
Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
Sed quos ipſe ſuis fecit Amor manibus.

Par-

v. 13. HAC TE NON-MERITUM TOTAS EXSPECTAT IN HORAS] Te indignum tam facili, tamque fida amica exſpectat qualibet diei & noctis parte. *Non-meritum*, ut Eleg. 13. lib. 3.

At tu non-meritam parcas vexare Lycinnam.

Exſpectat. ſic Eleg. 3. lib. 3.

Quem legat exſpectans ſola puella virum.

Totas in horas. Plautus Milite 2, 2.

Nam os columnatum poetæ eſſe inaudivi barbaro,

Cui bini cuſtodes ſemper totis horis accubant.

Horatius de puero, in Epiſt. ad Piſones: *Mutatur in horas*. PASS. Lactantius ipſo initio libri de Mortibus Perſecutorum: *Audivit Dominus orationes tuas, Donate cariſſime, quas in conſpectu ejus per omnes horas tota die fundis*. BROUAH.

v. 14. AT TU NESCIO QUAS QUÆRIS, INEPTE, FORES] Nempe januam ignobilis puellæ & vilis. *Inepte*, inſulſe. dictum ad Eleg. 18. ſup. v. 28. Amor plens res ineptiarum, nec habet quid penſi & decori. unde *Ineptus amor* Tibullo. PASS. Acute Douza P. *foris*. tu neſcio quas nugas meretricularum foris quæris, quum formoſiſſimam Cynthiam languere ſinas domi. Cicero Accuſ. 3. in Verr. C. 90. *Non circumſpiciam, non quæram foris, quum habeat indices principes civitatis*. Philipp. 2. C. 11. *Hi igitur his majoribus ab alienis potius conſilium peterent, quam a ſuis? & foris potius, quam domo?* Plautus Aſin. 2, 2, 53. *Habeo opinor familiarem tergum, ne quæram foris*. elementa I. & E. facillime commutantur. BSOUKH.

v. 15. QUÆ QUUM SIDONIÆ NOCTURNA LIGAMINA MITRÆ SOLVERIT, ATQUE OCULOS MOVERIT ILLA GRAVES] *Mitra* muliebre capitis ornamentum & molle, non fuit Sidoniorum & Phœnicum, ſed Lydorum. Noſter Eleg. 15. lib. 3.

Cingat Baſſaricas Lydia mitra comas.

& Eleg. 7. lib. 4.

Mitratiſque ſonant Lydia plectra choris.

Virgilius 4. Æneid. *Mæonia mitra*. & Ovidius in Epiſt. Dejaniræ. Aut igitur eſt hypallage, pro, Sidonia ligamina nocturnæ mitræ, id eſt, purpurea; ut Eleg. 16. ſup. *Sidonia veſtis*; aut mitra ipſa e purpura ſignificatur. niſi ſuſpicari libeat ſcribendum eſſe *Mygdonia*, id eſt, Lydiæ, & Mæoniæ. *Ligamina mitræ*, vincula quibus religatur ſub mentum. vide Servium in illud 9. Æneid.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

A mitra ὑποκρεκτὴ *mitella*, in Copa Virgilii. *Nocturna*, quæ noctu ſolvuntur [an potius nectuntur?] ut *Nocturnis vinis* Elegia 16. lib. 1. *Oculos moverit illa graves*. Suſtulerit gravatos ſomno, ut te aſpiciat experrecta. Sic Virgilius 4. Æneid. de Didone moriente:

Illa graves oculos conata attollere, rurſus Deficit.

Calvus apud Priſcianum lib. 9. *Gravis ingenti connivere pupula ſomno*. *Movere*, attollere. contra Virgilius 4. Æneid. *Immota tenebat Lumina*. PASS. *Tyria mitra* dixit Seneca Œdip. v. 418. & *riculam oſtrinam* Turpilius apud Nonium in *Rica* --- Poteſt & *Sidonia* capi pro *Lydia*, enallage non nimis licente: atque ita capit Tragicus Romanus Hercul. for. v. 467.

Fulſitque pictum veſte Sidonia latus.

loquitur enim de Herculis cultu muliebri apud Omphalen Lydiæ reginam. tum poſt pauca,

Mitrâ ferocem barbarâ frontem premens.

BAOUSH.

Oculos moverit illa g. τὸ *illa* παρέλκει. V.

v. 17. AFFLABUNT TIBI NON ARABUM DE GRAMINE ODORES] Oculi ejus experrectæ, inquit, meros amores (qui in oculis habitant) eoſque ſuaviſſimos ſpirabunt. Ita

Ho-

Parcite jam, fratres: jam certos ſpondet amores:
Et jam ad mandatam venimus ecce domum.
Atque ita me injecto duxerunt rurſus amictu.
I nunc, & noctes diſce manere domi.

Mane

Horatius Ode 13. lib. 4. *Quæ ſpirabat amores*. Anacreon παῖδα Κύπριν πνέουσαν dixit, & Bion in Epitaphio Adonidis, *Τὸ σὸν μύρον ὤλετ' Ἄδωνις*. *Tuum unguentum periit, Adonis*. nempe tua gratia, & amor quem ſpirabas. *Adſlare*, & ſiderum eſt, & fluminis. at Eleg. 3. ſup. *Sidera noſtra* dixit de oculis. & Eleg. 9. lib. 4. *Fulminat illa oculis*. *Arabum de gramine odores*. Myrrham intelligit Beroaldus. ſane & Ovidius Epiſt. Sapphûs:

Non Arabum noſter rore capillus olet.

Iccirco Tibullus Carm. 2. lib. 4.

Cultor odoratæ dives Arabs ſegetis.

& Plautus Pœnulo 5, 4. *Arabus* (ita Chariſius) *murrhinuſque odor omnia complebat*. Noſter quoque Eleg. 11. lib 3.

Et Tyros oſtrinos præbet Cadmæa colores,
Cinnamon & multi paſtor odoris Arabs. P.

v. 18. SED QUOS IPSE SUIS FECIT AMOR MANIBUS] Quaſi Amor faciat unguentariam. Catullus Carm. 13.

Nam unguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt Veneres Cupidineſque.

Non diſſimile illud Horatii Epodo 5.

Nardo perunctum, quale non perfectius
Meæ laborarunt manus. PASS.

Odores quos Amor fecit. nempe unguenta odorata. Lucretius lib. 2. v. 846.

Sicut amaracini blandum, ſtactæque liquorem,
Et nardi florem, nectar qui naribus halat,
Quum facere inſtituas, cum primis quærere par eſt,
(Quoad licet, ac poteris reperire) inolentis olivi
Naturam, nullam quæ mittat naribus auram.
VULP.

v. 19. PARCITE JAM, FRATRES: JAM CERTOS SPONDET AMORES] Sic loquuntur, quibus ſatis exhauſtum pœnarum videtur. Virgilius 3. Æneid.

Quod miſerum, Ænea, laceras? jam parce ſepulto.

Fratres, ut Statius lib. 1. Silv. Carm. 2. *Pharetrati preſſere ſilentia fratres*. *Certos ſpondet amores*. ſe fidum futurum promittit. Elegia 14. lib. 1.

Tunc mihi ceſſuros ſpondent mea gaudia reges.

Spondere, ait Verrius apud Feſtum, & Varro 5. de L. L. eſſe dictum, quod ſponte ſua, id eſt, voluntate promittatur. Ibidem Feſtus: *Spondere* antea ponebatur, pro, dicere: unde & *reſpondere*; quamvis poſtea uſurpari cœptum in promiſſo. Apud Juriſconſultos tamen ſponſio ſtipulationi jungitur, quum pollicitatio ſit ſolius offerentis promiſſio. Itaque promittere genus eſt, ſpondere & polliceri ſpecies. *Certos amores*, ut Eleg. 8. lib. 1.

Nec mihi rivalis certos ſubducet amores. P.

v. 20. ET JAM AD MANDATAM VENIMUS ECCE DOMUM] Id eſt, ad quam juſſi ſumus deducere. Aliud eſſe videtur, *Venire domum*. Qui domum venit, ingreſſus eſt: qui ad domum, foris ſtetit. Cicero tamen utroque modo loquitur. Eadem ſententia Epiſt. 19. lib. 9. ad famil. *Neſcis tu me ab illo omnia expiſcatum. recta eum a porta domum meam veniſſe. neque hoc admiror, quod non ad tuam potius; ſed illud, quod non ad ſuam*. τὸ *ecce*, interponitur, ut in Ithyphallico carmine: *Velim pol, inquit; at pol, ecce, villicus venit*. PASS. Ecce, quaſi opinione citius. Servius ad L. 2. Æn. *In ſomnis ecce ante oculos mœſtiſſimus Hector*] *hac particula utimur quoties aliquid repentinum volumus indicare, ut: Ecce manus juvenem interea poſt terga revinctum*. Aſconius Pedianus in 2. Verrin. *Ecce autem*] *Proprium hoc Ciceronis eſt in rebus improviſis, quod cum cura Virgilius & legit, & tranſtulit: ut. Ecce autem gemini a Tenedo*. BROUKH.

v. 21. ATQUE ITA ME INJECTO DUXERUNT RURSUS AMICTU] Ex hoc loco κατὰ σιωπώμενον intelligendum, vel detractum ei amictum, vel ſane rejectum fuiſſe, ut dixit Eleg. 23. ſup. v. 13. quum laqueus ejus collo injectus fuit. *Injecto amictu*. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 4.

Veſte ſub injecta dulce peregit opus.

Duxerunt, ut judicatum, addictum & nocentem. τὸ *Rurſus* ambigue, aut *duxerunt rurſus*,

fus, aut *injecto rursus amictu*. Si *duxerunt rursus*, id erit, Quum ducere me cœpissent, restiterunt ut me plecterent, deinde iterum duxerunt. An *rursus*, retro? Donatus in Adelphos: *Rursum est retroversum, ut prorsum, porro versum*. Varro apud Nonium, in *Rursus*, *retro*: *Mortales rursus ac prorsus meant*. An *injecto amictu* collo, ut obtorto collo sua ipsius veste retro traxerint? P. Palatinus prior Gebhardi habebat *dixerunt*. lege cum ingeniosissimo pariter ac felicissimo Nic. Heinsio, ad L. 5. Metam. v. 114.

Atque ita mi injecto dixerunt rursus amictu.

veste rursus mihi injecta ita dixerunt:

I nunc, & noctu disce manere domi.

& hoc quoque sanius, quam *noctes*. Plautus Trinum. 2, 2. dixit *noctu ire obambulatum*. sed videre debes ipsas magni illius Æsculapii poetarum Notas. BROUKH. Probarem & ego conjecturam viri doctissimi Nic. Heinsii, nisi & versus horridior, & sententia languidior, fieret. Deinde sequentem versum ita accipere possumus, ut Propertius ipse se objurget, qui scilicet noctu domo exierit, & in grassatores inciderit. *Noctes* autem hoc loco elegantius & ποιητικώτερον censeo, quam *noctu*. Quærat aliquis non sine caussa, quid sibi velit τὸ *injecto amictu*. Sciendum est ganeones illos veteres, quoties nocturno tempore ad lustra, vel popinas ire placuisset, caput pallio, vel cucullo, vel pileo tectum habuisse. Suetonius in Nerone cap. 26. *Post crepusculum statim, arrepto pileo, vel galero, popinas inibat, circumque vicos vagabatur ludibundus*. Julius Capitolinus in Vero: *Fertur & nocte perpeti alea lusisse, quum in Syria concepisset id vitium, atque in tantum vitiorum Caianorum, & Neronianorum, & Vitellianorum fuisse æmulum, ut vagaretur nocte per tabernas ac lupanaria, obtecto capite cucullione vulgari viatorio, & commisceretur cum triconibus, & committeret rixas, dissimulans quis esset*. Huc pertinet illud Horatii Sat. 7. lib. 2. v. 54.

Prodis ex judice Dama

Turpis, odoratum caput obscurante lacerna.

Juvenalis quoque Sat. 8. v. 144.

- - - Nocturnus adulter

Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Nota sunt similia flagitia prurientis Messalinæ, quæ sic insectatur idem poeta Sat. 6. v. 117.

Ausa Palatino tegetem præferre cubili,

Sumere nocturnos meretrix augusta cucullos.

& v. 120.

Sed nigrum flavo crinem abscondente galero

Intravit calidum veteri centone lupanar.

His moribus & Græci usi. Lucianus in Dialogo Charontis & Mortuorum: Μηκέτι δειπνήσεις πολυτελῆ δεῖπνα, μηδὲ νύκτωρ ἐξιὼν, ἅπαντας λανθάνων, τῷ ἱματίῳ τὴν κεφαλὴν κατειλήσας περιέισιν ἐν κύκλῳ τὰ χαμαιτυπεῖα. Ponamus igitur, Propertium capite operto fores meretricum quæsivisse, ne scilicet ab occurrentibus agnosci posset: deinde a Cupidinum grege detectum, & inspectum diligenter: postremo agnitum, vinctum, & ad amicam deductum, minutos illos satellites evasisse; qui tamen antequam abirent, *injecto rursus amictu*, id est, capite iterum obvoluto, his verbis temulentum prosecuti sint:

I nunc, & noctes disce manere domi.

quasi dicerent: Te quidem a vinculis nostris liberum dimittimus; at cave ne in posternm aliquid simile committas, ut nimirum amicam frigidam in lecto relinquas. *Manere domi*, est a latere puellæ non discedere. Supra Eleg. 1.

Ex hac ducentur funere nostra domo.

& clarius Eleg. 24.

In primis una discat amare domo..

Sane isti nocturni grassatores capita redeuntium a cœna nonnumquam revelabant. Quod Catoni Uticensi, notissimæ severitatis viro, evenisse narrat Plinius lib. 3. Epist. ad Attil. Sever. *Erunt*, inquit, *officia antelucana, in quæ incidere impune ne Catoni quidem licuit. quem tamen C. Cæsar ita reprehendit, ut laudet. Describit eos quibus obvius fuerit, quum caput ebrii retexissent, erubuisse. Deinde adjicit: Putares non ab illis Catonem, sed illos a Catone deprehensos*. Quid, quod a lictoribus capita reorum tegi & obvolvi solebant? Cicero lib. 2. de Inventione, ubi de controversia in scripto: *Ei statim, quod effugiendi potestas non fuit, lignea solea in pedes indita sunt, os autem obvolutum est folliculo, & præligatum: deinde est in carcerem deductus*. Silius Italicus lib. 11. v. 259.

Obnubitur atra

Veste caput, trahiturque ferox ante ora suorum.

Spero jam ab omnibus intellectum iri, quid sit *amictum injicere* hoc Propertii versu, qui sane adhuc obscurissimus fuit. VULP.

v. 22. I NUNC, ET NOCTES DISCE MANERE

Mane erat, & volui, si sola quiesceret illa,
Visere: at in lecto Cynthia sola fuit.
Obstupui. non illa mihi formosior umquam
Visa, neque ostrina quum fuit in tunica.

Ibat

KERE DOMI] Memento non amplius oostu vagari. *I nunc*, *εἰρωνεία*, vel *σαρκασμός*. ut Ovidius Epist. Briseidos:

I nunc, & cupidi nomen amantis habe.

& alibi sæpius. Noster Eleg. 18. lib. 3.

I nunc tolle animos, & tecum finge triumphos.

Disce. ut Eleg. 5. lib. 1.

Tum grave servitium nostræ cogere puellæ
Discere.

ubi vide adnotata. PASS.

v. 23. MANE ERAT, ET VOLUI, SI SOLA QUIESCERET ILLA, VISERE: ET IN LECTO CYNTHIA SOLA FUIT] *Mane erat*, quod dixit *exactis sideribus* Eleg. 3. lib. 1. *Mane*, inquit Varro 5. de L. L. *diei principium*, *quod tum manat dies ab oriente*. nisi potius, quod bonum antiqui dicebant manum. Ad ejusmodi religionem Græci quoque quum lumen affertur solent dicere *φῶς ἀγαθόν*, quia malæ tenebræ. Nonius, *Manum*, *clarum*; *unde mane pars diei prima*. vide & Pompejum Festum. *Si*, pro an, ut Eleg. 3. sup.

Quærebam, sicca si posset piscis arena,
Nec solitus ponto vivere torvus aper.

Terentius in Se ipsum cruciante 1, 1. *Ibo ut visam si domi est*. Plautus Asin. 2, 3. *Si is est jam scire potero*. PASS. Adde Ciceronem io Topicis: *Si expetenda divitiæ, si fugienda paupertas*. Virgilium Æneid. 4. v. 110.

Sed fatis incerta feror, si Juppiter unam
Esse velit Tyriis urbem Trojaque profectis.

Ovidium Epist. Hypsipyles:

Devicto serpente, iterum si vivat Iason,
Quærimus.

& Epist. Oenones, item Epist. Herûs: Auctorem denique Liberi Carminis Epigr. 3. *Rogatque nautes, Si pictas opus edat ad figuros*. ad quem locum vide Casparem Scioppium. VULP.

v. 25. OBSTUPUI. NON ILLA MIHI FORMOSIOR UMQUAM VISA, NEQUE OSTRINA QUUM FUIT IN TUNICA] Præ admiratione steti quasi stupes, obtutu hæsi defixus in uno; intentis hæsi defixus ocellis. Virgilius 1. Æneid.

Obstupuit primo aspectu Sidonia Dido.

Non illa mihi formosior umquam Visa, numquam mihi magis placuit. *Visa*, ut Elegia 31. infra: *Phœbo visus mihi pulcrior ipso*. *Fuit in tunica*, dictum ut versu proximo *In veste*, & Eleg. 2. lib. 4.

Mundus demissis institor in tunicis.

Ovidius 8. Metam. *In palla formosus erat*. Sic vulgo dicunt *Estre en cotte*. *Ostrina*, purpurea. dixi ad Eleg. 14. lib. 1. v. 20. P. Juvenalis pariter Sat. 10. *In tunica Jovis*. Plinius quoque H. N. lib. 33. cap. 1. *Divo Augusto decurias ordinante, major pars judicum in ferreo anulo fuit*. Hoc loquendi genus a Græcis derivatum. Plutarchus io Sertorio: *Πατέρες ἥδοντο θαυμαστῶς, τοὺς παῖδας ἐν περιπορφύροις ὁρῶντες*. *Patres miram voluptatem animo capiebant, quum viderent liberos in toga prætexta*. *Non illa mihi formosior umquam Visa*. Neque hujusmodi blanditias prætermisit Franciscus Petrarcha quum Lauram suam alloqueretur. ita enim (*nel Sonetto* 158.)

Nè voi stesso, com' or, bella vid' io
Giammai; se vero al cor l' occhio ridice.
VULP.

Neque ostrina quum fuit in tunica. Bene restituit Fruterius *fluit*, L. 1. Verisim. C. 14. quem idcirco, Gebhardus, at non necessario ingeniosum, carpere non debebat. Noster L. 3. Eleg. 25.

Et feriet nudos veste fluente pedes.

Auctor Elegiæ in obitum Mæcenatis:

Lydia te tunicâ jussit lasciva fluente
Inter lanificas ducere pensa suas.

Ovidius L. 3. Art. Amat.

Hæc movet arte latus, tunicisque fluentibus auras
Excipit.

fluit etiam apud alios in *fuit* mutatum est. Cicero L. 4. ad Attic. epist. 16. *Res fluit ad interregnum; & est nonnullus odor dictaturæ*. ibi quoque *fuit* legebatur ante Paullum Manutium. BROUKH. *τὸ fuit* melius respondet præcedentibus quam *fluit*. deinde recte dixeris *tunicam* & *vestem fluentem* : puel-

Ibat & hinc castæ narratum somnia Vestæ,
Neu sibi, neve mihi quæ nocitura forent.
Talis visa mihi somno demissa recenti.
Heu quantum per se candida forma valet!

Quo

puellam vero *fuere in tunica*, fortasse non ita concinne. VULP.

v. 27. IBAT ET IN CASTA NARRATUM SOMNIA VESTA] Lux huic versui est ab illo Eleg. 4. sup.

Quæ mea non decies somnia versat anus?

ubi vide adnotata. *Narrat somnia*, qui ea defert ad conjectorem; ut quidam apud Plautum Curcul. 2, 2. & 3. somniasse se narrat ovum pendere e fascia lecti cubicularis. Vide Cicer. 2. de Divin. Plautus Amph. 2, 2.

Recte dicis, ut commeminis, somnium narras tibi.

In casta veste, quia somnia quibusdam sacris expianda. ut dicetur ad Eleg. 4. lib. 4. *Casta vestis*, pura, sine maculis, eademque linea. Virgilius 12. Æneid. *Puraque in veste sacerdos*. Turnebus lib. 7. Adverf. cap. 26. alteram lectionem exponit: *Ibat & hinc castæ narratum somnia Vestæ*. Veteres, inquit, ad depulsionem malorum somniorum, quam viderant speciem narrabant diis, ac sæpe domesticis, ut Vestæ, & Græci quidem Apollini προςατηρίῳ, liminum & vestibulorum præsidi, & Soli. Hæc ille triplici errore, & quia ad Vestam mittit impudicam, & quod diis domesticis narrare putat, quum dixerit, *Ibat*, & quod de veste sermonem hic esse non videt, quum præcesserit mentio *tunicæ*. Huc pertinet illud Tibulli Carmine 2. lib. 4.

Urit, seu Tyria voluit procedere palla,
Urit, seu niveâ candida veste venit.

ubi *Tyria palla*, *ostrina*, & *vestis nivea*, *casta*. vide Eleg. 10. lib. 3. v. 15. PASS. *Castæ Vestæ* habent omnes libri. Turnebus bene exponit. Passeratius immerito reprehendit. videsis Gebhardi notam. BROUKH. Editio quoque princeps Turnebo suffragatur. & sane quum proxime antecesserit *in tunica*, molestum & incultum esset subjungere *in veste*. Sophocles Electra v. 427. hunc ritum veterum tangit:

Τοιαῦτά τα παρόντος, ἡνίχ᾽ ἡλίῳ
Δείκνυσι τοὔναρ, ἔκλυον ἐξηγουμένου.

Hoc mihi quidem, qui tum audivit, quum ipsa Soli Narravit somnium, indicavit. ad quem locum vetus poetæ Scholiastes consulendus. Prodigiali etiam Jovi supplicabant qui tristia viderant somnia. vide Plautum Amphitr. 2, 2. a v. 107. VULP.

v. 28. NEU SIBI, NEVE MIHI QUÆ NOCITURA FORENT] Ne obesse possent, sed procurarentur & expiarentur. Tibullus Elegia 5. lib. 1.

Ipse procuravi, ne possent sæva nocere
Somnia, ter salsâ deveneranda molâ.

τὸ *quæ*, pro qua & aliqua, ut Eleg. 16. lib. 1.

Hæc ille, & si quæ miseri novistis amantes.
PASS.

Explicationem Passeratii confirmant illa ex Eleg. 3. lib. 1.

Obstupui vano credulus auspicio:
Ne qua tibi insolitos portarent visa timores.
VULP.

v. 29. TALIS VISA MIHI SOMNO DEMISSA RECENTI] Persimile est Eleg. 3. lib. 1.

Talis visa mihi mollem spirare quietem.

Demissa somno recenti. an nuper in somnum dalapsa, ut eadem Eleg. 3. lib. 1.

Dum me jucundis lapsam sopor impulit alis?

Sed sequentia repugnant, ex quibus constat experrectam. Ergo *demissa somno*, de somno missa (id est somno soluta nuper. Cicero 6. de Rep.) ut dictum ad Eleg. prox. sup. v. 57. *Recenti*, nomen pro adverbio; ut eadem Eleg. *Nocturna vela*; & Eleg. 3. lib. 1. *Furtiva poma*. PASS. Hæc non cohærent; neque alterum membrum comparationis usquam comparet. quocirca videndum, si levicula, vel nulla potius, immutatione fulciri potest locus labascens:

Qualis visa mihi somno demissa recenti,
Et quantum per se candida forma valet!

cogitabunt homines elegantes, quibus aures sunt poeticæ. nam hos tabernarios versifices nihil moramur; non si vel Delphis Bæotiis regnum habuerint,

Sceptrumque docta gesserint tumidi manu.
BROUKH.

Cur, quæso, hæc non cohærent, Broukhusi ele-

Quo tu matutinus, ait, ſpeculator amicæ?
Me ſimilem veſtris moribus eſſe putas?
Non ego tam facilis: ſat erit mihi cognitus unus,
Vel tu, vel ſi quis verior eſſe poteſt.

Ap-

elegantiſſime? nonne paullo ante dixit poeta: *Non illa mihi formoſior unquam Viſa?* Talis igitur, ait, mihi viſa eſt, nempe formoſiſſima, vix experrecta, nondum pexa, comta, ornata. quod indicium eſt formæ auxiliis externis non indigentis. At ſæpe interpretes nodum in ſcirpo. *ſomno demiſſa recenti*. ſup. Eleg. 28. *magno demiſſa periclo*. VULP.

v. 30. HEU QUANTUM PER SE CANDIDA FORMA VALET!] *Heu* eſt hic admirantis, non ingemiſcentis; ut Eleg. 15. lib. 3. *Heu nullis capta Lycinna dolis*. Quintilianus lib. 1. cap. 6. *Heu* aſſeverationem eſſe ait. *Per ſe*, vi ac natura ſua, ſine alterius rei adjumento, ſine fuco, ſine ornatu & cultu. Ita Cicero, *Per ſe expetenda virtus*. vide hac de re Eleg. 2. lib. 1. Tibullus quoque Eleg. 8. lib. 1.

Forma nihil magicis utitur auxiliis.

Forma valet. ut Eleg. 5. ſup. *Cynthia forma potens*. PASS. Nihil vetat, *heu* hoc loco eſſe ingemiſcentis. poteſt enim poeta ingemiſcere, quum cogitet formam Cynthiæ ſibi cruciatus cauſſam eſſe, vel eam ornandi nullum finem facere. Sic Eleg. 15. lib. 3. *Heu nullis capta Lycinna datis*, ſignificat dolere Propertium de aliarum puellarum avaritia. *Quantum per ſe candida forma valet!* Galenus Paræneſi cap. 10. Τὸ ἀληθινὸν κάλλος ἀκριβῶς ἐξετάζεται αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ προσιόντων ἁπάντων γυμνωθέν. *Vera pulcritudo certe exploratur ipſa per ſe, rebus omnibus foris obvenientibus nudata*. VULP.

v. 31. QUID TU MATUTINUS, AIT, SPECULATOR AMICÆ?] τὸ *quid* eſt objurgantis. *Matutinus*, ἠῷος. Sic Apollonius Rhodius lib. 4. ait Medeam dici ἠείην ad fanum venire. & noſter *matutinas alites* vocat Eleg. 16. lib. 1. ubi vide adnotata. *Speculator amicæ*, ut Diogenes Philippo κατάσκοπος τῆς ἀπληστίας. *Speculator* invidioſe, & a re militari translatum. Varro 5. de L. L. *Specula, de qua proſpicimus; ſpeculator, quem mittimus ante, ut reſpiciat quæ volumus*. Feſtus in *Explorare*: *Speculator ab exploratore hoc diſtat, quod ſpeculator hoſtilia ſilentio perſpicit: explorator pacata clamore cognoſcit*. Virgilius 12. Æneid. *Caſtra ut Dauniùm ſpeculator adiret*. *Speculator*, κατάσκοπος Græcis, venit cum ſtudio nocendi. hinc Cicero 3. de Nat. Deor. *Furiæ ſpeculatrices & vindices facinorum*. Mire igitur repugnantia conjunxit, *ſpeculator amicæ*, tanquam hoſtis. *Veſtris moribus*. nempe virorum libidini, levitati, perfidiæ. poſitum autem eſt pro, vobis. ut Eleg. 15. ſup.

Non tamen iſta meos mutabunt ſecula mores.
PASS.

Quid tu. *Quo tu*, Vaticanus Livineji; Borrichianus; Comelini membranæ; Groninganus; unus Colbertinus; unus noſter. eleganter. Virgilius Eclog. 3. *Quo nunc ſe proripit ille?* adludunt ceteri; ubi quæ; cum editionibus primis. BROUKH. Omnium princeps editio, *Quod*. *Veſtris moribus*. Ita Penelope Ovidiana: *Quæ veſtra libido eſt*. VULP.

v. 33. NON EGO TAM FACILIS: SAT ERIT MIHI COGNITUS UNUS] Facilis, levia & mutabilis. eſt autem vitii, non laudis. ut Eleg. 21. ſup.

Ah nimium faciles aurem præbere puellæ.

Sat erit mihi cognitus unus. uno vivam contenta, cujus ſpectata fides. Sic Eleg. 9. lib. 4. *Poto non ſatis unus erit*. *Cognitus*, ut Eleg. 15. lib. 1.

Non quia perſpectâ non es mihi cognita famâ.
PASS.

τὸ *cognitus*, vocabulum nequam, Taubmannus explicatum dedit ad Moſtellariam Plauti 4, 2, 13. nam Paſſeratius non bene ceperat. BROUKH.

v. 34. VEL TU, VEL SI QUIS VERIOR ESSE POTEST] Id eſt, certior, fidelior. nam fides, ut ait M. Tullius 1. Offic. eſt dictorum factorumque conſtantia & veritas. Sic Eleg. 15. ſup. v. 30. *Verus amor*. Non hæc in laudem Propertii dicuntur; nam pugnantia loqueretur, quæ dixit:

Me ſimilem veſtris moribus eſſe putas?

ſed

Apparent non ulla toro veſtigia preſſo,
Signa voluptatis: nec jacuiſſe duos.
Adſpice ut in toto nullus mihi corpore ſurgat
Spiritus, admiſſo notus adulterio.
Dixit, & oppoſita propellens ſuavia dextra,
Proſilit in laxa nixa pedem ſolea.

Sed vel ſic capienda: Si tu verus eſſe potes, quod non puto propter perfidiam communem virorum: vel, Si quis etiam poteſt eſſe te verior, pro, ac non omnes perfidi & leves, ſatis erit ille mihi, quum talem cognovero. Ariadna Catulli dixit omnes viros mendaces ac fallaces eſſe. PASS.

v. 35. APPARENT NON ULLA TORO VESTIGIA PRESSO] T. Livius lib. 1. *Quærenti viro, Satin' ſalva? Minime, inquit; quid enim eſt ſalvi mulieri amiſſâ pudicitia? veſtigia, Collatine, alieni viri in lecto ſunt tuo.* Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Semper ſint externa tuo veſtigia lecto.

Petronius: *Ego ne ſuſpicioni relinquerem locum, lectulum veſtimentis implevi, uniusque hominis veſtigium ad corporis mei menſuram figuravi. Toro preſſo*, ut Ariadna Ovidii ad lectum:

Preſſimus, exclamo, te duo: redde duos.

& lib. 2. Amor. Eleg. 13.

Cur preſſus prior eſt interiorque torus? PASS.

Confer lepidam fabulam apud Ariſtænetum L. 2. Epiſt. 22. BROUKH. Ita M. Tullius Orat. Frument. in C. Verrem: *Quid facerent miſeri? aut quid recuſarent? præſertim quum in lectulo decumanæ mulieris veſtigia viderent recentia, quibus illum inflammari ad perſeverandum intelligebant?* VULP.

v. 36. SIGNA VOLUPTATIS: NEC JACUISSE DUOS] Sic emendandum cenſeo:

Signa voluptati non jacuiſſe duos.

ex loco ſimili Eleg. 16. lib. 2. *Excluſis ſigna jacere foces.* Et *voluptati* regitur vel a *jacere*, vel a *ſigna*. *Jacere voluptati*, ad voluptatem fruendam. ut Virgilius Ecl. 6. *Somno videre jacentem*, id eſt, ad ſomnum capiendum. PASS. Huic lectioni & explicationi aſſentiri non poſſum. Sic interpungo:

Apparent non ulla toro veſtigia preſſo,
Signa voluptatis: nec jacuiſſe duos.

Veſtigia, ſeu figuræ duorum corporum in lecto, ſigna ſolent eſſe perceptæ voluptatis. hæc vero nuſquam apparebant: neque ex iis, quæ nulla erant, conjici poterat, duos jacuiſſe. VULP.

v. 37. ADSPICE UT IN TOTO NULLUS MIHI CORPORE SURGAT SPIRITUS, ADMISSO NOTUS ADULTERIO] Nec oris anhelitus, nec palpitatio ulla oriatur & excitetur; ut ſolet iis qui in Veneris palæſtra certarunt. vide Auſonium Centone Nuptiali. Suetonius in Auguſto cap. 69. aliud ſignum adulterii narrat, feminam conſularem e triclinio in cubiculum abductam coram viro; rurſus in convivium rubeſcentibus auriculis & incomtiore capillo reductam. *Admiſſo adulterio.* ſic Eleg. 15. lib. 1. *Admiſſæ nequitiæ.* & Eleg. 9. lib. 4. *Admiſſæ culpæ.* Admittere, leviſſimo verbo, culpam & pœnam commereri, quia non caveris. unde & olim judices pronuntiabant, *Parum caviſſe*, pro, feciſſe. Ipſe adulter admitti dicitur. *Admittere culpam*, & *in ſe admittere culpam*, uſitati erant loquendi modi, teſte Donato in Phormionem. *Adulterium* hic pro ſtupro: vel quia ei Cynthia uxoris loco. Eleg. 6. ſup.

Semper amica mihi, ſemper & uxor eris.

Suetonius in Caligula cap. 11. *Ganeas & adulteria ambire.* id eſt, ſtupra & proſtibula. *Notus.* ſolitus & manifeſtus: vel ex quo noſcitur admiſſum adulterium. PASS. Notaverat Douza P. in libri ſui margine, *natus.* an males, *admiſſi notus adulterii?* Horatius L. 2. Ode 2. *Notus in fratres animi paterni.* BROUKH.

v. 39. DIXIT, ET OPPOSITA PROPELLENS SUAVIA DEXTRA] Manum objiciens oſculo, & ita a ſe procul repellens. Horatius Epodo 3. *Manum puella ſuavio opponat tuo, Extrema & in ſponda cubet. Propellere*, procul pellere; quod aſpellere & ciſpellere Plautus. Idem Horatius Ode 4. lib. 4. *Nido le-*

Sic ego tam sancti custos excludor amoris.
Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

laborum propulit inscium. *Suavia.* Donatus in Eunuchum: *Tria sunt*, inquit, *osculandi genera, osculum, basium, suavium. Oscula officiorum sunt; Basia pudicorum affectuum; Suavia libidinum, vel amorum.* [Hæc tamen apud scriptores non raro confunduntur.] Varro (apud Nonium in *Osculum*) de Vita Pop. Rom. *Ideoque hoc ab ore, dicitur osculum, non a suavitate; unde suavium, quod simile sit suavitati.* PASS. *Opposita p. s. d.* Illud Plauti simile Casina 5, 2, 14. *Reppulit mihi manum, nec quietum dare sibi savium me sivit.* Ceterum, *conquiescere opposita ad oculos manu*, dixit Suetonius in Augusto cap. 78. & Lactantius Div. Instit. cap. 1. de primis illis philosophis: *Ubicumque rerum natura ingeniis eorum quasi manus apposuerat, ut rationem possent aliquam reddere; testificari solebant, nihil scire se, nihil cernere.* VULP.

v. 40. PROSILIT IN LAXA NIXA PEDEM SOLEA] Id est, procul salit. Impetum animi & corporis significat. Horatius Sat. 7. lib. 2.

- - - - Tolle periclum,
Jam vaga prosiliet frenis natura remotis.

nempe, se se projiciet. Virgilius 5. Æn. *Finibus omnes Haud mora prosiluere suis.* *In laxa solea.* Sic Ovidius 1. Artis Amat.

Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.

aluta scilicet. Intellige soleam habenis nondum vinctam; ita enim A. Gellius lib. 3. cap. 20. Quas Plinius ansas vocat, de Apelle & sutore loquens. Tibullus quoque Eleg. 8. lib. 1.

Ansaque compressos colligat arcta pedes.

Nixa pedem solea. soleæ incumbens pede, ut Eleg. 3. lib. 1. *In molli nixa toro cubitum.* Vide Catullum Carm. 67. Turpilius Demetrio apud Nonium in *Primores*. *Sandalio innixa primoribus digitis.* *Solea*, inquit Isidorus lib. 19. *quibus tantum pedum planta teguntur, dicta a solo pedum.* Item soleæ materiales, ex materia corio intexta. Vide Gellium lib. 13. cap. 20. & Festum in *Solea*. Apud Horatium Sat. 8. lib. 2. *Soleas poscit*, qui vult surgere e triclinio. Sunt & soleæ jumentorum. Catullus Carmin. 17. *Ferrea mula solea.* Suetonius Nerone cap. 30. *Soleis mularum argenteis.* P.

v. 41. SIC EGO TAM SANCTI CUSTODE EXCLUDOR AMORIS] An scriptum fuit, *custos secludor?* Secludi, pro, excludi, ut notatum ad Eleg. 20. lib. 1. ut sit: Ego custos, seu nimium curiosus observator & speculator amicæ tam probæ & castæ excludor hoc pacto. Cicero in Divinat. *Custodes in comitiis*, nempe observatores. Ita Plautus Pseudolo, & Noster Eleg. sequ. *Excubat ille acer custos.* *Tam sancti amoris;* puellæ, amicæ, ut Eleg. 13. sup.

Unius hic quondam servus amoris erat.

Sanctus amor, castus; ut *sanctus homo* Ciceroni, integer. PASS. *Custode recludor amoris.* Si ita legendum esset, posset significare ipsam Cynthiam, quæ amorem Propertio debitum sancte pudiceque servaret. *Custode* autem, pro, *a custode*. VULP.

v. 42. EX ILLO FELIX NOX MIHI NULLA FUIT] Subaudi *tempore*. Virgilius 2. Æneid.

Ex illo fluere ac retro sublapsa referri
Omnia.

Integram locutionem habes Eclog. 7. in calce:

Ex illo Corydon Corydon est tempore nobis.

Sic dicitur & *ex quo*. *Felix nox*, quæ candida Eleg. 15. sup. PASS. Ovidius pariter Epist. Hypermnestræ:

Scilicet ex illo Junonia permanet ira,
Quo bos ex homine est, ex bove facta dea.

& lib. 3. Metam. v. 393.

Pudibundaque frondibus ora
Protegit, & solis ex illo vivit in antris. V.



ELEGIA XXX.

QUo fugis, ah demens? nulla eſt fuga. tu licet uſque
Ad Tanaim fugias, uſque ſequetur Amor.
Non, ſi Pegaſeo vecteris in aëre dorſo:
Nec, tibi ſi Perſei moverit ala pedes.

Vel,

ARGUMENTUM ELEGIÆ XXX. LIBRI II.] Cynthiam, vel ſe ipſum (nam id ambiguum & incertum eſt) peregrinari cupientem revocat ab incœpto, oſtenditque, malos rumores de ipſorum amoribus per urbem ſparſos contemtu excipiendos eſſe, neque propterea ipſis Roma in longinquas regiones migrandum. Vitam hilarem & voluptariam convenire adoleſcentibus, & poeticæ rei ſtudioſis affirmat. Joſephus Scaliger, ſi umquam aliàs, in hac Elegia & duabus ſequentibus plura ſibi licere voluit; de tribus unam fecit, &, contra fidem librorum, quæ minus intelligebat (ſit ſuus honor veritati) omnino miſcuit atque pervertit. VULP.

v. 1. QUO FUGIS, AH DEMENS? NULLA EST FUGA. TU LICET USQUE AD TANAIM FUGIAS, USQUE SEQUETUR AMOR] Abire parabat in longinquam provinciam Cynthia, ut hi verſus infra oſtendunt:

Nunc jam, dura, paras Phrygias nunc ire per undas,
Et petere Hyrcani litora nota maris.

Itaque hæc Elegia ad Cynthiam, non ad ſe ipſum: ut alii. Eodem argumento ſcripſit Eleg. 8. lib. 1. τὸ *Fugis*, invidioſe, tamquam hoſtem. ut Virgilius 4. Æneid. *Mene fugis?* & Ecl. 2. *Quem fugis, ah demens? Nulla eſt fuga.* nil proderit fugere. ut Eleg. 14. lib. 1.

Nulla mihi triſti præmia ſunt Venere.

Uſque fugies, uſque ſequetur; διλογία; nam prius eſt loci, poſterius temporis & loci ſimul. *Tanaim*, pro Scythia ipſa poſuit, quia amnis eſt Scythiæ; quem Horatius Ode 4. lib 3. intelligit: *Et Scythicum inviolatus amnem*. Idem Ode 20. ejuſdem libri vocat *Extremum*. Hodie *la Tana*. Strabo lib. 2. a Septemtrione fluere in Mæotin paludem ait. Plinius in prooemio lib. 3. *Terrarum termini Tanais & Nilus*. Idem de Tanai multa lib. 6. cap. 7. PASS. Male omnino Paſſeratius, ut & alii fere interpretes, ad Cynthiam refert diſtichum illud: *Nunc jam, dura, paras*, &c. ut infra oſtendetur manifeſto. Ceterum, Amorem effugi non poſſe, eleganter docet lena illa Plautina Aſin. 1, 3, 4.

Fixus hic apud nos eſt animus tuus clavo Cupidinis.
Remigio veloque quantum poteris, feſtina & fuge.
Quam magis te in altum capeſſis, tam æſtus te in portum refert.

Faciunt & illa apud Euſtathium in calce lib. 2. de Iſmeniæ & Iſmenes amoribus, quæ afferam Latine reddita: *Tu vero Cupidinis deſertor, quem in locum, in quo terrarum ſolo illum fugies? in cælos? at antevertet*

Præpetibus pennis auſus ſe credere cælo.

in profundum? tunicam exuet, jamque tuâ cauſſâ exuit. in terram? arcu te conſequitur. vidiſtine nudum Amorem, igne, telis, pennis inſtructum? Adde Senecam Epiſt. 28. *Animum*, inquit, *debes mutare, non cælum. Licet vaſtum trajeceris mare, licet (ut ait Virgilius noſter) terræque urbeſque recedant: ſequentur te, quocumque perveneris, vitia.* Plato quoque lib. 10. de Legibus pag. 905. Edit. H. Steph. eodem fere modo ait, deorum tribunal declinari non poſſe: Οὐ γὰρ ἀμεληθήσῃ ὑπ' αὐτῆς· οὐχ οὕτω σμικρὸς ὢν δύσῃ κατὰ τὸ τῆς γῆς βάθος· οὐδ' ὑψηλὸς γενόμενος, εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναπτήσῃ. lege ſis quæ ſequuntur. VULP. *Tu licet uſque Ad Tanaim fugias.* Quamvis fugere velis ad extremum mundi terminum, ubi deſinere creditur rerum natura. dictum puto ſupra. BROUKH.

v. 3. NON, SI PEGASEO VECTERIS IN

Vel, si te sectæ rapiant talaribus auræ:
Nil tibi Mercurii proderit alta via.
Instat semper Amor supra caput. instat amanti,
Et gravis ipse super libera colla sedet.
Excubat ille acer custos, & tollere nusquam
Te patietur humo lumina capta semel.

Et

ABRE DORSO] Sic Eleg. 1. lib. 3.

Et mecum in curru parvi vectantur Amores.

Dorso Pegaseo, equi Pegasi, cui insidens Bellerophon Chimæram domuit, & a quo excussus est. De hac fabula plura dicam ad illud Eleg. 3. lib. 3.

Bellerophontei qua fluit humor equi.

Dorsum nunc, olim, *dossum* dixere; unde *dossuaria jumenta* Varroni. PASS.

v. 4. NEC TIBI SI PERSEI MOVERIT ALA PEDES] De Perseo Ovidius 4. Metam. Homerus 14. Iliad. Hyginus lib. 2. Poet. Astron. qui talaria & petasum a Mercurio scribit eum accepisse quum ad cædem Medusæ proficisceretur. At Apollodorus lib. 2. talaria a Nymphis ait accepisse, non a Mercurio. *Ala*, enallage numerorum; quia geminæ alæ. Sic *penna* dicitur ab Ovidio lib. 2. A. A.

Nec suus Andromedæ color est objectus ab illo
Mobilis in gemino cui pede penna fuit.

unde a Catullo *Pennipes*. Idem Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 8.

Nunc ego jactandas optarem sumere pennas,
Sive tuas Perseu, Dædale sive tuas.

Moverit pedes, volare fecerit, & iter liquidum carpere. ut Eleg. 23. sup. *Campo quo movet illo pedes*. PASS. v. Huetius ad Antholog. p. 1. seq. BROUKH.

v. 5. VEL, SI TE SECTÆ RAPIANT TALARIBUS AURÆ] Rapide ferant, ut Elegia 15. lib. 1. *Æsoniden rapientibus anxia ventis*. & Horatius Ode 11. lib. 3. *I, pedes quo te rapiunt & auræ*. *Aura secta*, sulcatus aër. Sic Virgilius 4. Æneid. *Ventosque secabat*. & Ovidius 4. Metam. *Talaribus aëra findit*. Dicitur etiam secare fluctus & viam. De talaribus Mercurii Homerus lib. ult. Iliados, & in Odyssea: Ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα. Quod Virgilius 4. Æneid. *Pedibus talaria nectit Aurea*. Hinc Mercurium Ovidius vocat *Alipedem deum*, Orpheus in ejus Hymno πτηνοπέδιλον. Fulgentius id exponit, de negotiatorum semper properantium celeritate. Apud Homerum Odysseæ 7. iisdem talaribus utitur Minerva. PASS. *Plantaria* vocant Valerius Flaccus L. 1. Argon. & Papinius L. 1. Thebaid. BROUKH. *Rapiant*. Alii libri *moveant*. minus recte. VULP.

v. 6. NIL TIBI MERCURII PRODERIT ALTA VIA] Frustra per aërem fugies, nam te cito pennis suis Amor consequetur. *Alta via*, πορείας aëris, per quem itque reditque Mercurius. Sic *Cœli vias* dixit Virgilius. vide Nonium in *Explicare*. PASS.

v. 7. INSTAT SEMPER AMOR SUPRA CAPUT. INSTAT AMANTI] Imminet semper cervicibus. qua de re dictum ad Eleg. 1. lib. 1.

Et caput impositis pressit Amor pedibus.

Sic fere locutus de superstitione Lucretius lib. 1.

Horribili super aspectu mortalibus instans.

Seneca lib. de Tranquillitate cap. 10. *Quibusdam aliena supra caput imperia sunt, quibusdam sua*. PASS. Idem philosophus lib. 7. de Beneficiis cap. 14. *Illic enim stat acerbus super caput creditor*. VULP.

v. 8. ET GRAVIS IPSE SUPER LIBERA COLLA SEDET] *Amor gravis*, pondere curarum opprimens. Eleg. 19. lib. 3.

Ut me longa gravi solvat amore via.

Significat, Amorem, quasi superbum dominum, a succollantibus amantibus, ut servis, gestari. Plautus in Asinaria ait, *inequitare hominibus liberis*. *Colla libera*, nempe hominum liberorum, ut Eleg. 5. lib. 4. *Barbara colla*. PASS. *Amor gravis*. *Leves* tamen *curas* amantium vocavit Eleg. 12. sup. sed sunt curæ graves de rebus levibus. V.

v. 9. EXCUBAT ILLE ACER CUSTOS, ET TOLLERE NUSQUAM TE PATIETUR HUMO LUMINA CAPTA SEMEL] Pervigil manet, assi-

Et jam si pecces, deus exorabilis ille est,
  Si modo præsentes viderit esse preces.
Ista senes licet accusent convivia duri.
  Nos modo propositum, vita, teramus iter.
Illorum antiquis onerentur legibus aures:
  Hic locus est, in quo tibia docta sones;

Quæ

assidue speculatur & observat quid agat quisque. De verbo excubandi dictum ad Eleg. 28. sup. v. pænult. *Acer*, vel sævus, vel diligens, & strenuus & indefessus. *Custos*, speculator, ut dixi ad v. pænult. Eleg. sup. prox. *Tollere humo lumina*. erectis oculis intueri non sinet, sed eos coget humi defigere, ut dictum ad Eleg. 1. lib. 1. v. 3. *Lumine capta*. domitos a se oculos. unde Plautus Bacchid. *Ego animo cupido, atque oculis indomitis fui*. *Oculis capti*, ut *capti mentis amantes*, quia oculos Amor sagittis petit. *τὸ Semel*, actum esse significat, nec ullum regressum, ut Eleg. 13. lib. 1. *Quoniam semel es periturus amore*. PASS. Ovidius hanc significationem mirifice confirmat:

Nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia est: deperit illa semel. V.

v. 11. ET JAM SI PECCES, DEUS EXORABILIS ILLE EST] Facilis, placabilis, quia puer, qui iram *colligit & ponit temere*. Sic Juvenalis Sat. 13. *Sed & exorabile numen Fortasse experior*. *Deus ille*, ut *His deus*, de Amore Eleg. 26. sup. v. 52. P.

v. 12. SI MODO PRÆSENTES VIDERIT ESSE PRECES] Quæ peccatum mox sequantur: nam sera supplicatio minus movet. Ideo dixit Eleg. 9. lib. 1. *Quamprimum errata fatere*. Sic præsens pœna, mors, exitium, pecunia. Virgilius 1. Æneid.

Præsentemque viris intentant omnia mortem.

Preces, quæ multum in amore valent, ut dixi ad Elegiam 1. lib. 1. *Viderit*, pro audierit, senserit; nam alioqui Amor cæcus fingitur. PASS.

v. 13. ISTA SENES LICET ACCUSENT CONVIVIA DURI] Per me licet morosi ac difficiles senes vituperent ista nostra pocula, dummodo nos, mea lux, modo nostro vivamus. Contra Eleg. 15. sup.

Hæc certe merito poterunt laudare minores.
Læserunt nullos pocula nostra deos.

Amore & potare, sæpe conjunguntur, quia *sine Cerere & Baccho friget Venus*. *Senes duri*, qui nos volunt nasci senes, ut ait Terentius. Sic *Morosa canities* Horatio Ode 9. lib. 1. & *Senes severiores* Catullo Carm. 5. P. Byblis Ovidiana lib. 9. Metam. v. 550.

Jura senes norint: & quid liceatque, nefasque,
Fasque sit, inquirant; legumque examina servent:
Conveniens Venus est annis temeraria nostris.
Quid liceat, nescimus adhuc, & cuncta licere
Credimus, & sequimur magnorum exempla deorum.

Convivia. Plautus Mostell. 1, 1, 35.

Lubet potare, amare, scorta ducere.

Sallustius quoque Bello Jugurth. in Oratione Marii: *Ament, potent*. VULP.

v. 14. NOS MODO PROPOSITUM, VITA, TERAMUS ITER] Sic Tibullus Eleg. 6. lib. 3.

Vos modo proposito dulces faveatis amici.

Est formula conditionis adjectæ. ut Elegia 1. lib. 1.

Sit modo libertas, quæ velit ire, loqui.

Propositum, susceptum. dixi ad Eleg. 20. lib. 1. v. 40. *Teramus iter*. ἀλληγορικῶς. ut Eleg. 25. sup.

Unusquisque sua noverit ire via.

ubi vide adnotata. PASS.

v. 15. ILLORUM ANTIQUIS ONERENTUR LEGIBUS AURES] Senes illi duri sæpe audiant prisca & severa majorum instituta, ita ut auribus illorum gravis ac molestus sermo sit. Horatius Sat. 10. lib. 1.

--- Nemo
Se impediat verbis lassas onerantibus aures.

Virgilius 11. Æneid.

Surgit, & his onerat dictis, atque aggerat iras.

Declamator nomine Sallustii in Ciceronem: *Etiamne odio tuo aures nostras onerabis?* Facete autem: *Illorum antiquis onerentur l. a.* nempe, sibi illa canant, & audiant ipsi quæ nos audire volunt. *Antiqua lege*, ut

Pri-

Quæ non jure vado Mæandri jacta natasti,
Turpia quum faceret Palladis ora tumor.
Num jam, dura, paras Phrygias nunc ire per undas,
Et petere Hyrcani litora nota maris?

Spar-

Priscus parens Catullo : *Priscus Cato* Horatio : & *Prisce*, Ciceroni pro Cœlio. *Jura vetera* dixit Eleg. 6. lib. 1. PASS. *Antiquis legibus*. sanctissimis, quibus plurimum accessit reverentiæ ab ipsa temporis longinquitate. Cicero pro Rabir. Post. C. 4. *Si est hoc novum in lege Julia, sicuti multa sunt severius scripta, quam in antiquis legibus, & sanctius, inducatur sane etiam consuetudo hujus generis judiciorum nova*. BROUKH. *Onerentur legibus aures*. obruantur ingestis antiquorum institutis & præceptis. Locutio Plautina est Mil. Glor. 3, 3, 58. *Ecquid hic te oneravit præceptis?* & Pseud. 2, 4, 74. *Onerabo meis præceptis Simiam*. Acriori verbo usus est Persius in re non prorsus dissimili, Sat. 1.

Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? VULP.

v. 16. HIC LOCUS EST, IN QUO TIBIA DOCTA SONES] Nunc tempus & occasio est canendi, & conquerendi. Tibia querimoniæ apta, ut adnotavi ad Eleg. 7. sup.

Tibia funestâ tristior illa tubâ. PASS.

Quid hic sibi velint querelæ, equidem fateor me non intelligere. Sermo enim est de hilaritate convivii. VULP.

v. 17. QUÆ NON JURE VADO MÆANDRI JACTA NATASTI] Quæ immerito abjecta a Minerva fluitasti in aqua, sive fluento Mæandri. *Non-jure*, ἀδίκως. ut Eleg. 3. lib. 1. v. 8. *Non-certis manibus*. & Eleg. 4. lib. 1. *Non-tacitis vocibus*. De Mæandro dicetur ad Eleg. ult. *Natasti*. fluitasti. dictum ad Elegiam 25. sup. v. 24. PASS.

v. 18. TURPIA QUUM FACERET PALLADIS ORA TUMOR] Ovidius lib. 3. A. A. v. 505.

I procul hinc, dixit, non es mihi, tibia, tanti,
Ut vidit vultus Pallas in amne suos.

Apud Pausaniam in Atticis Minerva Marsyam Silenum cædit, quod tibias, quas ipsa abjecerat, sustulerit. Idem in Corinthiacis, post casum Marsyæ in amnem ejusdem nominis ait abjectas, & ab eo in Mæandrum dejectas, qui detulerit in Asopum. ejectas deinde illinc in agrum Sicyonium pastor quidam sustulit, & Apollini dicavit. Vide Apollodorum lib. 1. Aristoteles lib. 8. Politic. cap. 6. ait, non tantum ob oris deformitatem abjectas a Minerva tibias, sed quod ad cognitionem animi ac scientiam, quæ Minervæ attributa est, nihil facerent. Idem fecisse Alcibiadem, quod Minervam, scribit Plutarchus in Alcibiade, & A. Gellius lib. 15. N. A. cap. 17. & inde desitum tibia canere ab ingenuis. vide in primis Hyginum Fab. 165. *Tumor*, inflatæ buccæ. ut Plautus Pseudolo:

Suffla celeriter tibi buccas, quasi proserpens bestia.

Faceret turpia, deformaret, turparet. ut Eleg. 18. sup. *Facere scissas genas*. PASS. Membranæ, *pallidus ora timor*. veram lectionem debemus Beroaldo, minime sua laude fraudando. super ipsa fabula videre potes Athenæum L. 14. Hyginum Fab. 165. Ovidium L. 3. Art. Amat. & Fastor. L. 6. Lil. Greg. Gyraldum Hist. Deor. Syntag. 11. P. Leopardum L. 2. Emend. C. 13. Delrium Comm. in Senec. Agam. v. 346. & in L. 2. Claudiani in Eutropium. BROUKH. Adde Fulgentium Lib. 3. Mythologiæ, & Thomam Dempsterum Paralip. ad cap. 13. lib. 1. Joannis Rosini Antiq. Rom. *Tumor*. Teste Julio Polluce lib. 4. Onomast. cap. 9. laudabantur tibicines, si inflandâ tibiâ minime vultuosos se præberent, neque faciei statum a recto multum immutarent. id erat nimirum venuste canere, & ut peritos decebat. Contra, eos improbabant qui maxillas inter canendum, præter modum, tumefacerent, labia diducerent, sanguineam oculorum aciem intorquerent. VULP.

v. 19. NUNC JAM, DURA, PARAS PHRYGIAS NUNC IRE PER UNDAS] Alii libri: *At tu dure*, ut tibia Propertium ipsum objurget. *Nunc jam*; convenit indignanti & conquerenti. Dixi ad illud Catulli Carm. 63.

Nunc jam nulla viro juranti femina credat.

Paras ire per undas Phrygias. per Hellespontum. ita enim exponit Servius illud

Vir-

Spargereque alterna communes cæde penates,
Et ferre ad patrios præmia dira lares?

Una

Virgilii 1. Æneid.

Bis denis Phrygium conscendi navibus æquor. & Plinius lib. 5. H. N. cap. 30. *Hellesponto adjacet Troas. Per undas ire*, significatio periculi. ut Eleg. 1. lib. 1. *Ferte per undas.* & apud Virgilium 4. Æneid.

I sequere Italiam ventis, pete regna per undas. PASS.

v. 20. ET PETERE HYRCANI LITORA NOTA MARIS] De Hyrcano mari Plinius lib. 6. cap. 13. ubi ait, illud e Scythico Oceano erumpere: iccirco superius, facta mentio Tanais, quasi in Scythiam proficisceretur. Strabo lib. 11. Hyrcanum mare, quod & Caspium dicitur, ait portendi usque ad Scythas Indis vicinos. Nescio igitur an Indicam profectionem hic significet, de qua Elegia 4. lib. 3. An per litora maris Hyrcani, Hyrcaniam ipsam significat, ut Eleg. 1. sup. *Litora Phari*, id est, Pharum? Quid est *litora nota?* an ita nota, quum sint maxime longinqua? an infamia & nobilia naufragiis? an, quod fertilissima regio Hyrcania, nota mercatoribus & negotiatoribus? PASS.

v. 21. SPARGEREQUE ALTERNA COMMUNES CÆDE PENATES] ut Eleg. 8. sup. *Spersas cæde jecore comas. Alterna cæde*, sanguine meo & tuo, inquit Beroaldus. quasi id minetur se facturum quod Eleg. 8. sup. est minatus:

Sed non effugies, mecum morieris: oportet
Hoc eodem ferro stillet uterque cruor.

Verum si loquitur de bello civili, erit nostro sanguine & militum Antonii. Obscurus est locus. Qui *communes penates?* an domus tuæ & meæ simul? nam *Tu mihi sola domus, tu Cynthia sola parentes.* An quia Penates sunt communes omnium dii, licet sui cuique sint? De diis communibus dictum ad Eleg. 11. lib. 1. v. 16. PASS. *Spargereque alterna.* elisio admodum insuavis. plures libri, *Spargere & alterna;* quod potius reor. ceterum spissæ mihi tenebræ hic sunt iter illud per Phrygium & Hyrcanum mare; cædes illa alterna, & dira cædis præmia. explicent quibus Sphynx est domi. Tamen videamus si explicari possint citra Sphyngis ministerium. Cynthia aliquando secuta est prætorem nescio quem, qui Illyriam teneret. Cum eo prætore in Pontum quoque pervenisse videtur. atque ibi duas tunc cædes factas fuisse vel constitit, vel rumor frequens distulit. Certe reversam Cynthiam statim fuisse veneficii postulatam, nec plene convictam, atque adeo absolutam, hi versiculi ostendunt:

Non tua deprenso damnata est fama veneno.
Testis eris puras, Phœbe, videre manus.

Quamquam versiculus minor ambustam potius discessisse indicat, quam absolutam. nam quorsum Solis testimonium, si judicum hoc sententiis potuit probari? *Dira præmia* sunt spolia hujus prætoris diri facinoris merces. Ceteram fugam Cynthiæ excusat Helenæ ac Veneris exemplis, quarum utraque maritum deseruit, externo amore capta. unde suspicari licet, Cynthiæ maritum, quum isthæc fierent, in censum Libitinæ nondum fuisse transcriptum. veneficii sive culpam sive suspicionem alibi quoque amoliri est conatus, Eleg. 12. [15.] ubi morem suum vivendi cum Cynthia paullo solutiorem excusabat:

Hæc certe merito poterunt laudare minores:
Læserunt nullos pocula nostra deos. BROUKH.

TOTUS HIC LOCUS a nemine adhuc intellectus est, quod sciam: absit dicto invidia. Nollem, Broukhusium, egregie cordatum hominem, in eo explicando, levissimis conjecturis, immo somniis, largiter indulsisse; quod profecto non solet. Cynthia enim cogitaverat quidem sequi prætorem, qui res Illyriæ administratum ibat: non tamen constat secutam esse. Contrarium potius colligitur ex Eleg. 8. lib. 1. & ex Eleg. 16. hujus libri. nempe illam destitisse ab incœpto precibus Propertii victam; & prætorem, expilata provincia locupletem factum, cupide ad Cynthiam rediisse Romam, & cum ea libidinibus & conviviis dedisse operam. Deinde veneficium Latine vix dicatur cædes. Neque distichum allatum, ubi fit mentio veneficii, pertinet ad Cynthiæ facinus aliquod ejus generis: poeta enim eo exemplo significat solum, puras esse ab omni scelere Cynthiæ manus. Solem vero præterea testem citat, quod

cum

cum omnia cernere & audire veteres existimarent. Versus antem Eleg. 12. seu 15. quos profert Broukhusius, aliorsum omnino spectant, & intemperantiam juvenilem tantum excusant; quod asoti & luxuriosi homines atrociora scelera, & reipublicæ noxia raro admodum in sa admittant. Sed nimirum in has tenebras & caliginem inductus est vir elegantis ingenii, quod Scaligero auscultaverit, omnia sibi in Propertio licere volenti, & quatuor hosce versus temere transponenti, atque ita sententiam corrumpeoti. Poeta pergit alloqui tibiam, ad qoam sermonem antea converterat. Sic Horatius Ode 11. lib. 3. *Tuque testudo resonare septem Callida nervis, Nec loquax olim, neque grata, nunc & Divitum mensis, & amica templis, Dic modos Lyde quibus obstinatas Applicet aures.* Et Ode 32. lib. 1. *Age dic Latinum, barbite, carmen: Lesbio primum modulate civi.* Veteres porro in conviviis, & in prœliis tibiam adhibebant: iccirco ait Propertius, ejus usum potiorem esse in conviviis, quam in prœliis. Lydorum hic mos fuit, si Herodoto credimus, qui hæc scribit in Clio cap. 17. de Alyatte Lydiæ rege: *Ἐσέβαλλε τὴν στρατιήν. ἐστρατεύετο δὲ ὑπὸ συρίγγων τε καὶ πηκτίδων, καὶ αὐλοῦ γυναικηΐου τε καὶ ἀνδρείου.* hoc est, *Exercitum immittebat, faciens expeditionem ad cantum fistularum, fidiumque, ac tibia tam muliebris quam virilis.* E Græcis Thebani, sed Lacedæmonii præcipue, a Lycorgo instituti, præeuntibus tibicinibus pugnam inibant, teste Sex. Empirico adversus Musicos num. 9. Polyæno Strategematum lib 1. cap. 10. qui narrat, deum oraculo Lacedæmoniis victoriam prodidisse, simul ac cum tibicinibus bella gererent. In Leuctris autem victores Thebanos, victos Spartanos fuisse, quod hi sine tibicine contra hostem tibia utentem pugnavissent; denique A. Gellio N. A. lib. 1. cap. 11. cujus eodem loco verba sont ad hunc Propertii locum illostrandum unica facientia: *Halyattes autem rex terræ Lydiæ, more atque luxu barbarico præditus, quum bellum Milesiis faceret, ut Herodotus in historiis tradit, concinentes fistulatores & fidicines, in exercitu atque in procinctu habuit, lascivientium delicias conviviorum.* Quod autem Propertius *Phrygias undas* memorat, Hellespontum scilicet, adludit manifesto ad Themistoclis tibiam, qua ipsas Athenas in naves deduxit: ubi ad tibiæ modos remigabant alii, alii pugnabant: utrique vincebant. Hinc tot illa victoriarum monumeota: hinc Laconica Atticaque tropæa mari terraque parta, com inscriptionibus pulcherrimis erecta fueront. Testatur id, præter ceteros, Maximus Tyrius Dissertat. 21. Nemo nescit, Xerxem Persarum regem, Græciam invasurum, super Hellespontum pontem construi jussisse, quem postea venti dirupere. Phryges præterea, tibicines erant celeberrimi. Catollos Galliambo:

Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo.

curvus calamos, ipsa tibia. Qaum & Persæ igitur, & Græci tibiam ducem in exercitu haberent, iccirco Noster Hyrcani maris mentionem facit, & ejus litora vocat *nota*, scilicet regiones ei mari adjacentes, imperio terrarum olim illustres. Nempe ἡ μεγάλη Μηδία, Perside, Parthia, Hyrcania & mari Caspio sive Hyrcano claudebatur. Tribuit porro ipsi tibiæ Umber poeta, quasi duci & imperatori, cædes alternas & promiscuas, quod ea præiret militibus in expeditionibus & prœliis. Huc pertinet Æsopi Fabula 142. de tubicine excitanta milites ad prœliom. *Communes Penates*, ut recte Passeratius, dii sunt qui ab omnibus adorabantur. En tibi, lector candide, hunc locum antea frustra tentatum ab interpretibus, tandem a nobis explicatum & in aperto positum. *Spargereque alterna c. c. p.* Elisio durior quidem, sed a Lucretio non semel usurpata. Tibullus quoque Eleg. 3. lib. 1.

Reddereque antiquo menstrua tura Lari. VULP.

V. 21. ALTERNA CÆDE.] Seneca Agamemn. v. 44.

Jam jam natabit sanguine alterno domus.
BROUKH.

Alterna cædes fit, quum modo hæ partes, modo illæ superiores, vel inferiores a prœlio discedunt. Horatios de Samnitibus, certo gladiatorum genere, Epist. 2. lib. 2.

Cædimur, ac totidem plagis consumimus hostem. VULP.

V. 22. ET FERRE AD PATRIOS PRÆMIA DIRA LARES] Ovidios Remed. Amor.

Et refer ad patrios bina tropæa deos.

& Epist. Penelopes:

Ponitur ad patrios barbara præda deos.

Præmia, spolia & prædam. Dixi ad Elegiam 4. sup.

Nam cui non ego sum fallaci præmia vati?

Dira,

Una contentum pudeat me vivere amica?
  Hoc si crimen erit, crimen amoris erit.
Mi nemo objiciat. libeat tibi, Cynthia, mecum
  Roscida muscosis antra tenere jugis.
Illic adspicias scopulis hærere sorores;
  Et canere antiqui dulcia furta Jovis:

Ut

Dira, nefanda & exsecranda [utpote parta sanguine tot millium hominum.] Si *digna præmia*, *ἐπαινία* erit. sed error est operarum. An prædam detractam prætori nescio cui a Cynthia? PASS.

v. 23. UNA CONTENTUM PUDEAT ME VIVERE AMICA?] Illud non dissimile Elegia 22. sup.

Aspice uti cælo modo Sol, modo Luna ministret.
Sic etiam nobis una puella parum est.

Contentum una vivere, cui satis una sit; ut Eleg. ult. lib. 4. *Si forte mea contentus manserit umbra*. & Plautus: *Quæ proba est, contenta est uno viro*. *Vivere*, pro esse: monui sæpius. PASS. Huic versui omnino apponenda est nota interrogationis; est enim sententia: Pudeátne me, si te unam, o Cynthia, amem? puderet merito, si amoris desultor essem, si vulgivaga venere uterer: nunc autem fidei & constantiæ laudem in amore aucupor, quod mihi pudori esse non debet. Passeratius videtur legere sine interrogatione: propterea male explicat. Sed plerumque poetarum interpretes de connectendis sententiis non valde laborant. V.

v. 24. HOC SI CRIMEN ERIT, CRIMEN AMORIS ERIT] Si hoc reprehendetur, Amor ipse culpam omnem sustinebit. Sic fere Virgilius 7. Æneid. *Crimen amor vestrum*. & Ovidius Epist. Didûs:

Quod crimen dicis, præter amare, meum? P.

Crimen amoris erit. Non aliam ob caussam prisci mortales Venerem & Cupidinem inter deos collocaverunt, nisi ut liberius genio indulgerent, & cupiditatibus impune frena laxarent. Ita & Lyconides Plautinus Aulul. 4, 10. confidit se excusatum iri apud Euclionem, cujus filiam virginem vitiaverat:

Deus mihi impulsor fuit, is me ad illam illexit.

Sed reapse non superis hortantibus flagitia committuntur; at potius *sua cuique Deus fit dira cupido*. Vide omnino Senecam Tragicum Hippolyto a v. 194. VULP.

v. 25. MI NEMO OBJICIAT. LIBEAT TIBI, CYNTHIA, MECUM ROSCIDA MUSCOSIS ANTRA TENERE JUGIS] Formula amatoris gaudia rogantis, *Libeat tibi*, unde libidinis nomen. Virgilius Ecl. 2.

O tantum libeat mecum tibi sordida rura
Atque humiles habitare casas.

Tenere, quod Virgilio *habitare*. sic 1. Æn. *Tyrii tenuere coloni*. id est incoluere. *Antra roscida*. Catullus Carm. 60. *Thespiæ rupis Aonios specus, Lympha quos super irrigat Frigerans Aganippe*. ut ea quæ sequuntur indicant. *Roscida*, *δροσόεντα*. vide adnotata ad Eleg. 20. lib. 1. v. 36. Dixit *antra*, quia his Musæ delectantur. PASS. Proba sunt, *rosçidus*, *rosidus*, *roridus*, pro diversa ratione scribendi, origine eadem. Noster secundus *antra subire*; quod possis ex Ovidio tueri, L. 13. Metam. ubi de Polyphemo:

Aut gradiens ingenti litora passu
Degravat, aut fessus sub opaca revertitur antra.
BROUKH.

Successimus antro, dixit Virgilius Ecl. 5. *Antra* delicias poetarum esse, pluribus testimoniis comprobat acutissimus Bentlejus ad Horatium Ode 32. lib. 1. Hic autem Propertii locus indicat, Cynthiam poeticis delectari, & scribendi carminis facultate præstare. VULP.

v. 27. ILLIC ADSPICIES SCOPULIS HÆRERE SORORES] Sic Ennius apud Ciceronem in Bruto:

Quum neque Musarum scopulos quisquam superarat,
Nec dicti studiosus erat.

Hærere scopulis, insidere [aut inniti]. Sic Ovidius 3. Metam. *Ne scopulis hærerem semper iisdem*. Aliud est quod Virgilius 4. Æneid. de quercu: *Ipsa hæret scopulis*. Ho-

Ut Semela est combustus, ut est deperditus Io:
Denique ut ad Trojæ tecta volarit avis.
Quod si nemo exstat qui vicerit alitis arma,
Communis culpæ cur reus unus agor?

Nec

Horatius Ode 24. lib. 3. dixit *Hærere equo*. Ut hic Musas scopulis insidentes, ita Amphionem e rupe Aracynthi canentem fingit Eleg. 15. lib. 3. Elegia vero 1. ejusd. libri ait, *Opus* suum esse *de monte Sororum*, PASS.

v. 28. ET CAMERE ANTIQUI DULCIA FURTA JOVIS] Juppiter interdum juvenis fingebatur; unde Axurus, sive Anxurus Virgilio, nempe ἄνευ ξυροῦ, id est, sine novacula, imberbis: interdum senex. Juvenalis Sat. 6.

Quis tamen affirmet, nihil actum in montibus, aut in
Speluncis? adeon' senuerunt Juppiter & Mars?

Vide Junium Proverb. 97. Cent. 3. Sed verius est hic esse hypallagen, pro *antiqua furta*. ut Eleg. 2. sup.

Juppiter, ignosco pristina furta tua.

Dulcia furta. [Tibullus Carm. 5. lib. 4. *dulcissima furta*] & Horatius *Dulces amores* dixit. PASS.

v. 29. UT SEMELE EST COMBUSTUS, UT EST DEPERDITUS IO] Nempe, ut Semeles amore conflagravit, & combustus ipse amore, eam fulmine combusserit, *Combustus* illâ, ut Eleg. 3. sup.

Hac ego nunc mirer si flagret nostra juventus?

De Semele dictum ad Eleg. 28. v. 27. sup. *Deperditus Io*, ut eam deperierit & perdite amarit. ut Eleg. 3. lib. 1. *Sensus deperditus omnes*. *Deperditus Io* dictum ut Eleg. 15. sup. *Paris fertur periisse Lacæna*. Participiis scilicet casus verborum tribuit. PASS. Elegans locutio, nec protrita. Suetonius Domit. C. 3. *Deinde uxorem suam Domitiam, ex qua in secunda suo consulatu filium tulerat, alteroque anno consalutaverat Augustam, Paridis histrionis amore deperditam repudiavit*. BROUKH. Sapienter Seneca de Vita Beata cap. 26. *Sic vestras hallucinationes fero, quemadmodum Juppiter optimus maximus ineptias poetarum: quorum alius illi alas imposuit, alius cornua: alius adulterum illum induxit, & abnoctantem: alius sævum in deos, alius iniquum in homines: alius raptorum ingenuorum corruptorem, & cognatorum quidem: alius parricidam, & regni alieni paternique expugnatorem. Quibus nihil aliud actum est, quam ut pudor hominibus peccandi demeretur, si tales deos credidissent*. VULP.

v. 30. DENIQUE UT AD TROJÆ TECTA VOLARIT AVIS] Recedit a fabula. nam Ganymedes ab Ida raptus, non ab urbe ipsa Troja. Horatius Ode 2. lib. 3. *Qualis aut Nireus fuit, aut aquosa Raptus ab Ida*. Vide Homerum Iliad. 5. & 20. & in Hymno Veneris, Platonem lib. 1. Legum, ubi hanc Cretensium fabulam de rapto Ganymede vehementer improbat, Ovidium 10. Metam. Virgilium lib. 5. Æneid. Apollodorum lib. 2. & 3. Hyginum Fab. 224. qui versum sit in Aquarium unum e XII. signis, & Fab. 271. & lib. 2. Poet. Astr. in *Aquarius*, Fulgentium lib. 1. Mythol. in *Ganymedes*. Herodianus in Commodo, scribit, pugna inter Ilum Phrygem, & Tantalum Lydum commissa ob Ganymedem, ipsum puerum catamitum dilaceratum fuisse inter manus fratris Ili, & amatoris Tantali. hinc divinos illi honores decretos, & fictum a Jove raptum. Festus. *Catamitum pro Ganymede dixerunt, qui fuit Jovis concubinus*. *Avis*, aquila. dixi ad Eleg. 1. sup. v. 70. Sic *Ornis* communi nomine avium dictus olor, sidus cæleste. Hyginus lib. 2. P. Astr. in *Olor*. *Trojæ tecta*, pro ipsa Troja, Horatius Ode 3. lib. 3. *Tecta reparare Trojæ*. Sic & Virgilius, *Domos Carthaginis altæ*, pro ipsa Carthagine. PASS. Noster primus cum Borrichiano *volavit*: supra bis habuimus *est*. postulat tamen euphonia *volarit*. BROUKH. *Volarit avis*, nempe effectus avis, vel simulans avem. Anacreon Ode 20. ita locutus: *Καὶ παῖς ποτ' ὄρνις ἔπτη Πανδίονος χελιδών*. *Et filia olim avis volavit Pandionis hirunda*. Eodem pacto avis aquila, & avis hirundo. VULP.

v. 31. QUOD SI NEMO EXSTAT, QUI VICERIT ALITIS ARMA] Nemo reperitur, nemo est, nemo superest. Sic Cicero in Catone: *Appii exstat oratio*. & 2. Offic. *Extant*

Nec tu Virginibus reverentia moveris ora:
Hic quoque non neſcit, quid ſit amare, chorus.

Si

ſtant Epiſtola Philippi ad Alexandrum. Item Horatius Sat. 5. lib. 1. *Sarmenti domus exſtat*. id eſt, vivit, necdum occidit. Exſtare, eminere, ideoque conſpici & demonſtrari poſſe. *Qui viceris alitis arma*, quia, ut ipſe ait Eleg. 26. ſup.

Hic deus & terras & maria alta domat.

Ales κατ' ἐξοχὴν de Amore, ut ſupra *Sorores*, pro Muſis. Vetus Gloſſarium: *Aliger*, πτεροφόρος, Ἔρως. Horatius Ode 12. lib. 3. *Cytherea puer ales*. In Pervigilio Veneris:

Juſſit omnes adſidere pueri mater alitis.

Tibullus Eleg. 5. lib. 2. *Amorem* vocavit *volitantem*, Ovidius Epiſt. Hermiones, *Præpetem deum*. De hac re vide adnotata ad Eleg. 12. ſup. ubi de alis Cupidinis memini. Appulejus lib. 5. A. A. dixit, *Flatus alitis impulſu ſolita*, nempe Zephyri. Arma vero Cupidinis ſunt tela & faces. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. ult.

Donec erunt ignes arcuſque Cupidinis arma. P.

v. 32. COMMUNIS CULPA CUR REUS UNUS AGOR?] Sic Juriſconſulti: *Communis error jus facit*. Paullus L. 3. D. de ſupellectile legata. At *amor error* Virgilio. Eſt locus Rhetorum de translatione aut communicatione criminis. Simile illud Ovidii 13. Metam.

Haud metuo ne non poſſim defendere crimen
Cum tanto commune viro.

Brutus ad Ciceronem Epiſt. 4. lib. ad Brutum: *Aliena culpa*, *inquies*, *me reum facis*. Non minus invidioſe Turnus Virgilianus 12. Æneid.

Et ſolus ferro crimen commune refellam.

Reus culpa agor. Ovidius Epiſt. Hypermneſtræ:

Quid fiet ſonti, quum rea laudis agor?

[nempe quum accuſer facinoris laudabilis. Et 4. Faſt. *Falſi criminis acta rea eſt*.] Plinius quoque lib. 2. H. N. cap. 7. de Fortuna: *Una nominatur*, *una arguitur*, *una agitur rea*. Inde apud Juris auctores, & apud Tacitum & Plinium *Peragi reus* dicitur qui condemnatur. PASS. *Actor* & *reus* opponuntur. Actor eſt qui reum agit, aggreditur, vexat: Reus, cujus de re agitur, puta de capite, exiſtimatione, fortunis. VULP.

v. 33. NEC TU VIRGINIBUS REVERENTIA MOVERIS ORA] Si mecum, inquit, o Cynthia, inter Muſas veneris, non erubeſcant tua præſentia. *Moveris ora*, vultum conturbaris, *ruborem expreſſeris*, ut loquitur Catullus. *Virginibus*, Muſis. Eas *doctas virgines* appellat idem poeta Veronenſis ad Hortalum. *Reverentia ora*. αἰδοῖα πρόσωπα. Lipſius lib. 2. Antiqu. Lect. cap. 10. ex conjectura:

Nec tu virginei reverentia moveris oris.

id eſt, pudor. *Reverentiam* pro pudore uſurpant Cicero 1. Offic. Ovidius Epiſt. Herûs, Noſter Eleg. 13. lib. 3. Columella lib. 11. R. R. cap. 1. & alii. PASS. Lipſius nemini perſuaſit. & ſane obſtant omnes omnium libri. BROUKH. *Reverentia moveris ora*. Hunc locum adoleſcens ita explicaveram. Ne vultum rubore perfundas coram Camœnis, tamquam minime deceat puellam corruptam, cum ſuo ſibi amatore, dearam virginum cœtibus intereſſe: nam & Muſæ noverunt, o Cynthia, quid ſit Amor, & furtivi concubitus. Porro ita dixit *Virginibus ora movere*, ut Eleg. 12. lib. 1. *Præſenti flere puella*. & Eleg. 20. ejuſd. libri, *Fleverat Aſcanio*. Id habet proprium poeta Umber, ut a vulgari conſuetudine loquendi recedat quam longiſſime. Nunc vero in ſententiam Paſſeratii, pedibus eo. VULP.

v. 34. HIC QUOQUE NON NESCIT, QUID SIT AMARE, CHORUS] Chorus quoque Muſarum non eſt in amore rudis & ἄπειρος. vim amoris expertus eſt, & cum malo: nam *Quid ſit*, hoc ſignificat. ut Eleg. 33. infra:

Senſiſti, multas quid ſit inire vias.

& Virgilius Ecl. 10. *Nunc ſcio, quid ſit amor*. Tibullus item Eleg. 4. lib. 3. *Neſcis, quid ſit amor, juvenis*. Contra Eleg. ult. infra:

Omnes jam norunt, quam ſit amare bonum.

Hic quoque chorus, quia alii chori pridem ſciunt. puta *Naiadum*, *Pleiadum*, *Heroinarum*, *Dianæ chori*. Servius in illud 1. Georg.

Terque novas circum felix eat hoſtia fruges,
Omnis quam chorus, & ſocii comitentur ovantes.

Chorus inquit, *proprie eſt coævorum cantus*

ar-

Si tamen Oeagri quædam compressa figura
Bistoniis olim rupibus accubuit.

Hic

atque saltatio, παρὰ τὸ χορεύειν, a saltando & canendo simul; quod Virgilius ita expressit:

Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.

Est etiam χορὸς ὁ τόπος τῆς χορείας ἢ ὀρχήσεως. *Non nescit*. ut illa Ciceronis, *Non nollem*, *Non nemo*, *Non sum nescius*. Plautus Aulul. *Si quis te velles, haud non velles dividi*. PASS. Barthius, exponens versum superiorem, Animad. ad L. 5. Theb. Statii v. 27. hunc ita legit:

Hic quoque num nescit, quid sit amare, chorus?

Sane Aldus & Gryphius sic ediderunt: sed contra fidem membranarum, & primarum editionum. est etiam major aculeus, quamquam modeste tectus, in oratione recta. BROUKH. Miror, membranarum fidem a Broukhusio, Critico severiore, in uno versiculo tam religiose custoditam, qui ab illa discedere non sit veritus in tribus hisce Elegiis luxandis, permiscendis, ac distrahendis, ut Josephi Scaligeri γραμματικὴν τυραννίδα, priscis codicibus manifesto repugnantem, pro lege sibi statueret. VULP.

v. 35. SI TAMEN OEAGRI QUÆDAM COMPRESSA FIGURA BISTONIIS OLIM RUPIBUS ACCUBUIT] Dubitantis specie confirmat hic sermo. ut Ovidius 4. Metam.

Si tamen in medio quondam concreta profundo Spuma fui.

& Horatius Ode 3. lib. 1. *Si tamen impiæ Non tangenda rates transiliunt vada*. *Quædam*: verecunde nomini pepercit, quum satis fuerit Oeagri nomen posuisse. Intelligit ergo Calliopen, quæ Oeagri compressu, Orphea filium edidit. Hyginus Fab. 14. Apollodorus lib. 1. Oeagri, & Calliopes filios facit Linum & Orphea. Apollonius vero lib. 1. Argon. Oeagrum fluvium Orphei patrem fuisse tradit. Contra Pausanias in Bœoticis negat, Orpheum Calliopes filium fuisse. Item ex Melpomene & Acheloo Sirenes: ex Thalia Palici, teste Macrobio lib. 1. Saturn. cap. 19. e Clio & Piero Hiacynthus; ut Apollodorus lib. 1. ex Euterpe & Strymone amne Rhesus. narrant Euripides in Rheso, & Apollodorus lib. 1. *Rupibus accubuit*, pro, juxta rupes cubuit, nempe jacuit: vel concubuit, vel enixa est. vide adnotata de hoc verbo ad Eleg. 3. lib. 1. v. 3. *Bistoniis*, Thraciis: nam Plinius lib. 4. cap. 11. Bistonum gentem in Thracia, & stagnum locat juxta Abderam. Stephanus vero inter fluvios Nessum & Hebrum, a Bistone rege dictam. Eodem pacto Eleg. 1. lib. 1. *Arcadiis rupibus ingemuit*. Ex Ovidio colligi videtur, Oeagrum compressisse Calliopen in Hæmo, quia eum montem *Oeagrium* vocat. PASS. Orpheum fere Calliopes & Oeagri filium faciunt: itaque *figura Oeagri* hic idem fuerit quod *Oeagrus*. quæ sane locutio valde est coacta, ne dicam dura, nec tolerabilis. videtur subesse fabula occultior, quæ potuit periisse in tanta strage scriptorum veterum. Poetarum Græcorum plures, quidam etiam Latini, & in iis Naso initio lib. 11. Metam. & in Epicedio Tibulli, Orphei patrem faciunt Apollinem. Is, puto, quum sciret se fratrem non admissum iri a sorore Calliope, adsumta figura fluvii Oeagri, quem amabat innocens virguncula, ipsam compressit. Ejus fabulæ scio nullum exstare vestigium: sed exstant complusculæ non absimiles. Sic Callistone potitus est Jupiter sub forma Dianæ. Sic Pomonam delusit Vertumnus: sic Antiopen Satyrus. & quis omnes enumeret? Geminam germanam fabellam supra habuimus L. 1. Eleg. 13. ubi Tyronem imminuit Neptunus, Enipei fluminis indutus faciem:

Non sic Hæmonio Salmonida mixtus Enipeo
Tænarius facili pressit amore deus.

ego hoc meum somnium pro mero somnio haberi volo, dum modo docear quidnam hic loci sit *figura Oeagri*. interea videre te velim Jani Parrhasii Commentarium in Claudiani Præfationem L. 2. de Raptu Proserpinæ, ubi de patre Orphei Apolline erudite dissertat. BROUKH. Adde filiis Musarum Hymenæum Urania genitum, vel Terpsichore; Thamyrin filium Eratûs; de quo Interpres Hesiodi alicubi; Palæphatum, de quo vide Brodæum ad lib. 1. Anthologiæ pag. 19. Audiamus & M. Tullium lib. 3. de Nat. Deor. *Itaque Achillem Astypalæa insula*

san-

Hic ubi me prima ſtatuent in parte choreæ,
Et medius tecta cuſpide Bacchus erit,
Tum capiti ſacros patiar pendere corymbos:
Nam ſine te noſtrum non valet ingenium.

ELE-

ſanctiſſimum colit : qui ſi deus eſt , & Orpheus , & Rheſus dii ſunt , matre Muſa nati . Virgines itaque dictæ fuiſſe videntur Muſæ , non quod viri notitiam non haberent , ſed quod puellæ fingerentur & in flore ætatis. Profecto Virgilius Ecl. 6. de Paſiphaë , muliere nupta : *Ah virgo infelix .* VULP.

v. 37. HIC UBI ME PRIMA STATUENT IN PARTE CHOREÆ] Non ſignificat ſe *χορηγὸν ;* nam medius ducit choros . ut adnoto ad verſum ſequentem . De choreis Muſarum vide Eleg. 10. ſup. v. 1. PASS.

v. 38. ET MEDIUS DOCTA CUSPIDE BACCHUS ERIT] Unde Bacchus *pater chori* dicitur Eleg. 32. infra . Eumenius in Panegyrico Apollinem medium Camœnarum facit . unde *μεσοχόρος* , qui in veteri Gloſſario *Manidu[illegible]ctor* . Medium locum fuiſſe honoratiſſimum diximus Eleg. 28. ſup. Nunc idem in chorea oſtendamus . Virgilius 6. Æneid. de Helena :

--- *Evantes orgia circum*
Ducebat choros , flammam media ipſa tenebat
Ingentem .

Docta cuſpide . Subandi *cum ἐλλειπτικῶς .* ut Virgilius 7. Æneid.

Ipſe Quirinali lituo , parvaque ſedebat
Succinctus trabea .

Idem Ecl. 10.

Venit & agreſti capitis Silvanus honore .

Docta cuſpis , ut Eleg. 19. ſup.

Et vitem docta ponere falce comas .

Male Scaliger legit , *recta* . *Cuſpis* , pro haſta , ſeu thyrſo . vide Eleg. 1. ſup. v. 63. *Haſta* , pro thyrſo . ut Virgilius Ecl. 5.

Et foliis lentas intexere mollibus haſtas .

De thyrſo Bacchi Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. ult.

Corniger increpuit thyrſo graviore Lyæus .

nam thyrſo dicuntur percuti poetæ , quorum mens furore Bacchi afflatur , dicti Græcis *θυρσοπλῆγες , οἱ ἐν τοῖς βακχείοις ἐνθεαζόμενοι .* Lucretius lib. 1.

Sed acri
Percuſſit thyrſo laudis ſpes magna meum cor ;
Et ſimul incuſſit ſuavem mi in pectus amorem
Muſarum . PASS.

Libri , *docta cuſpide ;* quod retinet Pa[illegible]ſſeratius , contentus damnare certiſſimam Scaligeri emendationem . Catullus Carm. 63.

Quorum pars tecta quatiebat cuſpide thyrſos .

Seneca Herc. Fur. Act. 4. v. 904.

Adſit Lycurgi domitor & rubri maris ,
Tectam virenti cuſpidem thyrſo gerens .

Ovidius L. 3. Metam.

Ipſe racemiferis frontem circumdatus uvis
Pampineis agitat velatam frondibus haſtam .
BROUKH.

v. 39. TUM CAPITI SACROS PATIAR PENDERE CORYMBOS] Sinam mihi ex hedera coronam imponi cum corymbis . Modeſte , *patiar ;* non enim ipſe imponam , ſed imponi ſinam . *Capiti pendere* , e capite & comis demitti in frontem & tempora . ſic Virgilius in Sileno ait *ſerta capiti delapſa* , nempe e capite . Silius quoque Italicus lib. 6. *Devexum lateri pendet Tuder .* vide adnotata ad Eleg. 16. lib. 1. v. 7. Plinius lib. 16. H. N. cap. 34. *Racemi hederæ in orbem circumacti vocantur corymbi .* Servius in Ecl. 3. uvas hederarum exponit . Per corymbos , hederam ſignificat , qua poetas coronari adnotatum ad Eleg. 5. ſup. v. 26. Noſter Eleg. 6. lib. 4.

Cera Philetæis certet Romana corymbis .

id eſt , hederæ Philetea , & ipſi Philetæ , quem poetam hederæ teſtantur . Inde *corymbifer Bacchus* Ovidio . PASS. *Capiti* , ablativus antiquus , pro , *capite* . Tibullus Elegia 1. lib. 1.

--- *Nec amore decebit ,*
Dicere nec cano blanditias capiti . VULP.

v. 40. NAM SINE TE NOSTRUM NON VALET INGENIUM] Bacchus ingenium facit , ut loquitur Noſter Eleg. 1. hujus libri de Cynthia . Elegia vero 6. lib. 4.

Ingenium potis irritet Muſa poëtis ;
Bacche , ſoles Phœbo fertilis eſſe tuo .

Valet ingenium ; ut Eleg. 9. lib. 1.

Plus in amore valet Mimnermi verſus Homero.
PASS.

ARGU-

ELEGIA XXXI.

QUæris, cur veniam tibi tardior? aurea Phœbi
  Porticus a magno Cæſare aperta fuit.
Tota erat in ſpeciem Pœnis digeſta columnis:
  Inter quas Danai femina turba ſenis.

Hic

ARGUMENTUM ELEGIÆ XXXI. LIBRI II.] Apollinis Palatini porticom ac templum, Cynthiæ deſcribit. VULP.

v. 1. QUÆRIS, CUR VENIAM TIBI TARDIOR ? AUREA PHŒBI PORTICUS A MAGNO CÆSARE APERTA FUIT] Sic exorditur Elegiam I. hojus libri; ubi vide plura hujus generis principia. *Veniam tibi*, pro, ad te. & tardior, quam juſſeras, aot promiſeram. res temporis ad perſonam tranſlata eſt. ut Eleg. 13. ſup. *O mors, cur mihi ſera venis ? Porticus Phœbi aperta fuit*. ut ab omnibus adiri & conſpici poſſet. Ergo abſoluta, publicata, [dedicata.] De porticibus publicis Romæ dictum ad illud Elegiæ 23. ſup. *Quænam nunc porticus illam integit ?* Hic vero ea porticus intelligitur quæ adjuncta erat templo Apollinis Palatini cum bibliotheca Græca & Latioa. nnde hic *Porticus Phœbi* dicitur, in qoa & Danaidum picta tabula. Vide Suetonium in Auguſto cap. 29. & Ovidium L. 1. A. A. PASS. *Quæris, cur veniam tibi tardior?* Neque hoc prætermiſit Ovidius lib. 3. *ματαιοτεχνίας* v. 675.

Spectet amabilius juvenem, ſuſpires ab imo
  Pectore; tam ſero cur veniasque, roget. V.

v. 3. TANTAM ERAT IN SPECIEM PŒNIS DIGESTA COLUMNIS] Scaliger e veteri libro *Tota*, & e conjectura, *Species*. & exponit *εἰς εἴδωας*, quæ Noſter *viſa* dixit & *figuras* Eleg. 6. ſup. Fortaſſe *τὸ ſpecies* hic ſigna ſignificat. Auſonius:

Viva tibi ſpecies vacca Myronis erit.

Signa ſane ponit in ea porticu Ovidioa lib. 1. Triſt. Elegia 1. Apud Ciceronem lib. 1. de Divin. *Species Nattæ*, ſtatua eſt: apud Lucretium vero ſpecies eſt ὅρασις, ſive ὄψις, ipſa cernendi actio, vel ſenſos videndi, & vultus ipſe. Si *Tantam*, ponitur pro magnam & mirabilem. ut Eleg. 3. & 11. lib. 3. *Tantum aperis*. *Erat*, pro eſt; ut Eleg. 29. ſupra: *Hic erat*. *In ſpeciem*, erit ad ornatum. ut Q. Cicero de Petitione Conſulatus: *Ad ſpeciem homines*. Gallice *pour parade & monſtre*. *Digeſta*, diſtincta & ſtructa ordine. ut Ovidius 1. Faſt. *Tempora digeſta per annum*. Contra 1. Metam. *Rudis indigeſtaque moles*. Statius 1. Silv. ad Claudiam uxorem eadem ſententia:

Templaque, & innumeris ſpatia interſtincta
  columnis.

Pœnis, pro, Punicis; ut Eleg. 3. lib. 4. *Quo Pœnis tibi purpura fulgeat oſtris*. Significat aotem columnas e marmore Numidico, quas Horatius Ode 18. lib 2. vocat *ultima recisas Africa*. Cato apud Feſtum in *Pavimenta*, *Pœnica pavimenta*, vocavit, marmore Numidico conſtrata. unde Martialis: *Marmore picta Nomas*. Legendus Plinius lib. 35. H. N. cap. 1. & lib. 36. cap. 6. Item Vitruvius lib. 3. cap. 1. 2. & 3. de columnis ædiom ſacrarum & porticuum. Ovidios lib. 3. Triſtium Eleg. 1.

Ducor ad intonſi candida templa dei.
Signa peregrinis ubi ſunt alterna columnis
  Belides, & ſtricto ſtat ferus enſe pater. P.

Tota habet Groninganus. quod firmat Scaligeri liber. deinde omnes membranæ, *in ſpeciem*: unde Nic. Heinſius ingenioſiſſime, ut ſolebat, formavit, Not. ad Ovid. L. 3. Faſtor. v. 529.

Tota erat in ſpatium Pœnis digeſta columnis. *tota in ſpatium*, pro in totum ſpatiom, per omne ſpatium. firmat Seneca Thyeſt. v. 649.

Poſt iſta vulgo nota, quæ populi colunt,
  In multa dives ſpatia diſcedit domus.

Spatiari proprie de ambulationibus in porticu. de hac ipſa Naſo L. 2. Amor. Eleg. 2.

Heſterna vidi ſpatiantem luce puellam,
  Illa, quæ Danai porticus agmen habet.

[Mul-

Hic equidem Phœbo visus mihi pulcrior ipso
Marmoreus tacita carmen hiare lyra.

At-

[Multus est in hac locutione Sulmonensis poeta.] vide L. 3. Amor. Eleg. 11. L. 1. Art. Amat. L. 2. Trist. L. 11. Metam. Noster hac ipsa Elegia:

Hoc utinam spatiere loco, quodcumque vacabis.

& L. 4. Eleg. 8.

Tu neque Pompeja spatiabere cultus in umbra. BROUKH.

v. 4. INTER QUAS DANAI FEMINA TURBA SENIS] τὸ *inter quas* Scaliger refert ad species, ut intelligat varia picturarum argumenta. An significat, inter eas columnas fuisse, nempe, in intercolumniis? ut vocat Vitruvius lib. 3. cap. 1. *Femina turba*; multitudo feminarum, puellæ scilicet quinquaginta. nomen pro epitheto. *femina*, pro, feminea. Sic *Pœnis*, pro, Punicis; *Iona*, pro, Ionia; *Phæacas silvas*, pro, Phæacias; *Ceraune*, pro, Ceraunio. Sic dicitur *Medum & Rhenum flumen*, *Sol meridies*, *Oceanum litus*. *Danai senis*; quippe cui quinquaginta filiæ. Sic Eleg. 28. sup. *Priami diruta regna senis*. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 2.

Hesterna vidi spatiantem luce puellam
Illa, quæ Danai porticus agmen habet.

Persius Sat. 2.

--- Fratres inter ahenos,
Somnia pituitâ qui purgatissima mittunt,
Præcipui sunto, sitque illis aurea barba.

Interpres vetus tradit, in porticu Apollinis Palatini fuisse Danaidum effigies, & contra eas sub divo totidem equestres filiorum Ægisthi. (leg. Ægypti) Ex iis autem statuis quædam dicebantur postulantibus per somnum dare oracula. PASS. Danaides *in ea porticu* stabant habitu novarum noptarum, uti colligere est ex antiquo Scholiaste Persii Annæo Corouto ad Sat. 2. v. 56. *qui Acronem testem citat*. ---- Ovidius L. 1. Art. Amat.

Quaque parare necem miseris patruelibus ausæ
Belides, & stricto stat ferus ense pater.

quo loco verbum *stare* omnino de statuis intelligi debet. sed præcesserat proxime:

Nec tibi vitetur quæ priscis sparsa tabellis
Porticus auctoris Livia nomen habet.

---- Ponebantur autem signa & statuæ in intercolumniis. Plinius L. 36. C. 15. de M. Scauri theatro: *Columnæ, ut diximus, imæ duodequadragenûm pedum. Signa ærea inter columnas fuerunt tria millia numero.* BROUKH.

v. 5. HIC EQUIDEM PHŒBO VISUS MIHI PULCRIOR IPSO MARMOREUS TACITA CARMEN HIARE LYRA] Sic Ovidius 10. Metam.

Jam juvenis, jam vir, jam se formosior ipso.

De pulchritudine Phœbi vide Tibullum Eleg. 4. lib. 1. & Virgilium 4. Æneid. Genus autem sermonis, *Se pulcrior*, est a Græcis. Plato lib. 1. de Legib. *Τὸ νικᾷν αὐτὸν πασῶν νικῶν πρώτη τε ἐ ἀρίστη· τὸ δὲ ἡττᾶσθαι αὐτὸν ὑφ᾽ ἑαυτοῦ πάντων αἴσχιστόν τε ἐ κάκιστον*. Cicero ad Atticum Epist 16. lib. 14. *Te imitere oportet, tecum ipse certes.* *Marmoreus*. subauditur, licet. ut Eleg. 12. sup.

Hæc mea Musa levis gloria magna tua est.

quamvis levis. *Visus hiare carmen*; hiscendo visus est canere: ut Eleg. 3. lib. 3.

Tantum operis nervis hiscere posse meis.

& Eleg. 15. libri ejusdem:

Capripedes calamo Panes hiante canent.

Appulejus lib. 1. Floridorum, statuam Bathylli graphice depingens: *Quum vox in cantico interquievit, interim canticum videtur ore tereti, semihiantibus in conatu labellis, eliquare*. *Visus*; ut Q. Catulus apud Ciceronem lib. 1. de Nat. Deor.

Mortalis visus pulchrior esse deo. PASS.

Phœbo v. m. p. i. Apollo Palatinus, Scopæ opus. Plinius L. 36. H. N. C. 5. *Scopæ laus cum his certat. is fecit Venerem, & Pothon, & Phaëthontem, qui Samothrace sanctissimis cærimoniis coluntur. item Apollinem Palatinum.* diversus ab eo alter Apollo in bibliotheca Palatina; cujus nobis memoriam servavit antiquus Horatii interpres Helenius Acro, in L. 1. Epist. 3. *Cæsar sibi in bibliotheca statuam posuerat ad habitum ac staturam Apollinis*. BROUKH. *Hic*. In hac porticu. *Phœbo pulcrior ipso*. ὑπερβολὴ non admodum pia, & quæ contemtum aliquem Phœbi significet. Sed tunc ita solebant. *Marmoreus t. c. h. l.* Mirifice Dantes Purgatorii Cantu 10.

Era

Atque aram circum ſteterant armenta Myronis
Quatuor artifices vivida ſigna boves.

Tum

Era intagliato sì nel marmo ſteſſo
Lo carro , e i buoi , traendo l' arca ſanta ,
Perchè ſi teme uſizio non commeſſo .
Dinanzi parea gente ; e tutta quanta
Partita in ſette cori , a' duo miei ſenſi
Facea dicer l' un Nò , l' altro Sì canta .

Gens illa in marmore ſculpta , oculis quidem ſpectantium canere videbatur , quum ore adaperto eſſet ; auribus non item . Areoſtus quoque præclari poematis Cantu 42. Strophe 81.

Fermava il piè ciaſcun di queſti ſegni
Sopra due belle imagini più baſſe ,
Che con la bocca aperta facean ſegni ,
Che 'l canto , e l' armonia lor dilettaſſe .

Hunc Areoſti locum indicavit Broukhuſius . *Hiare* . Hiabant , & os diducebant Lyrici & Epici poetæ , eorumque ῥαψῳδοὶ , recitandis & canendis poematis ; ob carminis & argumenti amplitudinem ac ſublimitatem . Hinc Noſter Eleg. 11. ſup.

Surge anima ex humili jam carmine . ſumite vires
Pierides . magni nunc erit oris opus .

Ovidius pariter lib. 2. Amor. Eleg. 1.

Auſus eram (memini) cæleſtia dicere bella ,
Centimanumque Gygen ; & ſatis oris erat ,

& in Remed. Amoris v. 381.

Callimachi numeris non eſt dicendus Achilles :
Cydippe non eſt oris , Homere , tui .

Eodem pertinent illa Horatii Sat. 4. lib. 1.

Ingenium cui ſit , cui mens ſublimior , atque os
Magna ſonaturum , des nominis hujus honorem .

Scilicet poetam appelles . Tragœdi quoque , ſive actores tragœdiarum , larvam ſumebant ore immodice hiante . *Perſonæ pallentis hiatum* , ait Juvenalis Sat. 3. v. 175.

In gremio matris formidat ruſticus infans .

Perſius vero Sat. 5. v. 3.

Fabula ſeu mœſto ponatur hianda tragœdo .

Hiatus aliquando ſignificat levitatem ac tumorem , quo mali verſuum artifices in exordiis poematum magna quædam promittebant , ne exiguis quidem præſtandis pares . Horatius notiſſimo verſu :

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu ?

Adoleſcens totum hunc Propertii locum ſic digerendum putaveram , poſt primos quatuor verſus :

Tum medium Clario ſurgebat marmore templum ,
Et patria Phœbo carius Ortygia .
Auro Solis erat ſupra faſtigia currus ,
Et valvæ Libyci nobile dentis opus .
Altera dejectos Parnaſi vertice Gallos ,
Altera mærebat funera Tantalidos .
Deinde inter matrem deus ipſe , interque ſororem
Pythius in longa carmina veſte ſonat .
His equidem Phœbo viſus mihi pulcrior ipſo
Marmoreus tacita carmen hiare lyra .
Atque aram circum ſteterant armenta Myronis
Quatuor artificis vivida ſigna boves .

Deſcribit enim poeta primo porticum , qua templum Apollinis circum ſeptum , ejuſque ſtatuas : deinde ipſius templi exteriorem faciem , puta valvas & faſtigium : poſtremo aram & ſimulacrum Apollinis . Sed videlicet ſequendi codices , & nihil temere tranſponendum . VULP.

v. 7. ATQUE ARAM CIRCUM STETERANT ARMENTA MYRONIS QUATUOR ARTIFICES VIVIDA SIGNA BOVES] *Steterant* , pro , ſtabant , *circum aram* , vel tamquam victimæ , vel quia olim paſtor Apollo . enallage numerorum *armenta* , pro armentum ; ut Elegia 24. ſup. *Lernæas pugnet ad hydras* . *Armenta* , inquit Servius , *ſunt equorum & boum ; quod hæc animalia apta ſint armis : ut ſcutis , coria boum ; equi , bello . Greges capellarum & ovium . quamvis ſæpe confundantur* . Eadem fere Pompejus Feſtus . Sed Iſidorus lib. 12. cap. 1. *Quidam* , inquit , *dicta putant armenta de bubus tantum quaſi aramenta , ab arando* . Pacuvius apud Nonium in *Armenta* genere feminco :

Tu cornifrontes paſcere armentas ſoles .

ubi alias legitur *taurifrontes* . Pomponius J. C. L. *Boves* 89. *De Verb. Sign. Boves magis armentorum , quam jumentorum generis ſunt* . Calliſtratus vero J. C. L. ult. D. *de Abigeis* , Oves decem , ait , gregem facere ; (in crimine abigeatus) & abigeum eſſe , qui vel unum bovem abegerit . quo minus mirum eſt hic quatuor boves efficere armentum . De Myrone Plinius l. 34. H. N.

cap.

Tum medium Clario surgebat marmore templum,
Et patria Phœbo carius Ortygia.

An-

cap. 8. floruisse eum Olympiade 84. Eleutheris natum, Agelaidis discipulum. Eum bucula ænea maxime nobilitavit, poetarum ingeniis certatim laudata. Vide Anthologiæ lib. 4. titulo *εἰς ἀγάλματα ζώων*. quæ Epigrammata Latina fecit Ausonius. Quamobrem Ovidius lib. 4. Pontic. Eleg. 1.

Ut similis vera vacca Myronis opus.

Meminerunt Myronis, præter alios, idem Ovidius lib. 3. A. A. Petronius in Satyr. Juvenalis Sat. 8. Statius 1. & 4. Silvar. *Artificis*, peritissimi sculptoris. ut Eleg. 8. lib. 4.

Tellus artifices ne terat Osca manus.

& Q. Cicero: *Cotta in ambitione artifex*. vulgo *passé maistre*. *Vivida signa*, ut *spirantia æra*, & *vivos de marmore vultus*, dixit Virgilius 6. Æneid. Noster *animosa signa* Eleg. 9. lib. 3. Ausonius:

Viva tibi species vacca Myronis erit.

Vivida. Festus: *Vivatus & vividus a poetis dicuntur a vi magna*. Virgilius 12. Æneid. *Vividus Umber*. acerrimus, inquit Servius. & 10. Æneid. *Vivida bello Dextra viris*, inquit idem. PASS. *Artificis*. legendum *artifices*, h. e. artificiose elaboratæ, ita ut vivere viderentur ac spirare. dicuntur autem hic *artifices boves*, ut Persio Sat. 5. *vultus artifex*, Plinio L. 10. C. 29. lusciniarum *artifices argutiæ*, Quintiliano L. 9. C. 4. *artifex motus*. BROUKH. *Vivida signa*. Cicero in Hortensio apud Nonium, *Inanima*: *Nam quum omnis sollertia admiranda est, tum ea quæ efficit, ut inanima quæ sunt, vivere & spirare videantur*. VULP.

v. 9. TUM MEDIUM CLARO SURGEBAT MARMORE TEMPLUM] Medium templum, pars templi media, ubi divûm simulacra, & quæ operosius exstructa erat. Virgilius 3. Georg.

In medio mihi Cæsar erit templumque tenebit.

Appulejus lib. 11. A. A. *Me sacerdos deducit ad ipsius sacrarii penetralia*. mox: *In ipso ædis sacræ meditullio, ante deæ simulacrum*. *Surgebat* verò *marmore*, nempe marmoreis gradibus attollebatur & conscendebatur. Virgilius 1. Æneid. *Ærea cui gradibus surgebant limina*: nam hic limina interiora templi intelligo; ut 2. Æneid. *Limina Vesta Servantem*. Juvenalis Sat. 10.

Da nunc & volucrem, sceptro quæ surgit eburno.

Noster Eleg. 11. lib. 3.

Jussit & imperio surgere Bactra caput.

Claro marmore, nitido, lævi, fulgenti, candido. an *Pario*? nam Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 1.

Inde tenore pari gradibus sublimia celsis
Ducor ad intonsi candida templa dei.

Candida, ob Parium marmor. Sed Scaliger legit *Clario* a conjectura, & refert non ad marmor, sed ad templum id carius Phœbo, ipso templo quod in Claro & in Delo habebat. Plinius lib. 5. H. N. cap. 29. Clarii Apollinis templum commemorat. & Virgilius 3. Æneid. *Tripodas Clarii, lauros*. ubi Servius: *Clarii Apollinis templum in finibus Colophoniorum*. PASS. In membranis Comelini fuisse *Clario* testatur Gebhardus. optime hunc locum & restituit Scaliger, & interpretatur. BROUKH. *Medium templum*. fortasse, non media templi pars, verum tota moles, circumquaque cincta porticibus. commodius enim huc refertur *τὸ surgebat*. *Claris* potest esse tertius casus: puta Clario Apollini templum surgebat. V.

v. 10. ET PATRIA PHŒBO CARIUS ORTYGIA] Acceptius templo quod est Deli, quæ ei solum natale. Horatius iccirco Ode 21. libri primi eam insulam vocat *natalem Apollinis*. Virgilius 3. Æneid.

Quod tibi delapsa Ortygiam dicturus Apollo est.

Rhœneam vocat Theocritus in Encomio Ptolemæi; ubi Scholiastes ait esse Delon. Servius in illud 3. Æneid. *Sacra mari colitur medio*, narrat fabulam de Asterie sorore Latonæ in coturnicem versa. Apollodorus lib. 1. tradit, ab ea in ὄρτυγα, hoc est coturnicem, versa dictam urbem Asteriam, mox Delon. Pausanias Eliacis Ortygiam insulam prope Syracusas commemorat. Vide Apollonium 1. Argon. Hyginum Fab. 53. & 149. Strabonem lib. 10. Idem lib. 14. sit, Ortygiam fuisse Latonæ nutricem. Plinius lib. 4. H. N. cap. 12. & Cynthiam vocatam fuisse scribit, & aliis nominibus. PASS.

v. 11.

Auro Solis erat supra fastigia currus,
Et valvæ Libyci nobile dentis opus.
Altera dejectos Parnasi vertice Gallos,
Altera mœrebat funera Tantalidos.

Dein-

v. 11. AURO SOLIS ERAT SUPRA FASTIGIA CURRUS] Deest, *ex*. ut Eleg. 17. lib. 3.

Ante fores templi crater antistitis auro.

Virgilius 2. Æneid.

Craterasque auro solidi, captivaque vestis.

Solis currus describitur ab Ovidio 2. Metam.

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo.

Fastigiis vero templorum simulacra deorum curru vecta imponi solita, indicio est Festus in *Ratumana*, qui fictiles quadrigas ait fuisse in fastigio Capitolii. Vide & Ciceronem lib. 1. de Divinat. Nonius *fastigia*, summas altitudines exponit. Suffragantur Festus, & Servius in 1. Æneid. De imo fundus, de summo fastigium: quamvis fastigia & summæ & imæ partes, ut cælum profundum. Cicero 3. Offic. *Fastigium imponere operi absoluto*. PASS. *Auro currus*. Ita Virgilius Æneid. 1. v. 167. *Vivoque sedilia saxo*. Idem 5. Æneid. v. 663.

Transtra per, & remos, & pictas abiete puppes.

Silius Italicus lib. 1. v. 86. *Stant marmore mæstæ Effigies*. Auctor Copæ:

Seu vis crystallo ferre novos calices.

Virgilius iterum 4. Georg. v. 374.

Ventum est in thalami pendentia pumice tecta.

pumicea videlicet, non e pumice pendentia. Sic Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 1.

Fons sacer in medio, speluncaque pumice pendens.

Homerus etiam lib. 6. Iliad. v. 504. dixit τεύχεα χαλκῷ. *arma ære*. Interdum tamen addebant particulam *de*, ut materiam significarent. Virgilius 6. Æneid. v. 849. *Vivos ducent de marmore vultus*. Ovidius lib. 1. Metam. ubi ætates mundi recenset: *De duro est ultima ferro*. Auctor Liberi Carminis Epigr. 42. *De cera facili dat tibi poma*. VULP.

v. 12. ET VALVÆ LIBYCI NOBILE DENTIS OPUS] Etiam Solis regia cælatas valvas habebat. vide Ovidium lib. 2. Metam. Sic Cicero Act. 6. in Verrem, *Valvas templi Minervæ Syracusis ex auro & ebore fuisse*, ait, *& in iis valvis argumenta*. Virg. 3. Georg.

In foribus pugnam ex auro, solidoque elephanto
Gangaridum faciam.

ubi res ab Augusto gestas cælat in valvis templi sui. *Nobile opus*, egregiam artificis manum ostentantes valvæ. Sic Eleg. prox. sequ.

Porticus aulæis nobilis Attalicis.

Libycus dens, ebur ex dente elephanti Afri. nam hoc solum ebur est, ut ait Plinius lib. 8. H. N. cap. 3. Catullus Carm. 63. *Inda dente politum Pulvinar*. At Pausanias in Eliacis negat esse dentes, & vult cornua esse. PASS. *Libyci n. dentis o.* ex ebore. quod noster *dentem*, id Martialis modo *cornu* vocat, modo *dentem*. Virgilius ab utroque abstinuit, semper aut *ebur* ponens, aut *elephantum*. est autem magnum certamen inter doctos, utrum pars illa ossea, quæ ex ore elephanti utrimque prominet, debeat *cornu* dici, an vero *dens*. sententias collegit Lud. de la Cerda ad L. 6. Æn. v. 895. cui jungere potes P. Camerarium Medit. Hist. Cent. 2. cap. 96. Ger. Jo. Vossium L. 3. de Idololatr. C. 51. & Wilh. Ern. Tentzelium in Colloquiis Menstruis A. 1696. mense Aprili. quo opere in toto isto ephemeridum genere nihil est neque eruditius neque etiam jucundius. BROUKH.

v. 13. ALTERA DEJECTOS PARNASI VERTICE GALLOS] Noster Eleg. 13. lib. 3. lucem adfert huic loco:

Torrida sacrilegum testantur limina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna dei.
At mons, laurigero concussus vertice, diras
Gallica Parnassi sparsit in arma nives.

Teste Pausania in Atticis, quum Galli in Græciam irrupissent, contulerunt se Delphos ad diripienda Delphici templi donaria. Incolæ iis occurrerunt, ac tum crebra de cælo fulmina, & divinitus ac sponte avulsa de Parnasso saxa Gallorum aciem perculerunt: magna tamen eorum pars in Asiam trajecit. *Parnassus*, mons Phocidis, cujus duo vertices, Helicon, & Cithæron. Vide Ovidium 1. Metam. Plinium lib. 4. H. N.

Deinde inter matrem deus ipſe, interque ſororem
Pythius in longa carmina veſte ſonat.

* * *

H. N. cap. 3. Strabonem lib. 8. Juſtinum lib. 24. ubi deſcribitur. PASS. *Parnaſſi vertice*. noſtri, cum Groningano, *Parnaſi*. recte. nam quamvis Græce ſcribatur per ſſ, tamen ita numquam Latini. videndus Pierius Valerianus ad Virgilii Eclogam 10. v. 11. atque unico tantum ſ ſemper ſcribitur in membraneo codice Virgilii ſic ſatis antiquo, quem adſervat Athenæi patrii non leve decus P. Francius. BROUKH. Duo inſignia Phœbi facinora geminis valvis erant inſculpta: Brenni Gallorum ducis temeritas repreſſa, & ſuperbia Niobes Tantali filiæ liberorum cæde multata. vide Indicem noſtrum verbo *Brennus*, & verbo *Niobe*. VULP.

v. 14. ALTERA MŒREBAT FUNERA TANTALIDOS] Vide Eleg. 20. ſup. v. 7. & adnotata. *funera*, liberos mortuos; ut Elegia 1. lib. 4.

Fatales pueri duo funera matris avaræ.

Tantalidos, Niobes. Ipſa de ſe apud Ovidium lib. 6. Metam.

- - - Mihi Tantalus auctor,
Cui licuit ſoli ſuperorum tangere menſas. P.

Seneca Medea v. 952.

Utinam ſuperba turba Tantalidos meo
Exiſſet utero.

Idem Agamemn. v. 369. ad Dianam: *Tu Tantalidos funera matris Victrix numeras. Mœrebat*. more poetarum tribuit valvis mœrorem, quod funeſtas hiſtorias continerent. VULP.

v. 15. DEINDE INTER MATREM DEUS IPSE, INTERQUE SOROREM PYTHIUS IN LONGA CARMINA VESTE SONAT] Par Suetonii locus in Caligula cap. 22. *Conſiſtens ſæpe inter fratres deos, medium ſe adorandum adeuntibus exhibebat*. Ovidius quoque lib. 2. Amor. Eleg. 19.

Non ego, ſi medius Polluce & Caſtore ponar,
In cœli ſine te parte fuiſſe velim.

Pythius deus dictus a Pythone ſerpente interfecto. Ovidius 1. Metam. vel ἀπὸ τῦ πυνθάνεσθαι, a conſulendo & interrogando. vide Macrobium lib. 1. Saturn. cap. 20. *In longa veſte*; ut ſolebant citharœdi. Virgilius 6. Æneid. de Orpheo:

Nec non Threïcius longa cum veſte ſacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.

Vide Tibullum Eleg. 4. lib. 3. Auctorem Rh. ad Herennium lib. 4. Ovidium lib. 11. Metam. in fabula Midæ, Appulejum lib. 2. Florid. *Sonat carmina*, & ore ipſo & plectro ſimul. Horatius Epodo 9. *Sonante mixtum tibiis carmen lyra*. PASS. Idem Horatius Sat. 4. lib. 1. tribuit poetæ veri nominis *os magna ſonaturum*. *In longa veſte*. Pallam intelligit ad talos uſque demiſſam. Videntur autem in hac Elegia deſiderari nonnulla. VULP. In palla talari citharœdica. Vide Paſſeratium: Lud. Cerdam in Lib. 6. Æn. v. 645. illuſtrem Spanhemium Obſerv. in Callimachum p. 63. ubi hunc verſiculum perperam expreſſerunt operæ, hoc modo,

Actius in longa carmina veſte canit.

BROUKH.



ELEGIA XXXII.

QUi videt, is peccat: qui non te viderit, ergo
Non cupiet: facti crimina lumen habet.
Nam quid Prænestis dubias, o Cynthia, sortes?
Quid petis Ææi mœnia Telegoni?

Cur-

ARGUMENTUM ELEGIÆ XXXII. LIBRI II.] Ait, se Cynthiæ fidem suspectam habere, quod sæpius Roma discedat, & cœtibus juvenum intersit. Eam tamen peccantem, ex communi feminarum dearumque consuetudine defendit. VULP.

v. 1. QUI VIDET, IS PECCAT: QUI NON TE VIDERIT, ERGO NON CUPIET: FACTI CRIMINA LUMEN HABET] Quo hæc pertinent? nempe ut doceat, Cynthiam quærere stupri occasionem cœtus celebrando. *Peccat*. Horatius Sat. 2. lib. 1.

Quid inter-
Est in matrona, ancilla, peccesve togata?

Petronius in Satyr.

Et qui sollicitat nuptas, ad præmia peccat.

Qui non te viderit, e. Non cupiet. Cupido enim ab oculis & Amor. Sic Ovidius 3. Fast.

Mars videt hanc, visamque cupit, potiturque cupita.

Virgilius Ecl. 8. *Ut vidi, ut perii*. *Facti crimina lumen habet*: caussam culpamque facti oculi sustinent. qui *duces in amore*, ut dixit Noster Eleg. 15. sup. v. 12. ubi vide adnotata. Duplex hic enallage numerorum. *Crimina*, pro crimen, & *lumen*, pro lumina. Crimina, ut Eleg. 18. sup. v. 3. *Crimen* vero pro caussa. Virgilius 12. Æneid.

Se caussam clamat, crimenque, caputque malorum.

ubi ter idem dixit. *Habere crimina*, ut Elegia 25. sup. *habere invidiam*. *Lumen*; ut apud Lucanum: *Quis sicco lumine compos Viderit Æmathios?* PASS. *Habere crimina*. Notissimum illud Juvenalis Sat. 8.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.

Cur Broukhusius legere malit, *qui non & viderit*, equidem ignoro. VULP.

v. 3. NAM QUID PRÆNESTIS DUBIAS, O CYNTHIA, SORTES?] Dictum ut Eleg. 4. sup.

Nam cui non ego sum fallaci præmia vati?

& est irascentis, pro Quid autem vel cur nam adis sortes? *Dubiæ sortes*, [nihil certum significantes: quas possis interpretari, ut velis.] Sic *dubio Noto* Eleg. 5. Cicero 2. de Divin. *Quid in his* (sortibus) *potest esse certi, quæ Fortunæ monitu, pueri manu miscentur atque ducuntur?* Idem lib. 2. scribit, Numerium Prænestinum jussum in somnis silicem cædere, unde sortes eruperint in robore insculptæ priscarum litterarum notis: easque sortes ex arca oleagina Fortunæ monitu tolli, pueri manu. refertque jocum Carneadis: *Nusquam se fortunatiorem quam Præneste vidisse Fortunam*. Suetonius in Tiberio cap. 63. memorat majestatem Prænestinarum sortium. Erant & sortes Antiatinæ; de quibus idem in Caligula; nam & Antii colebatur Fortuna. Præneste oppidum Latii, dictum, ut Festus, quod locus ubi conditum, montibus præstet. Alii, a Prænestino conditore, ut Stephanus: alii ἀπὸ τῶν πρίνων, quod ilicibus is locus abundet. De Præneste multa Strabo lib. 5. Plinius H. N. lib. 3. cap. 5. Lampridius in Alexandro Severo, & Servius in Virgilium. PASS. Ob id fortasse *sortes Prænestis* vocat *dubias*, quod eas Romani patriis auspiciis posthaberent. Favet Valerius Maximus, qui lib. 1. Memorabil. cap. 3. ait: *Lutatius, qui primum Punicum bellum confecit, a Senatu prohibitus est sortes Fortunæ Prænestinæ adire. Auspiciis enim patriis, non alienigenis, Rempublicam administrari oportere judicabant*. VULP. In quinque libris est *Prænesti*. BROUKH.

v. 4. QUID PETIS ÆÆI MŒNIA TELEGONI?] Cur visis Tusculum oppidum Latii? [hodie *Frascati*.] Sic Eleg. 30. sup.

Et petere Hyrcani litora nota maris.

Horatius Epodo 1. Tusculum vocat *Circæa*

mœ-

Curve te in Herculeum deportant essecla Tibur?
Appia cur toties te via ducit anum?

Hoc

manie. & Ode 29. lib. 3. *Telegoni juga parricida*. Festus Manilios dictos ait a Manilia Telegoni filia, quam Tusculi procreaverat, quum id oppidum condidisset. Eustathius in lib. 11. Odysseæ conficta ait quæ dicuntur de Telegono, Ulixis & Circes filio, a recentioribus poetis; ab eo scilicet imprudente, quum in Ithacam venisset patrem quærens, admissam esse parricidium. *Ææi*, Circæi insula ubi habitabat Circe, dicebatur *αἰαίη*. Homero lib. 9. & 10. Odysseæ, *αἰαίη* Κίρκη. Apollonio Rhodio l. 3. *αἰαίη* Μήδεια dicitur, quod Circe erat soror Æetæ regis, patris Medeæ. Plutarchus in vita Homeri Ææam dictam ait *ἀπὸ τοῦ αἰάζειν*, quod homines mortis caussa lugeant. Servius in illud 7. Æneid.

Proxima Circææ raduntur litora terræ.

Mons iste, inquit, antea insula, dictus Ææus ab horrore transeuntium, quo homines mutabantur in feras. PASS.

v. 5. CURVE TE IN HERCULEUM DEPORTANT ESSEDA TIBUR?] Sic Fabius Declamat. 333. *In Athenas missus*. Plautus Milite 2, 1. *In Ephesum avebit*. & Pseudolo 2, 4. *In Sicyonem abduxit*. quamobrem Cicero temere sudat in Epist. 3. lib. 7. ad Attic. *Esseda*. dixi ad Eleg. 1. sup. v. 76. *Deportant*; idem quod simplex, portant. ut apud Ciceronem ad Atticum, & Plautum non semel. aliàs est maritimæ trajectionis, vel exsilii. *Tibur*, vulgo *Tivoli*. Plinius l. 16. H. N. cap. ult. ait, Tibur antiquius Roma. *Herculeum*, quia Herculi sacrum. Vide Strabonem lib. 5. Martialis Epigr. 142. lib. 1.

Tibur in Herculeum migravit fusca Lycoris,
Omnia dum fieri candida credit ibi.

Auctor Liberi Carminis Epigr. 77. *Gades Herculis, humidumque Tibur*. Vetus Inscriptio Tibure apud Aldum de Orthographia: HERCVLI. TIBVRTI. PASS.

v. 6. APPIA CUR TOTIES TE VIA DUCIT ANUM?] Ducit via quum eam sequimur; de quo sermone ad Eleg. 1. sup. v. 75. *Ducit te anum*, quum jam defluxerit flos ætatis, quod Horatius ait Ode 13. lib. 4. *Fis anus, & tamen Vis formosa videri*. *Appiæ viæ* identidem meminit Horatius. De ejus celebritate Papinius lib. 2. Silv. Carm. 2.

Appia longarum teritur regina viarum.

Noster Eleg. 8. lib. 4. de Cynthia:

Appia, dic quæso, quantum te teste triumphum
Egerit, effusis per tua saxa rotis.

Dicta est, quod Appius Cæcus eam munierit. Cicero pro Milone & pro M. Cœlio, & T. Livius lib. 9. Lucem huic loco præbent ea quæ adnotata ad illud Elegiæ 23. sup.

Cui sæpe immundo Sacra conteritur Via socco.

PASS.

Appia c. t. te v. d. anum? tam rustice ut insultaverit Propertius dominæ suæ! & tamen in libris vel *anum* legas, vel *anus*. pari urbanitate (quamquam ibi ad miserationem facit) nuntius, apud Senecam, reginam Hecubam *anum* vocat, Troad. Act. 5. v. 1059. --- vix mihi eripi potest, hunc locum Nostri non in menda cubare. neque opem video, nisi a melioribus libris. Nic. Heinsius legebat, sola conjectura ductus, *te via ducit onus*. id quod ego verum arbitror. *onera*, homines qui vehuntur. *comitique onerique timentem* dixit Maro 2. Æneid. 729. Martialis VIII. 51.

Sic Methymnæo gavisus Arione delphin
Languida non tacitum per freta vexit onus.

Noster 4, 7, 92.

Luce jubent leges Lethæa ad stagna reverti:
Nos vehimur: vectum nauta recenset onus.

BROUKH.

Vel ira, vel nimia etiam familiaritate ductus Cynthiam vocat *anum* poeta. Non enim eadem urbanitatis ratio fuit veteribus ac nobis: neque eadem est in omni regione. Adolescens ille Terentianus Eunuc. 3, 5, 49. sodali blanditur, & sic eum alloquitur: *Tum equidem istuc os tuum impudens videre nimium vellem, Qui esset status, flabellum tenere te asinum tantum*. Venetis hodie *vecchia*, e *vecchio*, nomina sunt blanditiarum, quibus pueros etiam, & puellas compellant. Relinquamus igitur suam conjecturam Heinsio. & in consensu librorum acquiescamus. Mihi certe frigidum & coactum videtur: *te via ducit onus*. VULP.

v. 7.

Hoc utinam ſpatiere loco, quodcumque vacabis,
Cynthia: ſed tibi me credere turba vetat.
Quum videt accenſis devotam currere tædis
In nemus, & Triviæ lumina ferre deæ.

Sci-

v. 7. Hoc utinam spatiere loco, quocumque vagaris, Cynthia: sed tibi me credere turba vetat] Utinam, inquit, Romæ tantum vaga ſis: credam te eſſe probam. ſed non licet credere, quia vulgus te videt vagari, & ire Tuſculum, Tibur, Ariciam ſpecie religionis. hoc eſt quod dixit Eleg. 18. ſup.

Credam ego narranti: noli committere famæ.
Et terram rumor tranſilit & maria.

Quocumque vagaris. ubicumque vagæ puellæ more huc illuc te confers. *quocumque*, pro ubicumque; ut Eleg. 15. lib. 1.

Sis quocumque voles, non aliena tamen.

Alii libri habent, *Quodcumque vacabis*. quidquid temporis eris otioſa & vacua. An *vacabis*, ſola eris? ut Eleg. 9. ſup.

At tu non una potuiſti nocte vacare.

Ita Cicero pro Dejotaro: *Dejotarus quidquid a bellis Populi Romani vacabat, cum hominibus noſtris res rationeſque jungebat.* Elegia 1. ſup.

Seu quidquid fecit, ſive eſt quodcumque locuta.

Sane, *vagaris*, convenit cum verbo *ſpatiere*; quia *ſpatiatorem* pro erratore poſuit Cato, teſte Feſto. Ego legendum puto, *quodcumque vagabis*. vagare enim pro vagari dici, docet Nonius. facilis lapſus, vacabis, vagabis. vagari porro, ſeu vagare, impudicarum eſt. Pass. Vagaris, poteſt eſſe syncope, pro *vagaveris*. Vulp.

v. 9. Quum videt accensis devotam currere tædis In nemus, et Triviæ lumina ferre deæ] *Votivam* Plautus in Aſin. vocat, quam hic *devotam*. Ovidius *voti potentem* in Faſtis, lib. 3. agens de ſacris Aricinæ Dianæ:

Sæpe potens voti frontem redimita coronis
Femina lucentes portat ab urbe faces.

ubi & *lucentes faces*, ut hic *accenſis tædis*. Noſter Eleg. 10. lib. 4.

Maxima quæ gregibus devota eſt ara repertis.

ideſt vota & ſacrata & dicata. *Devovere*, ut dedicare. Devotum, inquit Nonius, ad proſperum tantum uſus trahit. ſed nos confirmat exemplis. *Devota victima* Horatio Ode 23. lib. 3. Hinc *Devota virgo* in Parentalibus Auſonii. ibidem:

Crevit devotæ virginitatis amor.

Exſtat libellus D. Ambroſii ad Virginem Devotam. Suetonius in Julio cap. 67. *Devotiſſimos ſibi milites reddidit.* *In nemus.* De hoc Statius 4. Silv. ad Marcellum:

Hos Præneſte ſacrum: nemus hos glaciale Dianæ:
Algidus aut horrens; aut Tuſcula protegit umbra.

Cicero lib. 15. ad Attic. Epiſt. 4. *Ecce autem de tranſverſo L. Cæſar, ut veniam ad ſe rogat in Nemus, aut ſcribam, quo ſe venire velim.* Strabo lib. 5. Τόδε ἀρτεμίσιον, ὃ καλοῦσι νέμος, ἐκ τῶ ἐν ἀριστερᾷ μέρους τῆς ὁδῶ τῆς ἐξ Ἀρικίας ἀναβαίνουσιν εἰς τὴν ἀρικίνην τὸ ἱερόν. citat Turnebus lib. 24. Adv. cap. 21. Ovidius lib. 1. A. A.

Ecce ſuburbanæ templum nemorale Dianæ.

vide plura de Nemorenſi Diana ad Eleg. 22. lib. 3. *Triviæ deæ.* Varro 6. de L. L. Trivia Diana ab eo dicta quod in trivio ponitur fere in oppidis Græcis; vel quod Luna dicitur eſſe, quæ in cælo tribus viis movetur. Græci τριόδον καὶ τριοδῖτιν vocant, ut ait Interpres Theocriti; apud quem vide plura. vel a triplici ejus mutatione & triplici figura Lunæ. vide Lilium Gregorium Gyraldum. *Ferre lumina*; ut Ovidius loco prænotato, *Portare faces*. Papinius 3. Silv. in Hercule Surrentino;

Jamque dies aderat profugis quum regibus aptum
Fumat Aricinum Triviæ nemus; & face multa
Conſcius Hippolyti ſplendet lacus. ipſa coronat
Emeritos Diana canes. Pass.

Triviæ lumina ferre deæ. videndus Merula ad Ennium p. 390. imâ. Broukh. Adde Gratium Cynegetico v. 483.

Idcirco aëriis molimur compita lucis,
Spicataſque faces ſacrum, ad nemora alta, Dianæ
Siſtimus, & ſolito catuli velantur honore.

lege ſis reliqua. Et in ſacris Cereris portaban-

Scilicet umbrosis fordet Pompeja columnis
Porticus aulæis nobilis Attalicis:
Et creber platanis pariter surgentibus ordo,
Flumina sopito quæque Marone cadunt:

Et

tabantur faces. Lactantius lib. 1. D. I. cap. 21. *Hic ad incestum patrui matrimonium rapta Proserpina; quam quia facibus ex Ætnæ vertice accensis quæsisse in Sicilia Ceres dicitur, iccirco sacra ejus ardentium tædarum jactatione celebrantur.* Ovidius Epist. Phyllidis v. 42.

Et per tædiferæ mystica sacra deæ.

nimirum Cereris Eleusiniæ, quæ Bacchylidi in fragmentis dicitur Ε'κατα δ᾽αιδοφόρος. Demum Seneca Hippolyto v. 104.

Non colere donis templa votivis libet;
Non inter aras, Atthidum mixtam choris,
Jactare tacitis conscias sacris faces.

Caussam religionis amoribus suis prætendebat pessima & dolosa puella. VULP.

v. 11. SCILICET UMBROSIS SORDET POMPEJA COLUMNIS PORTICUS AULÆIS NOBILIS ATTALICIS] Parum amœna tibi videtur, habetur vilis & spernitur. Virgilius Ecl. 2. *Sordent tibi munera nostra.* Cicero in Pisonem: *Cui sordebat Macedonia provincia.* De porticu Pompeja Ovidius lib. 1. A. A.

Tu modo Pompeja lentus spatiare sub umbra
Quum Sol Herculei terga leonis adit.

Noster Eleg. 8. lib. 4.

Tu neque Pompeja spatiabere cultus in umbra.

Cornelius Fronto: *Pompeji porticus, si possidet: Pompeja, si publicavit: Pompejana, si in alterius dominationem venit. Umbrosis columnis*, quæ umbra platanorum opacatur. Horatius Epist. 10. lib. 1.

Nempe inter varias nutritur silva columnas.

Nobilis aulæis, insignis & valde ornata. *Aulæa*, inquit Isidorus lib. 19. cap. 26. *vela picta & grandia, quia in aula Attali inventa*; ex Servio in illud 3. Georg.

Purpurea intexti tollunt aulæa Britanni;

& in 1. Æneid. v. 697. *Aulæis jam se regina superbis Aurea composuit sponda.* ubi addit ex Varrone, vela ejusmodi suspendi solita ad arcendum pulverem. Nonius in *Aulæa*, genus vestis peregrinum exponit. P. *Sordet Pompeja porticus.* Ita Statius lib. 1. Silv. Carm. 3. v. 98. *Cur oculis sordet vicina voluptas? Aulæis Attalicis.* Eleg. 18. lib. 3. *Attalicas supera vestes.* Hoc distichum, & duo sequentia εἰρωνικῶς accipienda sunt. cui enim sordere merito poterant opera tam illustria, & magnifica? VULP.

v. 13. ET CREBER PLATANIS PARITER SURGENTIBUS ORDO] Sic *densam seriem*, de vitibus in pingui solo, dixit Virgilius 2. Georg. Idem eod. libro de ordinibus arborum:

Indulge ordinibus, nec secius omnis ad unguem
Arboribus positis secto via limite quadret.

versum appellat 4. Georg.

Ille etiam seras in versum distulit ulmos.

Legendus Plinius lib. 17. H. N. cap. 12. de intervallis plantandarum arborum. *Pariter surgentibus*, quia eodem tempore & simul satæ, pariter quoque surgebant. *Pariter*, & unà, & eadem altitudine. *Surgentibus*, ambigue; vel adhuc crescentibus, ut Eleg. 2. lib. 1.

Surgat & in solis formosius arbutus antris.

vel jam adultis & excelsis, ut Eleg. sup. *Surgebat marmore templum. Platanis.* de his Plinius lib. 12. H. N. cap. 1. Horatius Ode 15. lib. 2. *Platanusque cælebs Evincet ulmos.* Platanus æstate excludit solem, hieme admittit. P. Victor in Regione 13. urbis Romæ, *Platanona* [nempe silvam platanis consitam] commemorat in Aventino. PASS. Non inscite voculam unam trajecit Douza F.

Et creber platanis pariter surgentibus ordo.

i. e. quarum summi rami ad eamdem altitudinem tendentur. juvat unus liber Gebhardi, in quo, *platanis pariter urgentibus*. BROUKH. Apud Pompejam porticum fuisse nemora variis arboribus consita, indicat Martialis Epigr. 14. lib. 2.

Inde petit centum pendentia tecta columnis,
Illinc Pompeji dona, nemusque duplex. V.

v. 14. FLUMINA SOPITO QUÆQUE MARONE CADUNT] Et sordent aquæ per tubos ductæ ad irrigandas platanos. *Flumen*, pro aqua fluente; quod & Gallus Ælius observat apud Festum in *Torrens*. Varro 4. de L. L. *Flumen quod fluit, unde in lege* pre-

Et leviter Nymphis tota crepitantibus urbe,
Quum subito Triton ore recondit aquam.

Fal-

Prædiorum urbanorum , Stillicidia flumine ai ito fluant cadantque. Plinius tamen lib. 3. H. N. cap. 15. septem amnes corrivatos in urbem a M. Agrippa scribit. *Sopito Marone*. Turnebus lib. 7. Adv. cap. 26. Opinor, inquit, in aquæductu , qua saliebat aqua fuisse statuam Maronis , sive ille poeta fuerit , sive Maro Homericus (Odyss. 9. sacerdos est , qui vinum Ulixi dedit , quod Maroneum vocat) eo habitu positam , ut susurro ejus aquæ sopitus videretur. Immo statuam Maronis optimi viuitoris , comitis expeditionum Osiridis , quem ætate provectum in Thracia reliquit , ut ait Diodorus lib. 1. Hæc ille. Placet hæc opinio , quia a Nymphis educatus Bacchus , & *Najada Bacchus amat* , ut ait Tibullus . De hoc Marone Bacchi educatore Fulgentius in *Dionysus*. Beroaldus hic delirat. PASS. Maronem Peloponnesi flumen , non longe ab Alpheo , intelligit Scaliger in editione secunda . --- solent ... fluvii fere dormientium habitu repræsentari . atque ita nobis Tiberim præpinxit Apollinaris Panegyr. Majorani Aug. --- sic & fontium Nymphæ dormientes finguntur in plurimis antiquitatis monumentis. BROUKH. Vide quæ attuli ad illud Tibulli Carm. 1. v. 57.

Victa Maraneo fœdatus lumina Baccho. V.

v. 15. ET LEVITER NYMPHIS TOTA CREPITANTIBUS URBE] *Nymphæ* , aut Nympharum simulacra hic sunt aquam ora , vel mammis emittentia ; vel *Nymphæ*, pro aquis. Virgilius 1. Æn. *Dant famuli manibus Nymphas*. [In omnibus libris est , *lymphas*.] *Crepitare Nymphas* , dixit , ut Horatius Epodo 16. *Levis crepante lympha desilit pede*. & *leviter crepitantibus* , quia est & crepitus gravior , ut grandinis , & fulminis. PASS. In Groningano est *lymphis*. hæ voces millies confunduntur , nec semper cum periculo. sed hic legendum est *Nymphis* : est enim sermo de statuis a M. Agrippa positis , ad fontes , lacus , castella . tales hic Maro , Nymphæ , Triton. Plinius L. 36. C. 15. loco valde notabili : *Sed dicantur vera æstimatione invicta miracula , quæ Q. Marcius Rex fecit. is jussus a Senatu aquarum , Appiæ , Anienis , Tepulæ , ductus reficere , novam nomine suo appellatam cuniculis per montes actis intra Præturæ suæ tempus adduxit. Agrippa vero in Ædilitate sua , adjecta Virgine aqua , ceteris corrivatis atque emendatis , lacus septingentos fecit : præterea salientes centum quinque : castella centum triginta , complura etiam cultu magnifico : operibus iis signa trecenta area aut marmorea imposuit , columnas ex marmore quadringentas , eaque omnia annuo spatio*. ea *signa* Nympharum fuere , ac Fluviorum . *Nympha* & *lympha* , i. e. deæ fontium præsides , & ipse aquarum liquor junguntur in lapide Romano apud Gruterum ACIII. 1. est & altera ibidem insignis , N. 8. BROUKH. Lymphas ipsas & fontes , antiqui *Nymphas* dicebant , ut panem Cererem , & vinum Bacchum seu Liberum. Martialis Epigr. 47. lib. 6.

Nympha , mei Stellæ quæ fonte domestica puro Laberis , & domini gemmea tecta subis. V.

v. 16. QUUM SUBITO TRITON ORE RECONDIT AQUAM] Turnebus lib. 7. Adv. cap. 21. Quadam in urbis parte Triton magnam aquæ copiam ore profundens , epistomiis versis quum aquam recondiderat , & fundere destiterat ; illa mutato flexoque cursu , magno impetu , crepitans ad porticum Pompeji tendebat per tubos , qua sopiti erat statua Maronis , & tanta cadebat mole , ut quum leviter in reliqua urbe aqua susurraret , illic flumen videretur justum esse. Hæc ille. Scaliger , *Recondit* , contrarium esse ait τοῦ condit , ut recludo , refero. De Tritone Plinius lib. 36. H. N. cap. 5. & lib. 9. cap. 5. Ovidius item 1. Metam. ubi Triton signum aquis dat immittendis vel revocandis . Virgilius 10. Æneid.

Frons hominem præfert , in pristin desinit alvus. PASS.

Omitto quæ sequuntur apud Passeratium ; præcesserunt enim in Adnotatione Broukhusii ad superiorem versum . Quid , rogo , non vidit Passeratius , homo infinitæ lectionis , qui admirabili memoria , diligentia incredibili , optimo plerumque judicio ad Propertium explicandum aggressus est ? ex cujus thesauris locupletissimis qui secuti postea sunt , supellectilem suam auxerunt ;

&

Falleris. ista tui furtum via monstrat amoris.
Non urbem, demens: lumina nostra fugis.
Nil agis: insidias in me componis inanes:
Tendis iners docto retia nota mihi.

Sed

& ipsi laudabiles, nisi interdum fateri nullent, per quem profecerint. *Recondere* hic non est *condere*, sed promere: ut *reserare*, non est *obserare*, sed aperire. De saliente aqua Seneca Natur. Quæst. lib. 2. cap. 9. *Numquid dubitas, quin sparsio illa quæ ex fundamentis mediæ arenæ crescens, in summam altitudinem amphitheatri pervenit, cum intensione aquæ fiat?* *Nymphæ* pro aquis ipsis usurpantur etiam ab Auctore Elegiæ in Obitum Mæcenatis, qui *canoras* vocat, quemadmodum Propertius *crepitantes*. Nescio, an huc pertineat locus Cornelii Severi in Ætna v. 291.

Resonante diu Tritone canoro
Pellit opes collectus aquæ, victusque movetur
Spiritus, & longas emugit buccina voces.

vide ad hus versus notam Josephi Scaligeri. VULP. *Recondit*. pari notiune *refluit* posuit Virgilius L. 9. Æn.

Gangee
Quum effluit campis, & jam se condidit alveo.

religat Catullus Carm. 60. notavit istic Ach. Statius. plura dabit Casaubonus ad Sueton. August. C. 78. Jos. Castaliu Dec. 7. Observ. C. 5. Gronovius Diatr. ad Silv. Statii C. 20. BROUKH.

v. 17. FALLERIS. ISTA TUI FURTUM VIA MONSTRAT AMORIS] Amorem tuum furtivum arguit, quod is & redis & vagaeis & quæris latebras. *Ista via*, iter, profectio, ut Eleg. 8. lib. 1.

Sit Galatea tua non aliena via.

vel *Ista via*, Appia, de qua supra. PASS.

v. 18. NON URBEM, DEMENS: LUMINA NOSTRA FUGIS] Fugis oculos meos, & conspectum: times ne te observem. Plautus Capt. 3, 4. *Quid istuc est quod meos te dicam sic fugitare oculos, Tyndare?* Cicero lib. 9. ad famil. Epist. 2. *Oculos hominum vitemus, si linguas minus facile possumus*. & 3. Offic. *Fugere conspectum sceleratorum*. Q. Cicero:

Andromede aufugiens conspectum mœsta parentis. PASS.

v. 19. NIL AGIS: INSIDIAS IN ME COMPONIS INANES] Ludis operam, dolus mihi struis non dolus, quia astu non coluntur. *Nil agis*; sic Græcis οὐδὲν ποιεῖν. vide proverbium *Nil agere*. unde illud Attilii: *Satius esse otiosum esse, quam nihil agere*. *Componis insidias*; ut Eleg. 9. sup. *Verba & componere fraudes*. *Inanes*, quæ vim nullam habent; ut Eleg. 26. sup. *fremitu inani*. PASS. Proverbialis locutio de irrito conatu. Cicero Philip. 13. C. 19. *Id agis, ut, Lepidum aut impium, aut insanum existimari velis. Nihil agis*. BROUKH. Adde Ovidium 6. Fast. v. 123.

Stulta, videt Janus quæ post sua terga geruntur:
Nil agis en: latebras respicit ille tuas.
Nil agis en, dixi: nam te sub rupe latentem
Occupat.

Agere hic est proficere. Terentius Heautont. 1, 1, 21.

Quod in opere faciundo operæ consumis tuæ,
Si sumas in illis exercendis, plus agas.

Catullus Carm. 42. *Sed nil proficimus*. V.

v. 20. TENDIS INERS DOCTO RETIA NOTA MIHI] Sic Pacuvius apud Festum in *Nequitum*: *Sed quum contendi nequitum vi, tendenda est plaga*. Ovidius in Epist. Acontii:

Ut partem effugiat, non omnia retia falles,
Quæ tibi, quam credis, plura tetendit Amor.

& in Epist. Cydippes:

Si mihi lingua foret, tu nostra justius ira,
Qui mihi tendebas retia, dignus eras.

Tibullus Eleg. 6. lib. 1.

Jam mihi tenduntur casses: jam Delia furtim
Nescio quem tacita callida nocte fovet.

Horatius Epodu 2. proprie: *Rara tendit retia Turdis edacibus dolos*. τὸ *iners* refertur ad *Nil agis*, ut Eleg. 8. lib. 1.

Et sit iners tardis navita Vergiliis.

Ut ars pro dolu, sic inertia contraria calliditati. Terentius Andr. 3, 5. *Quandoquidem tam iners, tam nulli consilii sum*; nempe tam stultus. Festus: *Inerte, ignavus, vel sine arte*. *Iners*, stolidus; quare Horatius *terram inertem* vocavit, quæ ab eodem dicitur *Bruta tellus*. *Docto*, vafro,

Sed de me minus eſt: famæ jactura pudicæ
Tanta tibi miſeræ, quanta mereris, erit.
Nuper enim de te noſtras me lædit ad aures
Rumor, & in tota non bonus urbe fuit.
Sed te non debes inimicæ credere linguæ.
Semper formoſis fabula pœna fuit.

Non

pallido. ut Eleg. 5. lib. 4.

Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem.

Nota, manifeſta, ideoque vitatu facillima; nam ars ſi latet, prodeſt: contra nil agit. PASS. Cicero pro Cæcin. C. 29. *In iis ipſis intercludere inſidiis, quas mihi comaris opponere*. BROUKH.

v. 21. SED DE ME MINUS EST: FAMÆ JACTURA PUDICÆ TANTA TIBI MISERÆ, QUANTA MERERIS, ERIT] Ellipſis. *De me*, inquit, minus laborandum eſt. vel minus curo, minus damni eſt. Ita Martialis Epigr. 75. lib. 1.

De nobis facile eſt: ſcelus eſt jugulare Falernum.

Illud Ovidii non diſſimile Epiſt. Acontii:

Non agitur de me: cura majore laboro.
Anxia ſunt vitæ pectora noſtra tuæ.

Famæ jactura pudicæ, amiſſio honeſtæ exiſtimationis. Cornelius Fronto, diſpendium, docet, eſſe ponderis, damnum deminutionis, detrimentum uſus, jacturam oneris, quod a nave jacitur. Proprie itaque Noſter Eleg. 7. lib. 3.

Paullatim ſociûm jacturam fecit Ulixes.

id eſt amiſit in mari. Cicero pro Plancio: *Dignitatis jacturam facere*. Ovid. 9. Metam.

His tamen ablati domuit jactura decoris.

Labem famæ vocat Noſter Eleg. 8. lib. 1. *Miſeræ*, merenti. proprie: nam vere miſeri, quos ſua culpa tales reddit. ſic Elegia 28. ſup.

Hoc perdit miſeras, hoc perdidit ante puellas;
Quidquid jurarunt, ventus & unda rapit.

Quanta mereris, ut digna es. pro culpæ tuæ modo. & eſt nominativus pro accuſativo; ut notavi ad Eleg. 9. ſup. v. 7. PASS. *Quanta mereris*, quanta tu es, quam celebris tu es, quæ eam mereris, tanta erit nominis tui infamia. clarius, ſed in re minus ludicra, Juvenalis Sat. 8.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto qui peccat major habetur. BROUKH.

De me minus eſt. Ita Seneca Conſolat. ad Marciam cap. 16. *De ceteris facile eſt, quos nec editos, nec amiſſos civitas ſenſit*. VULP.

v. 23. NUPER ENIM DE TE NOSTRAS ME LÆDIT AD AURES RUMOR, ET IN TOTA NON BONUS URBE FUIT] Donatus in Andr. Adverbia temporis aut certa ſunt, ut hodie, cras: aut incerta, ut dudum, nuper. ergo hic dixit *Lædit* de præſenti tempore, pro nunc. An *nuper* nomen eſt, ut Plautus Captiv. *hominem nuperum & novitium* dixit; ut ſit *nuper rumor lædit*, id eſt novus? Sic apud Terentium Heautont. *nuper notitia admodum eſt*. An *lædit* præterito tempore? ut apud Varronem de R. R. *diſcedimus*, pro diſceſſimus; & *accediſſe villam*, pro acceſſiſſe. *Rumor ad aures*. tribuit nomini caſum verbi: & id eſt quod *dicitur ad aures* Eleg. 20. ſup. ut *Carmina ad caput Priami vera* Eleg. 1. lib. 4. An *rumor ad aures*, ut pueri ad cyathum, ad manum, ad pedes? An *lædit ad aures*, leviter aures perſtringit? *Rumor lædit*, ut apud Catullum Carm. 68. *Lædit te quædam mala fabula. rumor non bonus*, qui *malus*. Elegia 13. lib. 1. Sic Eleg. 23. lib. 3.

Non bona de nobis crimina ficta jacis.

Catullus Carm. 11. *Non bona dicta*. Terentius prologo Eun.

Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas.

In tota urbe, ut Eleg. 5. ſup.

Hoc verum eſt tota te ferri, Cynthia, Roma?

ubi vide adnotata. Enallage vero numerorum eſt *noſtras me*, ut Eleg. 15. ſup.

Quam poſſim noſtros alio transferre calores. P.

v. 25. SED TU NON DEBES INIMICÆ CREDERE LINGUÆ] Non debes vera eſſe putare quæ mali & invidi loquuntur. nam malevo-

Non tua deprenso damnata est fama veneno.
Testis eris puras, Phœbe, videre manus.

Sin

levoli ista fingunt. An se Ipsum alloquitur? Sed tu, o Properti. *Lingua inimica;* ut Virgilius, *mala lingua:* accipitur vero pro sermonibus hominum. Livius lib. 33. *Si linguas Ætolorum retundere vellent.* nempe, reprimere sermones. Scaliger legit: *Sed te non debes.* ut supra: *Narranti noli committere famæ.* PASS.

v. 26. SEMPER FORMOSIS FABULA PŒNA FUIT] Pœnæ loco datum ut sermonibus & rumoribus formosarum fama differatur. *τὸ semper* sæpe jungitur cum *formosis.* ut Elegia 16. & 28. sup. Vulgus eam quæ formà præstet, parum pudicam esse dictitat. *Fabula pœna*, pœnæ loco. ut Eleg. 13. lib. 1.

Hæc erit illorum contemti pœna doloris.

Fabula. ut Eleg. 24. sup. *Jam tota fabula libro.* PASS. Hoc dictum conveniebat etiam in adolescentes, quorum esset species liberalior. Cato de Re Floria apud A. Gellium lib. 9. cap. 12. *Sed nisi qui palam corpore pecuniam quæreret, aut se lenoni locavisset, & si fabulosus aut suspiciosus fuisset; vim in corpus liberum non æquum censuere afferri.* Cicero pro M. Cœlio: *Nam quod objectum est de pudicitia, quodque omnium accusatorum non criminibus, sed vocibus maledictisque celebratum est, id numquam tam acerbe feret M. Cælius, ut eum pœniteat non deformem esse natum. sunt etenim ista maledicta pervulgata in omnes quorum in adolescentia forma & species fuit liberalis. Sed aliud est maledicere, aliud accusare.* Æschines Oratione in Timarchum plura suppeditare potest huc pertinentia. VULP.

v. 27. NON TUA DEPRENSO DAMNATA EST FAMA VENENO] Non tu famam & existimationem amisisti convicta & damnata veneficii, quod judicium & turpe & capitale est. *Damnata fama*, ut Eleg. 7. lib. 4.

Ducet damnatas ignea testa manus.

Sic Cicero pro Milone: *Non fuisse fas ullo in loco potius mortem ejus laceravi, quam in quo vita esset damnata.* Venefici autem infames maxime. Cicero initio Orat. pro M. Cœlio: *Deprense veneno, reperte & probate, ut negare non posset.* Idem in Bruto: *Eum sibi venenum paravisse, idque a se esse deprensum.* & pro Cluentio: *Accusatis manifestâ veneni deprehensione conclusa.* Ut homo, ita & res deprehendi dicitur. *Deprehensa*, genus animadversionis militaris apud Festum. Deprensi veneni insigne exemplum apud Livium lib. 8. quod matronæ coquebant; unde publice pestis. Callistratus Jurisconsultus L. *Capitalium* 28. §. *venenarii* D. *De Pœnis*, ejus criminis pœnam ait esse capitalem, vel, si dignitas obstat, deportationem. Sed, ait Propertius, citra judicium, opinione hominum fama tua damnata non est, quod apud ta repertum sit malum venenum. PASS. Insignis est locus M. Tullii de hac re pro A. Cluentio: *Accusabat P. Canutius, homo in primis ingeniosus, & in dicendo exercitatus: accusabat autem ille quidem Scamandrum verbis tribus: Venenum esse deprehensum.* Apud eumdem pro M. Cœlio legitur: *Testes hujus manifesta deprehensi veneni.* Adde Senecam Rhetorem Contr. 18. *Testor*, inquit, *deos immortales, hoc me tribus jam cavisse abdicationibus, ne in domo mea venenum deprehenderet.* & Juvenalem Sat. 6. v. 637.

--- Sed clamat Pontia, Feci,
Confiteor, puerisque meis aconita paravi,
Quæ deprensa patent. VULP.

v. 28. TESTIS ERIS PURAS, PHŒBE, VIDERE MANUS] Testatur Solem; rerum humanarum arbitrum; ut Virgilius 12. Æn. Idem 4. ejusd. operis:

Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras.

quod sumtum ab Homericis fontibus. *Puras manus.* Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 12.

Illum etiam qui vos ex arbore vertit in usum,
Convincam puras non habuisse manus.

Appulejus lib. 4. Florid. *In maleficiis etiam cogitata scelera, non perfecta adhuc, vindicantur. cruenta mente, pura manu.* Aliæ sunt *puræ manus* Tibullo in sacris; Virgilio *piæ*, id est lotæ. PASS. Seneca Oedip. v. 791. verbis ipsius Oedipodis:

Genitor sine ulla cæde defunctus jacet.
Testor, licet jam tollere ad cælum pie
Puras nec ulla scelera metmentes manus.
BROUKH.

Testis e. puras, Phœbe, v. manus. Vide quæ animadverti ad Eleg. 15. lib. 1. v. 37. *Puras manus;* homicidio aut veneficio non

Ttt 2 in-

Sin autem longo nox una, aut altera lusu
Consumta est, non me crimina parva movent.
Tyndaris externo patriam mutavit amore,
Et sine decreto viva reducta domum est.

Ipsa

inquinatas. Apollodorus Declamator apud Senecam patrem Controv. 2. lib. 1. *Au etiam si merito accidit hominem, pura tamen non sit homicidio coinquinata.* Suetonius in Tito cap. 9. *Pontificatum maximum ideo se professus accipere, ut puras servaret manus; fidem præstitit: nec auctor posthac cujusquam necis, nec conscius.* VULP.

v. 29. SIN AUTEM LONGO NOX UNA, AUT ALTERA LUSU CONSUMTA EST, NON ME CRIMINA PARVA MOVENT] Sic dixit Elegia 24. sup.

Una aut altera nox nondum est in amore peracta.

vide adnotata ad Eleg. 6. sup. v. 4. *Lusus, quia sit longissime ab usu.* Quintilianus I. O. lib. 1. cap. 10. ubi male *ludus*. *Non me crimina parva movent.* vide adnotata ad Eleg. 30. v. 24. & 32. PASS. *Longo luxu.* In libris melioribus est *lusu*. quod multis modis rectius videtur. BROUKH. Ea αἵρεσις insederat veterum animis, ut adulteria, stupra, & id genus flagitia vix in delictis haberent, nomine lusuum cohonestantes. Petronius in Satyr. de scelestis nuptiis immaturæ virgunculæ: *Lusumque puerilem libidinosâ speculabatur diligentiâ.* Juvenalis ad calcem Sat. 7. loquens de pueris in ludo litterario: *Ne turpia ludant.* Et Martialis Epigr. 2. lib. 6.

Lusus erat sacræ connubia fallere tædæ.

Nec alio trahendum illud Suetonii in Tiberio cap. 45. de re turpissima: *Feminarum illustrium capitibus illudere.* Propterea nescio quis apud M. Senecam Controv. 2. lib. 1. *A stupris removere potuisti, quibus inter tot tanta majora scelera, virginem stuprare, innocentia est?* Nihilominus, moribus nondum Romæ corruptis, & republica sanctiore, impudicitia grave peccatum habitum. Testatur id Auctor Rhet. ad Herenn. lib. 4. loco valde memorabili: *Majores nostri si quam unius peccati mulierem damnabant, simplici judicio multorum maleficiorum convictam putabant. Quo pacto? quoniam quam impudicam judicarant, eam veneficii quoque damnatam existimabant. Quid ita? quia necesse est, eam quæ suum corpus addixerit turpissimæ cupiditati, timere permultos. Quos istos? virum, parentes, ceteros, ad quos videt sui dedecoris infamiam pertinere.* Lege reliqua. omitto enim, quia longiora. *Non me crimina parva movent.* animum meum non afficiunt, neque percellunt, ut curem, ut excandescam, ut ulciscar. Ita supra Elegia 24. *Ah peream, si me ista movent dispendia.* VULP.

v. 31. TYNDARIS EXTERNO PATRIAM MUTAVIT AMORE] Apud Euripidem in Trojad. actu 4. Helena adversus Menelaum & Hecubam suam caussam agit. & ab Ovidio lib. 2. A. A. [iniquo tamen judice] crimine solvitur. *Mutare patriam amore externo*, est patriam illi postponere. nam quartus casus rem relictam significat, sextus rem cariorem. Sic Eleg. 20. lib. 3.

Durus qui lucro potuit mutare puellam.

qui enim mutat, mavult quod alterius est, quam suum. Virgilius 1. Georg.

Chaoniam pingui glandem mutavit arista.

Sallustius: *Nemo nisi victor pace bellum mutavit.* Contra Ovidius 3. Fast. de Ariadna:

Jam bene perjuro mutarat conjuge Bacchum.

pro mutarat Baccho Thesea. PASS. Horatius quoque Ode 17. lib. 1. *Velox amœnum sæpe Lucretilem Mutat Lycæo Faunus.* pro mutat Lucretili Lyceum. *Tyndaris*, Helena, quam putabant Tyndari filiam, quum esset Jovis, ex adulterio Ledæ Tyndari uxoris. *Externo patriam mutavit amore.* Scripserit fortasse Propertius *patrium*; concinnius enim videtur, *patrium amorem externo mutare*, Menelaum scilicet Paride. Fuit autem Helena Spartana, & Menelaus Spartæ rex. VULP.

v. 32. ET SINE DECRETO VIVA REDUCTA DOMUM] Falsum hoc, ex Euripide in Trojad. actu 4. ubi ipsa quærit e viro Menelao, quid Græci de illa statuerint suis sententiis. Respondet Menelaus, non actum cum ea summo jure, sed sibi viro permissam in illam vitæ & necis potestatem.

He-

Ipſa Venus quamvis corrupta libidine Martis,
Nec minus in cælo ſemper honeſta fuit.

Quam-

Helena ſcilicet, quum Trojæ eſſet, amiſerat jus civitatis ſuæ. itaque ut reſtitueretur, opus erat decreto & lege populi. Sic decreto reductus Demoſthenes, reductus Cicero. *Decernere*, inquit Donatus, *eſt magnis de rebus certam proferre ſententiam*. Decernit ſenatus, prætor, judex, quum cauſſâ cognitâ aliquid ſtatuit: populus jubet. Hic igitur poeta decreti nomine abutitur pro lege: nam lege reducitur exſul. vel decretum exercitus intelligit, & imperatorum; ut ſæpe apud Ciceronem. *Vivo reducto domum*. Spartam incolumis rediit. Virgilius 2. Æneid. hac de re:

Scilicet hæc Spartam incolumis patriaſque Mycenas
Aſpiciet, partoque ibit regina triumpho,
Conjugiumque domumque, patres natoſque videbit.

Vivo dixit, quia & mortui quodammodo reducuntur ab exſilio, quum ut referantur eorum oſſa, conceditur. Ovidius lib. 3. Triſt. Eleg. 3.

Oſſa tamen facito parva referantur in urna:
Sic ego non etiam mortuus exſul ero.

Reducta, revecta, vel revocata. Cicero 7. in Verr. *Vincti ſolvantur, exſules reducantur*. & pro Milone: *Me reducem eſſe voluiſtis*; mox, *reſtitutum*. PASS. Quidam libri, *Et ſine decreta eſt v. r. d.* noſter autem primus & Borrichianus non habent τὸ *eſt*. nec ego facile recepero. cave autem τὸ *&* ſumas pro conjunctione copulativa. elegantius aliquid ſonat: de quo dictum ad Eleg. 19. hujus libri v. 32. BROUKH. Ne deleas τὸ *eſt*. quod ſententia requirit omnino. *Sine decreto*; abſque procerum Græcorum ſuffragiis, conjuge tantum intercedente, ne occideretur. Rem porro, ſicuti geſta, narrat Dictys Cretenſis, vel potius L. Septimius, lib. 5. de Bello Trojano. *Poſt captum Ilium Ajax, recordatus eorum quæ tantis tempeſtatibus propter mulierem perpeſſi expertique eſſent, primus omnium interfici eam juſſerat: jamque approbantibus conſilium Ajacis multis bonis, Menelaus, amorem conjugii etiamnum retinens, ſingulos ambiendo orandoque ad poſtremum perfecerat, uti interceſſu Ulixis, Helena incolumis ſibi traderetur*. Noluit igitur Menelaus cauſſam Helenæ per concilium procerum cognoſci, unde decretum fieret: ſed ipſe vi tyrannica, & ope fratris nixus, eam a crimine abſolvit. Quamquam enim Dictys affirmat, preces interpoſitas; quis neſcit, principum preces nihil a juſſis diſtare? Horatius Sat. 3. lib. 1. *Cæſar, qui cogere poſſet, Si peteret per amicitiam patris, atque ſuam*. Adſtipulatur Seneca in Agamemn. v. 273.

Ignovit Helenæ (Agamemnon): *juncta Menelao redit,*
Quæ Europam & Aſiam paribus afflixit malis.

Ipſa Helena apud eumdem Troad. v. 913.

Quam quiſque famulam traheret, incerto diu
Caſu pependit: me meus traxit ſtatim
Sine ſorte dominus.

Euripides vero in Andromacha actu 3. verbis Pelei objurgat Menelaum, quod non interfecerit receptam uxorem, ſed viſis uberibus, & blanditiis ejus delinitus, abjecto gladio acceperit oſculum, & cum ea in gratiam redierit. Idem vero poeta in Helena ſcribit, non eam raptam fuiſſe a Paride; ſed pro ea ſimulacrum abductum eſſe: ipſam vero Jovis mandato a Mercurio delatam fuiſſe in Ægyptum, atque ibi a Proteo cuſtoditam; confectoque bello Trojano, quum Menelaus in Ægyptum veniſſet, ſimulacrum quidem evanuiſſe; veram autem Helenam cum marito rediiſſe in patriam. *Reducta domum eſt*. iterum ducta, quaſi alteris nuptiis; novi enim mariti novas nuptas domum ducebant. unde *uxorem ducere*. De raptu Helenæ omnino legendus Herodotus initio lib. 1. Hiſtor. VULP.

v. 33. IPSA VENUS QUAMVIS CORRUPTA LIBIDINE MARTIS, NEC MINUS IN CÆLO SEMPER HONESTA FUIT] Fabula eſt apud Ovidium 2. A. A. lib. 2. Triſt. Eleg. 1. & lib. 4. Metam. in fabula Clytiæ, Statium 7. Thebaid. Hyginum Fab. 148. tangit Virgilius 4. Georg.

Vulcani, Martiſque dolos et dulcia furta.

Corrupta, adulterata. Cato apud Gellium: *Uxor te, ſi adulterares, digito non auderet contingere*. Suetonius in Auguſto cap. 69. ſic dixit, *adulterare matronas*, quod hic *corrumpere*: de quo verbo vide adnotata ad Eleg.

Quamvis Ida Parim paſtorem dicat amaſſe,
Atque inter pecudes adcubuiſſe deam:
Hoc & Hamadryadum ſpectavit turba ſororum,
Silenique ſenes, & pater ipſe chori.

Cum

Eleg. 6. ſup. v. 26. *Libidine Martis*, a Marte libidinoſo; ut Eleg. 7. lib. 4. *Stuprum Clytæmneſtræ*, pro ipſa adultera. *Nec-minus*, ut *nec-manifeſtam* in XII. Tabb. *Nec-recte* apud Feſtum in *Nec*. Aliud *nec-minus* Eleg. 3. lib. 1. pro Atque etiam. *Minus honeſta*. id eſt, non ideo turpior habita: nullam tamen honeſtatis & exiſtimationis partem amiſit. *Honeſta* & ad animum, & ad corpus refertur, ut eſt dignitas formæ & dignitas fortunæ. ergo utroque modo honeſta Venus: & pulchra & honorata. P. *Nec-minus in c. ſ. b. ſ.* elegans eſt diſertiſſimi viri Petri Francii reſtitutio: *Num minus in cælo*, cum interrogationis nota. favet Cicero L. 2. de Divinat. *Auſpiciis Paullus paruit. num minus cecidit in Cannenſi pugna cum exercitu?* & alibi ſæpius. librarii *num* ſæpe mutaverunt in *non*. -- vide quæ Nic. Heinſius notavit ad Heroid. Epiſt. 11. v. 19. ubi exempla hujus formulæ complura. notavit & Gulielmius nonnulla ad Plauti Curcul. C. 2. p. 92. BROUKH. Elegans quidem mutatio Francii, ſed non neceſſaria. VULP.

v. 35. QUAMVIS IDA PARIM PASTOREM DICAT AMASSE, ATQUE INTER PECUDES ACCUBUISSE DEAM] Monti Phrygio ut conſcio & ſermonem & teſtimonium defert; ut Eleg. 20. lib. 1. *dixerit Aſcanius*. In Ida Parin expoſitum & educatum ſcribit Euripides Iphigenia in Aulide. De Oenone & Paride legenda Ovidii Epiſt. 5. Heroid. & Sabini Epiſt. Paridis ad Oenonem. Apollodorus lib. 3. Oenonem Cebrenis amnis filiam nupſiſſe Paridi ait, & produxiſſe cladem e raptu Helenæ; quia Philoctetes ictus quum ab Oenone opem petiſſet, non impetravit, & occubuit. illa mox pœnitentiâ ducta ſibi laqueo vitam finivit. *Inter pecudes*; ut Euripides loco prædicto: Ἀμφὶ βουσὶ βυκόλον τραφέντ' Ἀλέξανδρον ἀμφὶ λευκὸν ὕδωρ. PASS. Abutitur Noſter voce *dea*. Oenone Nympha habebatur, non dea. vide ejus Epiſt. apud Ovidium. & Nymphas quidem annos vivere innumerabiles, non tamen eſſe mortis immunes, ex antiquis poetis tradit Pauſanias in Phocicis; atque ex Ariſtotele Servius ad L. 1. Æn. v. 376. Sane noſtram Oenonem, quam pœnitebat negatæ ſaucio Paridi medelæ, laqueo ſibi vitam finiviſſe auctor eſt Apollodorus L. 3. C. 11. §. 6. Parthenius vero præ ægritudine animi exſpiraſſe ait, Erotic. C. 4. quem ſecutus videtur L. Septimius L. 4. Ephemer. belli Trojani C. 21. non igitur *dea* Oenone. Nymphas a deabus prudentius diſtinxit ille omnium poetarum ſapientiſſimus L. 1. Æneid. a v. 327. item Jupiter apud Naſonem L. 1. Metam. a v. 192. BROUKH. *Inter pecudes a. d.* Oenone Ovidiana hoc ipſum fatetur in Epiſtola:

Sæpe greges inter requievimus arbore tecti. V.

v. 37. HOC ET HAMADRYADUM SPECTAVIT TURBA SORORUM] Si ſorores Oenones intelligit, Hamadryadas ponit pro Naïadibus. ut Eleg. 20. lib. 1.

Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryaſin.

Sed & poteſt intelligi Hamadryadum turba, quæ ſorores erant inter ſe. ut Virgilius 4. Georg. *Nymphaſque ſorores*. *Spectavit*; ſed cum riſu. ut idem Virgilius Ecl. 3. *Faciles Nymphæ riſere*. PASS.

v. 38. SILENIQUE SENES, ET PATER IPSE CHORI] De Silenis Diodorus lib. 4. & Strabo lib. 10. Silenum ita deſcribit Lucianus in Deorum concione: Φαλακρὸς γέρων, σιμὸς τὴν ῥῖνα, ἐπὶ ὄνυ κατὰ πολλὰ ὀχύμενος. h. e. *Senex calvus, naribus ſimis, aſello plerumque vectus*. Interpres Ariſtophanis Silenum deducit a voce σίνας, quæ penem ſonat. Phurnutus: Σειληνὸν, ἀπὸ τῦ σιλλαίνειν, quod alios ſuis dictis & cavillis exagitaret. *Pater chori*; princeps ac dominus, nempe Bacchus; ut *pater cœnæ* Horatio, *pater eſuritionum* Catullo, πατὴρ τῦ λόγυ Platoni in Convivio. *Pater* nomen eſt imperii, unde *pater-familias*. Feſtus in *Familia: Dux & princeps generis pater vocabatur*. Servius in 2. Georg. *Pater*, inquit, *licet ſit commune omnium deorum epitheton, tamen proprie convenit Baccho, unde Liber Pater dicitur*.

Cum quibus Idæo legiſti poma ſub antro
  Subpoſita excipiens, Naï, caduca manu.
An quiſquam in tanto ſtuprorum examine quærit,
  Cur hæc tam dives? quis dedit? unde dedit?
O nimium noſtro felicem tempore Romam,
  Si contra mores una puella facit!

Hæc

citur. Chori autem pater dicitur, quia medius, ut adnotavi ad Eleg. 30. ſup. v. 38. PASS.

v. 39. CUM QUIBUS IDÆO LEGISTI POMA SUB ANTRO] Antri facta mentio, & Silenorum & Bacchi, luſus ac ſtupri ſuſpicionem injicit, nomine pomorum (quæ antris imminere Nympharum dicit Eleg. 20. lib. 2. v. 36.) ut Eleg. 3. lib. 1.

Nunc furtiva cavis poma dabam manibus.

& Eleg. ult. infra:

Utque decent poſſint corrumpere mala puellam.

In Catalectis:

Ruſticus indocte ſi quid dixiſſe videbor,
Da veniam: libros non lego, poma lego.

Euſtathius in 8. Odyſſeæ docet, τὰ μῆλα ὄντα ἐρωτικά. & Interpres Ariſtophanis τὸ μηλοβολεῖν, eſſe δελεάζειν εἰς τὰ ἀφροδίσια. Virgilius Ecl. 3. *Malo me Galatea petit. Sub antro*. Sic & Horatius Ode 5. lib. 1. *Grato Pyrrha ſub antro*. PASS.

v. 40. SUPPOSITA EXCIPIENS NAÏCA DONA MANU] Subjecta manu, ne decidant in terram poma, & lædantur. Sic Eleg. 15. l. 2.

Ut tibi ſuppoſitis exciderent manibus.

Scaliger pro, *Naïca dona*, legit, *Naï, caduca*. O Naï, legiſti poma excipiens caduca; nempe dum caderent matura, vel excuſſa, vel dejecta. Sic *sola caduca* Eleg. 2. lib. 4. *Lignum caducum* Horatio Ode 13. lib. 2. Varro 6. de L. L. *A legendo ligna, quod ea caduca legerentur in agro, quibus ad focum uterentur*. A. Gellius lib. 10. cap. 11. *Matura poma dicuntur, quæ neque cruda & immitia ſunt, neque caduca & decocta, ſed tempore ſuo adulta maturataque*. Caduca poma dicuntur Plinio quæ ſua ſponte cadunt. *Naïs* autem Oenone, quia Cebrenis fluvii filia; παρὰ τὸ νάω, τοῦτ' ἐστὶ ῥέω. PASS. *Olearum caducarum* mentio apud Catonem de R. R. cap. 23. Et M. Varro de R. R. lib. 2. cap. 2. *Caducæ ſpicæ ſaturantur (oves)*. Martialis quoque Epig. 64. lib. 8. *Sit moro coma nigrior caduco*. & Epigr. 73. lib. 1. *Sic, quæ nigrior eſt cadente moro, Ceruſſata ſibi placet Lycoris*. Pomorum copia fuit una ex aurei ſæculi notis. Heſiodus ἐν ἔργοις v. 116. de vetuſtiſſimis mortalibus:

Ἀφνειοὶ μήλοισι, φίλοι μακάρεσσι θεοῖσι.
Abundantes pomis, cari beatis diis. VULP.

v. 41. AN QUISQUAM IN TANTO STUPRORUM EXAMINE QUÆRIT, CUR HÆC TAM DIVES? QUIS DEDIT? UNDE DEDIT?] *Examine*, multitudine ſuccreſcente in dies, & quaſi ſubole. Sic Plautus in Amphitr. dixit: *Per quem tanto theſaurum ſtupri*. Feſtus: *Examen eſt & æquamentum, & judicii inveſtigatio, & apum congregatio, vel locuſtarum*. Cicero in Orat. de Haruſp. Reſp. dixit *examina ſervorum*, Plinius *examina piſcium*, Plinius junior *examina infantium*, Livius lib. 38. *avium examina*. *Stuprum* veteribus proprie *turpitudo*, ut Feſtus confirmat exemplis. & quia libidine nihil turpius ac fœdius, inde factum, ut pro libidine ſtuprum diceretur, & etiam dedecus. Stuprum etiam pro adulterio, & vitium, inquit Nonius. *Unde dedit?* ſuâne, an aliena largitus eſt? Plautus Captiv. 4, 2. *Tibi dabo. Unde id? A me meoque gnato*. & Juvenalis Sat. 14. [notiſſimo verſu, quem ab Ennio mutuatus eſt]

Unde habeas quærit nemo, ſed oportet habere. P. *In tanto ſtuprorum examine*. Vide Catullum Carm. 111. VULP. *Cur hæc tam dives?* ita fere Cicero Orat. pro Plancio C. 25. *Honorum populi finis eſt conſulatus: quem magiſtratum jam octingenti fere conſecuti ſunt. horum, ſi diligenter quæres, vix decimam partem reperies gloria dignam. ſed nemo umquam ſic egit, ut tu: Cur iſte ſit conſul?* BROUKH. *Quis dedit? unde dedit?* Cicero Orat. pro Cluent. C. 44. *Doce quam pecuniam Cluentius dederit, unde dederit, quemadmodum dederit*. Idem.

v. 43. O NIMIUM NOSTRO FELICEM TEMPORA

Hæc eadem ante illam impune & Lesbia fecit.
Quæ ſequitur, certe eſt invidioſa minus.
Qui quærit Tatios veteres, duraſque Sabinas,
Hic poſuit noſtra nuper in urbe pedem.

Tu

PORS ROMAM] Ita Cicero:

O fortunatam natam me Consule Romam! P.

v. 44. SI CONTRA MORES UNA PUELLA FACIT] Si una tantum puella facit contra diſciplinam & inſtituta civitatis. Sic dicitur *facere contra rempublicam*, *facere contra jusjurandum & fidem*, apud Ciceronem; *facere contra leges*, apud Salluſtium. *Mores* intellexit, quos Plautus in fine Captiv. *pudicos* vocat. Sic Eleg. ult. lib. 4. *Moribus & cælum patuit*, intelligens bonos. vide verſum 37. Eleg. 25. ſup. PASS.

v. 45. HÆC EADEM ANTE ILLAM IMPUNE ET LESBIA FECIT] Peccat Cynthia Lesbiæ exemplo, cui impune licuit ludere & amantes ſpoliare. nam, ut ait Cicero 4. in Verr. & 4. Tuſc. & in Vatinium, *Quod exemplo fit, jure fieri putant. accedit impunitas, quæ augere ſolet improbitatem*, ut ait Lentulus in quadam Epiſt. lib. 12. ad Famil. Duplex ergo purgatio, quia & more & exemplo. Huc facit illud Plauti Epidico 1, 1. *At jam eadem ante alii fecerunt.* & Terentii Adelph. 4, 5. *Fecerunt alii ſæpe item boni*. De Lesbia Catulli, quam Sidonius Apollinaris ait, Clodiam fuiſſe, omnia jam vulgata. Hic autem verſus hiulcus eſt, negligit enim ſynalœphen poſt primum pedem; qua de re Cicero in Oratore. Scaliger ita fulſit: *Hæc eadem, hæc ante*, ut ſit anadiploſis. PASS. Non placet fultura Scaligeri, quatuor ſynalœphis horrens. mollius libri, quamquam cum hiatu,

Hæc eadem ante illam impune & Lesbia fecit.

nihil frequentius poëtis antiquis fuiſſe, docent paſſim exempla. id vero ne tu caſu factum putes, quod illi certo fecerunt conſilio, evolvere debes quæ de hiatu obſervaverunt viri eruditiſſimi Jo. Jovianus Pontanus in Actio; Joannes Rivius in libello de Figuris Comicis; Obertus Giſanius in Indice Lucretiano; Ger. Jo. Voſſius L. 2. de Arte Grammatica C. 14. Pulcerrime Probus Valerius apud Gellium L. 13. C. 20. *Si aut verſum pangis, aut orationem ſolutam ſtruis, non finitiones illas prærancidas neque fetutinas grammaticas ſpectaveris; ſed aurem tuam interroga, quo quid loco conveniat dicere. quod illa ſuaſerit, id profecto erit rectiſſimum.* BROUKH. Adde Chriſtophorum Waſium in Senario, ſive de Legibus & Licentia Veterum Poetarum. VULP.

v. 46. QUÆ SEQUITUR, CERTE EST INVIDIOSA MINUS] Quæ, inquit, ſequitur alterius exemplum, minus invidiæ & offenſionis contrahit: contra majore malo mactanda Lesbia, quod & peccato & exemplo rempublicam vulnerarit. [*invidioſa* hic odio digna.] PASS. Novi flagitii & dedecoris auctoribus notam graviorem inurendam cenſet: illos vero qui ad exempla peccant, mitius habendos. Biblis inceſta apud Ovidium lib. 9. Metam.

Quid liceat, neſcimus adhuc, & cuncta licere
Credimus, & ſequimur magnorum exempla
deorum.

Seneca pariter lib. 2. de Ira cap. 9. *Quiſque ſequitur priores, male iter ingreſſos. quid ni habeant excuſationem, quum publica via erraverint?* Præterea Martialis Epiſt. ad Lectorem ante librum 1. Epigr. *Laſcivam verborum veritatem, id eſt Epigrammaton linguam, excuſarem, ſi meum eſſet exemplum: ſic ſcribit Catullus, ſic Marſus, ſic Pedo, ſic Gaetulicus, ſic quicumque perlegitur.* Nonnulla huc pertinentia ſunt & apud Iſocratem in Panathenaico. VULP.

v. 47. QUI QUÆRIT TATIOS VETERES, DURASQUE SABINOS] Aliàs legitur, *Talios*, quæ lectio fortaſſe vera, una littera detracta. Feſtus: *Talus in Sabinorum nominibus prænominis loco videtur fuiſſe. Veteres*, priſcos, ſeveros. Aſconius in 2. Verr. *Veteres, graves & ſeveri*. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 8.

Forſitan inculta Tatio regnante Sabinæ
Noluerint habiles pluribus eſſe viris.
Nunc Mars externis animos exercet in armis,
Et Venus Æneæ regnat in urbe ſui.

De Tatio & Sabinis dicetur ad Eleg. 2. & 4. lib. 4. Sabinos præcipue commemoravit propter raptum virginum ſuarum,

quem

Tu prius & fluctus poteris siccare marinos,
  Altaque mortali deligere astra manu:
Quam facere ut nostræ nolint peccare puellæ.
  Hic mos Saturno regna tenente fuit.
Et quum Deucalionis aquæ fluxere per orbem,
  Et post antiquas Deucalionis aquas,

Dic

quem armis ulti sunt. & quia severi eorum mores; de quibus Horatius Ode 6. lib. 3. Livius lib. 1. *disciplinam veterum Sabinorum tetricam ac tristem appellat*. Sabini, *ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι*, inquit Festus, a cultu & veneratione deorum. *Duri Sabini*, ut *senes duri* Eleg. 30. sup. id est asperis moribus. Sic *rigidæ Sabinæ* Ovidio lib. 1. Amor. Eleg. 14. *horribiles* Martiali Epigr. 16. lib. 11. Vide & Juvenalem Sat. 10. v. 299. PASS. Ovidius, Medic. faciei videtur expressisse hunc ipsum Nostri locum:

Forsitan antiquæ Tatio sub rege Sabinæ
  Maluerint, quam se, rura paterna coli.

deinde scribendum *durasque Sabinas*, jam monuerunt Douza P. & Nic. Heinsius, & ostendunt Naso, Martialis, & Juvenalis. Sic & *Metellorum liberi* olim apud Ciceronem legebatur, pro *Metellorum*, Orat. post reditum ad Quirit. C. 3. Noster & maritos & uxores simul tangit. Præclare ad rem faciunt quæ suæ tempestatis mulieribus objectat rigidus ille virtutis satelles L. 3. de Beneficiis C. 16. [Tu lege, si vacat.] BROUKH.

v. 48. HIC POSUIT NOSTRA NUPER IN URBE PEDEM] Peregrinus est & hospes. Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 4.

Rusticus est nimium, quem lædit adultera conjux,
  Et notos mores non satis urbis habet.
In qua Martigenæ non sunt sine crimine nati
  Romulus Iliades, Iliadesque Remus.

Eadem fere sententia Cicero pro Milone. *An vero, judices, vos soli ignoratis? vos hospites in hac urbe versamini? vestræ peregrinantur aures, neque in hoc pervagato civitatis sermone versantur?* Apud eumdem similia occurrunt Orat. pro Rabir. & in Academicis, & lib. 4. & 6. Epist. ad Attic. P. *Pedem ponere* in aliquo loco; pro ingredi, locutio usurpata Ciceroni, Lucretio, Tibullo. BROUKH.

v. 49. TU PRIUS ET FLUCTUS POTERIS SICCARE MARINOS] εἶδος ὑπερβολῆς. ut Eleg. 15. lib. 1.

Multa prius vasto labentur flumina ponto.

Simile est illud Eleg. 15. hujus libri:

Aridus & sicco gurgite piscis erit.

Sic Græci Θάλασσαν ἀντλεῖς. PASS.

v. 50. ALTAQUE MORTALI DELIGERE ASTRA MANU] *Legere*, est carpere. ut supra: *Legisti poma*. *Deligere*, decerpere, deripere. Horatius Sat. 3. lib. 1. *Qui nocturnus divûm sacra legerit*. Lucillius apud Festum in *Legere*, surripere:

Omnia viscatis manibus leget, omnia sumet.

Sic dicitur, *deligere ficos, glandem, oleam, rosam*. *Mortali manu*; ut Virgilius 9. Æn.

Mortalive manu factæ immortale carinæ
Fas habeant.

Seneca in Consolat. ad Polybium C. 1. *Quid enim immortale manus mortales fecerint?* P. *Deligere astra manu*. Hoc vernaculo idiomate ita diceremus: *Spiccare le stelle dal firmamento*. VULP.

v. 51. QUAM FACERE UT NOSTRÆ NOLINT PECCARE PUELLÆ] *Nostræ*, vel hujus ætatis, vel Romanæ. ut Eleg. 25. supra:

Vidistis quemdam Argivo prodire figura,
  Vidistis nostras.

Latinas vocat versu pænult. hujus Elegiæ. P.

v. 52. IS MOS SATURNO REGNA TENENTE FUIT] Contra Juvenalis Sat. 6.

Credo pudicitiam Saturno rege moratam
In terris, visamque diu.

hoc est, aureo sæculo. ut Ovidius Epist. Phædræ:

Ista vetus pietas, ævo moritura futuro,
  Rustica Saturno regna tenente fuit. PASS.

Is mos. melius quidam libri, rejecta litera sibila, *Hic mos*. BROUKH. *Hic mos*, nempe ut mulieres nollent peccare. Juvenalis porro ætate, adulteriorum licentia eo usque processerat, ut qui tale facinus admitterent, *hilares nitidique* vocarentur. VULP.

v. 53. ET QUUM DEUCALIONIS AQUÆ FLU-

Tom. I. Vuu

Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum?
Quæ dea cum solo vivere sola deo?
Uxorem quondam magni Minois, ut ajunt,
Corrupit torvi candida forma bovis.

Cor-

FLUXERE PER ORBEM] Post Saturnum expulsum duo diluvia, unum Ogyge rege Thebanorum, alterum post rege Thessalorum Deucalione. Servius in Ecl. 6. Ovidius 1. Metam. Virgilius 1. Georg. Apollodorus lib. 1. illud diluvium in Græcia tantum fuisse ait. Plato in Critia ante Deucalioneum diluvium alia tria scribit exstitisse. Justinus lib. 2. *Regnante Athenis Amphictyone aquarum illuvies majorem partem populorum Græciæ absumsit. superfuerunt quos refugia montium receperunt, aut ad regem Thessaliæ Deucalionem ratibus vecti sunt, a quo propterea reparatum genus hominum dicitur.* Vide & Hyginum Fab. 153. & lib. 2. Poet. Astr. in *Aquarius*. PASS. Versiculo præcedente post *fuit* colloca punctum; ut recte monuit Douza P. hic vero lege:

At quum Deucalionis aqua fluxere per orbem,
Et post antiquas Deucalionis aquas,
Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum?

aut potius:

Hic mos Saturno regna tenente fuit,
Et quum Deucalionis aqua fluxere per orbem:
At post antiquas Deucalionis aquas,
Dic mihi &c.

Deucalionis aquæ. Lactantius, seu quisquis est auctor, Carmine de Phœnice v. 13.

Et quum diluvium mersisset fluctibus orbem,
Deucalioneas exsuperavit aquas.

Vide Juvenalem Sat. 1. a versu 81. V.

v. 54. ET POST ANTIQUAS DEUCALIONIS AQUAS] Post eluvionem, sive diluvium [quod Græci κατακλυσμὸν appellant.] & *antiquas aquas* dicit, quia inde hominum origo. PASS.

v. 55. DIC MIHI, QUIS POTUIT LECTUM SERVARE PUDICUM?] ἰδιωτισμὸς interrogantis, & sæpius cum stomacho. Terentius Andr. 4, 1.

Eho, dic mihi, si omnes hunc conjectum in nuptias
Inimici vellent, quod, nisi hoc, consilium darent?

ubi Donatus: *Semper τὸ dic mihi, injuriosum est*. Virgilius Ecl. 3.

Dic mihi, Damœta, cujum pecus? an Melibœi?

Lectum servare pudicum. ut Eleg. 3. lib. 4.

Incorrupta mei conserva fœdera lecti.

& *lectus*, pro conjuge, ut Eleg. 6. sup. v. 23. PASS. Virgilius L. 8. Æn. de femina lanam faciente:

Castum ut servare cubile
Conjugis, & possit parvos educere natos.

BROUKH.

v. 56. QUÆ DEA CUM SOLO VIVERE SOLA DEO?] Ludit in commutatione casuum, ut Eleg. 7. sup. v. pænult. *Vivere*, ut Catullus Carm. 11. *Cum suis vivat, valeatque mœchis*. Familiaritatis est. Terentius Andr. 5, 3. *Immo habeat, valeat, vivat cum illa*. Cicero sæpissime *Vivere cum aliquo*. & interdum *esse*; ut 1. de Orat. *Quicum fuit nostra matertera*. id est, cui nupserat. P. Hæc dearum adulteria salse perstringit D. Augustinus lib. 3. de Civ. Dei cap. 3. *Dii enim, credo, non zelant conjuges suas, usque adeo ut eas etiam cum hominibus dignentur habere communes*. VULP.

v. 57. UXOREM QUONDAM MAGNI MINOIS, UT AJUNT, CORRUPIT TORVI CANDIDA FORMA BOVIS] Pasiphaës fabula est apud Virgilium Ecl. 6. Apollodorum lib. 3. Ovidium in Epist. Ariadnæ, & lib. 1. A. A. Noster Eleg. 19. lib. 3.

Testis, Cretæi fastus quæ passa juvenci
Induit abiegna cornua falsa bovis.

Supra Eleg. 28. *Nec proba Pasiphaë*. & Elegia 7. lib. 4.

Una Clytæmnestræ stuprum vehit, altera Cretæ
Portat mentitæ lignea monstra bovis.

Vide & Plutarchum in Theseo, Platonem in Minoë, Palæphatum, Hyginum Fab. 40. *Candida forma bovis*, bos formosus & niveo colore. idem sermonis genus Eleg. ult. infra v. 1. *Forma candida*, ut Eleg. 29. sup.

Heu quantum per se candida forma valet.

Torvi, decet taurum torvitas. Virgilius 3. Georg. *Optima torvæ Forma bovis*. mox *Et faciem tauro propior*. nam, ut ait Plinius, *Tauris in aspectu generositas, si torva fronte sint*. vide Festum in *Torvitas*. *Corrupit*, adul-

Nec minus ærato Danaë circumdata muro,
Non potuit magno casta negare Jovi.
Quod si tu Grajas, seu sis imitata Latinas:
Semper vive meo libera judicio.

ELE-

adulteravit. dixi supra ad v. 33. hujus Elegiæ. *Uxorem-quondam*, uno verbo; ut Eleg. 2. lib. 1. *quondam-discordia*. *Magni Minois*, quia is & Jovis filius, & rex potentissimus ac justissimus Cretæ centum urbibus insignis. *Ut ajunt*, ut fama est, ut perhibent. nam Cretensium hæc est fabula, qui mendaces. aliàs *ut ajunt* & *quod ajunt* Proverbium notat. ut Eleg. 16. sup. v. 35. P. Quia & fabala est, & turpis fabula. vide Terentium Eun. 3, 5. -- Pomponius Mela L. 1. C. 19. *Heraclea vocitatur: id famæ fidem adjecit. juxta specus est Acherusia, ad Manes (ut ajunt) pervius, atque inde extractum Cerberum existimant*. BROUKH.

v. 59. NEC MINUS ÆRATO DANAE CIRCUMDATA MURO] Vide adnotata hac de re ad vers. 10. 11. & 12. Eleg. 20. sup. P.

v. 60. NON POTUIT MAGNO CASTA NEGARE JOVI] Sabaudiendum *licet*, aut *quamvis*. ut Eleg. sup. prox. *Marmoreus visus carmen hiare*. vel, si negasset, casta futura. ut Eleg. 11.

Ante feris quoniam, tuti quam cernimus hostem.

[nam, si ante cerneremua, tuti essemus.] *Negare Jovi*. Sic Ovidius 1. A. A.

Vix erit e multis quæ neget una tibi. PASS.

Etiam qui ad cœnam vocati recusabant venire, dicebantur *negare*. Locus est elegans Horatii Epist. 7. v. 60.

Scitari libet ex ipso, quodcumque refere, dic
Ad cœnam veniat. non sane credere Mena:
Mirari secum tacitus. quid multa? Benigne,
Respondet. Neget ille mihi? Negat improbus, & te
Negligit, aut horret. VULP.

v. 61. QUOD SI TU GRAJAS, SEU SIS IMITATA LATINAS] Sic in fine Eleg. 1. lib. 1.

Quod si quis monitis tardas adverterit aures.

Aliàs: *Quod seu tu Grajas, seu sis i. L.* & *quod* valebit quare. *Sic imitata*, id est secuta illarum aut harum exemplam. *Sis imitata*, pro imiteris. ut Eleg. 13. sup.

Interea cave sis nos aspernata sepultos. PASS.

Male correctores inficeti, *seu sis imitata*: scilicet ut staret versus. Albinovanus etiam produxit *τὸ et* in pulcerrîma illa ad Liviam Elegia:

Nata quod et alte, quod fratibus aucta duobus.

& majorum nostrorum memoria Vir non natalibus magis atque honoribas conspicuus, quam ingenii ac facundiæ laude, Petrus Bembus:

Deliciæ, mea Roma, tuæ, lususque, leporque,
Et spes, & fenii remus & aura tui,
Gallus, per quem oblita suorum et antemalorum
Occidit: heu sine amore & sine lege deos.

--- *Latinas*. *Sabinas*, editio Douzica. male. BROUKH.

v. 62. SEMPER VIVE MEO LIBERA JUDICIO] Sic Eleg. 15. lib. 1. *Sis quodcumque voles*. *τὸ semper* refertur & ad *vive* & ad *libera*. *Semper-vive*, ut *semper-florens*. *Semper-libera*, ut Eleg. 9. lib. 1.

Nec tibi perpetuo libera verba fore.

Meo judicio, mea sententia, me judice. Cicero in Bruto: *Intra parietes aluit eam gloriam, quam nemo, meo judicio, est postea consecutus*. Horatius Sat. 6. lib. 1. *Demens Judicio vulgi, sanus fortasse tuo*. Virgilius Ecl. 5.

Judicio nostro tantum tibi cedit Amyntas. P.



VOL. 2. ARGU-

ELEGIA XXXIII.

TRistia jam redeunt iterum ſolennia nobis:
Cynthia jam noctes eſt operata decem.
Atque utinam Nilo pereat quæ ſacra tepente
Miſit matronis Inachis Auſoniis.

Quæ

ARGUMENTUM ELEGIÆ XXXIII. LIB. II.] Queritur Cynthiæ ſecubitum, dum ea ſacris Iſidis operaretur, ipſamque hortatur, ne bibendo formam corrumpat. VULP.

V. 1. TRISTIA JAM REDEUNT ITERUM SOLENNIA NOBIS] Sic exorditur Ovidius Eleg. 10. lib. 3. Amor.

Annua venerunt Cerealis tempora ſacri:
Secubat in vacuo ſola puella toro.

Noſter Eleg. 8. lib. 4.

Annua ſolvamus thalamo ſolennia noſtra.

Feſtus: *Solennia ſacra, quæ certis temporibus anniſque fieri ſolent*. Idem in *Sollo*: *Solenne, quod omnibus annis præſtari debet*. Supple autem, ſacra, vel vota. Hic *ſolennia*, anniverſaria, ſacra Iſidis. *Jam redeunt iterum*. τὸ *Jam* ex opinione, nimium cito. Tibullus Eleg. 1. lib. 1. *Jam ſubrepet iners ætas*. Lucretius lib. 3. *Brevis eſt hic fructus homullis: Jam fuerit*. τὸ *iterum* non vacat, quia redire ſæpius poſſunt. Sic Virgilius 6. Æneid. *Iterumque ad tarda reverti Corpora*. PASS. *Triſtia nobis*. moleſta nimirum, incommoda, inviſa nobis amantibus; quia nos disjungunt. vel triſtia *per ſe*, videlicet feria, ſevera, a jocis & riſu aliena. Ob eamdem cauſſam Horatius Sat. 3. lib. 2. v. 79. *triſtem* vocavit *ſuperſtitionem*. Eſt autem διλογία, *redeunt nobis*, & *triſtia nobis*. VULP.

V. 2. CYNTHIA JAM NOCTES EST OPERATA DECEM] *Operari*, inquit Nonius, *eſt deos religioſe colere*. prætereo quæ profert exempla. Tibullus Eleg. 5. lib. 2.

Tunc operata deo pubes diſcumbet in herba.

Idem Eleg. 1. lib. ejuſd. *Omnia ſint operata deo*. Virgilius 1. Georg.

---- *Annua magna*
Sacra refer Cereri lætis operatus in herbis.

Hinc apud Feſtum in *Privatæ feriæ*: *Operationes denicales*. id eſt, feriæ. Vis ridere? audi explicationem hujus loci in Lexico: *Luna operari noctes dicitur, quum noctu circulum ſuum abſolvit, quod eſt ejus opus. Propert.*

Cynthia jam noctes eſt operata decem.

Decem, inquit, quia, ut docet Cicero de Legibus, *Culpæ tolli* credebantur *vel aſperſione aquæ, vel dierum numero*. Sic Livius lib. 39. *Decem dierum caſtimonia* opus eſſe (in Bacchanalibus) ait. Feſtus: *Denariæ, vel tricenariæ ceremoniæ, quibus ſacra adituris decem continuis diebus, vel triginta, certis quibuſdam rebus carendum erat*. Noctes illæ *puræ* dicuntur Plauto, quia ſecubabant puellæ. Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Quidve, pia dum ſacra colis, pureque lavari
Te (memini) & puro ſecubuiſſe toro? P.

In hiſce ſacris αἱ γυναῖκες ἡγνεῦον ἀπ' ἀνδρὸς συνουσίας. Huc aliquo modo pertinent verſus Juvenalis e Sat. 6.

Ille petit veniam, quoties non abſtinet uxor
Concubitu, ſacris, obſervandiſque diebus,
Magnaque debetur violato pœna cadurco.

Matronæ ſcilicet quæ in caſtu Iſidis aut Cereris erant, a viri amplexibus abſtinebant, & ſtramentis in templo ipſo incubabant, in quo & pervigilia celebrari mos fuit. Si qua vero non abſtinuiſſet, maritus pro ea veniam petebat, & magna mercede violatum cadurcum redimebat. Cadurcum a Juvenale uſurpatur pro ſtramento quovis: proprie tamen fuit culcita ex lino Cadurcenſi. VULP.

V. 3. ATQUE UTINAM NILO PEREAT QUÆ SACRA TEPENTE MISIT MATRONIS INACHIS AUSONIIS] Maledicit ipſi deæ Iſidi, ut & infra Baccho:

Ah pereat quicumque meracas repperit uvas.

& perire optat etiam ipſos mortuos. ut dixi ad Eleg. 17. lib. 1. *Inachis*, Io Inachi filia, ante vacca, poſt mulier, nunc dea: di-

Quæ dea tam cupidos toties divisit amantes,
Quæcumque illa fuit, semper amara fuit.
Tu certe Jovis occultis in amoribus, Io,
Sensisti, multas quid sit inire vias:
Quum te jussit habere puellam cornua Juno,
Et pecoris duro perdere verba sono.

Ab

dictum ad Eleg. 3. lib. 1. *Quæ misit*. missa dicuntur quæ aliunde veniunt, & peregrina sunt; ut Eleg. 23. sup. *Quas mihi misit Orontes*. *Sacra*. de iis Appulejus lib. 11. A. A. Lucanus lib. 8.

Nos in templa tuam Romana recepimus Isin.

Templum Isidis erat in campo Martio. Juvenalis Sat. 6. v. 525.

--- Si candida jusserit Io,
Ibit ad Ægypti finem, calidaque petitas
A Meroë portabit aquas, ut spargat in ædem
Isidis, antiqua quæ proxima surgit ovili.

Matronis Ausoniis, nempe Italis, Latinis, Romanis. Epitoma Festi: *Matronas appellabant eas fere quibus stolas habendi jus erat*. A. Gellius lib. 18. cap. 6. *Matronam ait esse quæ in matrimonium cum viro quoquomodo convenit: Matrem-familias, quæ in mariti manu, mancipioque sit*. Idem dicit Servius in 11. Æneid. *Nilo tepente*. ex Ægypto, quam tepentem, aquis Nilus irrigat, qui per deserta & ardentia decurrit, & ortum habet in monte Mauritaniæ. Plinius. [verius dixisset, Æthiopiæ.] Fluvii autem regiones designant. ut Eleg. 23. sup. v. 21. & Eleg. 30. v. 2. PASS. Groninganus, Borrichianus, Colbertini, noster primus, *Atque utinam pereat Nilo q. f. t.* Nilus autem vero epitheto dicitur *tepens*. vide quæ Nic. Heinsius notavit ad Valer. Flacc. L. 5. v. 423. BROUKH.

v. 5. QUÆ DEA TAM CUPIDOS TOTIES DIVISIT AMANTES] Discidii quodammodo & divortii caussam dedit, quia secubandum in sacris. *Tam cupidos*, id est valde. ut Eleg. 29. sup. *Tam sancti custos secludor amoris*. *Cupidos*, incensos potiundi cupiditate. Catullus Carm. 69. *Mulier cupido quod jurat amanti*. dicuntur & *cupidi* pro amantibus. vide Eleg. 2. lib. 1. v. 17. *Toties*. decies quotannis v. 2. hujus Elegiæ. Si legas *Jam*, dictum erit ut Eleg. 28. sup.

Et jam Luna negat toties descendere cælo.

Divisit. ut Eleg. 22. lib. 1.

--- An quæ
Lecta Prometheis dividit herba jugis? PASS.

v. 6. QUÆCUMQUE ILLA FUIT, SEMPER AMARA FUIT] Quam hic *amaram*, mox *sævam* vocat v. 19. PASS. Noster Eleg. 10. lib. 4. verbis Herculis sitientis:

Quod si Junoni sacrum faceretis amaræ,
Non clausisset aquas ipsa noverca suas.

Epithetum ac translatio efficax. Ita Virgilius 10. Æneid.

Hostis amare, quid increpitas, mortemque minaris? VULP.

v. 7. TU CERTE JOVIS OCCULTIS IN AMORIBUS, IO, SENSISTI, MULTAS QUID SIT INIRE VIAS] Sic Ovidius 2. Fast.

Seu fuit occultis felix in amoribus index.

Amoribus occultis. ita Eleg. 30. v. 28. sup. adulteria & dedecora vocavit *furta*, ea enim latebras quærunt. Contra conjugalis amor. Catullus Carm. 60. *Bona te Venus Juverit, quoniam palam Quod cupis capis, & bonum Non abscondis amorem*. *Io, sensisti, m. q. s. i. v.* Quum esses Io & bos, experta es malo tuo quid sit multum vagari [, & abesse ab illo quem ames.] vide Eleg. 10. sup. v. 8. PASS.

v. 9. QUUM TE JUSSIT HABERE PUELLAM CORNUA JUNO] Id est, coëgit; quia Juppiter coactus ejus metu te in vaccam mutavit. Ovidius 1. Metam. Sed & ipsa Juno id videtur fecisse. Noster Eleg. 22. lib. 3.

Cornua nec valuit curvare in pellice Juno.

Sic dixit Eleg. 3. lib. 1.

O utinam tales producas, improbe, noctes,
Me miseram quales semper habere jubes.

Habere cornua, ut apud Laërtium in Vita Diogenis: Πρὸς τὸν συλλογισάμενον ὅτι κέρατα ἔχει, ἀψάμενος τοῦ μετώπου, ἐγὼ μὲν, ἔφη, οὐκ ὁρῶ. Huc pertinet sophisma quod

est

Ah quoties quernis læsisti frondibus ora:
Mansisti stabulis abdita pasta tuis.
An quoniam agrestem detraxit ab ore figuram
Juppiter, idcirco facta superba dea es?

An

est apud Senecam Epist. 50. *Quod non perdidisti, habes; non perdidisti cornua; igitur habes cornua*. PASS. Ita locutus Persius Sat. 1. v. 121. *Auriculas asini quis non habet?* prius autem scripsisse dicebatur: *Auriculas asini Mida rex habet*. De hac fabula Iûs vide Nasonem Epist. Hypermnestræ. VULP.

v. 10. ET PECORIS DURO PERDERE VERBA SONO] Humanæ vocis usum amittere. Pecudes vocem habent, non verba. Aliud est apud Ovidium in Epist. Didûs:

Sed merita & famam, corpusque animumque pudicum
Quum male perdiderim, perdere verba leve est.

Duro sono pecoris, aspero mugitu bovis. *Sonus*, pro mugitu. ut Eleg. 10. lib. 4. *Furem sonuere juvenci*. id est mugitu prodidere Cacum abigeum. Sic Eleg. 3. lib. 3. *Sonus*, pro hinnitu. *Pecus* autem pro bove. nam, ut ait Servius in illud 1. Æneid. *Ignavum fucos pecus; pecus est*, inquit, *quidquid humana voce & effigie caret*. Horatius Ode 2. lib. 1. *Omne quum Proteus pecus egit altos Visere montes*, Martianus I. C. Lege *Legatis*, §. *pecoribus*, D. *de Legat.* 3. *Pecoribus legatis continentur quadrupedes quæ gregatim pascuntur*. PASS. Commodius videtur *pecudis*. nec tamen secedendum a libris, quum sic loquantur plures. Mela, de Api, L. 1. C. 9. *Raro nascitur, nec coitu pecoris (ut ajunt) sed divinitus & cælesti igne conceptus*. Columella L. 6. C. 2. *Humilis & modica corporatura pecoris operarii debet esse, nervisque & musculis robusta*. atque ita sæpe aliàs. Valerius Flaccus L. 1.

Pecoris Nephelæi vellera Grajo
Redde tholo, & tantis temet dignare periclis.

BROUKH.

v. 11. AH QUOTIES QUERNIS LÆSISTI FRONDIBUS ORA] τὸ *Ah quoties*, alienam vicem miserantis. *Quernis frondibus*, duro pabulo. Cato cap. 30. de Re Rust. *Bubus frondem ulmeam, populneam, querneam, ficulneam usque dum habebis dato*. vide eundem cap. 54. & Columellam lib. 6. cap. 3. *Læsisti ora*, quippe ea tenera puellæ manserant etiam immutatæ in juvencam. Sic *ora bovis* dixit Noster Eleg. 13. lib. 3. & *ora equorum* Virgilius. PASS.

v. 12. MANSISTI STABULIS ABDITA PASTA TUIS] Id est, postquam pasta inclusa mansisti stabulis tuis, nimirum paternis. Idem παῖδος est Eleg. 15. lib. 3.

Et durum Zethum, & lacrimis Amphiona mollem
Experta est stabulis mater abacta suis.

Stabulum non pecudum tantum, sed & hominum. Varro 4. de L. L. *Locarium, pretium quod datur in stabulo, vel taberna, ubi consistant*. Jurisconsulti L. 1. D. *Furti adversus nautas pro diversorio*. *Pasta stabulis*; recte, quia pasta armenta redeunt domum ad stabulum. Plautus Milite 2, 3. *Exspecto quam mox juncus se recipiat e pabulo ad stabulum*. festive, de muliere ab amatore, tamquam a pabulo, domum redeunte. Virgilius Ecl. 7.

Ite domum pasti, si quis pudor, ite juvenci.

PASS.

Mansisti stabulis a. p. t. repete tecum illud e versu superiore, *Ah quoties*. sæpe ita optimi quique scriptores. Cicero L. 10. ad Attic. Epist. 9. *Dubitabat nostrûm nemo quin Cæsar itinera repressisset; volare dicitur: Petrejus cum Afranio conjunxisset se: nihil affert ejusmodi*. Sic particula *quum* semel posita, ter intelligitur Orat. pro M. Cœlio C. 26. *Sic enim fingunt, quum Licinius venisset, pyxidem teneret in manu, conaretur tradere, nondum tradidisset, cum repente evolasse istos præclaros testes sine nomine*. Idem usuvenit etiam aliis voculis, puta *non*, *sic*, *si*, *cur*. BROUKH.

v. 13. AN QUONIAM AGRESTEM DETRAXIT AB ORE FIGURAM JUPPITER, IDCIRCO FACTA SUPERBA DEA ES?] An quia ille tuus amator Juppiter ademit tibi ferinam & belluinam faciem, ferox reddita es? Simile est illi Terentiano in Eunucho, 3, 1. *Eone es ferox, quia habes imperium in belluas?* *Detraxit figuram*. ut Virgilius 9. Æneid.

Mor-

An tibi non satis est fuscis Ægyptus alumnis?
Cur tibi tam longa Roma petita via?
Quidve tibi prodest viduas dormire puellas?
Sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt.

Aut

Mortalem eripiam formam. & Martialis Epigr. 43. lib. 3.

Personam capiti detrahet illa tuo.

Hac de re Ovidius 1. Metam. ab eo versu: *Vultus capit illa priores, Fitque quod ante fuit*. *Facta superba*, ut Plautus Amphitr. *Faciam te superbum, nisi hinc abis*. Cicero Epist. 13. lib. 7. ad Famil. *Utrum te superbiorem pecunia facit? an quia imperator te consulit?* PASS. *Agrestem figuram*. Scaliger notat, nove dictum *agrestem* pro ferina. tamen & Naso sic loquitur L. 9. Metam.

Vultus Achelous agrestis,
Et lacerum cornu mediis caput abdidit undis.

BROUKH.

Facta superba. Iterum Eleg. 24. lib. 3.

Olim oculis nimium facta superba meis. VULP.

v. 15. AN TIBI NON SATIS EST FUSCIS ÆGYPTUS ALUMNIS?] Parumne tibi videtur tua terra & ditio? sordétne tibi? Sic Eleg. 7. lib. 3.

Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?

Amarè addidit *fuscis alumnis*; ut Virgilius 1. Æneid.

Illa se jactet in aula
Æolus, & clausa ventorum carcere regnet.

Fuscis Ægyptus alumnis, ut Eleg. 6. lib. 4.

Cepheam hic Meroën, fuscaque regna canet.

Suetonius in Caligula cap. 57. *Parabatur & in noctem spectaculum, quo argumenta inferorum per Ægyptios & Æthiopes explicarentur*. Vet. Gloss. *Ægyptium*, φαιόν. id est fuscum. *Alumni*, populi cujusque regionis. ideo dixit Eleg. 1. lib. 4.

Nil patrium, nisi nomen, habet Romanus alumnus. PASS.

Fuscis Ægyptus alumnis. Utpote ad meridiem positis, & Solis itineri subjectis. Contra septemtrionales populi flavis capillis decori, & faciei candore præcellentes. Diserte Vitruvius lib. 6. Architect. cap. 1. *Sub septemtrionibus nutriuntur gentes immanibus corporibus, candidis coloribus, directo capillo & rufo, oculis cæsiis, sanguine multo, quoniam ab humoris plenitate, cælique refrigerationibus sunt conformati. Qui autem sunt proximi ad axem meridianum, subjectique Solis cursui, brevioribus corporibus, colore fusco, crispo capillo, oculis nigris, cruribus invalidis, sanguine exiguo, Solis impetu perficiuntur*. Martialis de pueri electione ad Flaccum Epigr. 42. lib. 4.

Sit nive candidior; namque in Mareotide fusca
Pulchrior est, quanto rarior, iste color.

De hujusmodi, aut certe finitimis gentibus venuste Isidorus lib. 19. cap. 23. *Mauroe habet tetra nox corporum*. & Petronii fragmentum: *Tinctus colore noctis Manu puer loquaci*. nempe citharœdus Ægyptius. VULP.

v. 16. CUR TIBI TAM LONGA ROMA PETITA VIA EST?] Cur Romam venisti tanto locorum intervallo? Petiit Isis Romam quum ejus sacra recepta sunt. PASS. Venustus admodum irridendi modus. VULP.

v. 17. QUIDVE TIBI PRODEST VIDUAS DORMIRE PUELLAS?] Quid tua interest? quid te juvat? quid inde tibi commodi? ut Eleg. 9. lib. 1. v. 9. *Viduas dormire puellas*: uno verbo *secubare*. Tibullus Eleg. 3. lib. 1. & Ovidius 2. Fast. *Viduas*, solas, sine viris. vide Eleg. 9. sup.

Scyria nec viduo Deidamia toro.

Apud Aristophanem Lysistrata: Χαλεπὰ μὲν τὼ σιὼ, Γυναῖκας ὑπνῶν δ' ἄνευ φαλῆς μόνας. Noster infra hic:

Nulla tamen lecto recipit se sola libenter.
PASS.

v. 18. SED TIBI, CREDE MIHI, CORNUA RURSUS ERUNT] τὸ *sed*, est irascentis, ut Eleg. 6. sup. v. 35. *Crede mihi*, est etiam minantis, ut Eleg. 5. sup. v. 29. *Cornua rursus tibi erunt*. Rursus fies juvenca, & cornua gestabis. Simulacra autem Isidis κεραςφόρα erant, ut docet Plutarchus de Iside & Osiride; ubi Lunam esse, demonstrat. Ovidius in fine 9. Metam.

Imitataque Lunam
Cornua fulserunt, crepuitque sonabile sistrum.

& alibi: *Inerant lunaria fronti Cornua*. PASS.

v. 19.

Aut nos e nostra te, sæva, fugabimus urbe.
Cum Tiberi Nilo gratia nulla fuit.
At tu quæ nostro nimium placata dolore es,
Noctibus his vacui refaciamus iter.

Non

v. 19. AUT NOS E NOSTRA TE, SÆVA, FUGABIMUS URBE] Sic externæ religiones & peregrina sacra sæpe Romæ vetita & ejecta urbe; ut apud Livium lib. 25. & lib. 39. vetita & ejecta Bacchanalia. PASS. Satis minaciter; neque tamen inanibus minis. nam M. Agrippa, præfectus urbi, sacra Ægyptia ex urbe ejecit, edicto ne quis ea in suburbano intra quingentos passus ageret. id factum est M. Lollio, Q. Lepido Coss. ut Dio *refert* lib. 54. Sub id tempus scriptam hanc Elegiam arbitror. Noster autem lepide ideo ejicienda Isiaca auguratur, ne Romanæ puellæ dormirent solæ. quamquam in Isiacis non dormisse solas, admodum verisimile est. BROUKH. Tiberius tamen id negotium postea confecit, si credimus Josepho lib. 18. Antiqu. Judaic. cap. 4. cujus verba sunt: Τῆς Ἴσιδος τὸν ναὸν καθεῖλεν, καὶ τὸ ἄγαλμα εἰς τὸν Τίβεριν ποταμὸν ἐκέλευσεν ἐμβαλεῖν Τιβέριος, ἱερεῖς τε ἀνεσταύρωσεν. *Isidis templum diruit, & statuam in Tiberim mergi jussit Tiberius, & sacerdotes in crucem egit.* vide & Suetonium Tiberio cap. 36. & Corn. Tacitum Annal. 2. cap. 85. Ceterum Athenienses quoque superstitionibus peregrinis valde infensi fuerunt. Cicero lib. 2. de Legib. *Novos vero deos, & in his colendis nocturnas pervigilationes, sic Aristophanes, facetissimus poeta veteris Comœdiæ, vexat, ut apud eum Sabazius, & quidam alii dii peregrini judicati, e civitate ejiciantur.* VULP.

v. 20. CUM TIBERI NILO GRATIA NULLA FUIT] Romanis & Ægyptiis numquam bene convénit. De inimicitiis Tiberis & Nili Noster Eleg. 11. lib. 3.

Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubin,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas.

Vide Horatium Ode 37. lib. 1. & Virgilium 8. Æneid. *Gratia*, amicitia. Ovidius 1. Metam. *Fratrum quoque gratia rara est.* Idem 12. Metam. *Solida est mihi gratia tecum.* Cicero Epist. 9. lib. 1. ad Famil. *Cum illa mihi gratia magna est.* PASS. *Fuat*, Scaliger. Plautus Trinum. Act. 2. Sc. 1.

-- *Qui in amorem Præcipitavit, pejus perit quam si Saxo saliat. apage sis Amor! Tuas res tibi habe, Amor! mihi amicus ne fuas umquam.* In omnibus libris *fuit* legitur. quod possis exponere, Nullo umqnam tempore bene convénit Tiberi cum Nilo. super verbo *fuat* v. Servius ad X. Æn. 108. Nonius p. 111. BROUKH. *Fuat.* insuavis ἀρχαϊσμός, & a Propertii nitore alienus. VULP.

v. 21. AT TU QUÆ NOSTRO NIMIUM PLACATA DOLORE ES] Cui placandæ nimiam operam sumsi, quæ nimium duram te præbuisti, quum placare te vellem. ductum a diis qui sanguine victimarum placarentur. Virgilius 2. Æneid. *Sanguine placastis ventos. Nimium*, plus satis. ut Virgilius 11. Æneid.

Heu nimium, virgo, nimium crudele luisti
Supplicium.

Nostro dolore, nostro malo, curis ac lacrimis; quum coëgisti me noctes amaras solum exigere. Scaliger legit, *dolori*; at *nostro dolori*, sit, mihi dolenti. ut Eleg. 16. sup.

At tu nunc nostro, Venus o, succurre dolori. P.

v. 22. NOCTIBUS HIS VACUI TER FACIAMUS ITER] Palmerius legit e conjectura, *Rem faciamus item.* & Scaliger, *Refaciamus iter*, pro reficiamus, & *re* ait produci, ut in *repulit*, *retulit*. uterque est extra oleas. Bene, *ter faciamus iter*; & honestis verbis rem turpem tegit. Sic Plautus Curcul.

Nemo ire quemquam publica prohibet via,
Dum ne per fundum septum facias semitam.

Ter dictum, ut ab Ovidio lib. 3. Amor. Eleg. 6. *Faciamus iter.* alludit ad verbum *inire* & *coire*. ut Eleg. 10. lib. 3.

Annua solvamus thalamo solennia nostro,
Natalisque tui sic peragamus iter.

& Eleg. 13. lib. ejusdem: *Data libera nosters amoris iter. Vacui*, soluti negotiis & religione, sive feriati Veneri. *His noctibus*, proximis scilicet, quas reddes spurcas pro decem puris. PASS. *Reficere iter* est, redire ad antiquum vivendi morem: peracto casto

Isi-

Non audis, & verba finis mea ludere: quum jam
Flectant Icarii sidera tarda boves.
Lenta bibis: mediæ nequeunt te frangere noctes.
An nondum est talos mittere lassa manus?

Ah

Isidis, reverti ad amorem & ludum. Cicero L. 1. ad Attic. Epist. 2. *Quæ* [occupatio] *etsi summa est, tamen nulla esse potest tanta, ut interrumpat iter amoris nostri & officii mei*. *Refacere*, antique pro *reficere*. neque enim in compositis semper mutabant sonum vocis simplicis. Sic *detractare* aliquoties legitur apud Lactantium lib. de Mortibus Persecutor. & notavit ibi Cl. Bauldri ad C. 38. *dispersis* apud Minucium Felicem: *De spicis Isidis ad hirundinem sistrum, & dispersis membris inanem tui Serapidis, sive Osiridis, tumulum*. idem scriptor *inspersis* dixit, alio loco: *Fama, quæ semper inspersis mendaciis alitur, ostensa veritate consumitur*. BROUKH. *Refaciamus iter*. Decurramus amoris spatium per otium sacrorum Isidis. Mulieres enim quæ in operto Isidis latebant, non adeo pudicitiam colebant, ut amantes omnino excluderent. Vide Ovidium, & Juvenalem Sat. 6. ubi de sacris Bonæ Deæ. Lucretius lib. 4. v. 1189.

Nam facit ex animo sæpe, & communia quærens
Gaudia, sollicitat spatium decurrere amoris.

VULP.

v. 23. NON AUDIS, ET VERBA SINIS MEA LUDERE: QUUM JAM FLECTANT ICARII SIDERA TARDA BOVES] Audis quidem auribus, sed non animo: surdæ cano. Sic Terentius in fine Heautont. *Pater, nihil audio. Verba sinis mea ludere*. ludibrio esse tibi, ac ventis cadere. vide Eleg. 11. sup. v. 2. *Icarii boves*. Icarus a pastoribus interfectus, ut paullo post dicetur, in astra relatus, & dictus Arcturus. Servius in 1. Georg. Hyginus Fab. 130. & in Poet. Astron. in *Arctophylax*, qui vocat *Booten*. Icarii ergo boves sunt triones, qui ursam flectunt. nam septem stellæ, septem boves, qui a terenda terra triones; & proximus Bootes, qui ἅμαξαν agit. Varro 6. de L.L. *Flectant sidera tarda*, versent & circumagant plaustrum, quod non nisi extrema nocte circumagitur. *Sidera*, pro, sidus. ut Eleg. 16. lib. 1. *Sidera tarda*. Lucanus lib. 2. sub finem:

Et jam Plejas hebet (instante die): *flexi jam plaustra Bootæ*
In faciem puri redeunt languentia cæli.

Vide plura notata ad Eleg. 22. sup. v. 25. PASS. Booten cum Icario confundit. v. Heinsius ad Valer. Flacc. II. 68. p. 227. Laur. Balbus ibid. p. 348. 349. BROUKH. *Flectant Icarii s. t. b.* Nihil poetarum versibus magis celebratum. paucos afferam. Ovidius lib. 10. Metam. v. 446.

Tempus erat quo cuncta silent; interque triones
Flexerat obliquo plaustrum temone Bootes.

Lucanus lib. 4. v. 523. *Flexoque ursæ temone paverent*. (loquitur de sociis Vulteji, diei adventum & internecionem exspectantibus.) Seneca Herc. Fur. v. 129. *Signum celsi glaciale poli Septem stellis Arcades ursæ Lucem verso temone vocant*. Juvenalis Sat. 5. v. 22.

— — Illo tempore quo se
Frigida circumagunt pigri serraca Bootæ.

Veteres, ut solet, imitatur Lud. Areostus (*nel Canto 20. del Furioso*):

Appena avea la Licaonia prole
Per li solchi del ciel volto l' aratro.

Idem (*nel Canto 31.*)

Fu quel da Mont' Albano il primo a dire,
Che far battaglia non denno a l' oscuro;
Ma quella indugiar tanto e differire,
Ch' avesse dato volta il pigro Arturo. VULP.

v. 25. LENTA BIBIS: MEDIÆ NEQUEUNT TE FRANGERE NOCTES] Tam dura es, ut vigilias, lusus & pocula ferre possis ad mediam noctem intempestivis conviviis. nam frangitur dolore, labore, pudore, qui succumbit. ut Virgilius 2. Æneid. *Fracti bello*. [Tibullus Eleg. 2. lib. 3. *Frangit fortia corda dolor*.] *Lenta*. quæ moras mihi nectis, & in amore meo friges. ut Eleg. 14. sup. dixit: *Lenta sedere potest*. *Bibis*; celebras convivia sine me, ut est Eleg. 16. sup. v. 5. PASS. *Bibis*. unde convivium Græci συμπόσιον dixerunt, a compotando scilicet. *Media n. t. f. noctes*. Nepotuli, & delicati homines cœnam, seu comissationem

Ah pereat quicumque meracas reperit uvas,
Corrupitque bonas nectare primus aquas.

Ica-

nem potius, aliquando in lucem producebant; quod significat Noster Eleg. 6. lib. 4.

Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
Injiciat radios in mea vina dies.

Languentem vero famem acidorum esu denuo excitabant, teste Juvenale Sat. 4. ubi de Montano senatore:

- - - Noverat ille
Luxuriam imperii veterem, noctesque Neronis
Jam medias, aliamque famem quum pulmo Falerno
Arderet, nulli major fuit usus edendi
Tempestate mea. VULP.

v. 26. AN NONDUM EST TALOS MITTERE LASSA MANUS?] Id est, jacere. ut dixit Eleg. 17. sup.

Aut per rimosas mittere verba fores.

De talis egi ad Eleg. 22. sup. v. 13. ludebant autem iis in conviviis. Auctor Copae: *Pone merum & talos*, & Horatius Ode 4. lib. 1. *Nec regna vini sortiere talis*, Mittebantur vero tali in turriculam, ne qua fraus esset in jactu. Horatius Sat. 3. lib. 2.

Postquam illi justa chiragra
Contudit articulos, qui pro se tolleret, atque
Mitteret in pyrgum talos, mercede diurna
Conductum pavit.

De talis festive Plautus Milite 2, 2.

Atque adeo ut ne fraudem legi faciam talaria,
Accuratate ut sine talis agitent convivium. P.

v. 27. AH PEREAT QUICUMQUE MERACAS REPERIT UVAS] Staphylas, ut refert Probus, quum Oenei capellas pasceret, notavit, unam illarum serius decedentem & laetiorem, unde uvam reperit; quam ejus dominus exprimens, liquorem sensit dulcem, & mitescentem vetustate, humorem autem illum Libero patri hospiti miscuit, a quo ejus usum didicit; instituitque, ut uva σταφυλὴ, vinum οἶνος diceretur, Unde Bacchus *vitisator* Attio, [Tibullo autem Eleg. 3. lib. 2. *Jucundae consitor uvae*] & Ovidio 4. Metam. *Genialis consitor uvae*. Vide Virgilium initio lib. 1. Georg. *Meracas uvas*, e quibus meracum, id est, merum vinum exprimitur. Vinum cui nihil admixtum est, dicitur vinum merum. Varro apud Nonium in *Merum*: *Tu non insanis, qui vino corpus corrumpis mero?* unde simpliciter *Merum* dici coeptum. Idem Varro: *Merum, solum, unde merula avis.* Festus: *Merum, solum olim, nunc purum.* Meracus, a, um, idem quod Merus, a, um. Plinius lib. 23. H. N. cap. 1. *Meracis potionibus per viginti dies, totidemque postea, suadet Hesiodus uti.* Idem lib. 20. cap. 19. *Opium ex vino meraculo, si protinus detur, scorpionum ictibus resistit.* Horatius Epist. 2. lib. 2.

Expulit helleboro bilem, morbumque meraco.

A. Gellius lib. 1. N. A. cap. 18. [ut vulgo quidem legebatur] de L. Aelio: *Vocabulum Graecum pro meraco*, (id est mero Latino) *resolvit in voces Latinas*. PASS. Horatium imitatus Persius Sat. 4. v. 16. *Anticyras melior sorbere meracas*. VULP.

v. 28. CORRUPITQUE BONAS NECTARE PRIMUS AQUAS] Aquarum vim salutarem & innoxiam vitiavit ac infecit. Contra tamen Catullus Carm. 27. *Procul hinc abite, lymphae, Vini pernicies.* *Aquae bonae*, quia ab iis nulli morbi, qui plurimi a vino. Virgilius 3. Georg. de bubus:

- - Non illis epulae nocuere repostae.
Pocula sunt fontes liquidi, atque exercita cursu
Flumina.

Sic Pindarus ἄριστον ὕδωρ vocat. Plinius lib. 14. H. N. cap. ult. *Cum non saluberrimum ad potum aquae liquorem natura dederit.* Hyginus Fab. 274. *Nomine Cerassus*, inquit, *primus vinum cum Acheloo flumine miscuit in Aetolia, unde miscere, κεράσαι, est dictum. Nectar*, pro dulci vino. Virgilius Ecl. 5.

Vina novum fundam calathis Arvisia nectar.

Nectar a νὴ particula privativa, & κτείνω, occido, quod sit immortalium potus. Duos igitur hic exsecratur inventores, alterum vini meri, alterum mixti. PASS. Lactatius ad L. 4. Thebaid. Statii v. 742. *Lycurgi duo fuerunt, Thracius, & Nemeus; de quo loquitur poeta, ille in mare praecipitatus dicitur, quia primus aquis vina permiscuit, & eum in haustu fontem pluribus venenis infecit.* aliter Hyginus Fab. 274. ubi videre debes Munckeri notam. BROUKH. Ad rem faciunt verba Nemesii περὶ φύσεως ἀνθρώπου cap. 3. Καὶ ἡ κρᾶσις δὲ τοῦ οἴνου καὶ τοῦ ὕδατος ἀμφότερα συνδιαφθείρει· ἔστι γὰρ ὕδωρ

ἰσὶ

Icare Cecropiis merito jugulate colonis,
Pampineus, nosti, quam sit amarus odor.
Tu quoque, o Eurytion, vino Centaure peristi:
Nec non Ismario tu, Polypheme, mero.

Vino

ἐςὶ χαλεπὸν τὸ κρᾶμα, ὅτε οἶνος. Vini quoque & aquæ temperatio utrumque & vinum & aquam corrumpit. neque enim pura aqua est permixtum illud, neque vinum. VULP.

v. 29. ICARE CECROPIIS MERITO JUGULATE COLONIS] Servius ad illud 1. Georg. *Sub ipsum Arcturum*. Icarus a pastoribus, quos dato vino tunc primum reperto tamquam veneno ebrios fecerat, occisus est. vide Hyginum Fab. 130. & lib. 2. in *Arctophylax*; plura etiam de hac re adnotata ad Panegyricum Tibulli v. 9. *Cunctis Bacchi Jucundior hospes Icarus*. *Colonis*. ποιμένας vocat Apollodorus lib. 3. *Pastores* Hyginus & Servius. abutitur ergo Propertius verbo. nam coloni sunt conductores prædiorum rusticorum, ut inquilini prædiorum urbanorum. PASS. Videtur hic *jugulatus* positum pro *interfectus*. nam Icarum pastores ebrii fustibus occiderunt: credentes datum sibi ab eo venenum. ----- Fabulam complexus est carmine longe elegantissimo Vir inter primos sui temporis Scævola Sammarthanus, numquam nominandus sine elogio, Silvar. L. 2. Similem ac plane geminam fabellam legere est apud Achillem Tatium initio libri secundi. BROUKH.

v. 30. PAMPINEUS, NOSTI, QUAM SIT AMARUS ODOR] Pro ipso vino odorato. Petronius Arbiter: *Ancilla ab eo certe vini odore corrupta*. Plautus Curcul. 1, 1. *Ubi vino has conspersi fores, de odore scis me adesse*. & sc. 2. *Omnium unguentûm odor præ tuo nautea est*. Homerus lib. 9. Odysseæ: Ὀδμὴ δ' ἡδεῖα ἀπὸ κρητῆρος ὀδώδει Θεσπεσίη. agens de vino Maroneo, sive Ismario. *Pampineus*, *vitigenus* Lucretio. Pampinus vitis tener, sive coliculus cum foliis, ἐλαφρός. PASS. *Quam sit amarus odor*, elegans catachresis a gustatu ad olfactum. *Pampineus*. Virgilius Ecl. 9.

Liber pampineas invidit collibus umbras.

De odore vini Phædrus elegantissime Fab. 1. lib. 3.

Anus jacere vidit epotam amphoram,
Adhuc Falerna fæce, e testa nobili
Odorem quæ jucundum late spargeret.
Hunc postquam totis avida traxit naribus:
O suavis anima, quale in te dicam bonum
Antehac fuisse, tales quum sint reliquiæ? V.

v. 31. TU QUOQUE, O EURYTION, VINO, CENTAURE, PERISTI] Ebrietas tibi exitio fuit. Ovidius lib. 1. A. A.

Occidit Eurytion stulte data vina bibendo.

vide eumdem 12. Metam. Sumsit ab Homero Propertius lib. 21. Odyss. Οἶνος καὶ Κένταυρον ἀγακλυτὸν Εὐρυτίωνα Ἄασε. Elegia 6. sup.

Aspera Centauros eadem dementia jussit
Frangere in adversum pocula Pirithoum.

Dicitur Eurytus, & Eurytion; ut Porphyrius, Porphyrion; Iapetus, Iapetion; unde *Iapetionides Atlas* Ovidio lib. 4. Metam. PASS. In libris quibusdam est, *Tuque o Eurytion*; correptum nempe & corruptum ex integro *quoque*; quod præter membranas, etiam veteres editiones habent. corripitur o ratione præcedentis syllabæ brevis, quæ absorbetur, & suum spatium transfert in o. sic & apud Virgilium corripitur, ob sequentem vocalem brevem, Ecloga 2. *Te Corydon, o Alexi*. Servius: *Antibacchius est: sed o brevis fit, quia vocalis vocalem sequitur*. plura dabunt Erythræus Ind. Virgil. in *Qui amant*, & Vir incomparabilis Ger. Jo. Vossius L. 2. de Arte Grammat. C. 14. ----- Porro antiquo ac probo more dixit Noster, *peristi*: illi enim formabant *obi*, *obisti*, *obit*; *peri*, *peristi*, *perit*. quæ deinde per geminatum *i* scribi cœperunt. Sic in optimis codicibus Ciceronis, Plinii Cæcilii, Lactantii, Minucii Felicis. --- Etiam apud Nostrum bis aut ter legitur *coisse*, libro sequente. ut desinant argutari, qui hæc talia metri necessitate poni crediderunt. videndus eminentissimus omnis antiquitatis interpres Henr. Noris Dissert. 4. Cenot. Pisan. C. 4. BROUKH. *Tuque, o Eurytion*, editio princeps omnium. VULP.

v. 32. NEC NON ISMARIO TU, POLYPHEME, MERO] Atque etiam vino periit Cyclops Neptuni filius. Ulixes hac de re

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas:
Vino sæpe suum nescit amica virum.
Me miserum, ut multo nihil est mutata Lyæo!
Jam bibe: formosa es: nil tibi vina nocent,

Quum

apud Varronem Sesquiulixe (citat Nonius in *Iuvitare: Ipsum avidum vino iuvitavi poculis large atque benigne.*) *Ismario mero*. ut Tibullus lib. 4. Carm. 1.

Victa Maronea fœdatus lumina Baccho.

Ismarium vinum, optimum. unde Virgilius 2. Georg. *Juvat Ismaro Baccho Conserere*. Homerus Odyssea 9. ait Ulixem a Marone sacerdote Apollinis, Ismari incolæ, vinum accepisse præstantissimum, quo inebriatus Polyphemus. PASS. Cyclopis & Centauri fabulas conjungit etiam Athenæus lib. 1. Τῆς μέθης δὲ κατατρέχων ὁ ποιητὴς, τὸν τηλικοῦτον Κύκλωπα ὑπὸ μικροῦ σώματος διὰ ταύτην ἀπολλύμενον παρίστησι, καὶ Εὐρυτίωνα τὸν Κένταυρον. h. e. *Ebrietatem vituperans poeta* (Homerus), *Cyclopem tam vastum ob eam fingit ab homuncione pusillo interemtum: eademque de caussa Centaurum Eurytionem periisse*. VULP.

v. 33. VINO FORMA PERIT, VINO CORRUMPITUR ÆTAS] Forma perit, quia deformis ebriorum vultus ac gestus. Plutarchus in Lycurgo. Plinius lib. 14. H. N. cap. ult. *Hinc pallor*, (ab ebrietate scilicet), *genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus. Corrumpitur ætas*, vita brevior fit, quia inde furiales somni, inquies nocturna & morbi. Plinius loco ante dicto. PASS. Contra de Phyllide meretricula Elegia 9. lib. 4.

Sobria grata parum: quum bibit, omne decet.
sed ibi latet nequitia. VULP.

v. 34. VINO SÆPE SUUM NESCIT AMICA VIRUM] Ignorat amatorem, quia ebrietas mors memoriæ. Plinius lib. 14. cap. ult. *Nescire*, pro ignorare. Terentius Heaut. 2,4. *Nescio alias*, nempe ignoro quid aliæ faciant. Plautus Prol. Aulul. *Is scit quæ sit, illa illum nescit*. Virgilius initio 3. Georg. *Nescit Busiridis aras*. PASS.

v. 35. ME MISERUM, UT MULTO NIHIL ES MUTATA LYÆO!] Neque formâ neque mente alia es. τὸ *Me miserum*, videtur hic esse admirantis; ut Ovidius 6. Fast. *Me miserum, dubitatis? ait*. Sic Eleg. 29. sup.

Heu quantum per se candida forma valet!

Ut, ὡς. Sic Terentius Hecyra: *O Fortuna, ut unquam perpetuo es bona! Multo Lyæo*. Eleg. 3. lib. 1.

Ebria quum multo traherem vestigia Baccho.

Λυαῖος, Bacchus; & apud Orpheum ac Pausaniam, Λύσιος, παρὰ τὸ λύειν, quod vino mentes & curæ solvantur. PASS. *Ut m. nihil es mutata Lyæo!* Nostri libri, Groninganus, & Comelini, *est*. quod non debebat mutari: est enim abruptus sermo admirabundi, & secum loquentis. Plautus Cistell. 1, 1.

Sed quid tu inter istæc verba,
Meus oculus, mea Silenium, (numquam ego te tristiorem
Vidi esse) quid, cedo, te obsecro tam abhorret hilaritudo?
Neque munda adæque es, ut soles. hoc sis vide, ut petivit
Suspirium alte! & pallida es.

pariter Horatius Epodo 11. & Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 8. ubi oratio aniculæ lenæ scortillum novitium callide instruentis:

Est etiam facies, quæ se tibi comparet, illi:
Si te non emtam vellet, emendus erat.
Erubuit. decet alba quidem pudor ora: sed iste,
Si simules, prodest: verus obesse solet.

Sic & Cicero de C. Verre ad ipsummet C. Verrem, Accusat. 1. C. 14. *Ut hoc pacto rationem referre liceret, eo Sullanus repente factus est, non ut honos & dignitas nobilitati restitueretur. Quod si illinc inanis profugisses, tamen ista tua fuga nefaria, proditio consulis tui, scelerata judicaretur*. multo hæc feriunt altius, quam si cum viro illustri Antonio Augustino legas, *eo Sullanus repente factus es*. Commutatæ personæ exemplum est in Orat. pro Domo C. 2. p. 406. pro Plancio C. 13. plus semel, & C. 29. in L. Pisno. C. 17. 27. 30. pro Ligar. C. 3. p. 180. 184. Philipp. 2. C. 44. Philipp. 8. C. 6. Philipp. 2. C. 41. lib. de Senect. C. 8. in versibus Cæcilii. Seneca Hippolytu v. 705.

Procul impudicos corpore a casto amove
Tactus. quid hoc est? etiam in amplexus ruis?

vide

Quum tua præpendent demissæ in pocula sertæ,
Et mea deducta carmina voce legis.
Largius effuso madeat tibi mensa Falerno,
Spumet & aurato mollius in calice:

Nulla

vide ibidem v. 882. 1184. 1220. 1254. Oedip. v. 34. Ovidium I. Amor. 14. v. 17. 51. III. 11. v. 25. 44. Horatium Epodo 10. v. 21. Senecam Troad. v. 683. Med. v. 193. 560. Ennius Alex. p. 231. *Hominem adpellat. quid lascivis, stolide? non intelligit.* BROUKH.

v. 36. JAM BIBE: FORMOSA ES: NIL TIBI VINA NOCENT] Simile est illud Eleg. 9. lib. 4.

Sobria grata parum: quum bibit, omne decet.

Ovidius L. 3. A. A.

Aptius est, decet atque magis potare puellas;
(quam edere)

Cum Veneris puero non male, Bacche, facit.

Nil tibi vina nocent. Bene fers vinum, ut ille Tricongius Novellus Torquatus, uno impetu haustis tribus congiis, id est, tribus sextariis nostratibus, ut neque sermone, neque ulla parte corporis aut animi labaret. Plinius lib. 14. cap. ult. Fuit & Bicongius M. Tullius M. Oratoris filius. PASS. Cur mulieres difficile inebrientur, disputat Macrobius lib. 7. Saturn. cap. 6. VULP.

v. 37. QUUM TUA PRÆPENDENT DEMISSÆ IN POCULA SERTÆ] Flores antependulos vocaret Appulejus. Sic dixit Eleg. 30. sup.

Tum capiti sacros patior pendere corymbos.

De sertis & coronis conviviorum dictum ad Eleg. 3. lib. 1. v. 21. Plinius lib. 21. H. N. cap. 9. *Meliloton*, ait, *appellatum esse sertulam Campanam, quod in coronamenta veniat*. Serere, jungere; Festus in *Sertorem*. ergo flores serti, conjuncti; ut apud Apulejum: *Serti & soluti flores*. Varro 4. de L. L. deducit a serie. Charisius lib. 1. *Serta feminino genere*, qui affert hunc versum Propertii. Cornelius Severus:

Huc ades Aonia crinem circumdata serta.

Hinc error Servii arguitur in 1. Æneid. ubi inquit: *Sertum & Serta dicimus neutro genere. si sertos dico, addo flores; si sertas, addo coronas; ut Lucanus:*

Accipiunt sertas nardo florente coronas. PASS. Charisius L. 1. *Neutra semper pluralia ---- hæc serta.* στέφανοι. & deinde, eodem libro: *Serta neutro genere dicuntur, ut Virgil. Serta procul tantum capiti delapsa jacebant. Sed Propertius feminine extulit, Quum tua præpendent demissæ in pocula sertæ. & Cornelius Severus: Huc ades Aonia crinem circumdata serta.* ex hoc loco, Propertii versum bene restituit politissimi atque elegantissimi ingenii juvenis L. Fruterius L. 2. Verisim. C. 10. Scaliger quoque, ac Passeratius; & nuper Nic. Heinsius Not. ad Ovid. L. 4. Trist. El. 2. v. 56. ego integra optimi grammatici verba adduxi, quia illi non fecerant, contenti indicasse. BROUKH.

v. 38. ET MEA DEDUCTA CARMINA VOCE LEGIS] Voce tenui & liquida. Deducere enim est tenui veluti filo in longum ducere; derivatum vel ab arte fabrili, ut Ennius:

Deducunt habiles gladios filo gracilento.

vel a lanificio, ut Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Deducat plena stamina longa colo.

Afranius Virgine apud Macrobium: *Verbis pauculis Respondit tristis, voce deducta, male: Se non quiesse, dixit.* Sic emendo. PASS. Nonius; *Deductum dicitur molle & suave. Virgil. Bucolic. Pascere oportet ovis, deductum dicere carmen. Deductum, diminutum, suppressum. Lucil. lib. xxx. Deducta tunc voce leo, Cur tu ipsa venire Non vis huc?* BROUKH. Addendus Macrobius lib. 6. Saturn. cap. 4. *Deductum*, inquit, *pro tenui & subtili eleganter positum est*. citat deinde locum Afranii. mox: *Item apud Cornificium: Deducta mihi voce garrienti. Sed hæc ab illo fluxerunt, quod Pomponius in Atellana, quæ Kalendæ Martiæ inscribitur, ait: Vocem deducas oportet, ut mulieris videantur verba. Jube modo afferatur munus; ego vocem reddam tenuem & tinnulam.* & infra: *Etiam nunc vocem deducam.* VULP.

v. 39. LARGIUS AFFUSO MADEAT TIBI MENSA FALERNO] Malim legere *affuso*, quam *effuso*. Sic Plinius lib. 16. H. N. cap. ult. Passienum Crispum, ait, arbo-

rem

Nulla tamen lecto recipit se sola libenter.
Est quiddam, quod vos quærere cogat Amor.
Semper in absentes felicior æstus amantes.
Elevat assiduos copia longa viros.

ELE-

rem quamdam adamasse, & osculari solitum, ac vinum illi affundere. Sic Albinovanus ad Liviam:

Aridaque affusâ guttura tinxit aquâ.

Eodem sensu Tibullus: *Adde merum. Falerno.* de hoc vini genere Plinius H. N. lib. 14. cap. 16. *Madeat mensa*, ut Elegia 4. lib. 4.

Quum pagana madent fercula deliciis.

Sic Græcis dicitur βρέχειν. PAS. Passeratius *offuso* legit; Nic. Heinsius *infuso*, Not. ad L. 1. Art. Amat. v. 650. Sed videtur Noster loqui de vino super mensam sparso, & quo ipsa mensa natabat. id certe *effusum* recte dicitur ea ratione qua *effundere patrimonium*, *effundere censum*, dicimus; id est, proterve dissipare. BROUKH. *Largius effusa m. t. m. F.* Subaudi *quamvis*, cui respondet *Nulla tamen* sequentis hexametri. *Madeat tibi mensa Falerno.* Libatio fortasse intelligenda. Virgilius 1. Æneid.

Dixit, & in mensa laticum libavit honorem.
VULP.

v. 40. SPUMET ET AURATO MOLLIUS IN CALICE] Sic Virgilius 1. Æneid. *Spumantem pateram.* τὸ *Mollius*, ambigue, adverbium & nomen. nam *Molle vinum*, mite vetustate; & vetustius lenius spumat. Sic Horatius Ode 7. lib. 1. *Molle merum*, ut μαλακὸν οἶνον Theophrasto & Athenæo. contra σκληρὸν apud eosdem, quod Terentius in Heautont. *Durum vinum* vocat. Virgilius 1. Georg.

Tunc agni pingues, & tunc mollissima vina.

Calix, inquit Varro 5. de L. L. *a caldo*, *quia in eo calida puls apponebatur, & caldum in eo bibebant.* Festus: *Calix, quod in eo solidum bibitur, vel a Græca κύλιξ.* At Græcum est κύλιξ, & υ vertitur in a; ut contra a in u in Ἑκάβη, *Hecuba.* PASS. *Mollius* Falernum interpretor melle admixtum, mulsum, οἰνόμελι, quod Romanis fuit in deliciis. Martialis lib. 13. Epigr. 108.

Attica nectareum turbastis mella Falernum.
Misceri decet hoc a Ganymede merum.

Aurato in calice. Erant & auro solido pocula, & gemmata, & gemmea. vide Commentarium nostrum ad Satyr. 10. Juvenalis v. 26. VULP.

v. 41. NULLA TAMEN LECTO RECIPIT SE SOLA LIBENTER] Nulla nisi invita sola cubat. Sic de P. Clodio Cicero: *Propter inanes metus & nocturnos terrores pusio semper cum majore sorore cubitavit.* *Lecto*, pro in lectum; ut Eleg. 3. sup. *Terris forma secunda redit.* Ovidius: *Ænean animo thalamoque recepit.* *Recipere*, reditum significat in locum tutum. Plautus dixit, *Recipere se domum, ad præsepes suas, ad stabulum.* *Sola libenter.* Idem Amphitr. *Ubi sunt isti scortatores, qui soli inviti cubant?* vide adnotata ad vers. 17. hujus Elegiæ. PAS.

v. 42. EST QUIDDAM, QUOD VOS QUÆRERE COGAT AMOR] τὸ *quiddam* obscœne; ut *aliquid* Eleg. 4. sup. v. 2. ubi vide adnotata. *Vos*, vestrum sexum. *entre vous femmes.* ut Eleg. 18. lib. 1.

Objicitur toties a te mihi nostra libido.
Crede mihi, vobis imperat illa magis.

Cogat quærere, quia libido vobis imperat. Virgilius 4. Æneid.

Improbe Amor, quid non mortalia pectora cogis?

& Plautus Pseud. 1, 2. *Quibus ut serviant suus amor cogit.* *Quærere.* vide Eleg. 21. sup. v. 17. PASS.

v. 43. SEMPER IN ABSENTES FELICIOR ÆSTUS AMANTES] Felicius & ardentius amantur absentes, quam præsentes: nam assidua præsentia fastidium parit, desiderium accendit amorem. Horatius Sat. 2. lib. 1. allato venatoris exemplo:

-- Meus est amor huic similis; nam
Transvolat in media posita, & fugientia captat.

Terentius pariter in Heautont. *Non quæris quod habes, sed quæris quod abest.* vide Plutarchum in Pompejo. Tritum sermone illud Juvenalis in fine Sat. 11. *Voluptates commendat rarior usus.* *Felicior æstus*; calor ille & amor cedit felicius illi qui abest. *Æstus* de ardore amoris, quia intus æstuat. ut apud Appulejum Apol. 1. *Ab æstibus fretorum ad æstus amorum transferentur.* PASS.

v. 44.

v. 44. ELEVAT ASSIDUOS COPIA LONGA VIROS] Nempe, leviores reddit & viliores ipsa potiundi facultas. Catullus Carm. 21. *Hæc tu quemlibet abjice elevaque*. Ita Ciceroni dictum *elevare crimina*, pro, leviora reddere & eludere. T. Livio lib. 28. *Fabius meas res gestas in Hispania elevavit*. Suetonius in Tiberio cap. 52. *Elevare præclare facta pro supervacuis*. *Copia*, ut Elegia 20. sup. *Copia lecti*. *Assiduos viros*: assiduitas hic fastidio est, ut sup. Eleg. 18.

Assiduæ multis odium peperere querelæ.

Et Cicero pro Muræna assiduitatem oratorum & jurisconsultorum ait multum habere fastidii, ideoque plus Murænæ profuisse ad consulatum quod abfuisset, quam Sulpicio quod semper adfuisset. PASS. *Assiduos viros*, qui semper adsident & adsunt puellis amatis, non sine molestiæ periculo. Talem se fuisse fatetur Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 11.

Quando ego non fixus lateri spatiantis adhæsi,
Ipse tuus custos, ipse vir, ipse comes!

Existimo, Baptistam Guarinum ad hunc Propertii versum mentem animi adhibuisse, quum hæc scriberet in Pastore Fido Actu 1. Sc. 4.

Il lungo conversar genera noja,
E la noja disprezzo, ed odio al fine. VULP.

ELEGIA XXXIV.

CUr quisquam faciem dominæ jam credat Amori?
Sic erepta mihi pæne puella mea est.
Expertus dico. nemo est in amore fidelis.
Formosam raro non sibi quisque petit.

Pol-

ARGUMENTUM ELEGIÆ XXXIV. LIB. II.] Lynceum, quod Cynthiæ fidem & castitatem tentare ausus fuisset, primum objurgat: deinde amatorem factum gaudet; doctorumque virorum exemplis propositam ejus confirmat. VULP.

v. 1. CUR QUISQUAM FACIEM DOMINÆ JAM CREDAT AMICO? SIC EREPTA MIHI PÆNE PUELLA MEA EST.] Quasi diceret, Nulla caussa est; quia hoc ego pacto propemodum amicam perdidi. *τὸ quisquam* est stomachantis, ut Eleg. 25. sup. v. 23. *Jam*, posthac amplius. at Catullus Carm. 63.

Nunc jam nulla viro juranti femina credat.

Credat amico, committat, commendet; ut idem Catullus dixit Carm. 15. *Commendo tibi me ac meos amores*. Ovidius de hac re sub finem lib. 1. A. A.

Heu facinus! non est hostis metuendus amanti:
Quos credis fidos, effuge, tutus eris.
Cognatum, fratremque cave, fidumque sodalem.
Præbebit veros hæc tibi turba metus.

Exemplum hujus rei in Candaule & Gyge sodali apud Herodotum lib. 1. *Amico*, Vet. lib. *Amori*. quod se mutasse, Beroaldus fatetur. sed & amor, pro, amico, & amica. *Faciem dominæ*; dominam formosam. dixi ad Eleg. 29. lib. 1. v. 15. Ovidius 1. Metam.

Astra tenent cæleste solum, formæque deorum. P. Regii, & nostri cum Groningano, *credit*, quod & in Veneta legitur. an ita dictum ut apud Horatium Epod. 3.

Edit cicutis allium nocentius?

amori est in omnibus libris, etiam in excusis ante Beroaldum. nam ab eo est edit. vulgatarum *amico*, quum non diffiteatur invenisse se in antiquis codicibus *amori*. non est cur quisquam nimis sit securus de amore dominæ erga se, quum illa sit formosa, & talem nemo non sibi petat. Amorem, uti vides, custodem ac fidejussorem facit pudicitiæ ac fidelitatis Cynthiæ suæ. id quum non perspiceret Beroaldus, supposuit inficetum suum *amico*, quasi Propertius Lyncei custodiæ dominam suam credidisset. atqui omnia alia hic reperies, si attenderis. BROUKH. Et pro amante *amor* interdum usurpatur. Tibullus Eleg. 2. lib. 1. *Infelix dum requiescit amor*. nimirum δύσερως, infelix amator. Noster etiam Eleg. 20. lib. 3.

Forsitan ille alio pectus amore terit.

ibi tamen de muliere loquitur. VULP.

v. 3. EXPERTUS DICO. NEMO EST IN AMO-

Polluit ille deus cognatos, ſolvit amicos,
Et bene concordes triſtia ad arma vocat.
Hoſpes in hoſpitium Menelao venit adulter.
Colchis & ignotum nonne ſecuta virum eſt?

Lyn-

AMOR FIDELIS] Poſtulat poeta ſibi credi, quia iis plerumque creditur qui experti ſunt, inquit Tullius in Topicis. Idem 2. de Orat. *Dicam tibi, Catule, non tam doctus, quam, id quod majus eſt, expertus.* *Nemo eſt in amore fidelis.* Ariſtoteles apud Laërtium, quum ſæpe de amicorum perfidia quereretur, exclamavit: ὦ φίλοι, οὐδεὶς φίλος. Terentius in Adelphis: *Me miſeram! qui credas jam? aut cui credas?* ubi Donatus: *Fides aut in re, aut in perſona.* unde & Virgilius 4. Æneid. *Nuſquam tuta fides.* id eſt, neque in re, neque in perſona. PASS.

v. 4. FORMOSAM NARO NON SIBI QUISQUE PETIT] Monſtri ſimile eſt non malle ſibi quemque formoſam quam alteri. hoc eſt quod ait Terentius Andr. *Proximus ſum egomet mihi.* Idem ibid. *Omnes ſibi melius eſſe malle, quam alteri.* Plato 5. de Legibus: φίλος αὑτῷ πᾶς ἄνθρωπος. PASS.

v. 5. POLLUIT ILLE DEUS COGNATOS, SOLVIT AMICOS, ET BENE CONCORDES TRISTIA AD ARMA VOCAT] Jus cognationis & ſanguinis Amor violat. Aliud eſt quod dixit Eleg. 15. lib. 1.

Sanguinis & cari vincula rupit Amor.

Polluit, qui inquinat, quia luere ſeu lavere poteſt. Sic Eleg. 10. lib. 4. *Furto polluit ille Jovem.* *Pollutum hoſpitium* Virgilius 3. Æneid. Cicero pro Sex. Roſcio, *Polluere omnia divina & humana jura.* Sententia eſt ſimilis illi Virgilianæ Ecl. 8.

Sævus Amor docuit natorum ſanguine matrem
Commaculare manus.

Cognati, quaſi ex uno nati, & quia commune naſcendi initium habuerint, inquit Ulpianus L. 4. *Unde cognati*; & L. 4. *de Grad.* ubi agnati ſunt quoque cognati, non contra, quia adfines cognati ſunt, non agnati. *Solvit amicos*; dirimit amicitias. dixi ad Eleg. 4. lib. 1. v. 15. *Bene-concordes*, unanimes. *Concordes*, eodem corde & animo. Cicero 1. Tuſc. Sic Afranius apud Nonium in *Spurcam*: *Bene-convenientes & concordes cum viris.* *Vocat ad arma.* Virgilius 7. Æneid. *Deſuetaque bello Agmina in arma vocat ſubito.* Cicero pro C. Rabirio: *Quum ad arma Conſules ex Senatuſconſulto vocaſſent.* τὸ *ad arma* formula eſt. Horatius Ode 35. lib. 1. *Ad arma ceſſantes, ad arma Concitet.* PASS. *Cognatos.* noſter primus conjunctos. BROUKH. *Solvit amicos.* Id ne fiat, monet Horatius Epiſt. 18. lib. 1.

Non ancilla tuum jecur ulceret ulla, puerve
Intra marmoreum venerandi limen amici.

Triſtia ad arma; quæ luctum & mœrorem efficiunt. Tibullus Eleg. 10. lib. 1. *Nec triſtia noſſem Arma.* VULP.

v. 7. HOSPES IN HOSPITIUM MENELAO VENIT ADULTER] Paris, vir peregrinus, & jam adulter mente, quia ad rapiendam Helenam domo profectus. *Adulter*, pro Paride. ut contra Virgilius 4. Æneid. *Et nunc ille Paris.* id eſt, adulter. Horatius Ode 9. lib. 4. *Arſit adulteri crines Helene.* & lib. 3. Ode 3. *Nec jam Lacænæ ſplendet adulteræ Famoſus hoſpes.* vide eumdem Ode 15. lib. 1. Meminit Noſter Eleg. 3. & 15. ſup. PASS. *Hoſpes in hoſpitium.* κατ' ἔμφασιν. quod ſcelus ingens haberetur jura hoſpitii violare. Ipſa Helena apud Ovidium in Epiſtola:

Auſus es, hoſpitii temeratis, advena, ſacris,
Legitimam nuptæ ſollicitare fidem? VULP.

v. 8. COLCHIS ET IGNOTUM NONNE SECUTA VIRUM EST?] Periphraſis adulteræ. ſic Eleg. 5. lib. 4.

Nec te Medeæ delectent probra ſequacis.

A. Sabinus in Epiſt. Ulixis, de Clytæmneſtra:

Tyndaris has illi, læſo pro fœdere pœnas
Struxerat, externos ipſa ſecuta viros.

Virgilius Ecl. 10.

- - - Tua cura Lycoris
Perque nives alium perque horrida caſtra ſecuta eſt.

unde *Secutuleiæ mulieres.* Petronius: *Tamquam mulier ſecutuleia, unius noctis tactu omnia vendidit.* *Ignotum virum*, Iaſonem, quem numquam antea viderat. de eo Elegia 24. ſup. PASS. *Ignotum n. ſ. v. eſt?*

τὸ

Lynceu, tune meam potuisti tangere curam?
  Perfide, nonne tuæ tunc cecidere manus?
Quid, si non constans illa & tam certa fuisset?
  Posses in tanto vivere flagitio?
Tu mihi vel ferro pectus, vel perde veneno:
  A domina tantum te modo tolle mea.

Te

τὸ est non comparet in primo nostro. BROUKH.

V. 9. LYNCEU, TUNE MEAM POTUISTI TANGERE CURAM?] Lynceum hunc, Ponticum vero nomine opinor, de quo Eleg. 7. lib. 1. Est autem Græcum nomen, ut *Panthus* Eleg. 21. sup. & *Demophoon* Elegia 22. *Tu ne*, irascentis est, ut Eleg. 8. lib. 1. *Tu ne igitur demens? Potuisti*; ausus es, & suffecit tibi animus ad id scelus. ut Eleg. 17. lib. 1.

Et merito, quoniam potui fugisse puellam.

Meam tangere curam, amicam meam attrectare. Horatius Sat. 2. lib. 1. *Matronam nullam ego tango*. Plautus Aulul. 4, 6. *Cur id ausus facere, ut id quod non tuum esset, tangeres?* Ambigue de furto & stupro. unde *intacta puella*. & *tangere*, quasi rem sacram. PASS. In Groningano, & Pal. Gebhardi, erat

Lynceu, tu ne meam potuisti, perfide, curam
  Tangere?

sed erectior est vulgata lectio atque efficacior. BROUKH. Cum codicibus a Broukhusio memoratis facit editio princeps A. 1472. *Curam*. Sic Eleg. 25. sup.

Unica nata meo pulcherrima cura dolori. V.

V. 10. PERFIDE, NONNE TUÆ TUNC CECIDERE MANUS?] Mirum, quin manus tuæ non ceciderint. id est, avulsæ a brachiis fuerint, vel ipsa brachia ab humeris, ut plectantur membra ipsa quæ peccarunt, & sit hæc pœna sacrilegii & perfidiæ. vide adnotata ad Eleg. 15. lib. 1. v. 36. Aliter Virgilius 6. Æneid. *Bis patriæ cecidere manus*. PASS.

V. 11. QUID, SI NON CONSTANS ILLA ET TAM CERTA FUISSET?] Vide notata ad Eleg. 9. lib. 1. v. 15. PASS.

V. 12. POSSES IN TANTO VIVERE FLAGITIO?] Non & vita simul & hac turpitudine te privares? sic *tanta crimina* dixit infra hac Elegia. Donatus in Eunuchum: *Flagitium more militari res flagitatione, id est, increpatione digna*. Isidorus lib. 5. *Flagitium a flagitando corruptelam libidinis*. Nonius: *Flagitium veteres vitium (dixere) quod virgini infertur*. Sane flagitari libidinis est; unde *Flagitatus inter cutem* dicitur stuprum passus, apud Festum in *Inter cutem*. A. Gellius lib. 1. cap. 17. Vitia flagitiis leviora sunt. Apud Plautum sæpe, *Facere flagitium*, stupri est. Cicero 1. in Catil. *Quæ libido ab oculis, quod facinus a manibus unquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit?* Flagitium solum turpitudinem etiam citra libidinem significat. Plautus Pseud. *Si cecidero, vestrum erit flagitium, pedes*. & Pœn. *Hæ fores fecerunt magnum flagitium modo, crepuerunt clare*. Vide Ciceronem Epist. 2. lib. 9. ad Famil. P. Regii & Colbertini, *Posses & in tanto vivere flagitio?* Alii, *Posses in tanto*: quod verum videtur. Lynceum monet, quanto se scelere pæne polluerit ebrius. Quod si Cynthia fuisset fragilis & minus constans; posses tu, o Lynceu, discussa mox crapula agnitoque demum tam impio flagitio, manus tuas a te ipso abstinere? etiamne vivere sustineres post facinus indignissimum?

Hisce te nonne tibi terra tegenda foret? BROUKH. *Vivere*, pro esse, durare, permanere. ut apud Horatium Epist. 17. lib. 1. *Sine vivat ineptus*. & A. P. 36. *Pravo vivere naso*. Qui hoc verbum hic aliter interpretantur, fluctus in simpulo excitant. *In tanto flagitio*. nempe infamia, dedecore. Cornelius Nepos Hamilcare: *Succumbente patria, ipse petiturum se potius diceret, quam cum tanto flagitio domum rediret*. Plautus Epidic. 3, 4.

Flagitio cum majore post reddes tamen. V.

V. 13. TU MIHI VEL FERRO PECTUS, VEL PERDE VENENO] Vi aut fraude conare

Te socium vitæ, te corporis esse licebit,
Te dominum admitto rebus, amice, meis.
Lecto te solum, lecto te deprecor uno.
Rivalem possum non ego ferre Jovem.
Ipse meas solus, quod nil est, æmulor umbras,
Stultus, quod stulto sæpe timore tremo.

Una

me interficere, ut sicarius aut venenarius. & *pectus*, inquit, *perde*, quia id utrumque recipere potest, & ferrum & venenum. P. Quidni subaudias *transfige*, aut aliud simile verbum? ut sententia sit; Tu mihi vel transfige pectus ferro, vel me veneno perde. ut sit ἀνακόλουθον, ζεῦγμα, vel σύλληψις. VULP.

v. 14. A DOMINA TANTUM TE MODO TOLLE MEA] Aufer te, remove te. Terentius Phorm. 3, 3. *Aufer te hinc*. Est autem hic τμῆσις, pro *tantummodo*. PASS.

v. 15. TE SOCIUM VITÆ, TE CORPORIS ESSE LICEBIT, TE DOMINUM ADMITTO REBUS, AMICE, MEIS] Participem esse te sinam & animæ meæ, & corporis, & fortunarum; sive, omnia mihi tecum erunt communia bona animi, corporis, & fortunæ. τὸ *licebit*, pro, licet. ut Eleg. 11. sup. *Sit ignota licebit*. *Admitto*, benignitatis est; quia qui admittit, & excludere potest. Socius autem etiam dominus est, ut vulgo loquimur, quum res est communis pro indiviso. Ulpianus L. 1. §. *Domini D. de Senatusconsulto Silaniano*, cum appellatione, ait, etiam domini pro parte contineri. PASS.

v. 17. LECTO TE SOLUM, LECTO TE DEPRECOR UNO] Precibus averto ab amicæ amplexu. Charisius lib. 4. *Deprecor inimicum & inimico*. Nonius; *Deprecor, amolior, depello*. Ennius Erechtheo: *Quibus servitutem mea miseria deprecor*. Ovidius 1. Pontic. Eleg. 2.

Sæpe precor mortem, mortem quoque deprecor idem,

vide A. Gellium lib. 6. cap. 16. PASS.

v. 18. RIVALEM POSSUM NON EGO FERRE JOVEM] Sic Ovidius lib. 3. A. A.

Non bene cum sociis regna, Venusque manent.

Jovem dixit κατ᾽ ἐξοχήν. ut Eleg. 13. sup.

Possum inimicitias tunc ego ferre Jovis.

Catullus Carm. 69. *Nec prae me vellet tenere Jovem*. Plautus Casina. *Negavi enim me ipsi concessurum Jovi, Si is mecum oraret*. PASS. *Rivalem*. Proprie locutus Propertius, quum antecesserit mentio lecti; Græci enim rivalem σύλλεκτρον dicunt, nempe ejusdem lecti participem. Lucianus in Dialogo Jovis & Junonis, ubi de Ixione: Διηγήσεται ἅπασι λέγων συγγεγενῆσθαι τῇ Ἥρᾳ, καὶ σύλλεκτρος εἶναι τῷ Διΐ: *Omnibus narrabit, se Junonem compressisse, Jovisque rivalem esse*. *Rivalem possum non ego ferre Jovem*. Οὐ δύναμ᾽ ἐγὼ τὸν Δία σύλλεκτρον ὑπομένειν. Illud Senecæ non dissimile lib. 1. de Ira cap. 16. *Ultima patientiæ visum est, cum ferret, qui Jovem non ferret*. loquitur de superbia C. Caligulæ. Ipsi porro dii zelotypos adolescentes interdum efficiebant. Plautus Asin. 4, 1, 36. in lepida illa syngrapha:

Deam invocet sibi, quam libebit, propitiam,
Deum nullum, si magis religiosa fuerit,
Tibi dicat: tu pro illa ores, ut sit propitius.

Mitior sane Amphitruo Plautinus, qui postquam rescivit, vitium a Jove uxori suæ oblatum esse, æquissimo animo tulit. Ejus verba sunt 5, 1, 72.

Pol me haud pœnitet,
Scilicet boni dimidium mihi dividere cum Jove.

Ceterum Suetonius in Othone cap. 3. hanc Propertii locutionem videtur sublegisse. *Poppæam Sabinam*, inquit, *tunc adhuc amicam ejus* (Neronis) *abductam marito, demandatamque interim sibi, nuptiarum specie recepit, Nec corrupisse contentus, adeo dilexit, ut ne rivalem quidem Neronem æquo tulerit animo*. VULP.

v. 19. IPSE MEAS SOLUS, QUOD NIL EST, ÆMULOR UMBRAS] Æmulus & zelotypus sum umbræ meæ. Proverbialiter dictum. Socrates in Phædone Platonis tomo 1. p. 101. Σὺ δὲ δεδιὼς ἄν (τὸ λεγόμενον) τὴν σαυτοῦ σκιάν.

Una tamen caussa est, qua crimina tanta remitto,
Errabant multo quod tua verba mero.

Sed

σκιάν, &c. Vide Plutarchum Sympos. & Junium Proverb. 8. Cent. 4. Addit, *quod nil est*, quia umbrâ nihil inanius. quamobrem Juvenalis Sat. 10.

Et mota ad Lunam trepidabis arundinis umbram.

& Cicero lib. 8. ad Attic. *O hominem amentem, qui ne umbram quidem τοῦ καλοῦ viderit. Æmulor*, pro ζηλοτυπῶ. quia æmulus etiam rivalem significat. Terentius Eun.

Istum æmulum, quod poteris, ab eo pellito.

Cicero 4. Tuscal. *Æmulatio est ægritudo, si eo quod ipse concupierit, alter potiatur, ipse careat.* Idem docet, & in vitio & in laude poni; & vitiosam æmulationem esse rivalitati proximam. Appulejus lib. 10. A. A. de pellice: *Æmula tori & succuba. Umbras*, pro umbram dixit, ut notavi ad Eleg. 8. sup. v. 19. & *solus*, pro, licet solus. vide notata ad Eleg. 21. sup. v. 18. PASS. Ideo *stultum* se vocat versu proxime sequente. est autem locutio proverbialis in timidos & suspicaces. Cicero L. 15. ad Attic. Epist. 20. *Etsi mihi videtur iste, qui umbras timet, ad eadem spectare; tamen, nisi explicata solutione, non sum discessurus.* BROUKH. *Æmulor umbras.* Q. Cicero de Petitione Consulatus: *Quamobrem, quod insuitur, umbram suam metuit.* Æmulari autem, non solum timere, sed & dimicare cum eo quod metuas. Æmulari umbram, Græci dicunt σκιαμαχεῖν. Lactantius Firmianus lib. 3. Div. Instit. *Nemo potest adversarium vincere, qui in dimicando non hostem verum, sed umbram petit.* D. Joannes Climacus Scalæ Paradisi Gradu 3. Ο' τοῖσιν ὀνείροις πιςεύων ὅμοιός ἐςι τῷ τὴν σκιὰν ἑαυτοῦ καταπρέχοντι, καὶ ταύτην κατέχειν δοκιμάζοντι. *Qui erga somniis credit, similis est umbram suam persequenti, & ipsam prehendere tentanti.* VULP.

v. 20. STULTUS, QUOD STULTO SÆPE TIMORE TREMO] Terrentur & tremunt etiam fortes, ut ait Ovidius 13. Metam. sed vero & justo timore: stulti tremunt nulla caussa. Stultum porro est timere quod nocere non potest, ut umbra. vide Horatium Sat. 3. lib. 1. Dixit *timore tremo*, quia tremimus etiam frigore & febre. Tremorem in metu esse, docet Macrobius, & adnotavimus ad Eleg. 5. lib. 1. PASS. Pall. duo Gebhardi, *tremore tremo.* quod ille præfert. habebat enim aures mire poeticas. mihi a vulgata & recepta lectione abire non libet. BROUKH. *Stultus.* Ipse se objurgat. Exprimere autem vult Homericum νήπιος, quod coryphæus ille poetarum tam sæpe usurpat. Virgilius pariter Æneid. 6. v. 590. de Salmoneo:

Demens! qui nimbos, & non imitabile fulmen
Ære & cornipedum pulsu simularat equorum.
VULP.

v. 21. UNA TAMEN CAUSSA EST, QUA CRIMINA TANTA REMITTO] Una ratione moveor ut tanto flagitio ignoscam. Qui decedit de suo jure, nec exigit quod exigere potest, remittere dicitur. Virgilius 5. Æneid. *Erycis tibi terga remitto.* & lib. 11.

Cedat jus proprium regi, patriaque remittat.

Vatinius Ciceroni lib. 5. Epist. ad Famil. *Meum supplicium & animadversionem tibi remitto.* Sic apud jurisconsultos, remittere jusjurandum, mercedem, sponsionem. *Gratiam facere* dicit Suetonius. *Caussa*, pro excusatio, defensio, ut sæpe apud Terentium. PASS.

v. 22. ERRABANT MULTO QUOD TUA VERBA MERO] Tu ipse inter loquendum errabas; lingua non constabas, sed hæsitabas. Ita Cicero Philipp. 13. *Errare in prænominibus propter similitudinem.* & de Haruspicum responsis: *Si ædilis verbo vel nutu aberravit, ludi non recte facti.* & 1. de Orat. *Hæsitare lingua* dixit; & 2. ad Q. fratrem: *Neque lingua, neque mente consistere.* Ut titubare est pedum & errare, sic utrumque ad linguam transfertur. Ebrii autem non tantum errant gressu, sed & sermone & mente. Juvenalis Sat. 15.

Adde quod & facilis victoria de madidis, &
Blæsis, atque mero titubantibus. PASS.

Ovidius pariter lib. 3. Trist. Eleg. 5.

Lapsaque sunt nimio verba profana mero.

Subdoli quidam veteratores ficta ebrietate delicta sua sponte suscepta excusare soliti erant; quod tamen excusationis genus refutat Callicles Plautinus, senex emunctæ naris, Truculento 4, 3. Satis mihi est locum indicasse. VULP.

Sed numquam vitæ fallet me ruga severæ.
  Omnes jam norunt quam sit amare bonum.
Lynceus ipse meus feros insanit amores.
  Solum te nostros lætor adire deos.

Quid

v. 23. SED NUMQUAM VITÆ ME FALLET RUGA SEVERÆ] Frons caperata severitudine mihi numquam imponet. Ruga, vel indicium senectutis, ut Eleg. 18. sup.

Et faceret scissas languida ruga genas.

vel severitatis & morum; ut Cicero Post reditum in Senatu: *Hic vos rugis supercilioque decepit*. Petronius:

Quid me constricta spectatis fronte, Catones?

Eos igitur intelligit, ut Juvenalis ait initio Sat. 2.

Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt. P. Apage te, superciliosum caput. quid mihi venditas Catoniana verba & Socratica? quid incedis obstipa cervice? quære jam alios, quos in errorem inducas: ego te penitus cognovi. De hujusmodi versipellibus, & nequitiam alte dissimulantibus locus est pulcher apud Senecam Tragicum Hippolyto:

O vita fallax! abditos sensus geris,
Animisque pulchram turpibus faciem induis.
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum: vera fallaces probant,
Simulantque molles dura.

Vita pro moribus. Horatius Ode 22. lib. 1. *Integer vitæ scelerisque purus*. Ovidius Epist. Deïaniræ:

Lætaque sit vitæ labe noverca tuæ.

& alibi centies. VULP. *fallet me ruga*, Borrichianus, noster primus, Groninganus, Vaticanus Livinejo collatus. & hoc Francius meus malebat, non pessimus arbiter versuum bonorum. BROUKH.

v. 24. OMNES JAM NORUNT, QUAM SIT AMARE BONUM] Quam suavis sit fructus amoris, omnes jam sciunt. Horatius Ep. 6.

Si, Mimnermus uti censet, sine amore jocisque
Nil est jucundum, vivas in amore jocisque.

Mimnermus ipse apud Plutarchum περὶ ἠθικῆς ἀρετῆς:

Τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσῆς Ἀφροδίτης;
Τεθναίην ὅτι μοι μηκέτι ταῦτα μέλει.

Noster Eleg. 14. & 15. sup. amantem voti compotem deum appellavit. PASS. *Omnes j. n. q. s. a. b.* Non tantum homines luxuria perditi, verum etiam castissimus quisque philosophorum. Huc pertinent quæ scribit Alexis Comicus apud Stobæum Serm. 61.

Εἶτ' οὐ μέγιστός ἐστι τῶν θεῶν Ἔρως,
Καὶ τιμιώτατός γε τῶν πάντων πολύ.
Οὐδεὶς γὰρ οὕτως ἐστὶ φειδωλὸς σφόδρα
Ἄνθρωπος, οὐδ' οὕτως ἀκριβὴς τοὺς τρόπους,
Ὃς οὐχὶ τούτῳ μερίδα τοῦ θεοῦ νέμει.

Nimirum igitur maximus est divorum Amor, Et longe omnium nobilissimus; Nullus enim usque adeo frugi est Homo, neque moribus tam exquisitis, Quin huic deo partem aliquam tribuat. VULP.

v. 25. LYNCEUS IPSE MEUS FEROS INSANIT AMORES] Potest esse hypallage, pro ferus insanit meos amores, ut Eleg. 13. sup. *O mors, cur mihi sera venis?* vel *Seri amores*, qui sero veniunt, eoque sunt graviores. ut Eleg. 7. lib. 1.

Sæpe venit magno fœnore tardus amor.

Insanire amores, amicam deperire, & ad insaniam amare. ἔρωτι νοσεῖν. Turnebus lib. 17. Adv. cap. 1. Sic Horatius Epodo 11. *Inachia furere*. Virgilius 12. Æneid. *Hunc oro sine me furere ante furorem*. Anacreon: Ἄγε θυμὲ πῆ μέμηνας Μανίην μανεὶς ἀρίστην. PASS. Unus Colbertinus cum nostro secundo, *sacros insanit amores*. primus, *meos ferus insanit*. Groninganus, *meos feros insanit*. an scriptum fuit,

Lynceus ipse meos insanit ferus amores?

non tantum amat, quamvis jam ætate provecta, sed & amat meam puellam. tamen nihil sollicito. ab hoc versu novam Elegiam orditur Barthius L. 25. Adv. C. 4. invitis omnibus membranis; quæ, quod rarum, hic nihil turbant; invito ipso sensu. BROUKH. Editio princeps, *Sacros insanit amores*. VULP.

v. 26. SOLUM TE NOSTROS LÆTOR ADIRE DEOS] τὸ *solum* videtur esse adverbium, ut significet, unam ei placuisse Cynthiam, & arborem esse dignam suspendio. *Adire nostros deos*, rogare nostram amicam. ut Eleg. 7. lib. 1. *Nolim nostros te violasse deos*. PASS. *Solum*. f. Olim. BROUKH. Hoc

equi-

Quid tua Socraticis tibi nunc ſapientia libris
Proderit? aut rerum dicere poſſe vias?
Aut quid Cretæi tibi proſunt carmina lecta?
Nil juvat in magno veſter amore ſenex.

Tu

equidem gaudeo, inquit Propertius, te militiæ noſtræ nomen dediſſe: quamquam illud penitus doleo, quod me loco & ſtatione pellere tentaveris, Cynthiæ fidem aggreſſus. VULP.

v. 27. QUID TUA SOCRATICIS TIBI NUNC SAPIENTIA LIBRIS PRODERIT? AUT RERUM DICERE POSSE VIAS?] Sic dixit Eleg. 9. lib. 1.

Quid tibi nunc miſero prodeſt grave dicere carmen?

Sapientia auguſtiſſimum nomen, de quo Afranius apud A. Gellium lib 13. cap. 8.

Uſus me genuit, mater peperit memoria,
Sophiam vocant me Graji, vos ſapientiam.

An *nunc-ſapientia*, ut *nunc-domina*, *nunc-dea*? id eſt, quæ nunc appellatur ſapientia. *Socraticis libris*. Sic Horatius Epiſt. ad Piſones:

Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ.

& Ode 21. lib. 3. *Ille .... Socraticis madet Sermonibus*. Lucillius apud Nonium in *Charta* & *Chartus*: *Ubi nunc Socratici charti?* Socratici libri ſunt libri Platonis & Xenophontis, aliorumque. nam, ut ait Cicero 3. de Orat. *Socratis ingenium variosque ſermones Plato immortalitati commendavit, quum Socrates ipſe nullam litteram reliquiſſet*. *Aut rerum dicere poſſe vias?* Rerum cauſſas reddere; & rationes afferre, cur & unde quidque fiat. ſive qua via & ordine progrediatur natura. *Rationem mundi* vocat infra hac Elegia. Sic Eleg. 5. lib. 3.

Naturæ miſeras anximus arte vias.

nempe naturales cauſſas mortis. Virgilius 2. Georg.

Sunt alii (modi) *quos ipſe via ſibi repperit uſus.*

id eſt, *ratione*, inquit Servius, ut 4. Æn. *Inveni, germana, viam*. PASS. Valerius Flaccus L. 4. v. 558.

Fata locoſque tibi (poſſum quas reddere grates)
Expediam, rerumque vias finemque docebo.
BROUKH.

Vias, μεθόδες. VULP.

v. 29. AUT QUID CRETÆI TIBI PROSUNT CARMINA LECTA?] Sunt qui Epimenidem Cretenſem intelligant. Beroaldus reponit *Tyrtæi*, ſed errat. Idem quod de Epimenide exponit, non improbatur a Turnebo lib. 17. Adv. cap. ult. quia & is ſcripſit verſibus. ſed tamen ait videri legendum *Lucreti*, quod & ego veri ſimile judico; quum Lucretius & de rerum natura ſcripſerit, & amoris remedia quædam tradiderit lib. 4. De eo Cicero lib. 2. ad Q. fratrem Epiſt. 9. *Lucretii poemata non ita ſunt multis luminibus ingenii, multæ tamen artis*. tum igitur terebantur manibus Romanorum. τὸ tibi κατὰ διλογίαν. & *tibi lecta*, id eſt, a te, & *tibi proſunt*. PASS. *Proſunt tibi*, eſt in Vaticano & Groningano, ac Borrichiano. ------ In noſtro primo lacuna eſt hoc loco. unde videas ſcripturam tum quoque valde fuiſſe diverſam, neque auſum pudentem librarium explere quod non intelligebat. BROUKH. *Cretæi carmina*. Epimenidis, poetæ Cretenſis; non *Lucreti*, ut nonnulli docti viri perperam legunt. Quum hæc ſcriberet Propertius, nondum eam auctoritatem adipiſci potuerat Lucretius, ut ejus poemata in manibus eſſent, immo in deliciis & amoribus. Exſtabant porro ætate Propertii καθαρμοὶ Epimenidis, nempe Carmina luſtralia, ſive *piacularia*, quorum recitatione homines, domus, urbes expiabantur. Horum Carminum meminit Suidas, & Euſtathius ad Dionyſium Periegeten, atque ad alterum Iliados librum. *Cretæi* dixit pro *Cretenſis*, quemadmodum Eleg. 19. lib. 3.

Teſtis Cretæi faſtus quæ paſſa juvenci
Induit abiegnæ cornua falſa bovis.

Proderant igitur Epimenidis Carmina piacularia in aliis morbis animorum curandis & mitigandis: nihil tamen valebant, Propertio judice, ad amorem temperandum, quum is nimium creviſſet. *Veſter ſenex*, hoc eſt, quo familiariter utimini, ad quem confugere ſoletis, amori nimio medicinam quærentes. Crediderim, ad hanc Epimenidis poeſin reſpexiſſe Horatium Epiſt. 2. lib. 1.

Tu satius Musis meliorem imitere Philetam,
Et non inflati somnia Callimachi.
Non rursus licet Ætoli referas Acheloi
Luxerit ut magno fractus amore liquor.

At-

lib. 1. quum scripsit:

Fervet avaritia, miseroque Cupidine pectus?
Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi deponere partem.

Hæc mihi lectio & interpretatio tam certa est, quam quod certissimum. Beroaldus quoque de Epimenide hos Propertii versus interpretatus fuerat, sano judicio & recto; quamquam de Carminibus piacularibus in ejus ad Nostrum Commentario ἰδίως λόγος. VULP.

v. 30. NIL JUVAT IN MAGNO VESTER AMORE SENEX] Nomen dignitatis ab auctoritate ætatis. *senex*, ut pater. Sic Terentius Phorm. 1, 2. *Senis nostri, Dave, fratrem majorem, Chreme, Nostine?* Ergo *vester senex*, Epicurus, ut & ait Beroaldus, familiæ & sectæ vestræ pater. *Senior Gargettius* dicitur a Statio, a pago Attico Gargetto. Vixit Epicurus annos LXXII. & de amore scripsit. PASS. A Socraticis libris ad Epicureos durus omnino transitus. *Vester senex* optime convenit in Epimenidem, quem vixisse ferunt annos centum quinquaginta. Sulpicia poetria in Satyra, de philosophis Domitiani edicto urbe Roma exactis, eodem modo locuta:

Sic nostri palare senes dicuntur, & ipsi
Ut ferale suas onus exstirpare libellos. V.

v. 31. TU SATIUS MEMOREM MUSIS IMITERE PHILETAM] *Memor* παθητικῶς, pro eo cujus Musæ ipsæ meminere, quem referunt & memorant. Sic *Ira memor* Virgilio 1. Æneid. cujus iræ Juno meminerat. Ovidius lib. 4. Metam.

Exigit indicii memorem Cytherea pœnam.

Æschylus in Agamemnone, μῆνις μνάμων. Horatius Ode 17. lib. 3. *Nepotum Per memores genus omne fastos.* ut sit *memorem Musis*, ταῖς Μούσαις μεμνημένον. Scaliger ex veteris libri lectione *Musis memorem*, legendum censet, *Musis meliorem*, & haud dubitat quin verum sit. hoc est εὐμουσότερον, χαριέστερον, γλαφυρότερον, ut mollis carminis palmam Philetæ deferat. hæc ille. De Phileta Quintilianus lib. 10. ubi principem Elegiæ facit Callimachum, secundas autem tribuit Philetæ. Strabo lib. 14. inter Coos viros illustres memorat Hippocratem Medicum, & Philetam Poetam. Athenæus lib. 9. cap. 23. Philetam vigiliis & macie confectum interiisse scribit, quam ex quæstiunculis ipsi propositis contraxisset. Ælianus lib. 9. V. H. insigni gracilitate fuisse ait, ideoque suppactum solum calceorum ferro habuisse, ne a vento raperetur. plumbo, legitur apud Athenæum lib. 12. cap. 29. Meminit idem lib. 10. Noster Eleg. 1. & 7. lib. 3. Philetam cum Callimacho conjungit, ut hic. Item Ovidius 3. A. A.

Sit tibi Callimachi, sit Coi nota poetæ
Musa. PASS.

v. 32. ET NON INFLATI SOMNIA CALLIMACHI] Videtur dicere, Satius imitere somnia Callimachi non inflati, non tumidi & ampullantis, sed exilis; ut somnia quædam Callimachus scripserit in Elegiis. Noster quoque somnia sua narrat Eleg. 26. sup. Eleg. 3. lib. 3. & Eleg. 7. lib. 4. Sed Scaliger distinguit: Et non imitere somnia Callimachi inflati: & somnia exponit τὰ αἴτια, opus Callimachi obscurum. unde Martialis dixerit, *Legas Ætia Callimachi*, de eo qui obscuris delectabatur. Somnia autem vocat, quia scripturus antiquissimas historias, & ab hominum memoria remotissimas, somniavit se intervenisse Musarum cœtui, & edoctum de iis rebus obscurissimis. idque probat Epigrammate Græco. Lynceum igitur dehortatur Noster ab Ætiis Callimachi, in quibus inflatus est, quæ is imitari studebat; ut ostendunt quæ sequuntur de Acheloo, Mæandro, Archemori funere. Hæc Scaliger. PASS.

v. 33. NAM RURSUS LICET ÆTOLE REFERAS ACHELOE FLUXERIT UT MAGNO FRACTUS AMORE LIQUOR] Scaliger legendum putat *Num*. Num tibi licet, inquit, rursus referre quæ retulit olim Callimachus? quasi dicat, minime. Retineri tamen potest

Nam,

Atque etiam ut Phrygio fallax Mæandria campo
Errat, & ipsa suas decipit unda vias.
Qualis & Adrasti fuerit vocalis Arion
Tristia ad Archemori funera victor equus.

Am-

Nam, ut ἀπὸ κοινοῦ repetatur, quod sequitur, *Quid prosunt?* Scaliger τὸ *licet* accipit quasi verbum: ego pro quamvis, & subauditur, tamen. *Liquor Acheloi*, Achelous ipse liquidus, utpote fluvius. dixi ad Elegiam 6. lib. 1. v. 32. *Ætoli*. Strabo lib. 7. & 8. Acheloum per Acarnaniam, & Evenum per Ætoliam fluere ait. Idem lib. 10. ab Acheloo dirimi Acarnaniam & Ætoliam ait, & allatis versibus Sophoclis e Trachiniis narrat vulgatam fabulam de certamine Herculis & Acheloi ob amorem Deïaniræ, & refert ad historiam. Acheloum scilicet fluvium coërcitum ab Hercule aggeribus, quum agros inundasset, & siccata quæ stagnassent, in gratiam Oenei. Ætolia regio Græciæ, Epiro & Acarnaniæ finitima, dicta ab Ætolo Jovis filio; ut Plinius: vel Endymionis filio; ut Stephanus & Eustathius. De Acheloi & Herculis certamine Ovidius lib. 9. Metam. Pausanias in Laconicis, Apollodorus lib. 2. & Hyginus Fab. 31. *Fluxerit fractus amore magno*. mollior & lenior ierit, se confessus domitum & victum. Vide adnotata ad Eleg. 1. sup. v. 31. & 32. Alludit simul ad fractum cornu Acheloi. & *fractus amore* ambigue: quia & amor eum domuit, & Hercules ipse amans. PASS. *Fluxerit a. m. f. a. l. Luxerit* videtur legendum, non *Fluxerit*. Sane sortem suam *gemitu luget* Achelous apud Ovidium L. 8. & 9. Metam. *queritur* apud eumdem L. 3. Amor. Eleg. 6. *mœret* apud Papinium L. 4. Thebaid. *pudibundus* est apud Boethium L. 4. de Consol. Philos. Carmine ult. BROUKH.

v. 35. ATQUE ETIAM UT PHRYGIO FALLAX MÆANDRIA CAMPO ERRAT, ET IPSA SUAS DECIPIT UNDA VIAS] Ovidius Epist. Deïaniræ:

Mæander, toties qui terris errat in iisdem;
Qui lapsas in se sæpe retorquet aquas;
Vidit in Herculeo suspensa monilia collo.

De flexibus Mæandri, qui per Phrygiam labitur, Strabo lib. 12. qui subjungit, flexus omnes ab eo Mæandros dictos, & campos quosdam juxta Cariam & Lydiam, Mæandri campos. vide & Plinium lib. 2. cap. 85. & lib. 5. cap. 29. Ausonius in Monosyllabis:

Mæandrum flexusque vagos imitata feror ξ.

Hinc picturæ genus flexuosum Mæander. Virgilius 5. Æneid.

Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit.

Fallax decipit, δὶς τὸ αὐτό. ut Virgilius 6. Æneid. *Fallax delusit Apollo*. & Noster Elegia 14. lib. 3. *Errantia lumina fallunt*. *Vias suas*, fallit & frustratur cursus suos. nam currere quum putat in mare Mæander, unda ipsa recurrit quasi ad fontem. *Via*, de cursu & alveo fluminis: ut Eleg. 21. lib. 3.

Et qua septenas temperat unda vias. PASS.

v. 37. QUALIS ET ADRASTI FUERIT VOCALIS ARION TRISTIA AD ARCHEMORI FUNERA VICTOR EQUUS] Apollodorus lib. 3. Ἄδραστον δὲ μόνον ἵππος διέσωσεν Ἀρείων· τοῦτον ἐκ Ποσειδῶνος ἐγέννησε Δημήτηρ εἰκασθεῖσα Ἐριννύϊ κατὰ τὴν συνουσίαν. id est, *Adrastum vero solum equus Arion servavit. hunc Ceres in Erinnyis formam conversa ex Neptuni concubitu genuit*. Hinc explicandus Ovidius 6. Metam.

Et te (Neptune) flava comas, frugum mitissima mater
Sensit equum: te sensit equum crinita colubris
Mater equi volucris.

Adrastaum Arione vocat Statius lib. 1. Silv. in Equo Domitiani. Hunc equum dono dedit Adrasto Neptunus, ut scribit Probus. Vide Pausaniam in Arcadicis, ubi de illo plura. Homerus Iliad. 23. in funere Patrocli, Arionis hujus meminit, atque, ex deo genitum. *Vocalis* autem dicitur, quia humana voce præditus. Tibullus pariter Eleg. 5. lib. 2.

Fataque vocales præmonuisse boves.

Sic Achillis equo Xantho sermonem humanum tribuit Homerus in calce lib. 19. Iliad. ubi Achilli mortem prædicit. Statius lib. 6.

The-

Amphiaraëæ nil prosunt fata quadrigæ,
Aut Capanei magno grata ruina Jovi.

De-

Thebaid. narrat, ut Arion excusserit Polynicem rectorem, quem invitum gerebat, requirens dominum Adrastum. ideo hic *tristis* etiam in victoria dicitur, quum tamen ea lætos efficiat. *Victor*, inquam, *equus* ipse per se sine rectore: sed tamen Amphiarao, & ipsius equis data palma. Ad funera *Archemori*; id est, in ludis funebribus. *Ad*, apud, in. ut Eleg. 28. *Ad infernos lacus*. Lycurgus rex Nemeæ sustulit filium ex Eurydice uxore Opheltem. ejus nutrix erat Hypsipyle, quæ quum fontem Adrasto & sociis monstratum iisset, puerum in apio deposuit, ne terram tangeret, quod oraculo prohibebatur. Interea draco fontis custos puerum devoravit. Adrastus & socii dracone interfecto puerum Archemorum vocarunt, & ei ludos funebres instituerunt. Hæc Nemeorum origo Apollodoro lib. 3. Statio lib. 6. Thebaid. Pindaro in Nemeis, Hygino Fab. 74. & 273. qui Lycum, non Lycurgum vocat patrem Archemori. Pass. *Adrasti fuerit*. *Adrastum tulerit*, Heinsius. recte. *Vocalis Arion*. recte *vocalis*: erat enim vates, & fata præcinebat. Statius lib. 6. Thebaid. *præsagum* vocat; & L. 8. *fata monentem*; ubi Lutatius: *quia Arion filius Neptuni divinabat*. Sed de eo equo plena manu Barthius ad quartam Thebaida v. 43. & Jac. Nicolaus Loënsis L. 5. Epiphyll. C. 6. cujus viri utilissimos labores non magis esse in ore Famæ, mirum & indignum. *Tristia ad Archemori funera victor equus*. Passeratius dicit, (& Papinium laudat auctorem) Arionem excussisse Polynicem rectorem, quem invitus gerebat, & requisivisse dominum Adrastum: ideo hic *tristem* etiam in victoria dici, quum tamen lætos ea reddere soleat. hunc tam insignem viri magni lapsum alba linea probarunt alii, & verbum de verbo exscripsit .... Commentator Parisinus. tamen nihil tale Papinius, quem juverit ipsum *legere* L. 6. & videre deum in machina:

At tibi promissos jam dudum Phœbus honores,
Amphiaraë, cupit. &c.

sed Passeratium sua decepit memoria, & præterea lectio depravata. non enim *tristis* hic scripserat poeta, sed *tristia*: quod corruptum fuit ob vocem proximam *ad*, creberrimo in talibus errore. Triste illud Archemori funus, & superbos in funere ludos, amplissimo apparatu libb. 5. & 6. descripsit Papinius, usque ad reprehensionem ambitiosus. possis etiam e Nostro colligere, operosam in eadem re fuisse Pontici diligentiam. qua utinam hodie frui liceret, & intercidissent potius quorumdam posteriorum deliciæ Aphrodisiæ. Broukh. *Vocalem* appellat Propertius *equum Arionem*, quod vocem humanam mitteret. Ceterum animalia rationis expertia *muta* dicuntur a scriptoribus, ut videre est apud Juvenalem Sat. 8. v. 56. a Varrone autem lib. 1. de R. R. cap. 19. & alibi, *semi-vocalia*. V.

v. 39. Non Amphiareæ prosunt tibi fata quadrigæ] Corrigit Scaliger:

Non non Amphiaraeæ tibi fata quadrigæ
Prosunt, aut Capanei grata ruina Jovi.

Fabulam Amphiarai exposuimus ad Eleg. 16. sup. v. 29. *Fata quadriga*, fatales equi, & devoti Diis Manibus cum ipso domino. ut Eleg. 13. sup. *Longæva fata senecta*. *Amphiaraea* dictum, ut Eleg. 1. sup. *Ptolemæea*. quadrigas autem non tribuit Amphiarao Statius lib. 2. sed bigas; ipsosque equos vocat Æschetum & Cygnum. *Quadriga* numero singulari, ut Eleg. 7. lib. 3.

Sunt quibus Elea concurrit palma quadriga.

Licet Charisius lib. 1. bigas & quadrigas numero tantum multitudinis agnoscat. ut & Varro lib. 9. de L. L. A. Gellius lib. 19. cap. 9. in fine: *Quod unum*, inquit, *rarissimum videbatur, invenimus quadrigam numero singulari apud M. Varronem in libro Satyrarum*. Sed & Plinius sæpe utitur voce *quadriga*: & Jurisconsulti de ædilitio edicto, *biga* & *quadriga*. Servius in 7. Æneid. ad illud: *Lævaque ancile gerebat*; *Quadriga*, inquit, *fictilis fuit inter septem fata urbis Romæ*. De equis Amphiarai una cum domino absorptis hiatu terræ, Statius lib. 7. sub finem. P. --- Pentameter versus iisdem omnino verbis legebatur in codice Mureti; hexameter autem ita erat conceptus:

Amphiaraea nil prosunt tibi fata quadriga.

unde si quis sustulerit *tibi*, probabilem scriptu-

pru-

Desine Achilleo componere verba cothurno,
Desine, & ad molles membra resolve choros.

In-

pturam fecerit. ---- Non video cur dubites de proba illa Mureti restitutione, postquam uccessit nostrarum membranarum fides, & sic puto sanus erit locus mire ac misere interpolatus. BROUKH.

v. 40. AUT CAPANEI MAGNO GRATA RUINA JOVI] Crasis *Capanei*, ut Eleg. 31. sup. *Persei*. Capanei fabulam attigimus ad Elegiam 15. lib. 1. ubi de Evadne illius uxore. Capaneus Hipponoi filius, unus e septem ducibus ad Thebae. vide Apollodorum lib. 3. Euripidem in Phœnissis, Statium in fine lib. 10. Thebaid. Ait *ruinam gratam Jovi*, quia deos, ipsumque adeo Jovem lacessebat Capaneus. vide Hyginum Fab. 68. Ovidium lib. 5. Trist. Eleg. 4. Junium Prov. 28. Cent. 8. e Philostrato. Locus est Vegetii memorabilis lib. 4. R. M. cap. 21. *Qui scalis nituntur* (in oppugnatione) *frequenter periculum sustinent, exemplo Capanei, a quo primum hac scalarum oppugnatio perhibetur inventa: qui tanta vi occisus est a Thebanis, ut extinctus fulmine diceretur*. PASS. Cave ne prætermittas legere quæ scribit Dantes Aligherius Inferni Cantu 15. de superbia Capanei, loco admirabili, & plane divino. VULP.

v. 41. DESINE ET ÆSCHYLEO COMPONERE VERBA COTHURNO] Stylo tragico scribere. Æschylus enim, poeta tragicus satis notus, quum & ejus aliquot exstent Tragœdiæ, & factum memorabile fuerit; de quo vide Plinium lib. 10. Horatius in Epist. ad Pisones:

Post hunc (Thespin) *personæ, pallæque repertor honestæ*
Æschylus, & modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.

Virgilius Ecl. 8. meminit *cothurni Sophoclei*. Cothurnum Suidas ἀμφιδέξιον, id est utrique pedi aptum, & viris ac mulieribus communem, & τετράγωνον fuisse scribit. *Componere verba cothurno*. versum scribere grandiloquum & tragico stylo; ut contra Eleg. 7. lib. 1. *Mollem componere versum*. compositio, verborum ipsa collocatio, pars elocutionis. vel *componere*, facere & novare verba. Cicero 3. de Orat. *Novantur & efficiuntur verba, quæ gignuntur ac fiunt, vel conjungendis verbis, & componendis, ut expectorat, & versutiloquus*. ita verba componunt Tragici, λογοδαίδαλοι nimirum & verborum opifices. inde τραγῳδεῖν, & Plauto *paratragœdiari*. Horatius Epist. 3. lib. 1.

An tragica desævit & ampullatur in arte?

vide Junium Prov. 53. Cent. 4. PASS. *Desine & Æschyleo c. v. c.* Abstine a magnificis verbis, cujusmodi sunt ea quæ in Æschyli Tragœdiis occurrunt. Aristophanes in Βατράχοις v. 1036. verbis Chori ad Æschylum:

Ἀλλ' ὦ πρῶτος τῶν Ἑλλήνων πυργώσας ῥήματα σεμνά,
Καὶ κοσμήσας τραγικὸν λῆρον, θαῤῥῶν τὸν κρουνὸν ἀφίει.

Jamque age qui primus Græcorum construxisti magnifica verba, Et Musam exornasti tragicam, audacter torrentem emitte sonorum. V. Liber Scaligeri, *Desine Achilleo c. v. c.* reliqui, tamquam in Velabro olearii, *Desine & Æschyleo*. frustra: nam epos scribebat Ponticus, non drama. Scaliger dicit, intelligi Tragœdiam Achillem. ejus Tragœdiæ mentio est apud Plautum Prol. Pœnuli. vertebat Ennius, auctore Festo. vide A. Gellium L. 4. C. 17. sed revera intelligitur æternum illud Homeri opus Ilias, ubi Achilles utramque paginam facit. adde quod Ponticum Noster Homero contulerit L. 1. Eleg. 7.

Atque, ita sim felix, primo contendis Homero.

Cothurnus transfertur etiam ad poemata Epica. Ideo Martialis Epigr. 5. lib. 5. & 62. lib. 7. appellavit *Maronem cothurnatum*. BROUKH.

v. 42. DESINE, ET AD MOLLES MEMBRA RESOLVE TOROS.] Membris resolutis & victis jace in mollibus toris. *Resolvunt membra*, qui reclinant ea dormituri. Virgilius 6. Æneid. de Cerbero: *Immania terga resolvit Fusus humi*. Petronius Arbiter: *Premebat illa resoluta marmoreis cervicibus aureum torum*. *Ad molles toros*. in mollibus lectis. *Ad* pro in, ut paullo ante, *Ad Archemori funera*. Vetus liber, *Choros*; inquit Scaliger. ergo membra resolve, id est, subige, & habilia redde ad choros molles;

Incipe jam angusto versus includere torno:
Inque tuos ignes, dure poeta, veni.
Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero.
Despicit & magnos recta puella deos.

Sed

quia duo chorearum poeticarum genera, ut adnotatum ad Eleg. ти. sup. v. s. Potest & exponi *resolve membra ad choros*, choreas ducendo lassa; ut Eleg. 3. lib. т. *Assiduis Edonis fessa choreis*. PASS. *Choros*, etiam Editio princeps. VULP.

v. 43. INCIPE JAM ANGUSTO VERSUS INCLUDERE TORNO] Simili allegoria dixit Eleg. 1. lib. 3.

Exactus tenui pumice versus eat.

Ex angusto torno, angusti versus intelliguntur; ut Eleg. 1. sup. *Angusto pectore Callimachus*. nempe, tenui spiritu. Eadem translatione dicitur ab Horatio in Epist. ad Pisones;

Et male tornatos incudi reddere versus.

Cicero de Universitate: *Idque ita tornavit, ut nihil possit effici rotundius*. Lucanus in Panegyrico:

Hinc exornata figuris
Advolat excussa velox sententia torno.

Τόρνος & τορνευτήριον, fabrile instrumentum, quo lignum vel ebur rotundatur & politur. hinc τορνεύειν, quod Latine tornare, Virgilius Ecl. 3.

Lenta quibus torno facili superaddita vitis.

Appulejus de Mundo: *Ut in tornando artifex solet materiam forcipe comprehensam reciproco volumine rotundare*. Scaliger negat, recte dici versum includi torno; & in vet. lib. legi ait *componere*. ego contra id quod tornatur ajo intra tornum recte dici, & torno rotundari. Sic Cicero 3. de Orat. *Includere verba versu*. PASS. *componere* habet noster secundus: *includere* primus, Groninganus, Regii, Colbertini cum editione Veneta. ---- altero abhinc versu habuimus *componere*. quæ repetitio nimis foret vicina. est autem translatio gemina in re una. qualis & hæc Horatii in Arte Poetica;

delere jubebat,
Et male tornatos incudi reddere versus.

BROUKH.

v. 44. INQUE TUOS IGNES, DURE POETA, VENI] Incipe uri, & cantare ardorem tuum. sic proprie Catullus Carm. 36. *At vos interea venite in ignem, Annales Volusi*. Statius 12. Thebaid. *Sævos media veniemus in ignes*. Translate Terentius Eunucho: *Accede ad ignem hunc, & incalesces plus satis*. *Tuos ignes*, amores; ut dictum ad illud Eleg. 6. lib. 1. *Totis argutat noctibus ignes*. *Dure poeta*, qui res asperas & difficiles versibus mandas. Ita Statius lib. 5. Silv. in Epicedio patris:

Tenderet & torvo pietas æquare Maroni.

vide ad Eleg. т. sup. v. 41. PASS. Petrus Scriverius malebat, *Dure poeta*, Animadv. ad libr. Spectac. Epigr. 31. deceptus puto Græco Lyncei nomine. *Dure*, inquit Passeratius, qui res asperas & difficiles versibus mandas. cave credas. *durum* vocat, eo quod aversior ab amoribus, & deditus philosophiæ studiis. Vide jam plus semel laudatas libri primi Elegias. *duri* contrarium est *facilis*. Tibullus L. 1. Eleg. 3.

Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,
Ipsa Venus campos ducet in Elysios. BROUKH.

v. 45. TU NON ANTIMACHO, NON TUTIOR IBIS HOMERO] Non Antimachus & Homerus te tuebuntur & defendent ab Amoris telis. *Ibis*; vel prodibis in publicum, vel eris; ut venire, pro esse. Sic Eleg. 1. sup.

Gaudet laudatis ire superba comis.

τῷ *Antimacho*, septimo casu. De eo poeta vide judicium Quintiliani lib. 10. cap. 1. & Plutarchum in Lysandro. Cicero in Bruto: *Hic*, inquit, *cum magnum illud* (Thebaidus) *volumen suum convocatis auditoribus legeret, & ab omnibus desereretur: Legam*, inquit, *nihilominus: nam Plato unus mihi erit instar omnium*. Aliquot ejus versus profert Pausanias in Arcadicis. Suidas eum ait XXIV. volumina perscripsisse, antequam VII. Duces Thebas perduceret. Catullus Carm. 93. de eodem:

At populus tumido gaudeat Antimacho. PASS. Passeratius: *Non Antimachus & Homerus te defendent ab Amoris telis*. pudet, & dictum nollem. alii multa de ætate Antimachi, tumore styli, vasto Thebaicorum opere

con-

Sed non ante gravi taurus succumbit aratro,
Cornua quam validis hæserit in laqueis.

Nec

congerunt ; quæ non magis huc faciunt, quam si cucurbitas pingerent. Poetæ mens est, To non eris totior ab amore, o Pontice, quam Antimachus fuit, quamvis Homerus. exstat luculentum & bene longum fragmentum Hegesianactis apud Athenæum L. 13. unde hic Nostri locus explicari debet. ibi disces multa non protrita de amoribus veterum poetarum, præsertim vero Antimachi atque Homeri. Ovidius quoque tetigit L. 1. Trist. Eleg. 5.

Nec tantum Claris Lyde dilecta poetæ.

& jam ante duo secula ex Scholiaste Apollonii, Herodoto, aliis, docuerat Ptolomæus Flavius cap. 98. Conjectaneorum. quamquam is non videtur Athenæum legisse. BROUKH. Lyden Antimachi, amatorium poema, commemorat Scholiastes Apollonii Rhodii, ad versum 410. lib. 3. Argonaut. VULP.

v. 46. DESPICIT ET MAGNOS RECTA PUELLA DEOS] Quia recta & pulchra, ideo superba. ut Eleg. 28.

Semper formosa non nostis parcere verbis.

Magni dii tribus modis dicuntur; uno quum omnes dii hoc ornantur epitheto. Catullus Carm. 14.

Dii magni, horribilem & sacrum libellum!

Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 6.

Credo etiam magnos, quo sum tam turpiter usus,
Muneris oblati pœnituisse deos.

Altero modo quum dii majorum gentium intelliguntur, ut illi XII. Ennianis versibus inclusi; de quibus Virgilius 3. Æneid. *Penatibus, & magnis diis.* Tertio quum divi potes significantur. δυνατοὶ θεοί. Varro 4. de L. L. Ibidem: *Ops & Saturnus, id est Cælum & Terra, dii magni.* PASS. *recta puella*, quæ in nullam partem inflectitur, quæ non movetur timore deorum. *qui va son train.* Horatius L. 2. Epist. 1.

Securus, cadat, an recta stet fabula talo.

Aliud est illud ejusdem L. 1. Sat. 2. de puella: *Candida, rectaque sit.* quod in errorem duxit Passeratium, exponentem hic, *quia recta & pulchra, ideo superba.* BROUKH. Prior Catullus dixerat de Quintia Carm. 85. *Mihi candida, longa, Recta est.* Sed nihil ad Propertium. Hoc loco *recta puella*, est superbiæ, confidentiæ, arrogantiæ plena, cujus indicium solet esse facies erecta. Eliphaz Themanites apud Jobum cap. 15. v. 26. ita de impio Deum contemnente: *Tetendit enim adversus Deum manum suam, & contra Omnipotentem roboratus est. Cucurrit adversus eum erecto collo.* Et Cicero lib. 2. de Orat. indoctos quosdam caussidicos insectatus: *Erectum*, inquit, *& celsum, alacri & prompto ore huc atque illuc intuentem vagari magna cum caterva toto foro.* Græci dicunt, ὀρθὸς βαίνειν, Itali in Etruria, *andare intero.* *Statum rigidum, vultumque erectum hominis* memorat Minucius Felix in Octavio. Vel *rectas oculos* intellige, sive irretortos. de quibus Noster Eleg. 15. lib. 1.

Et contra magnum potes hos attollere Solem?
Nec tremis admissæ conscia nequitiæ?

Theocritus Eidyllio 5. v. 35. Μέγα δ' ἄχθομαι, εἰ τύ με τολμῇς Ὄμμασι τοῖς ὀρθοῖσι. quod proterviæ signum. Quapropter Horatius Epist. ad Pisones adolescentem vocat *sublimem.* Vel puellæ tribuit poeta magnitudinem animi, eamque inducit ἀκατάπληκτον. Sic Albinovanus ad Liviam: *Tenuisse animum contra sua secula rectum.* Cicero pariter lib. 2. ad Attic. Epist. 24. *Nos tamen his miseriis erecto animo, & minime perturbato sumus.* Et Cornelius Nepos in Themistocle: *Quæ contumelia non fregit eum, sed erexit.* Hirtius de Bello Afr. cap. 10. *Animum enim altum & erectum præ se gerebat.* *Recta* vero pro *erecta.* nam id moris habet poeta Umber, ut pleraque verba per aphæresin deminuat; quod ante me animadvertit Lipsius lib. 3. Var. Lect. cap. 10. VULP.

v. 47. SED NON ANTE GRAVIS TAURUS SUCCUMBIT ARATRO, CORNUA QUAM VALIDIS HÆSERIT IN LAQUEIS] Similis comparatio est Eleg. 3. sup. v. 47. & Eleg. 5. lib. 1. v. 12. *Taurus gravis*, an vastæ molis & ponderis? ut Horatius dixit Ode 5. lib. 2. *Tauri ruentis In Venerem tolerare pondus.* An *gravis*, acer, fortis? ut Virgilius 10. Æneid. *It gravis Aulestes.* *id est, fortis*, inquit Servius; *ut Ferit ense gravis Thymbræus Osirin.* & Virgilio 1. Georg. *For-*

Nec tu tam duros per te patieris amores.
Trux tamen a nobis ante domandus eris.
Harum nulla solet rationem quærere mundi,
Nec cur fraternis Luna laboret equis:

Nec

tes tauri. Sane *graves* boves vocantur Varroni lib. 1. R. R. cap. 20. An legendum *gravi aratro?* ut Horatius in A. P. *Grave sentit aratrum*. & Virgilius 1. Georg. *Grave robur aratri*. *Succumbit cornua aratro*. cornua & cervicem submittit jugo ad aratrum ducendum. verbo neutro vim agendi tribuit. ut sup. Eleg. 22.

Juppiter Alcmenæ geminas requieverat Arctos. *Quam validis haserit in laqueis*. firmissimis vinclis captus & irretitus sit, ut assuescat ferre jugum. Tangit domituram boum, de qua Varro lib. 1. R. R. cap. 20. & Virgilius 3. Georg. ubi non validis laqueis, sed tenuibus & vimineis circulis vult domari. Sed illic agit de adhuc vitulis, non jam gravibus tauris. *Haserit*. hic proprie. translate sup. Eleg. 3. sumitur. ubi vide adnotata. PASS. *Haseris cornua*, pro *haserit cornibus*, Græco more. BROUKH. Memorat fortasse Propertius eam arandi rationem, quam tantopere improbat Columella lib. 2. R. R. cap. 2. *Nam illud, quod in quibusdam provinciis usurpatur, ut cornibus illigetur jugum, fere repudiatum est ab omnibus qui præcepta rusticis conscripserunt; neque immerito: plus enim queunt pecudes colla, & pectore conari, quam cornibus*. Bene iccirco Virgilius, qui 3. Georg. juvencos jugum collo aliquando laturos, ab hac pariter disciplina incipere jubet, ut collum vimineis torquibus impeditum gerant. VULP.

V. 49. NEC TU TAM DUROS PER TE PATIERIS AMORES] Tam grave servitium & jugum tua sponte non feres. *Duri amores*, ut Eleg. 3. lib. 1.

Hac Amor, hac Liber, durus uterque deus. P.

V. 50. TRUX TAMEN A NOBIS ANTE DOMANDUS ERIS] Subauditur, Licet. Licet trux, tamen domandus eris. vide Eleg. prox. sup. v. 39. Vel *tamen*, pro, sed; ut Eleg. 17. lib. 3.

Non tamen immerito Minos sedet arbiter Orci. Quod Eleg. 6. sup. *Sed non immerito*, dixit. *Trux*, ferus vultu. Horatius Epodo 5. *Vultus in unum me truces*. fortasse ab *atrox*, detritâ litterâ. Idem fere significat *truculentus*. PASS.

V. 51. HARUM NULLA SOLET RATIONEM QUÆRERE MUNDI] Verbum philosophorum *Quærere*, ut Græce ζητεῖν, & ζητήσεις καὶ ζητήματα. unde *Venator naturæ Physicus* M. Tullio lib. 1. de N. D. *Rationem mundi*, *vias rerum* dixit sup. hac Eleg. v. 28. Per mundum vel τὸ πᾶν, vel τὸν οὐρανὸν intelligit. PASS. Huc pertinent verba Quintiliani lib. 1. I. O. cap. 10. *Quid? quod si eadem geometria tollit ad rationem usque mundi, in qua, quum siderum certos constitutosque modos numeris docet, discimus nihil esse inordinatum atque fortuitum*. Cicero quoque Orat. 2. in C. Verrem: *Novus astrologus, qui non tam cæli rationem, quam cælati argenti duceret*. *Harum nulla s. r. q. m.* Adolescenti mihi olim versus hi videbantur luxati. nesciebam enim, quo referendum esset τὸ *harum*. Sic autem concinnabam:

Nec tu tam duros per te patieris amores.
Trux tamen a nobis ante domandus eris.
Aspice me, cui parva domi fortuna relicta,
Nullus & antiquo Marte triumphus avi;
Ut regnem mixtas inter convivæ puellas
Hoc, ego quo tibi nunc elevor, ingenio.
Harum nulla solet rationem quærere mundi,
Nec cur fraternis Luna laboret equis.
Nec si post Stygias aliquid restaverit undas,
Nec si consulto fulmina missa tonent.
Me juvet hesternis &c. VULP.

V. 52. NEC CUR FRATERNIS LUNA LABORET EQUIS] Laborare dicitur Luna quum deficit. Virgilius 2. Georg.

Defectus Solis varios, Lunæque labores.

Juvenalis Sat. 6.

Una laboranti poterit succurrere Lunæ.

Cicero lib. 2. de Divinat. *Luna quum e regione Solis facta incurrit in umbram terræ, necesse est eam obscurari*. *Fraternis equis*. ob equos fraternos, hoc est, currum Solis, & lumen quod tunc non accipit terræ interventu. Virgilius 1. Georg.

.. Solis radiis obnoxia surgere Luna.

De

Nec si post Stygias aliquid restabit ad undas,
Nec si consulto fulmina missa tonent.
Adspice me, cui parva domi fortuna relicta est,
Nullus & antiquo Marte triumphus avi:

Ut

De Solis equis Eleg. 15. sup. v. 32. P.

v. 53. NEC SI POST STYGIAS ALIQUID RESTAVERIT UNDAS] An post mortem aliquid e nobis superfuerit, ac non una cum corpore sensus omnis exstinctus sit. *Unda Stygia*, pro morte, ut Eleg. 9. sup.

Quum capite hoc Stygiæ jam peterentur aquæ.

Restaverit, obsoletum præteritum. sic apud Persium Sat. 5. *Vetavit*. Apud Ciceronem Epist. 8. lib. 1. ad famil. *Otium ii qui potiuntur rerum, præstaturi videntur*. & D. Brutus Epist. 9. lib. 11. ad famil. *Utrumque me præstaturum spero*. & alibi sæpe. Altera lectio:

Nec si post Stygios aliquid restabit ad undas.

id est, an post mortem umbra ad Stygios lacus errabit. qua de re Virgilius 6. Æn. *Ad*, pro apud: dixi alibi. τὸ *aliquid*, ut Ovidius in Epicedio Tibulli:

Si tamen e nobis aliquid, nisi nomen & umbra,
Restat.

Noster Eleg. 7. lib. 4. *Sunt aliquid Manes*. De hac sententia Epicuri Lucretius lib. 3. PASS. Loquitur ex mente Epicureorum, quæ tum philosophia in deliciis erat. videndus Seneca Troad. Choro 4. BROUKH.

v. 54. NEC SI CONSULTO FULMINA MISSA TONENT] Sic fere Seneca in Hercule Oetæo: *Aut quale mundo fulmen emissum tonat*. *Consulto*, adhibito consilio ac ratione. Sic Cicero lib. 1. de Legib. *Tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea quæ gignuntur donata consulto, non fortuito nata videantur*. Eadem mente Noster dixit Elegia 16. sup. v. 52.

Nec sic de nihilo fulminis ira cadit.

Temere autem ista fieri, & bruta esse fulmina quidam putabant, ut Iarbas apud Virgilium 4. Æneid. Servius in illud 2. Æneid. *Fulminis adflavit ventis*, ponit tria fulminum genera, quod afflat, quod incendit, quod findit. Festus: *Fulmen a fluore flammæ*. Varro 4. de L. L. *Fulmen & fulgur a fulgore*. De fulmine, ejusque vi ac natura lege Lucretium lib. 6. Virgilium lib. 8. Æneid. Ciceronem lib. 2. de Divinat. Plinium lib. 2. cap. 51. & sequ. & lib. 31. cap. 1. præcipue vero Senecam lib. 2. Nat. Quæst. cap. 12. & sequ. Adde Plutarchum Sympos. Quæst. 2. PASS.

v. 55. ADSPICE ME, CUI PARVA DOMI FORTUNA RELICTA EST, NULLUS ET ANTIQUO MARTE TRIUMPHUS AVI] Duo significat, neque se divitem admodum, neque nobilem; ut Eleg. 24. sup.

Certus eras eheu, quamvis nec sanguine avito
Nobilis, & quamvis non ita dives eras.

unde *tenues lares* vocat Eleg. 1. lib. 4. Elegia vero 6. lib. 1. de se ipso: *Quem semper voluit fortuna jacere*. Ceterum *fortuna* pro fortunis. An *Fortuna domi* conjunctim, ut *domi* nomen sit? Virgilius 4. Georg.

At genus immortale manet, multosque per annos
Stat fortuna domus, & avi numerantur avorum.

Domi, pro domûs; ut Terentius Eun. *Domique focique fac memineris*. *Triumphus avi*. sic *patrius triumphus* Eleg. 7. sup. v. 13. & *avita tropæa* Eleg. ult. lib. 4. *Antiquo Marte*, vel nobili & celebri, ut Eleg. 1. sup. v. 29. *Focos antiquæ gentis Etruscæ*. vel olim gesto bello, ut Eleg. 32. *Post antiquas Deucalionis aquas*. Ita Virgilius 1. Æneid. *Veterisque memor Saturnia belli*. PASS. *Cui p. d. f. r. est*. τὸ *est* non apparet in quibusdam libris, neque hic valde requiritur. BROUKH. *Cui parva domi fortuna relicta est. Nullus & a. M. triumphus avi*. Ne sic accipias, quasi Propertius, præter amplum patrimonium, triumphalia quoque majorum monumenta possederit prima ætate, deinde vendita paterna domo habere atque ostentare desierit: verum, ut res habet, quasi fuerit ignobilis, nempe nullum habuerit inter majores qui vel triumphaverit, vel curules magistratus gesserit. Puto, equitis Romani locupletis filium fuisse: quamquam deinde ob bella civilia prædiis ingentibus, & amplo patrimonio spoliatus fuit. Mathematicus quidam sic eum alloquitur Eleg. 1. lib. 4.

Nam

Ut regnem mixtas inter conviva puellas
Hoc, ego quo tibi nunc elevor, ingenio.
Me juvet hesternis positum languere corollis,
Quem tetigit jactu certus ad ossa deus:

Actia

Nam tua quam multi versarent rura juvenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.

Relictus ponitur aliquandu pro hereditate accepta & datu: Cato in Originibus apud A. Gellium lib. 3. cap. 7. *At tribuno militum parva laus pro factis relicta.* Aliter locutus Cornelius Nepos Epaminonda: *Pauper jam a majoribus relictus.* VULP.

v. 57. UT REGNEM MIXTAS INTER CONVIVA PUELLAS HOC, EGO QUO TIBI NUNC ELEVOR, INGENIO] Plautinus sermo, Aspice me, ut regnem. sic Pseud. 5, 2. *Nonne vides me, ut madide madeam?* & Aulul. 1, 1. *Me me observare possis, quid rerum geram.* Addit, *ego*, ut alterum vacet. Idem Plautus Pseud. 5, 2. *Hoc ego nunquam ratus sum fore me, ut tibi fierem supplex.* *Mixtas puellas*, viris scilicet. Horatius Ode 11. lib. 4. *Huc & illuc Cursitant mixta pueris puella.* vel est hypallage, pro ego mixtus inter puellas regnem. Quid hic regnare, dictum ad Eleg. 16. sup. v. 18. *Hoc, quo tibi elevor, ingenio.* pro, a te. ut Eleg. 33. sup.

Cur tibi tam longè Roma petita via est?

Elevari, minoris fieri, contemni. ut Eleg. prox. sup.

Elevat assiduos copia longa viros.

Ingenium autem sibi sæpe tribuit. ut Elegia 7. lib. 1. v. 21. Eleg. 24. sup. v. 23. & Eleg. 1. lib. 4. v. 66. PASS. *Ut regnem conviva.* Lucianus pariter Dial. meretr. Mitria & Philinnæ: Τὴν Θαΐδα ἐᾶν τυραννεῖν τὸ συμπόσιον. In qua re quis excellit, in ea regnare dicitur. Cicero lib. 7. ad Attic. Epist. 1. *Aquillius illud suum regnum judiciale opposuit.* VULP.

v. 59. ME JUVET HESTERNIS POSITUM LANGUERE COROLLIS] Ita legit Lipsius lib. 2. Antiqu. Lect. cap. 10. ex vet. lib. Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 6.

Nostra tamen jacuere, velut præmortua, membra
Turpiter hesternâ languidiora rosâ.

Sententia erit: In rosa & inter flores lentum jacere, & hesterno venas inflatum Baccho, hoc ego vitæ genus amplector. Si *æternis* retinemus; quod vulgo legitur; erit nomen pro adverbio *æternum*. sic Elegia 5. lib. 3. dixit:

Me juvat & multo mentem vincire Lyæo,
Et caput in verna semper habere rosa.

Inepte quidam legit:

Me juvet æternum positis languere corollis.

Positum, eodem sensu dixit, quo Eleg. 8. sup. v. 5.

Possum ego in alterius positam spectare lacerto!

Languere, fractum esse vigiliis, vino, & Venere significat, ut adnotatum ad Elegiam 22. sup. v. 27. PASS. *Hesternis*, reposuit Lipsius, ex Vaticano & Fulvii Ursini codice, L. 2. Ant. Lect. C. 10. quod & nostri duo præferunt, & unus Gebhardi. *externis* habet Gruninganus, Borrichianus, & alter Colbertinus; quod est *esternis*. nam *s* & *x* sæpe in scriptis commutantur. - - - - *Hesternas* vocat *corollas*, cum quibus pernoctaverat. vide Elegiam 6. lib. 4. sub ipsum finem. Cicero in fragmento ex Orat. pro Q. Gallio, apud Aquilam Romanum, & apud Quintilianum lib. 8. I. O. cap. 3. memorat *hesterna potatione oscitantes*, & *coronas languidulas*. BROUKH. *Hesternis* diserta præfert etiam editio princeps A. 1472. & sane τὸ *æternis* nemo elegantiorum hominum ferre poterit. VULP.

v. 60. QUEM TETIGIT JACTU CERTUS AD OSSA DEUS] Amor scilicet, cujus certa manus est ac sagitta; ut adnotatum ad Eleg. 7. lib. 1. v. 15. *Tetigit ad ossa*, μυώσις, pro, vulneravit usque ad ossa, immo & intra medullas. Sic Eleg. 9. lib. 1. *Vero nec tangeris igni.* ubi vide adnotata. *Ad* pro *ad usque*; ut Eleg. 7. sup.

Gloria ad hibernos lata Borysthenidas. PASS. Q. 1. *jactu certus ad ossa deus.* τὸ *certus* ad jaculationem vel maxime pertinet. Valerius Flaccus L. 1. *Deucalion certus jaculis.* *certam sagittam* dixerunt Catullus, Horatius, Ovidius; *certum* Amoris *arcum* Seneca Hippol. *certum ictum* Martialis in Spectac. BROUKH.

v. 61.

Actia Virgilium custodis litora Phœbi,
Cæsaris & fortes dicere posse rates.
Qui nunc Æneæ Trojani suscitat arma,
Jactaque Lavinis mœnia litoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graji.
Nescio quid majus nascitur Iliade.

Tu

v. 61. ACTIA VIRGILIUM CUSTODIS LITORA PHŒBI, CÆSARIS ET FORTES DICERE POSSE RATES] Subaudi, juvet. Virgilium, inquit, juvet canere sublimia, heroica. *τὸ posse* abundat. ut supra: *Rerum dicere posse vias*. *Actia litora*. de his vide Eleg. 6. lib. 4. Bene autem *litora*, ut exercitus duos significet, alterum in mari, alterum in continenti, de quibus Plutarchus in Antonio. sic Virgilius 5. Æneid.

Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.

Nam & terra & mari ludicra facta sunt. *Custodis Phœbi*, conservatoris rei Romanæ. & alludit ad Augustum, qui sub nomine Phœbi sæpe latuit. Itaque Phœbus ipse Eleg. 6. lib. 4. ad Augustum: *O Longe mundi servator ab Alba, Auguste*. Sic Horatius Ode 15. lib. 4. *Custode rerum Cæsare*. Item: *Romulæ Custos gentis*. Ennius prior de Romulo dixerat:

Qualem te patriæ custodem dii genuerunt.

Sed & *alter Romulus* dictus Augustus. An *custos*, ἀποτρόπαιος. ut Virgilius 4. Georg. *Custos furum atque avium*. id est, qui defendit atque arcet? *Fortes rates*. aut μετωνυμικῶς milites classiarios intelligit, & νῆας ἀνδρῶν πλήρεις, quas Cæsar *Naves cum viris ipsis* vocat; ut Eleg. 22. sup.

Bella Mycenææ non timuere rates.

Aut epitheton rei animatæ tribuit rei mutæ. Sic Eleg. 17. lib. 1. dixit *Mansuetis litoribus*. PASS. De Apolline Actio videre debes Virum luculentæ eruditionis Jac. Nicolaum Loënsem L. 3. Epiphyll. C. 15. BROUKH.

v. 63. QUI NUNC ÆNEÆ TROJANI SUSCITAT ARMA] Æneam ipsum tamquam sopitum & sepultum reducit & revocat in lucem. sic Virgilius 5. Æneid. *Sopitos suscitat ignes*. Altera lectio perplacet:

Qui nunc Ænean, Trojanaque suscitat arma.

Nam respondet initio Æneidos: *Arma virumque cano*. Quod fuisse principium divini poematis hæc Ovidii testantur lib. 2. Trist.

Et tamen ille tuæ felix Æneidos auctor
Intulit in Tyrios arma virumque toros. P.

Habet nescio quid majestatis *τὸ Æneæ Trojani*. sic passim Virgilio dicitur *Tros Anchisiades*, *Troius Æneas*, *Troïus heros*, *Trojugena*. in quibus singulis vides dignitatem peti ab soli natalis splendore & magnificentia. BROUKH. Eodem modo Tibullus Eleg. 1. lib. 3.

Martis Romani festæ venere Kalendæ.

quem versum inepte diffingere tentavit, vir alioqui præclarus, Julius Cæsar Scaliger in Hypercritico. VULP.

v. 64. JACTAQUE LAVINIS MŒNIA LITORIBUS] Id est, conditam urbem ab ipsis fundamentis; quæ jaci dicuntur. Virgilius 5. Æneid.

Quid probibet muros jacere, & dare civibus urbem?

Respexit autem ad hæc verba Virgilii: *Lavinaque venit Litora*. Sic enim legi debere manifestum ex hoc loco. *Litoribus* dixit, quamvis, ut ait Servius, Laurolavinium conditum sit octavo milliari a mari. nam litus quicquid mari vicinum. ut Virgilius 4. Æneid. *Cui litus arandum*. Livius lib. 1. non longe ab initio: *Oppidum condunt: Æneas a nomine uxoris Lavinium vocat*. Strabo lib. 5. Lavinium collocat inter Ostiam & Antium. Plinius lib. 3. H. N. cap. 5. Lavinios populos commemorat. Virgilius 12. Æneid.

Mœnia Teucri
Constituent, urbique dabit Lavinia nomen. P.

Consulere debes quæ Pierius Valerianus notavit ad L. 1. Æn. v. 2. quæque Nic. Erythræus Indice Virg. in *Lavinaque venit Litora*. non enim defuerunt qui hoc loco *Laviniis* mallent. BROUKH.

v. 65. CEDITE ROMANI SCRIPTORES,

CE-

Tu canis umbrosi subter pineta Galesi
 Thyrsin, & attritis Daphnin arundinibus:
Utque decem possint corrumpere mala puellam,
 Missus & impressis hædus ab uberibus.

Fe-

CEDITE GRAJI] Id est, Virgilio herbam porrigite, [fasces ingenii submittite.] ut Eleg. 2. sup. *Cedite jam divæ*. PASS.

v. 66. NESCIO QUID MAJUS NASCITUR ILIADE] Vide adnotata ad Eleg. 1. sup. v. 14. & 16. *Nascitur*, inquit, quia Natalis quidam librorum, & *Victurus Genium debet habere liber*, ut ait Martialis. PASS. *Nascitur*. Franciscus Petrarcha (*nella Canzone* 37.)

Canzon, nata di notte in mezzo i boschi.

Nescio quid majus Iliade. Blanditur Virgilio suo, eximio sane poetæ, atque obstetricatur quodammodo Æneidi nascenti. nam ceteroqui, utrum Virgilius Homerum superaverit, vel etiam æquaverit, nec ne; magna contentio inter doctus, & rerum poeticarum peritos. VULP.

v. 67. TU CANIS UMBROSI SUBTER SPINETA GALESI THYRSIN, ET ATTRITIS DAPHNIN ARUNDINIBUS] Spineta quidem loca sunt spinis consita, ut apud Virgilium Ecl. 2.

Nunc virides etiam occultant spineta lacertos.

Sed *subter spineta* cani non potest; nisi a spina deductum vocabulum, quæ fert agrestia pruna. Sed est error operarum. nam omnes libri habent *pineta*, loca nempe in quibus frequentes pinus; ut has significet Virgilius Ecl. 1.

Ipsæ te, Tityre, pinus,
Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant,

Ovidius 15. Metam.

Qualia succinctis, ubi trux insibilat Eurus,
Murmura pinetis fiunt.

τὸ *Subter* idem quod Sub. A. Gellius lib. 10. cap. 15. *Subter arborem operire aliquid*. Virgilius 2. Æneid. dixit, *Subter testudine*. *Umbrosi Galesi*, per lucum suum, & umbrosam silvam labentis. ut Eleg. 20. lib. 1. *Umbrosæ flumina silvæ*. Quamobrem Virgilius 4. Georg.

Qua niger humectat flaventia culta Galesus.

Turnebus tamen putat nigrum dici, quia aqua profunda nigrum colorem ducit. Sic dicitur Homero πηγὰ μελάνυδρος. Servius ait, Galesum Calabriæ fluvium, labentem per regionem Tarentinam, in qua Virgilius se otium duxisse ostendit 4. Georg. quum ait, *se sub Oebaliæ turribus Corycium senem vidisse*, insignem hortorum cultorem. Polybius lib. 8. scribit, eum fluvium etiam Eurotam vocari; & T. Livius lib. 25. abesse ab urbe quinque millia, ubi loquitur de arce Tarentina ab Hannibale obsessa. *Canis Thyrsin & Daphnin*. De his Virgilius Ecl. 7. & Ecl. 5. quæ est Daphnidis ἀποθέωσις. Utriusque pastoris nomen exstat apud Theocritum. *Attritis arundinibus*, an fistulâ attritâ & comminutâ præ ira pastoris Daphnin lugentis? ut Ovidius in Epicedio Tibulli:

Ecce puer Veneris fert eversamque pharetram,
Et fractos arcus, & sine luce facem.

An attritâ usu canendi? ut Virgilius Ecl. 2. per hypallagen:

Nec te pœniteat calamo trivisse labellum.

Ovidius 2. Metam. dixit: *Attritas versabat rivus arenas*. id est, politas. Virgilius autem 1. Georg. *Sulco attritus splendescere vomer*. Arundines pro fistula, quæ septem arundinibus constabat. Tibullus Eleg. 5. lib. 2.

Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo.

Vide Ovidium in fabula Panos & Syringos. PASS.

v. 69. UTQUE DECEM POSSINT CORRUMPERE MALA PUELLAM] Tangit hos Virgilii versus ex Ecloga 3.

Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi: cras altera mittam.

Per *mala* quid intelligatur, dixi ad Eleg. 32. sup. v. 39. *Possint corrumpere*, reddere impudicam. ut Eleg. 8. lib. 1.

Nam me non ullæ poterunt corrumpere tedæ. P. omnes libri præferunt, *puellas*. perperam & insubide. BROUKH.

v. 70. MISSUS ET IMPRESSIS HÆDUS AB UBERIBUS] Virgilianus pastor Ecl. 9. & hædos mittit:

Hos illi (quod nec bene vertat) mittimus hædos.

Hædi

Felix, qui viles pomis mercaris amores,
Huic licet ingratæ Tityrus ipse canat.
Felix, intactum Corydon qui tentat Alexin
Agricolæ domini carpere delicias.

Hædi amoribus dicati propter lasciviam. Ovidius 13. Metam. *Tenera lascivior hædo.* At Virgilius non hædum, sed *capreolos duos* dixit Ecl. 2. Hædi missi mentio apud Theocritum nulla est Eidyllio 3. in quo animus Propertii. *Ab impressis uberibus*; nempe cujus mater capella non mulgetur, ut fœtus pinguior fit. Impressa ubera, non pressa, *νήμελκτα*. participium est sine verbo. nam *imprimo* aliud significat. *Sub-rumos* autem hujusmodi hædos vocabant. vide Festum in *Sub-rumari*. Sed Varroni lib. 2. R. R. Subrumi sunt qui supponuntur alterius mammæ, quum mater satis lactis non habet. *Ab uberibus missus*, lactentem significat; ut apud Virgilium 6. Æneid. *Ab ubere raptos Abstulit atra dies.* & 5. Æneid.

Cressa genus Pholoë, geminique sub ubere nati. PASS.

Impressa virorum terga dixit Papinius lib. 5. Thebaid. pro, non pressa. BROUKH. Quidni explices de agno lactente, qui uberibus os imprimat? Sic Juvenalis Sat. 9. *Tu tantum crucis imprime dentem.* & Noster Eleg. 16. lib. 1.

Osculaque impressis nixa dedi gradibus. V.

v. 71. FELIX, QUI VILES POMIS MERCARIS AMORES] Vide adnotata ad Elegiam 16. sup. v. 15. *Mercaris amores viles*, amicam tibi comparas non abjectam & contemnendam, sed *parabilem & facilem*, ut ait Horatius Sat. 2. lib. 1. *Mercaris*, id est, mercari conaris, ut qui licetur: nam sequitur, *Ingratæ canat.* Sic Eleg. 3. sup.

Cognitus Iphicli surripuisse boves.

nempe surripere conatum fuisse. *Pomis*; antea mala vocat. nam omnia mala poma sunt, non contra. Poma sunt omnia quæ esculenta sunt: sed mala ea quæ foris tantum habent quod esculentum est. vide Macrobium lib. 3. Saturn. cap. 14. & lib. 2. cap. 12. ubi refert jocum A. Cascellii Jurisconsulti. De amoribus qui pomis parti, vide Eleg. 13. lib. 3. v. 25. & seqq. PASS. Longus lib. 3. Ποιμενικῶν. Ἡ τάχα μικρὸν ὕστερον νέμουσα τὴν παρθενίαν ἀπολέσει, ἢ ἄνδρα ποιήσεται τινα τῶν ποιμένων ἐπὶ μήλοις ἢ ῥόδοις. *Quæ forsan paullo post inter pascendum virginitatem suam perditura sit, & alicui pastorum, acceptis rosis malisque, nuptura.* Coluthus Thebanus de Raptu Helenæ v. 66.

Μῆλον ἔχειν ἐπόθησεν, ὅτι κτέρας ἐστὶν Ἐρώτων.

Malum habere desideravit, quod peculium esset Amorum.

loquitur tamen de malo aureo Hesperidum, a Discordia in convivium deorum jacto. Venus quoque apud Lucianum in Dearum Judicio sic ad Paridem. Πάντα γάρ ἔνεστί σοι, τὸν ἔρωτα, τὸ κάλλος, τὸν γάμον, τοῦτο τῷ μήλῳ πρίασθαι. *Omnia enim hæc tibi licet, & amorem, & formam, & nuptias, pomo isto mercari.* VULP.

v. 72. HUIC LICET INGRATÆ TITYRUS IPSE CANAT] ἀνακόλουθον, *Amores, huic* &c. *Ingratæ*, nihil sentienti, & nihil curanti, ut Eleg. 17. lib. 1. *Ingrato litore.* *Canat ingratæ*, ut Eleg. 1. sup. *Non hæc mihi cantat Apollo.* Ingratæ vero canit, qui carmen perdit & operam. ingratis enim quod benefit, perit. *Tityrus ipse.* Tityri nomine significari Virgilium, ex Ecloga 1. satis notum est. & ex Ecloga 6. *Tityre, pingues Pascere oportet oves.* nam dixerat, *Quum canerem reges.* Τίτυρος Hesychio calamum & avenam significat, Servio arietem majorem, linguâ Laconum, Probo & aliis hircum, Afrorum linguâ. Ælianus lib. 3. & Strabo lib. 10. in comitatu Bacchi numerant Tityros, Satyros, & Silenos. Athenæus Τιτύρινον αὐλὸν musicum ait esse instrumentum. PASS. *Ingratæ canat.* Virgilius Ecl. 10. v. 8. *Non canimus surdis.* V.

v. 73. FELIX, INTACTUM CORYDON QUI TENTAT ALEXIN AGRICOLÆ DOMINI CARPERE DELICIAS] De Alexi, puero Pollionis, vel Mæcenatis, de quo Virgilius Ecl. 2. vulgata omnia. Corydonis nomen Servius putat deduci ab ave corydalu, quæ alauda est, sive galerita. ideo itaque Corydon, quod incondita canat. *Qui tentat carpere Alexin intactum*, forma scilicet captus, &

Quamvis ille ſuam laſſus requieſcat avenam,
Laudatur faciles inter Hamadryadas.
Tu canis Aſcræi veteris præcepta poetæ,
Quo ſeges in campo, quo viret uva jugo.

Tale

flore ætatis. Horatius pariter Ode 4. lib. 3. *Integræ Tentator Orion Dianæ*. & Ovidius lib. 10. Metam.

Ætatis breve ver, & primos carpere flores.

Carpere intactum, ut legere flores integros. De flore & virgine Catullus elegantiſſime in Epithalamio. *Delicias*, ſuaviſſimos & cariſſimos amores. vide adnotata ad Elegiam 15. ſup. v. 2. Plautus Pſeud. 1, 2. *Phœnicium, deliciæ ſummatum virûm*. A deliquando, id eſt, deliqueſcendo, & diffluendo, deliciæ. *Agricolæ domini*: non pauperis nempe, ſed potentis & locupletis. Elegia 19. ſup. dixit: *Finis pauperis agricolæ*. PASS. *Alexin*. Mæcenatis puerum, fuiſſe arbitror, non Pollionis. quod enim poeta memorat *Agricolam dominum*, ſtudia & mores Mæcenatis ob oculos ponit; quippe qui anguſto clavo contentus, intra domeſticos hortos procul ab ambitione vitam exegerit. Teſtis Pedo Albinovanus Elegia in ejus obitum:

Major erat potuiſſe tamen, nec velle triumphos:
Major res magnis abſtinuiſſe fuit.
Maluit umbroſam quercum, Nymphaſque canoras,
Paucaque pomoſi jugera culta ſoli.
Pieridas, Phœbumque colens in mollibus hortis
Sederat argutas garrulus inter aves.

Vide Martialem Epigr. 56. lib. 8. VULP.

v. 75. QUAMVIS ILLE SUA LASSUS REQUIESCAT AVENA; LAUDATUR FACILES INTER HAMADRYADAS] Allegoria eſt. quamvis Bucolica ſcribere deſierit, laudatur tamen a Nymphis, quia Hamadryades præeſſe putabantur ſilvis, ubi paſtores. *Laſſus*, feſſus canendo. ut Eleg. 1, lib. 3. *Defeſſa choris Calliopea*. *Requieſcat avenâ*, quieti ſe dedat peractâ cantilenâ, & feriatus ſit. *Avena*, pro calamo agreſti & fiſtula. Virgilius Ecl. 1.

Silveſtrem tenui Muſam meditaris avena,

Avenam dictam puto, quod in eam frumentum, vel hordeum evaneſcat; unde Virgilius 1. Georg.

--- ſed illum
Exſpectata ſeges vanis eluſit avenis.

vide Plinium lib. 18. H. N. cap. 17. Scaliger, *ſuam avenam*, legit. ut Eleg. 22. ſupra:

Juppiter Alcmenæ geminas requieverat Arctos.

Et Salluſtius: *Quos ignavia armis abſtinuit*. pro, abſtinere fecit. *Laudatur*; ſubaudi, tamen. vide Eleg. 32. ſup. v. 35, 36, 37. *Faciles*; minime ſeveras; & ſimplices. Sic Virgilius Ecl. 3. *Faciles Nymphæ riſere*. & 4. Georg. *Faciles venerare Napæas*. PASS. Ἁμαδρυάδες Nymphæ dictæ, quod cum quercubus naſci, & cum iiſdem interire crederentur. ab ἅμα, *ſimul*, & δρῦς, *quercus*. vide Auſonium de ætatibus animalium. V. *Sua avena* habent libri. ſed nihil certius emendatione Scaligeri

Quamvis ille ſuam laſſus requieſcat avenam.

Virgilius Ecl 8.

Et mutata ſuos requierunt flumina curſus.

Servius: *Curſus proprios retardaverunt, & quietos eſſe fecerunt. Sic Salluſtius: Paullulum requietis militibus. Quieſco enim duplicem habet ſignificationem; & aliter dico, Quieſco ego, aliter, Quieſco ſervum, id eſt, quieſcere facio. Calvus in Io: Sol quoque perpetuos meminit requieſcere curſus*. In Ciri quoque eadem locutione uſus erat Maro: *Rapidos requieſcunt flumina curſus*. Denique Auctor Herculis Oetæi: *Tuas laudes populi quieſcant*. BROUKH.

v. 77. TU CANIS ASCRÆI VETERIS PRÆCEPTA POETÆ] Heſiodi, qui ſcripſit ἔργα καὶ ἡμέρας, in quo poemate plura ſunt ad cultum agrorum pertinentia. Fuit autem Heſiodus ab Aſcra, vico Bœotiæ. Ovidius lib. 6. Faſt.

Ecce deas vidi, non quas præceptor arandi
Viderat, Aſcræas quum ſequeretur oves.

Præcepta, ſcilicet rei ruſticæ, de quibus Virgilius 1. Georg.

Poſſum multa tibi veterum præcepta referre.

Præcipit doctor, quia ante quam tradat, oportet eum cepiſſe, nempe ipſum didiciſſe, tum demum poterit alios docere. No-

ſter

Tale facis carmen docta testudine, quale
  Cynthius impositis temperat articulis.
Non tamen hæc ulli venient ingrata legenti,
  Sive in amore rudis, sive peritus erit.

Nec

ster Eleg. 7. lib. 3.

At tua, Mæcenas, vitæ præcepta recepi.

Veteris poetæ. Sic Virgilio Ecl. 10. *Ascræus senex* vocatur. De ejus ætate A. Gellius lib. 3. cap. 11. PASS. Virgilius ipse lib. 2. Georg. v. 176.

Ascræumque cano Romana per oppida carmen.

Notissimum est, Maronem in Bucolicis Theocriti vestigia secutum; in Georgicis, Hesiodi; in Æneide, Homeri. Cur vero Theocriti quidem atque Hesiodi mentionem fecerit, Homerum silentio prætermiserit, divinare vix licet. VULP.

v. 78. QUO SEGES IN CAMPO, QUO VIRET UVA JUGO] Campi Cereri, Baccho colles & juga conveniunt. Virgilius 2. Georg. *Denique apertos Bacchus amat colles.* *Campus*, inquit Varro 4. de L. L. *quod fructus capiebant ex agro plano*. Scaliger: καμπὸς Siculis est circus, sive hippodromus. Jugum, cacumen montis, vel collis. vide adnotata ad Eleg. 13. lib. 1. v. 24. τὸ *viret* refertur ad utrumque, & ad *seges* & ad *uva* sed immatura. nam seges maturescens flavescit, uva vero rubescit. Quidquid seritur & metitur, *seges* est, ut adnotatum ad illud Tibulli Carm. 1. lib. 4.

Nec frugem segetes præbent, nec pabula terra.

Hic vero *seges* vocatur, quæ Ovidio dicitur *Messis in herba*; quia sequitur *viret*. Tria vero Maronis opera significat Propertius; Æneidem per Æneæ arma, Bucolica per nomen Tityri, Georgica per segetem & uvam, ex primo versu cujusque operis. Sic & Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 15.

Tityrus, & segetes, Æneiaque arma legentur,
Roma triumphati dum caput orbis erit. P.

v. 79. TALE FACIS CARMEN DOCTA TESTUDINE, QUALE CYNTHIUS IMPOSITIS TEMPERAT ARTICULIS] Virgilius Ecl. 5.

Tale tuum carmen nobis, divine poeta,
Quale sopor fessis in gramine.

vide adnotata ad Eleg. 8. sup. v. 11. & Eleg. 1. sup. v. 9. *Testudine*; an ebore, id est, eburnâ lyrâ? nam sæpe testudo pro ebore. quamobrem Eleg. 6. lib. 4.

Aut testudineæ carmen inerme lyræ.

An *testudine*, plectro eburno? An quia ex testudine Mercurius lyram fecit, ut narrat Homerus in ejus Hymno, & Servius in illud 4. Georg.

Ipse cava solans ægrum testudine amorem?

Horatius Ode 11. lib. 3. *Tuque testudo resonare septem Callida nervis*. *Testudine docta*; ut *Tibia docta*, Eleg. 30. sup. v. 16. Testudo, quod testa tectum hoc animal. Varro 4. de L. L. *Temperat carmen*, modulatur, adhibita velut sonorum temperie. Sic Horatius Ode 3. lib. 4. *O, testudinis aureæ Dulcem quæ strepitum, Pieri, temperas! Impositis articulis*; ut Eleg. 1. lib. 1. *Impositis pedibus*. *Articuli*, digiti & manuum & pedum; unde articularis morbus. Ovidius lib. 2. Pontic. Epist. 3.

Et sibi quid sit
Utile, sollicitis computat articulis.

Manus pars, digiti; digitorum, articuli. Quintilianus lib. 7. cap. 11. PASS. Testudinem usurpari pro ebore, vix crediderim. Corticibus marinæ testudinis in tenues laminas dissectis varia opera & pretiosa fingebant artifices. Virgilius 2. Georg. v.463.

Nec varios inhiant pulchra testudine postes.

testudo scilicet varia ; ebur candidum. Lyram vero præcipue ac citharam sic ornabant. Tibullus Eleg. 4. lib. 3.

Artis opus raræ fulgens testudine & auro
Pendebat lævâ garrula parte lyra. V.

v. 82. NON TAMEN HÆC ULLI VENIENT INGRATA LEGENTI] Id est, erunt non injucunda nostra carmina. *Venient*, pro erunt. vide adnotata ad Eleg. 5. lib. 1. v. ult. Virgilius 2. Georg. *Quo non præsentius ullum Auxilium venit*. *Non ingrata legenti*, ut Eleg. 2. lib. 3.

At Musæ comites (mihi) & carmina cara legenti.

nempe lectori. ut Eleg. 15. sup. v. 31. *Arantes*, pro aratoribus. PASS. Ita & *medentes*, pro medicis. Ovidius Epist. Oenones v. 147.

Qua-

Nec minor his animis, nec se minor ore canorus
Anseris indocto carmine cessit olor.
Hæc quoque perfecto ludebat Iasone Varro,
Varro Leucadiæ maxima flamma suæ.

Hæc

Quæcumque herba potens ad opem, radixque medenti
Utilis in toto nascitur orbe, mea est.

& alibi sæpe. VULP.

v. 82. SIVE IN AMORE RUDIS, SIVE PERITUS ERIT] *Rudis* & *peritus* antitheta, ut adnotavi ad Eleg. 9. lib. 1. v. 7. Sic Plautus Persa 2, 2. *Peritis prædico*, pro puellis virum expertis. PASS.

v. 83. NEC MINOR HIS, ANIMIS, AUT SI MINOR, ORE CANORUS ANSERIS INDOCTO CARMINE CESSIT OLOR] Vetus liber: *Nec minor his animis, nec si minor.* Scaliger legit, *Nec se minor.* & sic exponit: Nec Virgilius propterea aliquid indignum majestate illa sui carminis, aut se ipso fecit, quum lacessitus ab æmulo Ansere non respondit. Reprehenderat ille hæc Virgiliana: *Sub tegmine fagi.*

Tityre, si toga calda tibi est, quo tegmine fagi?

Item: *Cujum pecus?*

Dic mihi, Damœta, cujum pecus, anne Latinum?
Non, verum Ægonis; nostri sic rure loquuntur.

Item: *Grandia hordea.*

Hordea qui dixit, superest ut tritica dicat.

Item: *Nudus ara, sere nudus: hiems ignava colono.*

Nudus ara, sere nudus: habebis frigora, febrem.

Ego quæ Scaliger hic mutat, non probo. Sic igitur expono. Virgilius (nam ad eum redit) non minor animis, non minore spiritu & vi canendi fuit his. id est, ob hæc quæ cecinit in Bucolicis: quod si minor fuisse videtur, non ideo olor & vates præstantissimus tenui, deducta, ac liquida voce cessit indocto clangori Anseris poetæ. *Animi*, pro spiritu illo quem ipse memorat Elegia 17. lib. 3. v. 40. Sic Horatius Epist. pænult. lib. 1.

Ego primus iambos
Ostendi Latio numerosque animosque sequentes Archilochi.

Si legimus *Animus*; ut in veteri libro, *Nec minor his animus*, eadem erit sententia: non minor vis ac spiritus in his versibus amatoriis. *Ore canorus olor*, argutus cygnus. τὸ *Ore* vacat, ut, *Ore locuta est.* vel quia quædam canora sunt non ore, ut tuba, ut fides citharæ. Olores sive cycnos vocari poetas, tritum & vulgatum est. vide Horatii μεταμόρφωσιν Ode 20. lib. 2. *Cessit carmine.* pro carmini. ut Eleg. 18. sup.

Turpis Romano Belgicus ore color.

Indocto. sic Virgilius dixit *miserum carmen* Ecl. 3. Canit anser. Virgilius 8. Æneid.

- - - Argenteus anser
Porticibus Gallos in limine adesse canebat.

Carmen, sive cantus anseris, est gingritus. nam gingrire anserum vocis proprium est, ut ait Festus; unde genus quoddam exiguum tibiarum, quæ *gingrinæ* dicuntur, & giugrinatores, tibicines. Ludit autem in nomine Anseris mali poetæ & æmuli Virgilii, ut Virgilius ipse Ecl. 9.

Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinnâ
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.

Ovidius lib. 2. Trist.

Cinna quoque his comes est, Cinnaque procacior Anser.

Cicero Philipp. 13. *Anseres de Falerno depellantur.* id est, inquit Servius, Anser poeta, cui agrum Falernum donaverat M. Antonius. PASS. *Nec minor his animis.* Locus difficilis, impeditus, &, ut suspicor, fœde corruptus. *Nec se minor.* Eumdem se præstitit Virgilius in contemnendis æmulorum maledictis, quem in divino Æneidos opere conscribendo. Tiberius Imperator initio sui principatus parem animi excelsitatem ostendit: *adversus enim convicia, malosque rumores, & famosa de se ac suis carmina firmus ac patiens, subinde jactabat, in civitate libera linguam mentemque liberas esse debere.* Suetonius in Tiberio cap. 28. V.

v. 85. HÆC QUOQUE PERFECTO LUDEBAT IASONE VARRO, VARRO LEUCADIÆ MAXIMA FLAMMA SUÆ] Eadem sententia Ovidius lib. 2. Trist.

Is quoque Phasiacas Argo qui duxit in undas,
Non potuit Veneris furta tacere suæ.

Varro, non ille M. Terentius polyhistor,

toga-

Hæc quoque lascivi cantarunt scripta Catulli,
Lesbia queis ipsa notior est Helena.
Hæc etiam docti confessa est pagina Calvi,
Quum caneret miseræ funera Quintiliæ.

Et

togatorum & palliatorum doctissimus, sed Atacinus; de quo Servius ad Ecl. 1. ad illud: *Creta Oaxem*. Horatius Sat. 10. lib. 1.

Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino,
Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem.

Ovidius iterum lib. 1. Amor. Eleg. ult.

Varronem, primamque ratem quæ nesciet ætas,
Aureaque Æsonio terga petita duci?

& lib. 3. A. A.

Dictaque Varroni fulvis insignia villis
Vellera, germanæ, Phryxe, querenda tuæ.

De eodem Statius lib. 2. Silv. in Genethliaco Lucani: *Et qui per freta duxit Argonautas*. Exstant & hodie aliquot ejus versiculi. *Ludebat hæc quoque*; per ludum & jocum scribebat τὰ ἐρωτικά. ut Eleg. 3. sup. v. 20.

Par Aganippeæ ludere docta lyræ.

Perfecto Iasone. absoluto de Argonautis poemate, quorum princeps Iason. unde & *Iasonia carina*, pro Argo Eleg. 24. sup. v. 45. *Maxima flamma Leucadiæ suæ*. qui flagrabat amore Leucadiæ. fictum nomen a loco; de quo Sappho apud Ovidium, & Noster Elegia 11. lib. 3. v. 69. Sic Delia Tibulli, Cynthia Propertii, Lesbia Catulli, a locis. *Flamma*, pro amore; ut Eleg. 4. lib. 4.

Nescia se flammis accubuisse novis. PASS.

Flamma Leucadiæ suæ, qui quum amaret Leucadiam, ab ea perdite redamabatur. Ita Virgilius Ecl. 3.

At mihi se se offert ultro meus ignis Amyntas. VULP.

Maxima cura, habet noster primus, non *flamma*. quomodo etiam legitur apud Gyraldam Dial. 4. Historiæ poetarum, itemque in codice Borrichiano. BROUKH.

v. 87. HÆC QUOQUE LASCIVI CANTARUNT SCRIPTA CATULLI, LESBIA QUEIS IPSA NOTIOR EST HELENA] Sic apud Plautum in Rudente: *Urna litterata cantat cujus sit*. & *Littera loqui* dicuntur apud Ciceronem. *Lascivi Catulli*; ut Ovidius lib. 2. Trist.

Sic sua lascivo cantata est sæpe Catullo
Femina, cui falsum Lesbia nomen erat.

Ipse Catullus Carm. 16. *suos versus molliculos, & parum pudicos esse* fatetur. PASS. *Ipsâ notior Helenâ*. quæ & pulcherrima fuit, & Homeri, aliorumque excellentium poetarum carminibus mirum in modum celebrata. VULP.

v. 89. HÆC ETIAM DOCTI CONFESSA EST PAGINA CALVI] Agnovit & Calvus crimen amoris, & præ se tulit. Nonius: *Confitemur coacti; profitemur sponte. & profiteri honestius, quam confiteri*. Donatus in Prol. Adelphorum: *Indicat is qui de se volens aliquid, & de aliis etiam prodit: confitetur, qui de se tantum, & qui invitus*. Ergo hic confiteri, pro, indicare, vel profiteri. *Docti Calvi*. de eo Cicero Epist. ult. lib. 15. ad famil. quæ est ad Trebonium; ubi multa de Calvo, quem nimium judicio Trebonii laudarat. *Multæ erant* (in eo) *& recondita litteræ, vis non erat*. Ovidius lib. 2. Trist.

Par fuit exigui similisque licentia Calvi,
Detexit variis qui sua furta modis.

[exiguum vocat, quod pusillus & humili statura fuerit; unde per jocum a quodam *salaputium disertum* appellatus] Idem in Epicedio Tibulli:

Obvius huic venias hederâ juvenilia cinctus
Tempora, cum Calvo, docte Catulle, tuo:

Noster Eleg. 25. sup.

Calve, tua venia; pace, Catulle, tua.

Horatius Sat. 10. lib. 1.

--- Quos neque pulcher
Hermogenes unquam legit, neque simius iste,
Nil præter Calvum, & doctus cantare Catullum.

A. Gellius lib. 9. cap. 12. Calvi versiculum adfert: *Durum rus fugit & laboriosum*. Cicero lib. 1. ad Attic. Epist. 13. Calvum ponit inter judices Clodianos. nescio an hunc. nam *quisquilias* vocat. PASS.

v. 90. QUUM CANERET MISERÆ FUNERA QUINTILIÆ] Enallage, pro, funus, id est, mortem; ut sup. *Archemori funera*. *Quintiliæ miseræ*, vel propter immaturam mortem, vel quia mortui miseri vulgo

cen-

Et modo formosa qui multa Lycoride Gallus
Mortuus inferna vulnera lavit aqua.

Cyn-

censentur. ut adnotatum ad Eleg. ult. lib. 1. v. antepænult. Vide Catullum Carm. 94. ad Calvum. PASS. Solus, opinor, ex omnibus poetis Calvus verum dominæ suæ nomen non dissimulavit. --- v. Politianus Nutric. v. 548. BROUKH.

v. 91. ET MODO FORMOSA QUAM MULTA LYCORIDE GALLUS MORTUUS INFERNA VULNERA LAVIT AQUA!] τὸ *quam* vel per se stat, & est exclamantis, *quam multa vulnera lavit!* vel conjungitur cum *multa*, ut sit, *quam multa vulnera*, id est, valde multa. ut Eleg. 20. lib. 2.

Quam multæ ante meis cedant sermonibus horæ.

aut legendum *qui*. *Gallus formosa Lycoride*. ut hic sup.

Nec cur fraternis Luna laboret equis.

Item:

Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris
Proderit?

-- & Eleg. 33. sup. *Fuscis Ægyptus alumnis*. De Gallo & Lycoride Martialis Epig. 72. lib. 8.

Ingenium Galli pulchra Lycoris erat.

Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. ult.

Gallus & Hesperiis & Gallus notus Eois;
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.

& lib. 3. A. A.

Vesper & Eoæ novere Lycorida terræ.

& in Remed. Amor.

Quis poterit lecto durus discedere Gallo?

Tres Gallos coævos recensui Eleg. pænult. lib. 1. ubi vide adnotata. De Galli autem & Lycoridis amoribus legenda ultima Ecloga Virgilii, quæ nihil aliud continet. *Lavit vulnera*. & mortuis & vivis vulnera lavantur. Mortuis, ut adnotatum ad Eleg. 9. sup. v. 11. Vivis, ut Æneid. 10. *Genitor Tiberini ad fluminis undam Vulnera siccabat lymphis*. Papinius 5. Thebaid.

Vix magnum lavare
Vulnera, & effluentes libet internectere plagas.

Modo mortuus, βιοθάνατος. nam manus sibi attulerat hostis a senatu judicatus; ut est apud Virgilium Ecl. 10. & Servium. vide adnotata ad Eleg. pænult. lib. 1. v. 7. PASS. *Mortuus i. v. l. a.* Ex Euphorione Chalcidico expressum notat eruditissimus Schottus L. 2. Obs. Human. C. 26. cujus poetæ scripta omnia interciderunt, quamvis eum Latinum fecisset hic ipse Gallus. qui nec in suis quidem carminibus mitiorem habuit sortem. adeo enim funditus perierunt omnes viri eximii lucubrationes, (nam, præter Euphorionem Latio donatum, quatuor Amorum libros laudat Servius ad Ecl. 10.) ut ne unum quidem inde fragmentum exstet hodie apud grammaticum ullum. quod valde mirum videri potest, quum in magno pretio fuerit etiam post mortem. nam ne famæ ejus obfuisse putes indignationem Augusti, satis superque evincunt luculenta testimonia magnorum hominum, qui cum Augusto vixerunt: itaque nihil nobis restat de Cornelio Gallo, præter solam memoriam. nam libellus ille, qui vulgo sub ejus nomine circumfertur, auctorem habet nescio quem Maximianum, scriptorem barbarum, lutulentum, ac tantum non stercoreum. primus fucum studiosis hominibus facere ausus est, sub nomine tam bono, Pomponius Gauricus, & successit ei mangonium, quamquam contra starent viri eruditissimi, applaudentibus inficeti vulgi suffragiis. Verum quum lucem claram ferre non posset fœtus hic noctuinus, prodiit paullo post alia Elegia, auctorem ementita Asinium Gallum, cujus hoc est initium:

Non fuit Arsacidum tanti expugnare Seleucen,
Italaque ultori signa referre Jovi.

edita autem fuit Florentiæ ab Aldo Manutio P. F. de ea quid senserit jam tum Josephus Scaliger, notum est & plus quam verum. Hier. Columna ad Ennium p. 178.a. *Cornelius Gallus, cujus, si germana sunt, quæ in manibus habemus, effœta jam Musa videtur cecinisse,*

Ortus cuncta suos repetunt, matremque requirunt;
Et redit in nihilum, quod fuit ante nihil.

---- Homo multi nominis Renatus Rapinus, post composita nescio quam feliciter tot paria summorum ex antiquitate virorum, præferre ausus est Cornelium Gallum (in Elegia, ne erres) Catullo ac Mæcenati. ecce ejus verba: *Il nous est resté quelques Elegies de Catulle, de Me-*

cenas,

Cynthia quin etiam versu laudata Propertî,
Hos inter si me ponere Fama volet.

cenat , de Cornelius Gallus , qui sont d' une grande poesie , & d' une grande delicatesse : mais le Vers de Catulle & de Mecenat , est d' une trop grande mollesse , & d' une negligence trop affectée : celui de Cornelius Gallus est plus rond , & il se soutient mieux . O judicium ! & tamen , hæc qui libenter legunt , multum sibi proficere videntur . BROUKH. Cornelius Gallus ante ipsum Tibullum Elegia scribenda inclaruerat . id testatur Ovidius Eleg. 10. lib. 4. Trist.

Virgilium vidi tantum ; nec avara Tibullo
Tempus amicitiæ fata dedere meæ .
Successor fuit hic tibi , Galle ; Propertius illi .
Quartus ab his serie temporis ipse fui .

Durior tamen habitus est a Quintiliano , harum rerum judice non semper optimo , cap. 1. lib. 10. Inst. Orat. quam patiatur molle hoc scribendi genus . Ejus versum legitimum & γνήσιον citat Vibius Sequester in libello de Fluminibus : *Hypanis Scythiæ , qui , ut ait Gallus ,*

Uno tellures dividit amne duas .

Asiam enim ab Europa separat . Modo . Hanc igitur Elegiam scripsit Propertius paullo post infelicem Galli exitum . *Cornelium Gallum* Augustus (refert id Suetonius in ejus Vita cap. 66.) *ad præfecturam Ægypti ex infima fortuna provexerat .* Deinde *res novas molientem , damnandum senatui tradidit .* Mox : *Sed Gallo quoque & accusatorum denunciationibus & senatus consultis , ad necem compulso , laudavit quidem pietatem tantopere pro se indignantium : ceterum & illacrimavit , & vicem suam conquestus est , quod sibi soli non liceret amicis , quatenus vellet , irasci . Gallus formosa Lycoride .* Itali dicerent : *Gallo dalla bella Licori* ; nempe quem Lycoridis amores notum & celebrem effecere . Ita Lucretius sub ipsam finem quarti libri :

At Lamia , & mammosa , Ceres est ipsa ab Iaccho .

scilicet , quæ Iacchum amat , Ceres Iacchi . Idem lib. 2. v. 50. *Neque fulgorem reverentur ab auro .* id est fulgorem auri . Illud Virgilii non dissimile Æneid. 3. v. 514.

Trojam genitore Adamasto
Paupere(mansissetque utinam fortuna)profectus.

Cicero pariter 1. de Legib. *Perturbatricem autem harum omnium rerum Academiam hanc ab Arcesila & Carneade recentem exoremus ut sileat .* Veteres porro dicebant , exempli caussa , *Furius Velina* , nempe tribu . Sic *Patavio* , *Mutina* , in Inscriptionibus Romanis . Cæsar quoque lib. 1. de Bello Civili cap. 24. *Cn. Magius Cremona .* Puella quam quisque amabat , erat ei domus , tribus , patria . Noster Eleg. 11. lib. 1.

Tu mihi sola domus , tu Cynthia sola parentes .

& Eleg. 1. lib. hujus :

Ex hoc ducentur funera nostra domo . V.

v. 93. CYNTHIA QUIN ETIAM VERSU LAUDATA PROPERTI] Libenter sui meminit , idque nominatim ; ut Eleg. 8. sup. v. 17. Eleg. 14. v. 27. Eleg. 24. v. 35. Eleg. 3. lib. 3. v. 17. & Eleg. 1. lib. 4. *Quin etiam* , præterea , ut dictum ad Eleg. 6. v. 7. *Cynthia laudata est* , scilicet , *nostris notissima facta libellis* , ut ipse loquitur Eleg. 25. sup. v. 3. & *celebrata libello* , Eleg. 2. lib. 3. v. 17. De Cynthia Ovidius in Remed. Amor.

Carmina quis potuit tuto legisse Tibulli ?
Vel tua cujus opus Cynthia sola fuit ?

& lib. 3. A. A.

Nos facimus placitæ late præconia formæ .
Nomen habet Nemesis ; Cynthia nomen habet .

Versu Properti . enallage numerorum . sic Eleg. 13. sup. *Ut nostro stupefiat Cynthia versu* . versibus nempe , sive nostris libellis . & *versu Properti* , pro , versu meo . ut Elegia 10. lib. 3. *Qua primum oculos cepisti veste Properti* . id est , meos . PASS.

v. 94. HOS INTER SI ME PONERE FAMA VOLET] Si me fama dignabitur his annumerare , Virgilio scilicet , Varroni , Catullo , Calvo , Gallo . Sic fere capiendum illud Eleg. 9. lib. 3.

Inter Callimachi sat erit placuisse libellos .

De fama sua fidenter dixit Eleg. 1. lib. 3.

Exactus tenui pumice versus eat ;
Quo me fama levat terra sublimis , & a me
Nata coronatis Musa triumphat equis .

Meminit autem famæ ; quia ex sermone hominum ea constat , quorum sententia & cou-

consensu poetæ censentur. PASS. *Hos inter &c.* Cur quæso Tibullum prætermittit poeta Umber, Elegiæ Romanæ poetam primarium? an quod ille Augustum odisset? quem tamen Ovidius religioni sibi non duxit nominare, quum librum 2. Tristium mitteret ad Augustum. Hac etiam Elegia vides Galli mentionem fieri, quamquam ille in Principem conjuravit, aut saltem conjurationis reus actus est. Dubitat enim de vero crimine Ovidius in Epicedio Tibulli. VULP.

FINIS TOMI PRIMI.





